OTECA NAZ
...to Emanuele III
XV
H
38
NAPOLI

XV
H
38
NAPOLI

Digitized by Google

LEGES ECCLESIASTICAE

REGNI HVNGARIAE,

ET

PROVINCIARVM ADIACENTIVM,

OPERA, ET STVDIO

IGNATII COMITIS DE BATTHYÁN

EPISCOPI TRANSILVANIAE

COLLECTAE, ET ILLVSTRATAE.

TOMVS PRIMVS.

Neque enim omnia, quae illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriae, litteriſque mandari potuerunt, aut omnia, quae mandata ſunt, nouimus. S. Auguſt. de Baptiſmo contra Donatiſtas Lib. 2. C. IV.

ABAE-CAROLINAE TYPIS EPISCOPALIBVS ANNO MDCCLXXXV.

Digitized by Google

Legat hic vnum verbum, et in hoc meditetur Chriſtiana Religio, et inueniet ex hac Scriptura omnium Doctrinarum regulas emanaſſe, et hinc naſci, et huc reuerti, quidquid Eccleſiaſtica continet diſciplina, et in omnibus irritum eſſe, et friuolum, quidquid dilectio non confirmat. *S. Cyprianus de Baptiſmo Chriſti, paulo poſt medium.*

Digitized by Google

Typographus Lectori

Paucis me expediam: vnum, alterumue verbum auribus tuis inſuſurrandum habeo. Scire nimirum te volo, opus hoc nunc primum, ſeu inclinato iam anno MDCCLXXXVII. euaſiſſe proelum; annum tamen refert anteriorem, quo de edendo opere cogitatio ſuſcepta fuerat; porro typis coeperat exſcribi Claudiopoli, quia autem hic conſummatum fuit, Albam-Carolinam, quorſum pars Typographiae huius commigrauit, apponere viſum fuit. Vale iam.

Digitized by Google

PRAEFATIO
Ad
Beneuolum Lectorem.

Tardius, atque oportebat, primus Operis huius Tomus in lucem prodit magno ſane periculo meo, euenire enim ſolet huiusmodi operibus, quorum exſpectatio diu ſuſpenſos tenuit animos, vt dein non ſatisfaciant; tanto nempe plus in illis exquiritur, quanto diutius expectabantur. Haec cogitatio me tantopere terruit, vt conſilium omne abieciſſem, niſi vtilitatis, quam ex hoc opere in Gentem meam dimanatúram confido, potior mihi fuiſſet ratio. Tres, et quod excedit anni ſunt, quod Tomus hic ad vmbilicum perductus ſit; verum moram neceſſariam omnino iniecit, quod eodem ferme tempore, ac ſupremam volui manum imponere, ad Epiſcopatum Tranſyluaniae vocatus aliis vacare debuerim, quae me totum ita occupabant, vt vix liceret de lucubrationibus litterariis cogitare. Nunc tandem debitum exſoluo, poſtquam ſecundis curis opus hoc qualecunque reuidiſſem, et non paucis acceſſionibus auxiſſem. Primus hic Tomus, vt meus mihi praeſagit animus, multis non ſatisfaciet, qui dum Hungarica inquirunt, Illyrica pleraque reperient, id vnum a te Amice Lector maiorem in modum peto, vt ab omni iudicio abſtineas, antequam totum euolueris opus. Quale illud ſit, paucis enarrabo, vt exſpectationem tuam hac etiam Praefatione diutius non deludam. Quidquid ad leges Eccleſiaſticas Hungariae, Prouinciarumque eidem adnexarum quoquo modo pertinet, opere hoc complexus ſum; quae autem eo pertineant, in Diſſertatione de Synodis Regiis vberius recenſui. Primus hic Tomus complectitur omnes Leges Eccleſiaſticas in Dioetis Hungariae editas, (quo conſilio id fecerim, leges in eadem Diſſertatione mea) deinde Synodos, aliaque acta Eccleſiaſtica vſque ad annum MLXXVI. ne autem tibi moleſtus eſſem narrationibus praeuiis, praemiſi actorum Eccleſiaſticorum recenſiones; ipſis autem Legibus, vbi e re fore cenſui, notas marginales ſubieci. Porro quia hiſtoria Legum ad cognitionem earundem plurimum momenti habet, hiſtoriam illarum in Diſſertatione de Synodis Regiis exaraui. Aequo animo accede Lector! nihil hic acerbum in ſententiis, nil aſperum in verbis offendes, ſumma enim mihi pax tecum intercedit. Ceras plerumque ineditas, aut certe melius conſeruatas hinc inde adiicio, vt hac etiam ratione, aut ſi mauis, hac ad minus ratione aliquod operae pretium praeſtem. Illis adhuc, qui mihi in hoc ſcribendi genere auxilium praebuerunt,

gra-

Digitized by Google

gratiae referendae forent; verum vt melius hoc defungar officio, et explicatius collati ab ipſis in me beneficii menſuram intelligas, ad ſingulas Synodos id adnotare non intermittam; idque tanto magis neceſſarium eſſe video, quod Cl. P. Martinus Roſnyák Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, qui opus poſthumum Clariſſimi P. Xiſti Schier de Reginis Hungariae ediderat, velut durus exactor debitum, quod memoriae laudati Viri debeo, quaſi in tabulari fecerit, dum pag. 17. ſcriberet: „Supplementum ad Concilia Hungarica a Peterſio intermiſſa. Hanc collectio„nem ipſe Author C. IGNATIO BATTHYÁNI obtulit. „ *Non diffiteor, quod doctus hic Vir mihi aliquas Synodos dederit, ſed easdem in pluribus exemplaribus ab aliis ſortitus iam eram; id vnum ergo mihi praeſtitit, quod a ſuperuacanea aliquot Synodorum editione abſtinuerit, dum ſciret me ampliorem parare. A Cl. Viro Samuele Székely, quem Cl. P. Kaprinai, et Cl.* Wagner *multis ornarunt encomiis, complura monumenta accepi, pro quibus quum ſexcentos florenos parati aeris perſoluerim, mea vtique effeci, et tanquam ex penu mea deprompta his actis inſero;* Spero, nemo a me exiget, vt ſemper vel in laudes illius excurram, vel perſoluti aeris faciam mentionem. Vale iam Amice Lector, et fruere qualicunque opera mea.* - - - - - - - - - - -

Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne ſolus eſſet, ſtudui, quod ſuperfuit;
Nec haec inuidia, verum eſt aemulatio.
Quodſi labori fauerit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.
Si liuor obtrectare voluerit,
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.

Phoedrus Fabula VIII.

* *Carmina Paullus emit, recitat ſua carmina Paullus,*
Nam quod emas, poſſis dicere iure tuum.

Martialis lib. 2. epig. 18.

EMINENTISSIMO

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

S.R.E.CARDINALI PRESBYTERO

CHRISTOPHORO

E COMITIBVS

MIGGAZZI

DE SONNENTHVRN,

ARCHIEPISCOPO VIENNENSI,

ET

EPISCOPATVS VACIENSIS

GVBERNATORI

PERPETVO.

Digitized by Google

EMINENTISSIME

VT EMINENTIAE TVAE operis mei tomum hunc primum inſcriberem, Eiusque dedicarem nomini non ſolum mea in EMINENTIAM TVAM obſervantia, multipliciaque Eius in me ſtudia imperarunt, verum ad id induxit veteris quoque aemulatio diſciplinae. In Conciliis quippe Toletano VII. et XIII. conſtitutum reperio, vt Regiae urbis Epiſcopo mutatis vicibus vicini adſiſtant Epiſcopi, qui tum ſubſidio ſint eidem, tum grauibus diſtentum laboribus alternis reficiant conſolationibus. Et ſane Epiſcopum Regiae Vrbis et obſequium deferre Principi pro illius reuerentia, et excubare oportet pro Eccleſiarum incolumitate. Quum itaque gregis mei longe diſſiti non admittat ſolicitudo, ut ſoepe hocce defungar officio, oportunum duxi prae manibus TVIS venerabilem legum Eccleſiaſticarum relinquere conſolationem. Poteſtne Epiſcopo multis exantlatis laboribus feſſo ſuauior aliqua eſſe refocillatio, quam Patrum noſtrorum legere veſtigia, inſpicere exempla? video autem animum TVVM ita in antiqua Eccleſiae diſciplina eſſe defixum, vt non dubitem munusculum hocce meum fore iucundiſſimum.

Praecipua olim fuerat Epiſcoporum cura, ut Clerici, et Monachi vtiles exarent, vel deſcribant libros. Caſſiodorus (a) teſtatur S. Hieronymum rogatu Sancti Chromatii Aquileienſis Epiſcopi paſſiones Martyrum deſcripſiſſe. TVVM iuge ſtudium fuit, ut Cleri manibus vtiles inſereres libros. atque ideo cura, et impenſis tuis Catechiſmus Romanus primum quidem latine vulgatus fuit, dein in germanicum

§ 2

a) Cap. 32. de inſtitutione Divinarum litterarum.

Digitized by Google

translatus idioma, mox illius etiam compendium eodem idiomate lucem adſpexit. Eodem ſtudio inductus TVO aere S. Caroli Borromaei, inſtructionem de adminiſtratione Euchariſtiae, et Poenitentiae, eiusque orationes, et monita ad Clerum Mediolanenſem procudi feciſti, vt omnibus obuium eſſet, quod ſingulorum manibus teri optabas. Concilium Tridentinum pariter TVIS ſumptibus prodiuit.

Si in vulgandis his operibus non parcendum duxiſti ſumptuum diſpendio, labori etiam TVO non peperciſti, dum Rituale multis obſitum erroribus indefeſſo labore repurgaſti, et nitori Ritualis Romani reſtituiſti. Cur commemorem laborem, quem in Catechiſmo rudis populi inſtructioni aptando inſumſiſti, cum id omnibus notum ſit; adeo autem feliciter e voto res cesſit, vt glorioſae recordationis condam PRINCEPS, et DOMINA Noſtra illum omnibus paedagogis normam eſſe iuſſerit docendi pariter, et diſcendi. Vtinam modeſtiam TVAM expugnari ſineres, vt blattis, et tineis eriperentur Sermones Sacri, quibus populum TIBI creditum per vniuerſas Dioeceſis TVAE Eccleſias erudieras, haberemus in illis maſculum Chriſtianae eloquentiae robur, haberemus, quod Galliae ſuum Meldenſem Epiſcopum immortalem Boſſuetum jactanti opponeremus. Latent in ſcriniis TVIS praeclarae aliae lucubrationes, quibus Eccleſiae ſuscepiſti patrocinium; evulgavit non nemo ſimile quid operis TVI, et licet virus malignitatis ſuae inſperſerit, Eccleſiaſticae tamen eruditionis copiam, qua id plenum eſt, non tam obfuſcauit, quam commendauit imprudens; vnde ſatis mirari non valeo impudentem illius petulantiam, qui ſub ementito Viennenſis *(a)* Eccleſiae nomine patientiam TVAM exercere auſus fuit, dum TE ad ſcribendum nimia ſcriptitandi licentia compellere ſtuduit, quaſi vocem Paſtoris ſui non noſſent ouiculae TVAE. TV haec contemnendo, quam debellando glorioſius viciſti. Verum, vt mea eo, vnde paullulum digreſſa eſt, redeat oratio, patere, vt meum de lucubrationibus TVIS, quas arcto premis carcere, metum explicem, metuo nimirum, quod in illas ſaeuies, et abolebis. Obuerſatur ante oculos meos factum laudatiſſimi Cardinalis Joannis Franciſci Commendoni, de quo in illius vita *(b)* Antonius Maria Gratianus Epiſcopus Amerinus, quod multos Platonis libros exercendi in-

a) Tres ni fallor, pagellae in vulgus ſparſae fuerunt, quae a Communitate Viennenſi ad ſuum Epiſcopum exaratae, et a Gotlieb Geiſtruh typo comiſſae ſimulantur.
b) Antonius Maria Gratianus Epiſcopus Amerinus lib. 1. cap. 4.

genii cauſa e Graeco in Latinum verterit, omnes fere explicatione rerum, quae obſcuriores eſſent, illuſtrauerit, ac demum poſt multos annos repertos conſciderit, atque incenderit ſane immerentes, ac ſimili incendio abſumpſerit ſpiſſum volumen carminis Epici; Virgilii quoque careremus operibus, ſi res per ipſum ſtetiſſet. Obriguit in illis raro exemplo amor ille, quo ingenii noſtri foetus ſoepenumero amamus magis, ac Patres ſuas diligant ſoboles. Omnis illa abdicatio amoris proprii, quae facit, vt TVA TIBI ſuſpecta ſint, metum hunc mihi ingeſsit.

Aboleas licet, aeternis inuoluas tenebris ingenii TVI monumenta, loquentur tamen id opera TVA, quae nulla temporum diuturnitas obliterare valebit, quicunque enim Dioeceſim Vacienſem, quam perpetuae adminiſtrationis iure gubernas, perluſtrauerint, *illic*, vt verbis Chronici Fontanallenſis (*a*) vtar, *inuenient, quantam ſolicitudinem, ac peruigilem curam de conſtructione, propagatione, adminiſtratione ac exaltatione Eccleſiarum habueris*, in illis monumentis ingenii TVI legent, quantopere venerandae antiquitatis aemulatio TVO inſederit animo, quod enim de Hugone Rhotomagenſi Archiepiſcopo memoratum Chronicon memoriae prodidit, id de TE merito praedicabitur, ait id: *non enim cauſſa peruerſae cupiditatis, aut aliquo ſoeculari faſtu a Regibus Francorum ea* (praedia Regia) *impetrabat, ſed vt ſtatim Eccleſiis Chriſti ea contraderet.* Contradidiſti ſane Eccleſiis omnia, quae ad TE deriuata fuerunt Eccleſiaſticae ſubſtantiae commoda, dum inſignem illam, ac prorſus magnificam Baſilicam Vacii e fundamento immenſis pene ſumptibus excitares, quae Cathedrae TVAE honore praefulget. Eccleſiae Chriſti contradidiſti maximam illam vim aeris, quam in conſtruendo Epiſcopio profudiſti liberaliter, octingenta millia ſi dixero impenſa, aſſecutum me non putabo in vtrumque aedificium erogati aeris quantitatem. Eccleſiae Chriſti contradidiſti, dum de Succeſſorum TVORVM refocillatione, ac honeſta ruſticatione ſollicitus, elegantem domum, (caſtrum rectius dixero) a nomine TVO *Miggazziburg* dictum conſtrueres, vt liceret illis interdum ab onere paſtorali quieſcere, et cum S. Gregorio Nazianzeno ruri vitam Monachi agere. Eccleſiae Chriſti contradidiſti, quidquid ad Seminarium

a) Specileg. d' Acheri Tom. 3.

Digitized by Google

iunioris Cleri, fouendosque Presbyteros aetate, et morbis fractos conſtruendum expendiſti. Eccleſiae Chriſti contradidiſti ſumptus non leues in domum coeteris ampliorem pro duodecim Nobilibus Orphanis factos. Ipſi Chriſto in pauperibus contradidiſti domum, quam Hospitali pauperum, et egenorum tradidiſti TVO adhuc aere reparatam. Eccleſiae Chriſti contradidiſti, quidquid TIBI ex munificentia immortalis Reginae MARIAE THERESIAE acces ſit, quando pecuniis ab Eadem TIBI in exſtructionem collegii Thereſiani traditis TVAS adieciſti, vt in hanc elegantem, qua nunc conſpicuum eſt, conſurgere poſſet formam. Eccleſiae Chriſti contradidiſti domos quatuor Canonicorum, quas ita conſtruxiſti, vt commode habitare valeant, his quidem non aedes ſolum paraſti, verum etiam viuendi media contuliſti, dum annuente Sanctiſsimo Domino Noſtro PIO VI. Pontifice maximo e reditibus menſae TVAE quatuordecim florenorum annua millia detraxiſti, vt ſex fundares Canonicos, Cathedrale templum dotares, et Academiae Thereſianae, Xenodochio, pauperibus Parochis emolumenta obuenirent.

Haec tanta ſunt, vt quemuis obſtupefaciant, qua ratione ſumptus ſuppetere poſsint, animum tamen TVVM liberalem haec explere non valebant. In Dioeceſi enim TVA complura reliquiſti monumenta generoſae animae TVAE, Eccleſias Parochiales per illam erexiſti vndecim, notabili ſumma adiuuiſti fabricam quatuor Eccleſiarum, ſeptemdecim autem ita reſtauraſti, vt conditor videri, dicique merearis. His adieciſti aedes Parochorum e fundamento eductas tredecim, reſtauratas ſeptem. Domos item Scholis normalibus deſeruituras conſtruxiſti nouas ſex, inſtauraſti nouem, quamdiu enim alieni operis veſtigium ſupereſt, reſtauraſſe TE dicis, quod creaſti.

Profuſae itaque huic liberalitati TVAE, animique facilitati, qua ſubiectos complecteris vt filios, tribuendum eſt, quod in Ciuitate, ac pagis Dioeceſis TVAE, ad proprietatem Episcopi Vacienſis pertinentibus adeo multiplicatus ſit animarum numerus, vt duodecim millibus plures ſint, atque fuere, dum Episcopatum hunc adires. Felices oportet eſſe populos, qui liberis operam dare valent, ſecurosque, quod eosdem alere queant. Hanc populi multiplicationem procul dubio in ea parte, quae illam concernit, in acceptis refert Ciuitas Vacienſis,

Digitized by Google

quod TV paludes duas, quae exitioſam exhalabant mephitim, opera, et impenſis ſuſtuleris, in vna harum nunc Eccleſia Cathedralis conſiſtit, exurgitque iam ibi ſuauis odor orationum ante altare Domini; ſalubritatem aëris auxit et id, quod viarum, et compitorum curaueris nitorem, mutata iam eſt facies Ciuitatis, deterſus ſquallor, pro domibus humilibus paucis, et abiectis confertus commodarum domorum ordo ad Ciuitatis dignitatem euexit Vacium, quod ſolo nomine antea Ciuitatibus accenſebatur immerito; nunc primum fora complanata, viae lapidibus ſtratae, opifices inducti, animatae artes, ſine quibus non ſolum vacuum, inaneque Ciuitatis gerebat nomen, verum etiam ad miſerationem mouebat paterni cordis TVI teneritudinem.

S. Remigii, qui teſte Floduardo duas aliquot annis gubernauit Dioeceſes, ac Dunſtani, qui Vorceſtrenſem, et Londinenſem Eccleſiam aliquamdiu adminiſtrauit, exemplum ſecutus ita vtrique Eccleſiae TEmet impendis, vt vni tantum praeſidere videaris, ita in vtraque Pontificale officium ſedulus exerces, et quod caput rei eſt, omnia Eccleſiis Chriſti contradidiſti, cuius generis quum multa ſint opera TVA, currenti tantum oculo quaedam perluſtranda habeo.

Quum Parochialis Eccleſia Oppidi Neudorf in Auſtria inferiori ſiti ferme collaberetur, aliam ad viam militarem erexiſti 40. et amplius mille florenorum profuſis expenſis, nemo eam tranſit, quin ingenium TVVM in eligenda ſtructurae forma miretur, liberalitatem praedicet; intus augusta templi facies auget altarium elegantiam. TVAM (liceat mihi dicere) in hoc templo relinquis nobis effigiem mixtam videlicet cum dignitate modeſtiam. Parochiale templum quoque Atzgersdorffenſe antiquitate vitiatum TVA liberalitate reſtitutum (ſubſidio namque illi, quod ad illius reſtaurationem AVGVSTA condam PRINCEPS contulit, duodecim, et vltra florenorum millia adieciſti) perhibet quod vtrique Dioeceſi aequa lance TVAM impendas ſollicitudinem, *vtramque*, (vti de laudato Dunſtano apud Surium habetur) *intus, et extra TVA defenſione contra omnes aemulos muniens.* Domum Parochialem Petersdorffenſem e fundamentis excitatam, Albersthalienſis, Feſendorffenſis Parochorum domos reſtauratas, Eccleſias Penſinghenſem, Medlingenſem auctas ſtrictim commemoraſſe ſufficiat,

Digitized by Google

ne diutius modeſtiam TVAM exerceam. Illud quoque ſtrictim percenſendum eſt, quod TV tribus Parochis, quibus penſum, quod ſtolare dicimus, imminutum fuerat, ſingulo ducentos annuos florenos ex TVO conſtitueris.

praeclarum illud beneficium, quod Archidioeceſi Viennenſi et praeſtitiſti, et praeſtare pergis, ſilentio praeterire non valeo, primum enim Medlingae, dein apud Caſtrum S. Viti domum TVIS praecipue extruxiſti impenſis, in quam ſingulis annis colligeres Dioeceſanos parochos ſacris excolendos, perpoliendosque exercitiis, quique ibi TVS impenſis aluntur, et Sacris meditationibus ita animos colligunt, vt vna moralis doctrinae caſibus reſoluendis incumbant, omnemque vitae, et adminiſtrationis rationem ſcrutentur.

EMINENTISSIME PRINCEPS! ordinis, quem in Eccleſia Dei licet indignus occupo, dignitas me a ſeruili adulationis ſtudio apud animum TVVM, et quosuis aequos Lectores liberabit, haec enim commemorari oportebat hoc loco, vbi de legibus Eccleſiaſticis agitur, lex namque exemplis expreſſa, firmataque plus vtique momenti habet. Serena fronte ſuſcipe iam qualecunque munus hoc meum, et me inter cultores Nominis TVI adſcribe, qui ſum

EMINENTIAE TVAE

humillimus Seruus
Ignatius Comes de BATTHYÁN
Epiſcopus Tranſylvan.

Digitized by Google

DISSERTATIO DE SYNODIS REGIIS.

Caput Primum.

Scopus Auctoris tum in ipſo opere, tum in diſſertatione hac.

I.

Hiſtoria legum ſcitu vtiiis.

Cuiusuis disciplinae hiſtoriam praemittere ſolent, qui de aliqua illarum tractaturi ſunt, inde enim progreſſiones illarum panduntur, et ipſis lux affunditur non mediocris. Non recenſebo huiusmodi hiſtoriarum Scriptores tum numero plurimos, tum auctoritate praecipuos, quod ſuperfluum foret hoc aeuo, quo nihil fere tantopere excolitur, atque hiſtoria litteraria, vt jam Bibliothecae non capiant immenſam voluminum copiam. Hiſtoria profecto legum maximi videtur eſſe momenti, nihil enim magis illuſtrat legem, quam ſi conſtet, vnde nata, et qua ratione condita ſit. Exiſtimaui proinde a propoſito alienum haud fore, ſi Legum Eccleſiaſticarum Hungariae texuero hiſtoriam; ſingularum quidem geneſim in recenſione dabimus, neceſſarium tamen erat vniuerſim de Synodis Regiis diſſerere, in quibus utplurimum natae ſunt Eccleſiaſticae Leges; et hinc hiſtoriam iuris Eccleſiaſtici ſcripſiſſe me cenſebo, ſi de Synodis his vberius egero.

Auctor omnia duntaxat hiſtorice recenſet.

II. Dum autem de Synodis Regiis ſermonem habeo, nemo me aut repreheudat, aut laudet cito. Non eſt mihi animus, ſiue Sacerdotium, ſiue Imperium certis conſtringere metis, vel alterutrius euacuare poteſtatem, vtriusque enim iura tam firmo conſiſtunt pede, vt a me nec oppugnari metuant, nec defendi neceſſum ſit. Hiſtorice duntaxat oſtendo per totum opus, qua ratione in Synodis Regiis Eccleſiaſticae Leges ſcriptae fuerint? an aliter ferri potuerint? haud discutio: ſic latas fuiſſe contendo. Superuacaneum certo eſt, quaerere, quonam alio modo condi potuiſſent leges? dum conſtat ſic conditas. Concordiam quidem Sacerdotii, et Imperii ſcribendam non ſumpſi, tum quod veras controuerſias aut nullas, aut exiguas ſupereſſe credam, dum modo ſobrie ſumantur utriusque fines, tum quod Illuſtriſſimo Petro de Marca opus ſuum haud e voto ceſſiſſe videam, vtpote qui lites auxerit potius, quam compoſuerit; optatiſſimum vtriusque poteſtatis occurſum oſtendo, dum ex genuinis hiſtoria-

rum

rum monumentis, legumque tabulis perhibeo in Hungaria Sacerdotium, et Imperium absque aemulatione, et inuidia, beati ʼma virium, animorumque conſenſione in bonum Eccleſiae conſpiraſſe; niſi me fallant omnia, amplior, aut certe expeditior eſt utriusque auctoritas, charitatis, quae non agit perperam, limitibus circumſcripta. (*Non Regale faſtigium Sacerdotalem deprimat dignitatem, nec Sacerdotii dignitas regale faſtigium, ſed in unius gloriam Domini Jeſu utramque conſentiat.* S. Hier. in Zach.) Atque iden quemadmodum affero in Synodis Regiis veri nominis canones fuiſſe ab Episcopis latos, ita inter Synodos Eccleſiaſticas refero etiam, quomodo Sereniſſimi Reges Noſtri has ciuili lege in Praeſidium earum ſancita munierint, circumuallauerintque.

Caput Secundum.

De vtilitate collectionis Legum Eccleſiaſticarum.

I. Multis argumentis euicerunt quam plurimi ante me vtilitatem collectionis Synodorum; neſcio, an vberius id quispiam praeſtiterit prae auctore Tractatus de ſtudio Conciliorum, et collectionibus illorum; (*a*) nos pauca delibabimus. Praecipua itaque vtilitas, quam ex conciliis etiam particularibus, ſeu Prouincialibus capimus, eſt regula fidei, quam nobis tradiderunt, in illis enim congregati Episcopi non ſolum perpetuae traditionis teſtes, ſed quaeſtionum fidei indices etiam extiterunt. Vitio quorundam Theologorum minori in pretio habita ſunt eiusmodi concilia, ſed omnino perperam. Si alia omnia abeſſent, *multerum ſapientiam*, vti recte inquit Concilium Romanum (*b*) *iudicio non acquieſcere eſt intolerabile.* Concilium Oecumenicum VIII. profitetur ſe Regulas in localibus Conciliis (*c*) traditas ſeruare, et cuſtodire. (*d*) In noſtra quoque hac collectione reprehenſionem inuenient illi, qui vix aliquo loco habere dignantur Prouinciales has Synodos; inuenient etiam quam praeclaram fidei Catholicae nauauerint operam Maiores Noſtri, vt illis magnam referre debeamus gratiam, quod ſummitam rectam fidei nobis oſtenderint.

Prima vtilitas: doctrina fidei.

II. Alterum caput doctrinae, quam ex Conciliis, velut limpidiſſimo fonte, tuto haurire poſſumus, eſt doctrina morum. Etſi illico Theologi quidam negerant *obligatiuam* vim legum, ita enim loqui amant, intra limites Dioeceſeos, vel Prouinciae, pro qua latae ſunt, conſtringi, certum tamen eſt, canones quorumcunque conciliorum, normam eſſe, et exemplar morum, eſſe item terminos Patrum, quos transgredi nefas eſt. Paſtores, et Medici animarum magnam profecto vtilitatem ex Conciliis capiunt formandis moribus, medendisque animarum languoribus perquam oportunam; videbunt enim, qui fuerint cuiusuis aeui morbi, quae medela? quo ſucceſſu adhibita? vnde pullularint abuſus, et quomodo refraenati? In omni genere medendi id praecipuum eſt experiri; quid, quando, qua ratione profuerit? hiſtoriam morborum noſſe, magnum eſt medicorum ſubſidium; qui Conciliorum acta nouit, hiſtoriam morborum animi novit, ex praeſcriptionibus enim medicorum morbi patent, qui in genus humanum graſſabantur. Id etiam medicorum ſancitum eſt, quod niſi attendant, a recta medendi ratione multum aberrent, eſt neceſſe; eſſe nimirum epidemicos, et proprios cuiuis aeui morbos, qui vniuerſam per-

Altera vtilitas: doctrina morum.

(*a*) *Traité de l' etude des Conciles et des leurs collections.* Mylius in Bibliotheca Anonymorum Franciscum Salmonem auctorem hujus Tractatus deſignat.

(*b*) Anno MLXXIV. celebratum apud Manſium Tom. XX.

(*c*) Concilii VII. act. III. Orientales vocant particulares Synodos *localia Concilia.*

(*d*) Concilium Oecumenicum VIII. Canone primo: *Regulas, quae Sanctae, Catholicae, et Apoſtolicae Eccleſiae tam a Sanctis Apoſtolis, quam ab orthodoxorum vniverſalibus, nec non et localibus Conciliis traditae ſunt ſervare, et cuſtodire profitemur.* Concilium Romanum nunc citatum: *Sancta, et veneranda Synodus Chalcedonenſis etiam Provincialia Concilia ante ipſam tranſacta canonizaſſe non dubitatur.*

Digitized by Google

peruagantur Europam, quod prioribus annis in ſic dicto Catarrho Ruſſico experti ſumus, nec ſecus olim ſudor Anglicus deſoeuiit. Id ipſum ſentiendum de morbis animorum, quouis enim Seculo abuſus quidam ita diffuſi ſunt, ut vbiuis aduerſus illos pugnandum fuerit, quod omnino Concilia legentes obſeruare debent. Diſcant hinc Paſtores animarum aures erigere, ſicubi abuſum quemdam irrepſiſſe audierint, nouerint enim ſuum quoque gregem illo inficiendum, niſi omni conatu obſiſtant.

Leges Eccleſiae an aeternae?

III. Magnopere refert ex Conciliis diſciplinam Eccleſiae, eiusque varietates penitus perſpicere, et intelligere eundem ſemper eſſe ſpiritum Eccleſiae *(a)* etiam dum litteram Canunum immutauit, id ipſum ſenſit Eccleſia, quod Sponſus, et Magiſter illius de Sabbatho dixit: *Sabbathum nimirum factum eſſe propter hominem, non hominem propter ſabbathum.* Obſeruare etiam licebit magna cum vtilitate diſciplinam rite conſtitutam magnopere eſſe diuerſam ab vſurpatione, quae brevi etiam apud ſuos ſponte concidit, et ſemper aeui ſui, gentisque labem, et ingenium redolet, magna vtilitate non carebit obſeruare Canones Conciliorum Prouincialium (quod Thomaſſinus dixit) aeternos eſſe, ita eorum reuerentia ſemper ſubſiſtente, vt facile in vſum renocari poſſint, ſi animarum ſalus expoſcat, ſicut non ſemel id factum docent Concilia.

Lux hiſtoriae Eccleſiaſticæ a Conciliis accenditur.

IV. Hiſtoria Eccleſiaſtica ex Conciliis lucem, et certitudinem accipit incomparabilem, conſiliorum enim rationes detegunt acta Conciliorum, et principia, quibus Summi Pontifices, Epiſcopi, aliique inducti fuere ea vt facerent, quae in Annalibus Eccleſiaſticis facta legimus, et nos crebrò ſuſpenſos tenent. Peruulgata eſt, atque in ore omnium verſatur funeſta illa ſcena, dum S. Gregorius VII. Henricum IV, regno exuere tentavit. Si ad Concilium Romanum ſub Gregorio V. habitum anno Domini DCCCCXCVI. reſpicias, planum erit laudatum Pontificem nequaquam eam ſummis Pontificibus vindicaſſe poteſtatem, vt Reges pro arbitrio loco mouere valeant, neque eam tribuiſſe excommunicationi vim, vt illa innodati Principes iure regnorum excidant, at exiſtimauit Pontifex ad illum pertinere deſtitutionem Imperatorum, ad quem illorum inſtitutio pertineret. Quum itaque ſibi perſuaderet, auctoritate Romani Pontificis imperium ex oriente in occidentem translatum fuiſſe, et a Francis ad Germanos eadem auctoritate transiiſſe, obuerſaretur etiam ejus menti, quod Gregorius V. ius Imperatorem eligendi Principibus Germaniae conceſſerit, mirum videri non poteſt, ſi pariter exiſtimauit a nutu ſuo pendere illius imperium, qui id ſuo poſſideret beneficio. *(b)* Inſtitutionem autem Imperatoris neceſſariam duxerunt ipſi Electores. Apud alios quoque ea inualuit opinio, quod Imperator eſſe non valeat vllus, *(c)* niſi cui Papa commiſerit inſigne imperiale. Mihi quidem mirum non videtur, quod Pontifex deſtitutionem quoque Henrici ad ſe pertinere cenſuerit, illud ſat, ſuperque mirari non ſufficio, quod Henricus IV. e throno deturbari ſemet poſſe palam edixerit, ſi in haereſim incidiſſet. Ante Gregorium VII. auſi ſunt Epiſcopi Franciae Ludovico Pio Regnum inſigni impietate abrogare; quo principio inducti, aut potius ſeducti id fecerint, perhibet Conuentus Campendienſis Anni DCCCXXXIII.

(a) „Les Peres ont fait, et ordonné dans leur tems ce qui conuenvit au bien des fideles, l' onpeut dire en ce ſens, que l' Egliſe a gardé l' eſprit des anciens Canons lorg meme qu' elle en a changé la lettre„ Traité de l' etude des Conciles 1. part: cap. 11. p. 70.

(b) Principes, et Barones Alemanniae clerici, et laici de electione Ottonis Henrici Ducis Saxoniae filii ad Innocentium IV. ſcribentes aiunt, (apud Manſi Tom. 19. col. 213.) *Paternitati itaque veſtrae dign. m ſupplicare duximus, quatenus* &c. *ipſius* (Ottonis) *electionem, et conſecrationem auctoritate Veſtra confirmare, et Imperiali coronatione armare paterna pietate dignemini.*

(c) Glaber Rudolphus Hiſtor. lib. 2. cap. 5. *Perhoneſtum videtur, atque ad pacis tutelam optimum Decretum, ſcilicet, vt ne quisquam audacter Romani Imperii ſceptrum praepoſterus geſtare Princeps appetat, ſeu Imperator dici, aut eſſe valeat, niſi quem Papa Sedis Romanae morum probitate delegerit aptum Reipublicae, eique commiſerit inſigne Imperiale*

XXXIII. quod „*poſt tantam, talemque poenitentiam, nemo vltra ad ſecularem militiam redire auleat.* „ Nouerant quippe Theodoſio poenitentiam iniunctam fuiſſe. Ludouico itaque Pio ad ſtatum poenitentiae reducto, poenitentiae publicae terminos, et efficaciam ultra inſti, et aequi fines extenderunt, haud memores ab Ambroſio non fuiſſe Theodoſio imperium abrogatum.

Caput Tertium.

Recenſentur induſtriae Veterum in collectione legum Eccleſiaſticarum, praecipue autem domeſticarum.

Colligendi induſtria commendatur teſtimoniis.

I. Licet hactenus dicta ita prorſus ſe habeant, amplius tamen aliquid nobis dicendum eſt, teſtimoniisque commendanda, quam in colligendis legibus Eccleſiaſticis collocauimus induſtriam, vt ſi nihil praeclare geſſimus hoc opere, commendabile tamen fuiſſe ſtudium noſtrum comprobemus. Auctor collectionis antiquae, quam Petrus de Marca (a) ex Codicibus duobus MSS. Monaſterii Riuipullenſis in Catalaunia eruit, Auctor inquam collectionis antiquae vtilitatem laboris ſui in eo collocauit, quod *Eccleſiaſtici ordinis diſciplinâ in unum corpus redactâ Praeſules Praeceptis, et populum ſalutaribus imbuerent exemplis.* (b) Nefas foret Dionyſii exigui praeterire auctoritatem. Hic Petronio Epiſcopo (c) opus ſuum orbi notiſſimum commendans euenturum dicit, *ut iura Pontificalia intemerata conſeruans perfecto regimine Clerum, populumque moderetur, cuncti Miniſtri Eccleſiae ſuis erudiantur officiis, et ſpiritualibus populi locupletentur augmentis.* (d)

Exemplo vetuſtiſſimarum collectionum.

II. Magna noſtrae aſſertioni, et allatis nunc teſtimoniis accedit auctoritas ex commendatione antiquitatis. Primis enim Seculis regulas Eccleſiaſticas, quas Apoſtoli, et Apoſtolici viri viua voce primum tradiderunt, et transmiſerunt, collectas, et iam tunc ſcripto conſignari coeptas fuiſſe ambiguum non eſt, adeo, vt Dionyſius exiguus ipſas non ſolum regulas in ſic dictis Canonibus Apoſtolicis ſancitas ex communis traditionis fonte manaſſe aſſereret, verum etiam illarum collectionem ex eodem fonte profluxiſſe contendat. (e) Horum collectionem ante Synodum Nicaenam extitiſſe ſat exploratum eſt, poſt Petrum de Marca, (f) ad quem prouoco. Fuit illa procul dubio in iis Orientis partibus compacta, in quibus rebaptizationis error obtinebat, poſſumusque commode illorum aetatem ita defigere, vt anno CCL. poſterior non ſit; unde patet, quam merito dicatur ab haereticis interpolata Canonum Apoſtolicorum collectio, et cur Romanorum hinc inde damnetur conſuetudo; infringenda enim erat veteris Romae auctoritas, quae conſtanter oppoſuit illud „*nihil innouetur, niſi, quod traditum eſt.*„ vt dein Decreta illius tuto negligi poſſent.

Vetuſtiſſimae alterius collectionis memoriam nobis conſeruauit Socrates (g) qui Sabinum Heracleae Epiſcopum teſtatur compoſuiſſe „*congeſtionem eorum, quae per diuerſa Concilia Sacerdotum ex ſcripto prolata ſunt.* „ Verum hic Epiſcopus Sectae Macedonianae aſſecla fuit teſte eodem Socrate (h) ſiquae enim forte Synodales Epiſto-

(a) In diſſertatione de veteribus collectionibus Canonum.

(b) *Quatenus Eccleſiaſtici ordinis diſciplina in vnum a nobis coacta, atque digeſta, et Sancti Praeſules paternis conſtringerentur regulis, et obedientes Eccleſiae Miniſtri, vel populi ſpiritualibus imbuantur exemplis.*

(c) Petronio enim, non Stephano inſcripta eſt Praefatio Abbatis Dionyſii, vti Fratres Ballerini ex codice Palatino docuerunt.

(d) *Sacratiſſima iura Pontificalibus per Dei gratiam digeſta conuentibus intemerata conſeruans perfecto regimine clerum, plebemque moderetis* „ Dionyſius exiguus in Praefatione. Et paulo inferius *quatenus inconuulſa Eccleſiaſtici ordinis diſciplina ſeruata ad capeſſendam beatitudinem perennem, cuncti illuſtrentur officiis, et ſpiritualibus populi locupletentur augmentis.*

(e) „*Ex communi traditionis fonte tam conſtituta fluxere, quam Canones Apoſtolici.* „ Dionyſius exiguus.

(f) lib. 3. Concordiae. cap. 2.

(g) hiſt. Eccl. l. 1. cap. 8.

(h) lib. 3. cap. 10. et 25. lib. 4. cap. 12.

Digitized by Google

Epiſtolae vocem: *conſubſtantialis* aut reticent, aut omnino reiiciunt, eas ſtudioſe operi ſuo inſeruit, contraria vero ſciens, et prudens ſilentio tranſiliit.

Hi Haereticorum conatus nobis omnino perſuadent Catholicam quoque Canonum Apoſtolicorum extitiſſe collectionem priori a Nobis indigitatae nihilo poſteriorem, quae tamen interierit; Concilium enim Conſtantinopolitanum (a) anni CCCXCIV. Apoſtolicorum Canonum diſertam facit mentionem, dum decernit: „*non licere impoſterum, nec a tribus quidem, nedum a duobus, eum, qui reus examinatur, deponi, ſed maioris Synodi, et Prouinciae Epiſcoporum ſententia, ſicut Apoſtolici definiuere Canones*, Canon autem Apoſtolicus LXXIII. iubet Epiſcopum in Synodo damnari. Qui ſuperſunt Canones Apoſtolici ab Orientalibus quos dixi compactos fuiſſe, vel ipſum menſis *Hyperberetaei* nomen (quod Syro-Macedonicum eſt) oſtendit. At enim vero ita res hominum comparatae ſunt, vt foetus Haereticorum iniquo multorum ſtudio aetatem citius ferant.

Exemplo Conciliorum.

III. Vt autem pateat Catholicos in hoc colligendorum Canonum ſtudio nihilo ſegniores fuiſſe; in ſubſidium aſſertionis Noſtrae vocanda eſt auctoritas Concilii Carthaginenſis ſexti. Habitum illud fuit ſub Aurelio anno CCCCXIX, et vſus obtinuit, vt Sextum vocaretur. Concilium itaque iſtud tum ſtatuta Synodi Nicaenae, tum aliorum Conciliorum ſtudioſe collegit, et actis inſeri fecit, procul dubio, vt nemini liceret Canones ignorare, quod ipſi S. Auguſtino eueniſſe ſcimus. (b) Vide quo ſtudio collegerint omnia Patres Africani, quorum induſtria maximo in pretio fuit apud Graecos. Poſſemus etiam in cenſum vocare Synodum Trullanam, quae collectionem Canonum ſua ſanciuiſſe auctoritate perhibetur, niſi plura germano Eccleſiae ſenſui contraria ſtatuiſſent Epiſcopi Trullani. Neſcio, an non verba illa Concilii Chalcedonenſis actione IV. *Sacri Patrum Canones legantur, et commentariis inſerantur*„ propoſito Noſtro affinia ſint, Concilia itaque nobis exemplum colligendi praebuerunt.

et diſciplina Eccleſiae.

IV. Ea prorſus fuit Eccleſiae diſciplina, vt in ſingulis quibusuis Eccleſiis leges colligerentur Eccleſiaſticae; ſolenne quippe erat Epiſcopis ad concilia aggregatis Canones ibi conditos et deſcribere, et ſecum ad Eccleſias ſuas deferre, quos in peculiari codice praecedentium Conciliorum (inquit Sebaſtianus Berardus) (c) canonibus ingentes in Tabulario Eccleſiae ſuae aſſeruabant, et ſi quando non adfuiſſent Epiſcopi, adferebant Canones ipſorum legati. Exempla ſtatutorum, et Canonum a Coeciliano allata vidimus in verbis Carthaginenſis Concilii. Hanc diſciplinam perhibet actio I. Concilii Chalcedonenſis, vbi Aetius conqueritur, ſoepe non rite audita ab Epiſcopis ſcribi. (d) Suffragatur etiam Nicolaus Papa, dum Photium obiurgat, quod Canones Sardicenſes apud Eccleſiam Conſtantinopolitanam non exiſtere diceret: „*quomodo*, ait, *non ſunt penes vos Sardicenſes Canones, quando inter quinquaginta titulos, quibus concordia Canonum apud vos texitur, ipſi quoque reperiuntur.* „ Texebatur ergo concordia Canonum. An non id opus fuit ſimile Decreto Gratiani? cuius epigraphe in codicibus MSS. eſt: *Concordia diſcordantium Canonum.*

(a) Tom. 2. Concil. Ven. edit. col. 1330.

(b) En verba ipſa Aurelii: *nunc ſtatiamini exemplaria ſtatutorum Nicaeni Concilii, ſed et quae heic ſalubriter a Noſtris deceſſoribus ſecundum eiusdem Concilii normam formata ſunt, vel quae nunc ordinata ſunt, a Nobis reciturі, et geſtis inſeri.* Omne (Concilium) *dixit: exemplaria fidei et Statuta Nicaenae Synodi, quae ad noſtrum Concilium per beatae recordationis olim Praedeceſſorem Suae ſanctitatis* (qui interfuit) *Coecilianum Epiſcopum allata ſunt ſed et ea, quae Patres ea exemplaria ſequentes hic conſtituerunt, vel quae nunc communi tractatu ſtatuimus, his geſtis Eccleſiaſticis inſerta manebunt.* Crabbenna Collect. Tom. I. Col. 495.

(c) In diſſertatione de variis Sacrorum Canonum collectionibus ante Gratianum.

(d) *In talibus Sanctiſſimis Conciliis contingit frequenter, unum ex praeſentibus Reuerendiſſimis Epiſcopis aliquid dicere, et quod ab uno dictum eſt, tanquam ab omnibus ſimul dicatur, et ſcribatur, et intelligatur.*

Digitized by Google

Porro Epiſcopi collectos Canones ad Concilia adferebant, vt oblata occaſione ad codices ſuos confugerent. Sic Atticus Reuerendiſsimus Epiſcopus Nicopolis in Concilio Chalcedonenſi Actione IV. Eadem Actione Beronicianus deuoti m is Secretarius Sacri Conſiſtorii. legit ex codice ſibi porrecto ab Aetio Archidiacono Conſtantinopolitanae Eccleſiae. Actione IX. Vir Deuotus Magiſtrianus, et Secretarius Diuini Conſiſtorii ex codice dato ab Eunomio Reuerendiſſimo Epiſcopo legit. Legit et Leontius Reuerendiſſimus Epiſcopus Magneſiae ex codice regulam XCIV.(a) Canonem nimirum XVI. Concilii Antiocheni. Hanc diſciplinam teſtatur Bonifacius in Concilio Carthaginenſi anni DXXV. dum ex Scrinio (b) Eccleſiae proferri iubet antiquorum Patrum venerabilia conſtituta.

et multitudine collectionum.

V. Hi codices licet mendis laborarent, ſicut humana ſecum fert conditio, publica tamen; Eccleſiarum auctoritate pollebant, vnde ſtrenue ſua iura defendebant Epiſcopi. Quis autem numerum ineat collectionum, quas priuati pro ſuo quiuis ſtudio concinnabant? quarum tanta eſt copia, vt inter illas vel praecipuae non ſint paucae. Siquis eas ad calculum reuocare voluerit, poterit ex diſſertatione Petri Conſtantin, Petri de Marca, Paschaſii Quesnelli, Fratrum Ballerinorum, Caroli Blaſii, et Sebaſtiani Berardi cognoscere, quorum Diſſertationes in vnum volumen redegit Andreas Gallandus (c) Triplex autem occurrit collectionum genus, alii enim integros Canones ordine Conciliorum in vnum coëgerunt corpus, alii Canones nequaquam continua ſerie adferunt, ſed in locos communes diſtinguunt, alii denique Synopſes duntaxat Canonum recitant, in quauis harum claſſe multae occurrunt collectiones.

Exemplo Epiſcoporum.

VI. Mihi profecto non vacat earum texere Catalogum, id mihi ex hoc numero accedit praeſidii, quod Epiſcopos plerumque hoc fuiſſe occupatos ſtudio comperiam, vt iam nemo meum reprehendat laborem, vtpote Epiſcopis familiarem. Vidimus §. III. ſtudia Epiſcoporum Carthaginenſium; S. Martini Braccarenſis Gentilis mei laborem mox vberius videbimus. Habemus etiam collectionem Cresconii Epiſcopi Africani, occurrunt *Excerptiones* Ecberti Eboracenſis Archi-Epiſcopi, e dictis, et Sanctionibus SS. Patrum concinnatae. Huc pertinent capitula Iſaaci Epiſcopi Lingonenſis, quem librum Chronicon S. Benigni vocat *Canones Iſaac.* Huc reuocandus eſt cum Capitulis ſuis Herardus Archi-Epiſcopus Turonenſis. *Eiusdem rationis ſunt,* inquiunt Fratres Ballerini, *Capitula Ahytonis Baſileenſis,* Walteri, ſeu Galterii Aurelianenſis, Hincmari Rhemenſis, Rodulfi Bituricenſis, Riculfi Sueſſionenſis, Attonis Vercellenſis. Hi licet Capitularia collegerint, Canones tamen ſuos, vti bene obſeruant laudati Fratres, non magis ex Capitularibus, quam ex Synodis deriuare potuerunt. Poſſumusne obliuiſci Burchardi Vormatienſis, et Iuonis Carnotenſis Epiſcopi? quanta, amabo, haec nomina! quae ſola ſufficere poſſent. Sed et S. Anſelmus Lucanus egregium nobis praebuit exemplum, cuius ferme tota collectio in Gratianum tranſiuit. Inedita adhuc eſt collectio Benizonis Sutrini Epiſcopi, de quo Lambecius tom. 2. coment. de Bibliotheca Coeſarea Vindobonenſi. Huc referatur liber Capitulorum ex diuerſis Conciliis, ſiue Decretis Romanorum Pontificum collectorum ab Anilramno Metenſi conſcriptus. Non

poſſu-

(a) Hinc apparet collectionem in regulas ſeu titulos digeſtam fuiſſe, et confirmantur verba Nicolai Papae.

(b) *Proferantur*. inquit, *ex Scrinio huius Eccleſiae antiquorum Patrum venerabilia conſtituta.*

(c) *Titulus operis eſt*: De vetuſtis Canonum collectionibus Diſſertationum Sylloge. Collegit, ac recenſuit, Praefationem adiecit Andreas Gallandus Presbyter Congregationis oratorii. Venetiis 1778.

poſſumus praeterire collectionem Aldrici Coenomanicae Vrbis Epiſcopi, qui collegit, vt in vita eius apud Baluzium Miſcel. lib. 3. p. 44. habetur, *quaedam Capitula Canonum valde vtilia, et neceſſaria, quae a ſuis Conſacerdotibus ſoepiſſime legenda, ſiue memoriae commendanda tribuit;* neque exiguam hanc fuiſſe collectionem, perhibet ſummarium loco nunc laudato recenſitum. Plura de hac collectione dicemus capite decimo. Poſſumus etiam hic in cenſum vocare Anſegiſum Abbatem Leobienſem, qui teſte Ant. Auguſto de emendationibus Gratiani lib. 2. Dial. X. poſtea Senonenſis Archi-Epiſcopus fuit. Poſſumus etiam Hadriani I. Pontificis auctoritate vti, qui codicem Canonum Carolo Magno tradidit, vnde et Hadriana collectio audit, quamuis Dionyſiana ſit, maguis tamen additionibus aucta, mutataque. An S. Leoni Magno nihil in hoc genere dabimus?

Exemplo Eccleſiae Africanae et Arelatenſis, Theſſalonicenſis.

VII. Poene innumerae ſunt collectiones, quae vniuerſalis Eccleſiae leges enarrant, ita tameo comparatas reperies, vt domeſticarum Synodorum maximam habeant rationem. Praeter Africanam aliae quoque natae ſunt collectiones, quae precipue res domeſticas complectuntur. Inter has eminet codex Eccleſiae Theſſalonicenſis, et alter Eccleſiae Arelatenſis; prior collectio continet Romanorum Pontificum Epiſtolas, quibus vices ſuas Theſſalonicenſi Epiſcopo commiſêre, tanti autem momenti habita fuit, vt geſtis Romanæ Synodi anni DXXXI. ſub Bonifacio II. tota inſeri meruerit magno ſane beneficio noſtro, conſeruauit enim illa nobis pretioſiſſima monumenta, quibus ſecus careremus. Altera collectio, vti diximus, eſt Arelatenſis Eccleſiae documenta exhibens ad firmanda eiusdem priuilegia, et iura pertinentia. Hanc Patres Synodi Francofurtenſis anni DCCXCIV. prae oculis habuerunt; conſpectum operis exhibent ſoepius laudati Fratres Ballerini. Probat is Codex conſilium, quod nos in opere Noſtro ſecuti ſumus, ſicut ſuo loco indicabimus. Merito itaque ſtatutum fuit crebris in Conciliis, vt Canones, ſciant Sacerdotes „ *nulli Sacerdotum* inquit S. Coeleſtinus I. Epiſt. 5. n. 1. *ſuos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod regulis Patrum poſſit obuiare* „ Iisdem pene verbis legis huius vigorem excitauit Guillebertus Epiſcopus in capitulis ſuis (a)

Caput Quartum.

Induſtriae Domeſticorum in colligendis legibus.

Genius nationis Hungaricae.

I. Si genium, et indolem gentilium meorum perpendo, quos iuris ſtudio conſtat ita delectari, vt id forte vnum confectentur, ambigi non poteſt, ipſos diligenter collegiſſe leges Eccleſiaſticas domi ſuae natas, ac ſuo etiam marte collectiones procudiſſe, licet antiquiores omnes nobis temporum iniuriae eripuerint. Iactat etiam Peterſi ſuppetere ſibi libellos Poenitentiales partem vtique legislationis Sacrae tum nobiliſſimam, tum vtiliſſimam conſtituentes, glorioſius tamen haec dicta fuiſſe palam eſt, cum in celebri ſuo Muſaeo hiſtorico praeter illa, quae typis excuſa ſunt, nihil repertum fuerit, omnes loculi vacui paupertatem teſtabantur. Id profecto mirum, quomodo gentem armis deditam iuris ſtudium inceſſerit, niſi forte dicamus priſtinorum Hungarici ſoli incolarum genio ſeſe accomodaſſe Hungaros; non eſt enim nobis de ſolis Hungaris ſermo, ſed de tractu illo terrae, qui ad Hierarchiam Eccleſiaſticam Hungariae pertinet. Apud nos quodam modo natum eſt opus Dionyſii exigui, vtpote Salanitano Epiſcopo inſcriptum, illiusque hortatu conſcriptum, cuius iura in Hungariam alias edocebimus. Dionyſium hunc exiguum

alio

(a) Apud Baluzium Tom. II. Capitularium in appendice actorum veterum num. VII. Col. 914. Cap. 3. *vt in proxima ſynodo vnusquisque ſuos Canones habeat, et intelligat, quia nulli Sacerdotum licet ignorare canones.*

Digitized by Google

alio etiam nomine nobis vindicare poſſumus, ſi gentis nimirum noſtrae initia ad Scythas abauos noſtros, atauosque referamus; fuit enim is teſte Caſſiodoro Coaetaneo (a) „*Monachus Scytha natione, ſed moribus omnino Romanus, vtraque lingua,* (id eſt Graeca, et Latina) *valde doctiſſimus*„ de cuius opere ait idem Caſſiodorus, quod illud vſu celeberrimo Eccleſia Romana complectatur, illud monet aſſidue legendum, ne videantur tam ſalutares Eccleſiaſticas regulas culpabiliter ignorare. Dubium eſſe nequit collectionem Dionyſii celeberrimo vſu hoc terrae tractu fuiſſe receptam. Alter etiam Gentilis noſter Sanctus videlicet Martinus, Braccarienſis a Sede ſua compellatus, documento eſt, quantopere maiores noſtri colligendis, ordinandisque legibus Eccleſiaſticis ſtuduerint, conſpicuum eſt illius inter Collectores nomen, vnde laus, et gloria in nos profluit, vſus tamen operis ad nos nullatenus pertinuit.

Sacramentarium Boldueuse.

II. Poſtquam Hungari fidem Chriſtianam amplexi fuiſſent, colligendis legibus Eccleſiaſticis incubuiſſe illos, quaedam perhibent veſtigia, nam vltra id nihil vidi hactenus; viguit nimirum apud nos quoque illa Eccleſiae disciplina, de qua ſupra Cap. 3. §. 4. Sacramentarium Boldueuse Seculi XII. ex quo duas dabimus Synodos, docet non defuiſſe Eccleſiis Hungariae codices, in quos Canones Synodorum referrent. Synodus etiam Seraphimi, quam Peterſi, et alii paſſim Laurentianam dicunt, id ipſum demonſtrare videtur, dum Cap. 63. *Breuiarium Canonum habere* iubet Archidiaconos.

Triplex collectionis genus.

III. Triplex ſuperiori capite §. V. diximus eſſe collectionis genus, dum autem nobis de domeſticis ſermo eſt, triplex aliud genus addendum eſt, aliae enim leges Eccleſiaſticas ex inſtituto non complectuntur, quamuis eas contineant ciuilibus intermixtas, has quoque recenſere debemus, quod illis vſi fuerimus; aliae proprie leges Eccleſiaſticas colligendas ſumpſerunt, aliae denique ſunt Authenticae collectiones, de quibus totidem agemus capitibus. Primi generis ſunt omnes illae, quae leges Patrias, id eſt: more loquendi Noſtratibus vſitato: Decreta Regum, articulos Dioetarum referunt, hae praetereundae haud erant, quia in his Dioetis, quas nos Synodos Regias dicimus, leges Eccleſiaſticae ſancitae fuere.

Codex MS. Bartphenſis.

IV. Huius generis collectiones antiquas complures hinc inde extare mihi perſuadet codex MS. Liberae, Regiaeque Ciuitatis Bartphenſis, eſt is chartaceus membranae inſutus, characteres referunt annum 1514. aut non multo poſteriorem. Excipiunt ſe ordine: Decretum condam Sereniſſimi Principis, et Dom.. Dom. Sigismundi Regis anno 1415 conditum. Vladislai Regis anni 1492. Eiusdem Decretum II. ſeu additiones ad primum anni 1494. cum epigraphe: *Series autem articulorum de nouo conceptorum, vt praemittitur, praeſcriptorum noſtrorum ſtatutorum, et Decretorum perfectionem, et completionem in ſe exprimentium ſequitur, et eſt talis.* „ Decretum III. Vladislai Regis anni 1498. quod in MS. hoc Decretum Secundum Vladislai Regis inſcribitur, habetque ſummaria inſtar Rubricarum ſingulis capitibus praemiſſa. Denique Decretum Quintum, et vltimum Vladislai anni 1514. in editis eſt ordine ſeptimum. Codice hoc in reſtituenda nonnullarum legum genuina lectione vſi ſumus.

Codex Caeſareus.

Codex alter MS. membranaceus eſt Bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis, quo pariter vſi ſumus; habentur in illo libri duo S. Stephani, Decreta S. Ladislai Regis, Synodus ſic dicta Laurentiana, libri ſecundi Colomanni Capitula tria, in quibus deſinit codex, qui eſt Seculi

(a) De Diuinis lectionibus Cap. 23. *tanta latinitatis, et graecitatis peritia fungebatur, vt quoscunque libros graecos in manibus acciperet, latine ſine offenſione transcurreret, iterumque latinos Attico Sermone legeret, vt crederes hoc eſſe conſcriptum, quod os eius inoffenſa velocitate fundebat.*

Seculi XV. ineuntis. Vtinam plures huiusmodi codices detegere valuiſſemus, multum ſane lucis accederet iurisprudentiae Hungaricae. Multos tamen extitiſſe ac forte aliquos etiamnum extare planum fit ex eo, quod teſte Zacharia Moſſoczy in vno conſeſſu iudiciario decem libri, ſeu codices allati ſint ad lectionem genuinam vnius legis determinandam.

Sambuci collectio.

Iam ad editas veniamus: Primus omnium leges domeſticas intermixtis etiam Eccleſiaſticis edidit Ioannes Sambucus alias Sambók. Hic itaque Decreta Regum a S. Stephano vsque ad Mathiae Regis Decretum anni 1481, quod eſt ordine quintum in editis Hiſtoriae Hungariae Antonii Bonfinii ſubiunxit, et Francofurti apud Andream Wechelum 1581 publici iuris fecit. Inter haec occurrit etiam ſic dicta Laurentiana Synodus, quam ex hac Sambuci editione decerpſit Peterſius. *(a)* De Sambuco redibit nobis ſermo.

Collectio Moſſocziana.

Clariſſimus Daniel Cornides ab eruditione celebris a me interpellatus ſuper prima legum Noſtrarum editione, pro humanitate ſua reſcripſit ſequentia, quae plenam operis recenſionem continent, adeoque huc intexenda duxi. Anno 1584. triennio poſt Sambucum Zacharias Mosſoczy Epiſcopus Nitrienſis, et Nicolaus Telegdi Epiſcopus Quinque Eccleſienſis coniuncta opera, omnia, quae reperire poterant Regum Noſtrorum Decreta in vnum corpus collecta Tyrnaviae excudi curarunt, hoc titulo: *Decreta, Conſtitutiones, et Articuli Regum Inclyti Regni Ungariae ab anno Domini Millesimo trigesimo quinto, ad annum ſesqui millesimum octuagesimum tertium publicis Comitiis edita cum rerum indice copioſo: Tirnaviae cum Sacrae, Ceſareae, Regiaeque Maieſtatis gratia, et priuilegio anno Domini MDLXXXIII. recens impreſſa* in folio. Atque haec eſt prima omnium corporis iuris hungarici editio, quam laudati Antiſtites priuatis ſuis ſumptibus procuraſſe fidem faciunt verba ſequentia Moſſoczii in Epiſtola Dedicatoria ad Imperatorem Rudolphum II. data Nitriae in feſto S. Stephani Regis anno Chriſti 1584. ,, Ego, et Reuerendiſſimus Dominus Nicolaus Telegdinus Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, e cuius aedibus liber impreſſus prodit, labori, curae, et ſtudio editionis neceſſarios quoque ſumptus adiecimus, quo magis leges Patriae ſuam tueri poſſent dignitatem. ,, Cauſſam cur id negotii ſuſceperint laudati Praeſules hanc prodit praecipuam in Epiſtola nuncupatoria Moſſoczyus: ,, Illud enim conſtat, in ſede Regia *(b)* ſuper vna lege, decem, et amplius libros me Iudicibus Ordinariis aſſidente, diſcrepantiam attuliſſe vsque ad ſummum ipſorum Iudicum taedium. Quae res non poterat ſummorum virorum animos non vehementer uffendere. Quaedam vsque adeo mendoſa, et corrupta, vt ne a doctis quidem plerisque in locis intelligi poterant ,,. Abeſt, quod mireris, huic editioni Tripartitum Werbôczii, contra vero continentur hoc opere Decreta Regum Hungariae omnia vsque ad Decretum Rudolphi II. anni 1583. His ſubnectuntur 10 obſeruationes Proceſſus Cauſarum Militaris Curiae Regiae in facto honoris vſu receptae, in quo quidem proceſſu cauſarum militaris Curiae Regiae haec, quae pag. 741. leguntur verba attentione mea digna imprimis viſa: ,, Si quae partium non expectato iudicis decreto parti alteri ſignum committendi duelli *Chevek* noſtra lingua vocatum in iudicio offerret, oſtenderet, et protenderet, hoc facto ſeipſum condemnaret ſubito, et ſuccumberet: eo, quod per ſe ſibi duellum adiudicaſſe decerneretur. 2do iuris iurandi formulae variae. 3to Archiepiſcopatus Regni

 Hun-

(a) Hanc collectionem vberius recenſebimus cap. IX.

(b) In gratiam exterorum, qui forte haec noſtra legere volent, adnotandum: Sedem Regiam, ſedem iudiciariam apud nos dici iuxta illud: *ſedit iudicium, et aperti ſunt libri.* Eſt itaque ſedes Regia, iudicium, quando nomine Regis Cauſas diſcernebant iudices.

Hungariae duo. cum eorum Epiſcopis ſuffraganeis, item in Croatia, et Dalmatia. Comitatus Regni Hungariae, Sclauoniae, Transylvaniae cum Sedibus Siculorum. 4-*to* Catalogus Archi-Epiſcoporum, qui Eccleſiam Strigunienſem a fundatione vsque ad annum Domini 1573. gubernarunt, Catalogus Epiſcoporum Eccleſiae Agrienſis, Varadienſis, Quinque Eccleſienſis, Nitrienſis vsque ad annum 1582. 5*to* Index in totum opus, ſeu Decretorum contenta. 6-*to* ad Candidum Lectorem elegia Stephani Somogyi tres paginas implens. Abſoluitur opus integrum dempto indice, et elegia Sumogyiana paginis 792. Autographum Moſſoczii extat in Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi mihi a celeberrimo Kollario plus ſimplici vice oſtenſum. „ Hucvsque amicus noſter.

Collectio Illosvaiana. Poſtquam haec iam ſcripſiſſemus idem ſignificauit nobis extare in Bibliotheca Auguſta Vindobonenſi inter codices MSS. iuris Ciuilis Codicem in forma folii numero CLXXXVII. ſignatum, qui contineat collectionem Decretorum Regum Hungariae a Stephano Illosuai Praepoſito maiore Eccleſiae Agrienſis, et Vicario Anno 1544. concinnatam, qui codex dein ad manus Nicolai Telegdii Epiſcopi Quinque Eccleſienſis perlatus, et ab illo Zachariae Moſſuczy Epiſcopo Nitrienſi traditus modo dictis Antiſtitibus laudem primorum collectorum peperit; ſunt autem tam ſtrenue illo vſi, vt totum exſcripſerint, alieni itaque laboris fructus decerpſêre. Non parum gratulor primae collectionis gloriam a me poſſe Eccleſiae Agrienſi vindicari, cum ego quoque hanc collectionem bona ex parte vt Praepoſitus Agrienſis perfecerim, edidiſſemque pridem, niſi ad Epiſcopatum vocato grauiſſimi ſuiſſent labores ſubeundi.

Menda Moſſoczianae collectionis. Exemplaria legum, quibus ante Moſſoczii editionem vtebantur Hungari, corrupta fuiſſe perhibet articulus 3. Decreti Ferdinandi anno 1527. conditi, quo interpellatur *(a)* Ferdinandus, vt leges emendari, et in vnum corpus redigi faciat per Iurisperitos ſedecim, quos nimirum conſtat ad reformationem legum ordinatos. Deſiderarunt inſuper authenticam legum collectionem habere Hungari, cuius voti ſui in hodiernum compotes effecti non ſunt, vſu enim potius, quam lege canonizatum eſt corpus iuris hungarici, quo vtimur. Supra laudati Antiſtites licet commendari omnino mereantur ob ſusceptum praeclarum laborem, non ſatisfecere tamen Hungaris, atque ideo anno 1608. ante coronationem articulo 16. denuo petierunt Status, Decreta *(b)* Regni, et articulos meliorari, in ordinem redigi, et publica authoritate ſanciri. Rurſus anno 1609 art. 69. idipſum adurferunt *(c)* atque ideo ſtatuerunt, vt Dominus Palatinus cum deſignatis ad id perſonis correctionem Decretorum peragat. Eodem tamen effectu ſancita fuit haec lex, quo priores, id eſt: nullo. Non poterat ſane Hungaris opus Zachariae Moſſoczii, et Nicolai Telegdi ſatisfacere, menda enim non pauca reperiuntur, quae me inducunt, vt credam editores aliis diſtentos de antiquis, caſtigatisque codicibus non multum fuiſſe ſolicitos, aliqua in decurſu operis reſtitui; autographis ſi vſi fuiſſent, non immutaſſent Vladislai Decreti Septimi articulum tertium, quo bona, et prouentus ad coronam Regiam pertinentia

(a) Vt maieſtas ſua vniverſa Decreta Praedeceſſorum ſuorum per illos ſedecim iuris peritos, et alios, qui Maieſtati ſuae videbuntur infra futuram generalem Diaetam emendari. emendataque in vnum corpus redigi faciat, illaque in ipſa futura generali Dioeta ex conſenſu omnium Statuum huius Regni confirmet gratioſe.

(b) Vt Decreta quoque Regni, et articulos cum aliis Proceſſibus iuridicis, quemadmodum ii per deſignandas ex Regnicolis ad id perſonas meliorati, et in ordinem redacti, et tandem per eosdem regnicolas in publica eorum proxime futura Dioeta comprobati fuerint, Eadem Maieſtas ſua diplomate Regio ratificare, et confirmare teneatur, concluſum eſt.

(c) Quia correctio Decretorum Conſtitutionibus omni ſuperioris ſancita in effectum deduci nanpotuit; ideo ſtatuitur, vt Dominus Palatinus cum deſignatis ad id in praeterita Diaeta perſonis (loco mortuorum aliis electis, et ſuae Maieſtati commendis) eam peragat, et paſtmodum in futura celebranda Diaeta Regnicolis confirmandam proponi curet.

tia recenſentur. Poſſideo autographum huius Decreti ſub ſigillo pendenti pro Comitatu Zolnok mediocri expeditum, vbi in Transyluania ſequentia ſcribuntur coronalia bona: *item in Transyluania Saxones Regii, omnes fodine, et camere ſalium, et loca earundem fodinarum cum Ciuitate Kolosvvarienſi, ac omnes vigeſime, et cementum, ac quinquageſime partibus in iisdem Transſyluanien exigi conſuete, deinde caſtra Gevvrgen, Therch, et Devva ibidem a iacen' atque ſita.* Pro cemento autem habetur in editis *centeſime*, quorum diuerſiſſima eſt ratio. In MS. Bartphenſi pariter ponitur *cementum*, non autem *centeſime*. In opere quadripartito ſimiliter lego *cementum*. Potuiſſent ſoepius laudati editores facili negotio, dum adhuc editio nulla habebatur, legum exquirere complures alios Codices, qui hodiedum latent, aliquos, in lucem protraximus. Sanam etiam criticam in his editoribus merito deſiderat eruditus Lector, praecipue in notis; atque ideo vitae Regum caute legendae ſunt, contradicunt enim ſoepe irrefragabilia diplomata.

Caput Quintum.

De collectione S. Stephani Regis, quae ſub nomine libri ſecundi Decretorum eiusdem S. Regis habetur in editis.

Gratis afferitur foetus vnius dioetae

I. Decretum hoc S. Stephani, quod integrum e codice MS. Bibliothecae Coeſareae vna cum libro primo ad S. Emericum infra damus, ita comparatum eſt, vt niſi editoribus corporis iuris Hungarici, et indicis Decretorum Confectori Sambuco in mentem veniſſet, Synodo, vel Dioetae alicui (ſiue Strigonii, ſiue Tolnae) circa annum MXXXV. celebratae aſſignare, Nemo id foetum alicuius Synodi dixiſſet; ideo nunc dicitur, quia alicui placuit ita diuinare, qua ſi vim legalem habere non poſſet, niſi in Synodu promulgatum fuiſſet. Dicant, amabo, in qua Dioeta, vel Synodo editi ſunt duo libri Decretorum Colomanni Regis? dicant etiam quid ſuadeat aſſerere librum ſecundum Decretorum S. Stephani in Dioeta fuiſſe promulgatum? in omnibus exemplaribus tam MSS. quam editis eſt liber ſecundus Decretor m, mirum ergo, quod libro primo, qui monita ad S. Filium ſuum Emericum continet, etiam Synodum, vel Dioetam exquiſierint aliquam. Conſtat id, quod librum primum vſus, et veneratio Sanctiſſimi Regis conſecrauerit, et vim legis tribuerit eidem, cur ergo ſunt ſoliciti de Dioeta, in qua promulgent librum ſecundum?

II. In indice omnium Decretorum a S. mbuco edito dicitur de libro hoc ſecund : *anno Domini* 1032. *in Synodo Tolna promulgatus* „ Confidentius loquitur Otrokocsius pro more ſuo ſagaciſſimus Diuinator, ait enim apud Peterſium Tom. I. p. 3. non minus Synodum Eccleſiaſticam fuiſſe Regis mandato indictam, *(a)* quam ſecularem congregationem. Quod ad Sambucum attinet, cuiuis artis criticae vtcunque perito iudicium defero, quid valere poſſit aſſertum ſiue Nicolai Telegdi, ſiue Zachariae Muſſoczii, aut etiam Sambuci, dum rem tot ſeculis ante geſtam absque tabulis, absque teſtibus, nulla efficaci id ſuadente ratione proponunt. Sambucum non moramur.

III. Liber hic ſecundus ſua ſe ſatis manifeſtat epigraphe, in MS. enim Agrienſi vocatur *Recapitulationum liber*. Non oporteret operoſius docere, quod recapitulare idem ſit, ac colligere, vel indicem facere, propter aliquos tamen id faciendum eſt. Reuocent itaque ſibi in memoriam ab Alberico Colomanni Decre- Argumentum ex epigraphe.

 torum

(a) Quare dubium non eſt, conuentum illum, in quo Decreta condita ſunt, fuiſſe non minus Synodum Eccleſiaſticam Regis mandato indictam, quam ſecularem congregationem, ita vt Rege ipſo illic praeſentes ... atque Status Proceres, ac praecipui Regnicolae in eodem praeſentes fuerint. Otrokocsius apud Peterſi.

Digitized by Google

Quid ſit recapitulatio.

torum collectore dici: *iubes Regalium inſtituta collationum recolere, vel ſenatoria totius Regni Decreta ieiuna oratione recapitulare*,, apud Baluzium tom. 1. Capitulorum pag. 245. habetur: ,, *recapitulatio ſolidorum, ſeu breuis expoſitio, et collectio varii numeri ſolidorum in mulctam ſoluendorum.* ,, In Concilio Narbonenſi (a) *anni DLXXXIX. die Kalendarum Nouembris Deo auſpice in vnum conuenimus, et aliquanta, quae iuſte, et pie ſunt edita - - recapitulare fecimus.* Canones de ordinatione officialium Eccleſiae, qui Concilio Carthaginenſi *IV.* attribuuntur, et ſub nomine ſtatutorum Eccleſiae antiquorum veniunt, vel ſtatuta Orientis vocantur, et ſi Schelſtratio in diſſertatione 3. de Africana Eccleſia credimus ab aliquo priuato partim ex Orientalibus, partim ex Occidentalibus, canonibus ſtudioſe, digeſti fuere, non raro hunc praeferunt titulum: ,, *Recapitulatio Ordinationum Officialium Eccleſiae.*

Ex ſimilitudine cum Capitularibus.

IV. Illuſtr. Adamus Fran. Kollár in Libello de Poteſtate legiſlatoria circa ſacra luculente demonſtrauit plura (ne dicam pleraque) Capitula huius libri ex Capitularibus Regum Francorum eſſe ita deprompta, vt de verbo ad verbum inde transcripta ſint, quod nos ſoepius indicauimus. Perſuadet id nobis librum hunc eſſe collectionem, familiare enim id fuiſſe quibusuis collectoribus, vt praeprimis Capitularia expilarent, et ne verbulo quidem mutato in penum ſuam referrent, quod omnino vitio dari non poteſt, id enim vnum a Collectoribus exigitur, vt maturo iudicio ſeligant profutura, et fideliter transcribant. Legiſlatoris autem aliena ne quidem apice mutato exſcribentis deſidiam reprehenſione dignam eſſe quis negauerit? infra dignitatem profecto eſſet. Quid ſi adhuc plagiarius quum ſit, etiam recti ſenſus rationem nullam habeat, omnia ſus-deque commiſceat, deſecet, absque ordine decerptos floſculos collocet, an tale opus S. Stephano ſat dignum dicemus? an foetum vnius Dioetae adſtruemus? mox autem oſtendemus, quomodo compilator huius libri graſſatus ſit in Capitularia

Ipſe contextus docet.

V. Dixi Collectorem noſtrum quisquis demum is fuerit floſculos aliunde decerptos nullo ordine conſarcinaſſe, aliquot leges in teſtimonium citandae; Poſtquam capite ſexto dictum fuiſſet, vt ex illis, quae ad Regalem pertinent dignitatem, a nemine quid inde rapiatur, aut ſubtrahatur, nec quisquam in his praedictis ſibi fauorem aquirere audeat, capite ſubſequenti e veſtigio ſubiungitur: *Si quis igitur Presbyter, vel Comes, ſiue aliqua perſona fidelis die Dominica inuenerit quemlibet laborantem.* verba haec: *ſi quis igitur* illationem faciunt ex argumento, et ratiocinio praemiſſo in eodem merito; vnde ſupponitur, de re eadem praeceſſiſſe ſermo; at in libro hoc noſtro aliud longe praeceſſerat, patet ergo caput hoc ex prolixiore aliqua de obſeruatione diei Dominicae Diſſertatione eſſe defectum. Similiter capite XIX. agitur de non recipiendis ſeruis, et ancillis in accuſationem; e veſtigio cap. XX. ſequitur: *quoniam igitur Deo dignum eſt, et hominibus optimum vnum quemque in ſuae induſtriae libertate permanere*, nil praeceſſerat de iugo ſeruitutis, nil de libertatis amiſſione; patet itaque has leges vndevnde eſſe collectas, et non ſatis coagmentatas. Tandem ne longus ſim, capite XXVIII. maritis ab vxoribus ſuis fugientibus poena ſancitur, ex quo certe non ſequitur horrendum eſſe furtum, quis inde illud deducere valeat? et tamen capite XXIX. haec ſequela deducitur: *cum igitur cunctis horrendum, et omnibus abominabile ſit* virilem *ſexum repertum feciſſe furtum.* rurſus capite XXXIV. diſponitur: vt *veſtimenta, et corporalia, et coopertoria Rex prouideat, Presbyteros, et libros Epiſcopi*, quis amabo animum ſuum induxiſſet credere, vt ex hac lege conſequi poſſit liberam cuiuis rerum ſuarum proprietatem concedendam eſſe. Nihilominus capite altero id eſt XXXV. ſubiicitur:

(a) Tom. 2. Concil. Hiſp. p. 192.

citur: *conſenſimus igitur totius petitioni ſenatus, vt vnusquisque dominetur propriorum.* Haec ſufficient, vt conſtet, aliarum legum ſegmenta in hunc librum compaginata fuiſſe, quin commiſſurae non ſatis cohaerentes expleantur, quod ſicut collectori non poteſt crimini dari, ita S. Regis, aut ſi mauis Dioetae non ſatis commendaret diligentiam. Venerationi itaque, qua Sanctum Stephanum proſequimur, id denique dandum, vt collectionem hanc alteri cuicunque demum tribuamus. dubius haeres? putas forte e numero legum noſtrarum illico expungendas libro hoc ſecundo comprehenſas, ſi S. Stephani opus eſſe neges? praepoſtera ſane haec foret ratiocinatio: liber ſecundus Sancto Stephano tributus non eſt illius opus, ergo non habet vim legis; quaſi diceres: Colomanni leges digeſſit Albericus, ergo non obtinent vim legis.

Probatur teſtimonio Chartuitii, S. Ladislai, et Colomanni.

VI. Illi, qui librum ſecundum Sancti Stephani Regis contendunt foetum eſſe Dioetae, niſi velint, vt in ipſorum verba iuremus, niti vtique debent teſtimonio Chartuitii, ſi ad illud non confugiant, nullum habebunt teſtem, commemorat is Decretum a Sancto hoc Rege editum, verum hoc ipſum Chartuitii Teſtimonium eſt, quod mihi perſuadet librum ſecundum eſſe collectionem legum tam ex Dioetis, ſeu Regiis Synodis ſub Sancto Stephano celebratis, quam e Capitularibus deſumptarum, illud quippe Decretum cuius commeminit Chartuitius, idem eſſe cum hoc libro videri nulla ratione poteſt, tales quippe narrat is a Sancto Rege prolatas fuiſſe leges, quarum nullum in libro hoc apparet veſtigium. Profero illarum exempla: Primum ſit: de Sancti Stephani Decreto loquens Chartuitius ait: „ *illud dein perpetui foederis ſubſcriptione ad poſteros ſuos transmiſit.*„ Nullus in toto hoc libro ſubſcriptionis locus perpetui foederis cuiuspiam, memoria nulla, quale autem ſit foedus hoc mihi non conſtat, ſi licet ſuſpicari, dicam non incongrue foedus illud ſucceſſionem Regni Arpadianae Stirpi conceſſum, quod transmiſit Regnum ad poſteros, qui vsque ad initium Seculi XIV. thronum occuparunt, hinc recte dicitur Sanctus Stephanus perpetui foederis ſubſcriptionem ad poſteros ſuos transmiſiſſe. Sane foedus illud ſucceſſionem Regni ad ſexum foemineum translatam vel ipſum Petri Regnum docet. Sed quidquid ſit de eo, ſubſcriptionem adhibitam fuiſſe docet Chartuitius, quae hoc libro deſideratur. Alterum legis in Decreto abs Chartuitio commemorato editae exemplum eſt *exercituatio*, ſeu, vt nos Hungari loqui ſolemus: *inſurrectio*. Hanc Chartuitius teſtatur in Conuentu Regni fuiſſe decretam, totus autem liber ſecundus Sancti Stephani de inſurrectione tacet, hoc certe publicarum legum Noſtrarum praecipuum obiectum eſt, Dubitare ergo non licet alias quoque fuiſſe Synodos Regias, ex quibus ſuperſtites aliquot leges neſcio quo auctore compilatae fuere.

Libro tertio quoque Sancti Ladislai habemus memoriam legis in Dioeta, ſeu quapiam Synodo Regia Sancti Stephani conditae, libro enim III. cap. VII. ſtatuitur, *vt fures ad Eccleſiam confugientes, ſi delictum ſuum confeſsi fuerint, lege beati Stephani diſcutiantur* Quaenam haec lex? rurſus in compilatione Alberici, ſeu Decretorum Colomanni lib. I. cap. XXXIV. *Si quis de propriis, et domeſticis rebus quid in foro vendiderit, lege Sancti Stephani tributum reddat.* Talem legem quis legit inter leges Sancti Stephani?

Variæ nomenclationes conuentus, in quo ſancita fuere capitula haecce.

VII. Neque illa coniectura prorſus de nihilo eſt, quod variis vocentur nomenclationibus, capite enim 19. Regale Concilium appellat, vti et cap. 27mo (a), communis Concilii definitionem cap. 33tio (b) alias Primatum ſuorum conuentum

B 3 vocat

(a) cap. 19. „ Secundum Regalis Decretum Concilii „ cap. 27. in hoc Regali Concilio decretum eſt. „

(b) Cap. 33. poſt definitionem *communis Concilii*

vocat (a) alibi Regium Senatum, et Decretum Senatus vocitat. (b) Conſtat manifeſte libros Capitularium eſſe collectionem, ibi pariter occurrit iam Synodi, iam conuentus vocabulum; lib. I. cap. 92. *ſtatutum eſt ab Epiſcopis de Presbyteris, qui foeminas ſecum indiſcrete* (id eſt in eadem domo) *habitare permittunt* etc.

Concilium et Conſilium promiſcue vſurpantur.

VIII. Monere tamen debemus lectorem tum in antiquis codicibus, tum etiam in recentiorum ſeculorum ſcripturis concilium pro conſilio promiſcue vſurpari, vt adeoque dici poſſit Regale Concilium, nihil aliud eſſe quam Regale Conſilium ſiue Regium Senatum. Luculentiſſimum teſtimonium habemus in Capitulari Aquisgranenſi anni DCCCXVI. vbi capite 21. Ludouicus Pius de foeminis viros amittentibus dicit. *vt triginta dies poſt deceſſum viri expectent, et poſt triceſimum diem per conſilium Epiſcopi ſui, vel ſi Epiſcopus abſens fuerit, concilio aliorum religioſorum Sacerdotum, ſuorumque Parentum, atque amicorum id quod eligere volunt, eligant.* Plura huiusmodi perpendens Thomaſſinus noſtram firmat aſſertionem, (c) de promiſcua *Conſilii*, et *Concilii* ſignificatione.

Caput Sextum.

De libro ſecundo, et tertio Decretorum S. Ladislai Regis.

Error Ottrokocsii et Peterſii.

I. Eo confidentiae progreſſus eſt Ottrokocsius apud Peterſium, vt non ſolum omnes libros Decretorum S. Ladislai in Conuentu aliquo ſancitos pronunciet temere, ſed etiam Conuentum Szabolcsienſem *Synodum* ſtylo Eccleſiaſtico vocari contendat imperite. (d) Hunc errorem ſecutus Peterſius alium admiſit, ex libro enim ſecundo, et tertio ſub nomine eiusdem Synodi Szabolcsenſis aliquot decerpſit capitula, quaſi ſecundus, et tertius liber ad eundem Szabolcsenſem conuentum pertineat, cum tamen ſub initium libri ſecundi diſerta fiat mentio alterius Conuentus in ſacro monte Pannoniae habiti. (e) Quare ſi liber ſecundus vnius alicuius conuentus opus dici deberet, is in monte Pannoniae habitus fuit. Nemo noſtratum tam peregrinus eſt in Patria ſua, vt neſciat dictum montem ſacrum prolixo ſex dierum itinere, intra quod Danubius, et Tibiscus transmittendus eſt, diſtare a vico Zobolcs. Vnde ſatis patet, quanta diligentia vſus ſit Peterſi, qui obuia haec expendere neglexerit.

Lector remittitur ad notas marginales.

II. In Notis ad Synodos Regias S. Ladislai oſtendi patere Decreta ibidem occurrentia talia eſſe, vt facile appareat non eſſe vnum perpetuum Decretum, ſed compilationem legum hinc inde acceptarum, ſed et libri ſecundi initium locum quidem alicuius conuentus annunciat, quando tamen habitus ſit, non patet. Liber tertius neque locum indicat, quae omnia mihi perſuadent collectoris alicuius opus eſſe.

Quid Peterſium induxerit in errorem.

III. Imperita Otrokoczii, et Peterſii aſſertio nunc refellenda, atque oſtendendum: Synodum Szabolcsenſem ſtylo Eccleſiaſtico Synodum appellari non poſſe licet id nomen praeferat. Deceptus eſt hoc axiomate Peterſi, et decipiuntur hodiedum multi, qui indignantur etiam, id ſi negetur, quod temere aſſeruere. Abſit a me, vt nomenclationem Sanctae Synodi temporum ſimplicitati adſcribam. (f) Nomen Synodi neminem fallere poteſt, neque

(a) Cap. 23. *decreuimus noſtrorum Primatum conuentu.*

(b) Cap. 29. ,, Secundum Regalem Senatum decretum eſt ,, Cap. 32. ,, Secundum Decretum Senatus ſtatuimus ,, Ex variis his nomenclationibus id luculente videtur conſequi: in variis conuentibus fuiſſe ſancita Capitula.

(c) Discipl. Eccl. par. 2. lib. 3. c. 47. *videntur iam hic promiſcuae haberi hae voces: Concilium, Conſilium, quod poſtea multo frequentius fuit.* ,, Si tamen vera loqui amamus, exempla a Thomaſſino allata nihil euincunt.

(d) *In Conuentu Szabolcsienſi anno* 1092. *ſub S. Ladislao Rege celebrato diſerte ipſe Rex dicitur praeſediſſe, et Conuentus ille Synodus vocatur Stylo Eccleſiaſtico.* Apud Peterſi Tom. I. pag. 3.

(e) *Temporibus piiſſimi Ladislai Regis omnes Regni Pannoniae optimates in monte ſancto conuentum fecimus.* Lib. 2. cap. 1.

(f) Fecit id Ill. Adamus Kollár Lib. de Poteſt. Legiſlat. circa ſacra, et in ruditate temporis praeſidium quaeſiuit.

Synodus tam ſacrum, quam profanum conuentum notat.

que indignari quiſquam poteſt id adhibitum fuiſſe, qui expenderit τὸ: *Synodum* graecae originis eſſe vocabulum, et congregationem, ſeu conuentum notare, et hinc promiſcue pro ſacro aeque ac profano conuentu deſignando fuiſſe vſitatum, cuius rei exemplum habemus in annalibus Bertinianis inſtituto noſtro prorſus conſentaneum, vtpote qui affinitatem legum noſtrarum, et Capitularium vberius manifeſtat. Ad annum itaque 767. habetur de Rege Franciae: ,, *Synodum fecit cum omnibus Francis more ſolito in campo:* ,, Vnde colligitur Francis aeque, ac Vngaris ſolenne fuiſſe in campo comitia agere. (Redeat hic, velim in mentem Noſtratibus campus Rákos, ſolennis comitiorum locus). Plura einsmodi exempla promiſcue vſurpati huiusmodi vocabuli, qui legere voluerit, adeat Benedicti XIV. immortale opus de Synodo Diœceſana. Ne apud exteros diutius diuagemur, redeamus ad domeſtica; in Decreto Colomanni Regis luculentum reperiemus promiſcuæ huius ſignificationis exemplum. Libro enim primo capite ſecundo ſtatuitur, vt bis in anno in feſtiuitate nimirum Apoſtolorum Philippi et Iacobi, et in octauis S. Michaëlis Archangeli fiat Synodus, et omnis Magiſtratus cum Comitibus ad ſuum Epiſcopum conueniat. (a) Ex tenore legis recitatæ quiuis perſpiciet de conuentu profano agi, illos enim, qui ad curiam Regalem pro obuia quauis neceſſitate accedere non poſſunt, in huiusmodi Synodis iudicandos ſtatuit. Idem autem Rex cauſas Eccleſiaſticas a Laicis iudicibus iudicari vetuit, quod deinceps videbimus. Nulla itaque Comitum, Magiſtratuum, poteſtatum neceſſitas fuiſſet in Synodo Eccleſiaſtica. De profano ergo conuentu, et cauſarum Ciuilium diſcuſſione agitur; ad Epiſcopos autem comites accedere iubentur, cum in Regno Hungariae in omnibus publicis negotiis, et iudiciis primum ſemper locum obtinuerint, obtineantque adhuc Epiſcopi, Synodi proinde huiusmodi a Rege Colomanno celebrari praeceptae nihil erant aliud, quam Generales Comitatuum congregationes, quemadmodum nunc vocari ſolent.

Synodo Regiae competit axioma Sanctae Synodi.

IV. Cur ergo appellata Sancta Synodus Szabolcſenſis? ob reuerentiam Regiæ dignitatis: ipſae namque Sacrae litterae Chriſtos Domini appellant Reges, atque ideo priſcis temporibus tantus Regibus et Principibus exhibitus fuit honos, vt non ſolum ipſi Diui appellarentur, ſed etiam aeternitatis, et Diuinitatis ipſis tribuerentur nomina, et ipſorum litterae: *Sacra edicta, litterae ſacrae* cognominarentur, quemadmodum hoc videre eſt in Concilii Chalcedonenſis actione decima ſexta, dum de textu Concilii Nicoeni controverſia orta fuiſſet: „ *Conſtantinus Deuotus Secretarius Diuini Conſiſtorii ex dato codice --- recitauit.* „ In actis einsdem Concilii ſcribens Licinia Eudoxia Patri ſuo Theodoſio Triumphatori „ *Domne Sanctiſsime Pater adorabilis Imperator*. ,, Valentinianus eidem Theodoſio ſcribens inquit: „ *ad perfectiorem agnitionem Veſtrae Diuinitatis direximus etiam geſta, per quae et deſideria, et exclamationes omnium Pietas veſtra cognoſcat.* Ipſe Theodoſius II. Placidiae Venerabili Auguſtae ſcribens (b) eam aeternitatis nomine compellat, ſeque ipſum illo deſignat vocabulo. Sed etiam leges publicae in codicem relatae huius rei perhibent teſtimonium, libro enim primo, tit. 1. de SSma Trinitate dicunt Theodoſius, et Valentinianus Imperatores a Diuinitate ipſorum latam eſſe legem; èt in Diuini huius praecepti transgreſſores poenam conſtitutam. (c) Idem Imperator ad Epiphanium Conſtantinopolitanum legem contra

(a) *Quia populus noſter magnis ſoepe tam viae, quam inopine laboribus praegrauatus pro qualibet neceſsitate ad curiam Regalem adire non poſſet, bis in anno, id eſt: in feſtiuitate Apoſtolorum Philippi et Iacobi, et in octauis S. Michaelis Synodum in vnoquoque Epiſcopatu celebrari conſtituimus, in qua tam Comes, quam Comites, et aliorum Magiſtratuum dignitates, et poteſtates ad ſuum Epiſcopum conueniant, ad quam quicunque etiam ſine ſigillo vocatus non venerit, reus indicio erit.*

(b) *Ex litteris inae Manſuetudinis noſtra cognouit aeternitas. quid Reuerendiſsimus Patriarcha Leo a tua aeternitate popoſcerit?*

(c) ,, *Secundum ea, quae iam a noſtra Diuinitate ſunt conſtituta* ,, et paulo poſt ,, *Transgreſſoribus huius noſtri Diuini praecepti poena, quae continetur lata aduerſus impiam Neſtorii fidem lege ſubiiciendis.*

contra Neſtorium, et Eutychetem ſcribens, literas ſuas vocat *Diuina compendia* (a) edictum autem *Diuinum edictum, Diuina Breuicula.* Iidem Imperatores Theodoſius, et Valentinianus in lege ad Florentium Præfectum Praetorio, Theodoſio Auguſto decimum ſeptimum et Feſto Conſulibus data, omnem excuſationem legi obtendendam præſcindere volentes aiunt: ,, *nec ſi coeleſte contra proferatur oraculum, ſiue annotatio ſit, ſiue Diuina Pragmatica Sanctio prouidentiſsimae legis excuſare debebit diſpoſitionem.* Iterum ad Thaurum Praefectum ſemet Numen appellat. (b) Prope infinitus eſſem, ſi omnia huiusmodi exempla transcribere vellem. Rex Franciae in Capitulari anni incerti praeceptum ſuum *Diuinam auctoritatem* dicit. (c) Capitularium lib. 2. in collectione Anſegiſi Cap. 36. Pragmatica Sanctio Diuina vocatur. (d) Haec vtique affinia ſunt enarratis. Socrates Hiſt. Eccles. libro ſexto in prooemio (e) excusat ſe, quod Imperatores Diuiniſſimos non vocet. Haec quia moribus noſtris non congruunt prope incredibilia videntur. Temporum ratio titulorum commendat varietatem, et firmat praerogatiuam. Hludouicus Patrem ſuum Karolum nobiliſſimum vocat Imperatorem, (f) alias Principes Noſtros Illuſtres, Illuſtriſſimos, Excellentiſſimos (g) compellatos fuiſſe veteres docent chartae; deinceps Sereniſſimos vocitauimus, iam Auguſtos, Auguſtiſſimos, Sacratiſſimos vocamus. Si quis nunc Sanctiſſimos appellaret, ridendum ſe exhiberet, cum tamen Sacratiſſimum, et Sanctiſſimum nihil differat, et neſcio, an illud, quo Principes vti ſolent: *ſemper Auguſtus*, ab aeternitate magnopere diuerſum ſit. Si itaque Imperatores Sanctiſſimi, Diuiniſſimi, Numina, Edicta illorum Sacræ litterae, Diuina Edicta, aeternitatis, Numinis oracula dici meruerunt, quid mirum, ſi conuentus Regni Sancta Synodus dicebatur? Non proinde temporum ſimplicitati, ſed recepto vſui id tribuendum, neque inde exſculpendus Sacer, et Eccleſiaſticus conuentus, quamuis Regiam Synodum fuiſſe deinceps adſtruemus.

V. Alibi quoque Synodi Regiae Sanctarum Synodorum compellatione gaudebant. Thomaſſinus in opere ſuo de vetere et noua Eccleſiae disciplina part. 2. lib. 2. cap. 47. tres Synodos Regias in Hiſpania actas recenſet, quae nomen Sanctae Synodi ſibi vendicarunt. In Toletana VII. anni DCLIII. Receſuintes Rex Synodum alloquens, illam *Sanctae* axiomate honorauit (h). In Toletana anni DCLXXXIII. Eruigius Rex Sanctum Concilium vocat. (i) In Toletana XIII. Rex: *Vniuerſitatem Paternitatis Veſtrae, atque ſublimium virorum, nobilitatem, qui ex aulae Regalis officio in* (hac) *Sancta Synodo nobiſcum ſeſſuri praeelecti ſunt,* obte-

Id ipſum docetur exemplis.

(a) *Cognoſcere volentes Tuum Sanctitatem ea omnia, quae ad Eccleſiaſticum ſpectant ſtatum, neceſſarium duximus hisce ad eam vti Diuinis compendiis* ,, et in fine ,, *cum itaque comperiſſemus quosdam alienos a Sancta, Catholica, et Apoſtolica Eccleſia impiorum Neſtorii, et Eutychetis ſecutos deceptionem, Diuinum ante hoc promulgauimus edictum* ,, paucis interpoſitis ,, *ideoque ex praeſentibus Diuinis Noſtris Breuiculis ſciet Sanctitas tua.*

(b) *Quum ad feliciſſimam expeditionem noſtri numinis omnium Prouinciarum per loca, qua iter arripimus, debeant ſolita nobis miniſteria exhiberi.*

(c) *Eccleſiarum Seruos, vel Epiſcoporum, vel Clericorum, vel a iudicibus, vel actoribus publicis in diuerſis angariis fatigari Diuina authoritate prohibemus.*

(d) *Si Princeps voluerit rem immobilem ſancto loco praeſtare, et ab eo accipere aliam rem immobilem, et eo modo permutationem contrahere, liceat hoc ei facere, Diuina Pragmatica Sanctione ab eo promulgata.*

(e) *Qui perſonas Eccleſiaſticas ſummo in honore habent, nobis crimini dabunt, quod Epiſcopos non vocemus Deo Chariſſimos, aut Sanctiſſimos, aut aliis id genus nominibus; Alii, qui ſunt paulo curioſiores, interdum vertent vitio, quod Imperatores non Diuiniſſimos, aut Dominos, aut aliis titulis, quos homines illis tribuere ſolent, appellemus.*

(f) in praecepto ſecundo pro Aldrico Epiſcopo in vita eiusdem apud Baluzium Miſcell. lib. 3. pag. 39. *Dominus, et genitor Noſter Sanctae memoriae Karolus nobiliſſimus Orthodoxus Imperator.*

(g) Idem Hludouicus in modo allato praecepto ,, *Aldricus venerabilis Coenomanicae Vrbis Epiſcopus ſuggeſſit Noſtrae Excellentiae.*

(h) *Vos etiam illuſtres viros, quos ex officio Palatino huic Sanctae Synodo intereſſe Primatus obtinuit, ac nobilitas Spectabilis honorauit, et experientia aequitatis plebium auctores exegit.*

(i) *Omnes in commune conuenio, et vos Patres Sanctiſſimos, et vos illuſtres Aulae Regiae, quos intereſſe huic Sancto Concilio delegit noſtra ſublimitas.*

obteſtamur. Non poteſt ergo tam peregrinum videri Synodum Regiam Hungariae Sanctam appellatam fuiſſe.

Caput Septimum.

De collectione Alberici, ſeu Decretis Colomanni Regis.

Albericus cum Anſegiſo confertur.

I. Ad Colomanni Eccleſiaſticas Conſtitutiones (Sic enim eas appellare Peterſio placuit) circa annum Chriſti MCIII. vti videtur, editas greſſum facio. Has in vna aliqua Synodo Eccleſiaſtica, aut Regia, aut quouis alio Conuentu, quocunque illum appellare velis nomine, editas exiſtimare tam vanum foret, atque ridiculum eſſet contendere Capitularia Regum, et Epiſcoporum Francorum ab Anſegiſo Abbate, et Benedicto Leuita collecta, et in libros ſeptem digeſta vnius Synodi eſſe Canones. Quemadmodum enim memoratus Abbas Capitularia Caroli Magni, et Ludouici Pii collegit, et in vnum ire iuſſit volumen, idipſum praeſtitit Albericus circa Colomannum, quemadmodum in Praefatione ſua ad Seraphimum Strigonienſem Archi Praeſulem ipſe profitetur *(a)* „ *ſe Regalium inſtituta collationum recolere, et Senatoria totius Regni Decreta ieiuna oratione recapitulare.* „ Decreta ergo Colomanni Regis non ſunt alicuius Concilii Eccleſiaſtici Canones, aut Synodalia Decreta, ſed *Regalium inſtituta collationum*, id eſt Regiarum Synodorum Decreta,

II. De Patria, et vitae inſtituto Alberici in notis ad collectionem diſſeruimus; ea hic repetere neceſſarium non eſt, obſeruari tamen meretur, quomodo exemplum Anſegiſi ſecutus ſit, ille Synodorum Eccleſiaſticarum canones inſeruit, Albericus id ipſum fecit. Si quid enim videmus, Cap. VI. libri II. imo fere totus hic liber ex Synodo Eccleſiaſtica, quam ſuo loco ex Manuſcripto ſeculi XII. integra fide edemus, ab Alberico contextus eſt. Ad id comprobandum ad calcem collocauimus in duabus columnis tam Alberici verba, quam Canones Synodi praefatae. *(b)* Sic inter Capitularia Caroli

de eodem argumento.

C

(a) Iubes o Praeſul' Regalium inſtituta collationum recolere, vel Senatoria totius Regni Decreta ieiuna oratione recapitulare.

(b) Albericus lib. 2. cap. 6.	Synodus Eccleſiaſt. Canon 1.
Ex auctoritate Apoſtoli pro Regis Noſtri ſalute, et Regni eius ſtabilitate in omnibus quotidie Eccleſiis orandum cenſemus, et diſtricte praecipimus, vt ſi quis contra Regis ſalutem, et dignitatem quolibet modo aliquid conſpirauerit, aut conſpirare aliquid tentauerit, ſeu tentari ſciens conſenſerit, anathematizetur, et omnium fidelium, communione priuetur: Vt ſi quis huiusmodi aliqnem nouerit, et probare valens non indicauerit, praedictae damnationi ſubiaceat.	Ex auctoritate Apoſtoli pro Regis Noſtri ſalute, et Regni eius ſtabilitate in omnibus quotidie Eccleſiis orandum cenſemus, et diſtricte praecipimus, vt ſi quis contra Regis ſalutem aut dignitatem quolibet modo aliquid conſpirauerit, aut conſpirare aliquid temptauerit, ſeu temptauti ſciens conſenſerit, anathematizetur, et omnium fidelium communione priuetur.
	Can. 2.
	Vt ſi quis aliquem huiusmodi nouerit, et probare valens non indicauerit, praedictae ſubiaceat damnationi.
Albericus lib. 2. cap. 9.	Synod. Eccleſiaſt. can. 6.
Vt clerici bigami, et viduarum, aut repudiatarum mariti temporalibus Eccleſiae beneficiis et cunctis dignitatibus Eccleſiaſticis priuentur.	Vt clerici bigami, et viduarum, ac repudiatarum mariti temporalibus Eccleſiae beneficiis, et coeteris dignitatibus Eccleſiaſticis priuentur.
	Can. 7.
Nullus Epiſcopus aliquem Clericorum promoueat ad Diaconatum, et vltra, niſi prius continentiam vouerit, et ſi vxorem habuerit, ex eius fiat conſenſu idem promittentis.	Vt nullus Epiſcoporum aliquem promoueat Clericorum ad Diaconatum, niſi prius continentiam vouerit, et ſi vxorem habuerit, ex eius fiat conſenſu idem promittentis.
Albericus Lib. 2. Cap. 10.	Synodus Eccles. Can. 8.
Nullus coniugatus Presbyter, aut Diaconus altari deſeruiat, niſi prius vxori concedenti, et continentiam voucnti lucum ſeparatum, et neceſſaria vitae temporalis prouideat; vt ſecundum Apoſtolum vxorem habens quaſi non habentem ſe ſe intelligat.	Vt nullus coniugatus Presbyter, aut Diaconus altari deſeruiat, niſi prius vxori concedenti, et continentiam vouenti locum ſeparatum, et neceſſaria vitae temporalis prouideat, et ſecundum Apoſtolum vxorem habens, quaſi non habentem ſe ſe intelligat.
Cap. 12.	Can. 9.
Presbyter altari deſer-	Si Presbyter altari deſer-

Caroli Magni, et Ludouici Pii reperio Nicoeni, Sardicenſis, Chalcedonenſis, et Ancyrani, ac Carthaginenſis, aliarumque Synodorum complures canones. Caput quintum ſimiliter ex aliqua Synodo Eccleſiaſtica ab Alberico deprómptum fuiſſe, cuius acta aut interciderint, aut ignota alicubi lateant, ſatis manifeſtum eſt, ait enim: ,, *Decretum eſt in Sancta Synodo ab omnibus Epiſcopis, vt populus Strigonienſi Eccleſiae decimas omnes, quas poſſident, ſerui vero Eccleſiae Parochiano Presbytero tres denarios impendant*.,, Habemus ergo in Alberico alterum Anſegiſum Abbatem, cuius veſtigia aemulatus eſt, et compilationem ſuam e Synodis Eccleſiaſticis mutuatus auxit.

III. Quia ex ſupra dictis exploratum eſt Albericum fuiſſe compilatorem Decretorum Colomanni, et in compilatione ſua Anſegiſi Abbatis exempla ſecutum ex Synodis Eccleſiaſticis complura mutuaſſe, licebit non vane ſuſpicari lib. I. Cap. 15. et 16. in quibus Epiſcopos inducit loquentes, ex aliqua Synodo deſcripta fuiſſe, neque vellem iurare, omnia ea, quae libro primo continentur, Colomanni eſſe Decreta, quemadmodum certum eſt, non omnia Anſegiſi Capitularia a Regibus Francorum emanaſſe, ſed Conciliorum eſſe Canones, qui in aliud ſolum transplantati naturam, et indolem non mutant; non nego quidem complura Colomanni eſſe, omnia tamen eiusdem non ſunt. Teſtem inuoco ipſum Albericum, qui Concilio Vercellino ſe vſum fuiſſe non obſcure indigitat, et inſuper memorabilia haec adiicit: ,, *non in hoc opere proprii arbitrii veſtigia figo, verum praeuiis alieni itineris viribus, ob quam videlicet cauſam, ſi quid in errabundo veſtigio liberius diuagatus meus deuiauerit calamus, non ambigo, quam facilis apud te ſit veniae locus*.,, Si Albericus editor duntaxat fuiſſet, et conquiſitor Decretorum Colomanni, non erat, cur tantopere haeſitet, alieni itineris excuſet greſſum, et calamum in veſtigio errabundo diuagari metuat, ſed quia collectionem ſuam non ſolum Decretis Colomanni, ſed aliis etiam auxit, iure metuebat, ne exerraſſe videatur a propoſito. Anget, et dilucidat vim argumenti Noſtri caput primum libri ſecundi, quod ſic incipit: *Colomannus hanc legem dedit Iudaeis*: ipſe ergo quodammodo inſinuat, quae ex aliena penu deprompta ſint. Dico ergo opus Alberici eſſe compilationem variarum legum, quae collectio deinceps vſu in legem abiuit, et nomen refert Colomanni, ac licet pleraque ſint illius Decreta, quae tamen illius ſint non facile licet diuinando aſſequi. Imitatus eſt videlicet in eo quoque exemplum Anſegiſi, et Benedicti Leuitae, de quo poſteriore Baluzius ait, *(a)* illum collegiſſe primum capitula, quae citra controuerſiam edita ſunt a Regibus, tum ea,

Ducitur argumentum ex verbis Alberici.

uiens concubinam ſi habuerit, illa auferatur, ipſe vero iuxta praeceptum Epiſcopi fructu peracto poenitentiae ad miniſtrandum altari reſtituatur, et Eccleſiae; vt a villa, in qua eſt Eccleſia, ab Eccleſia longius non recedat, quod ſi receſſerit decem penſas perſoluat, et redeat.	ſeruiens concubinam habuerit, illa auferatur, ipſe vero iuxta praeceptum Epiſcopi fructu peracto poenitentiae ad adminiſtrandum altari Eccleſiae reſtituatur. Can. 10. Vt a villa, in qua eſt Eccleſia, ab Eccleſia longius non recedat, quod ſi receſſerit, decem penſas perſoluat, et redeat.
Albericus Lib. 2. Cap. 13. Si quis in die feſto vendiderit, pretium acceptum quadruplo reſtituat, ipſe vero poenitentiae ſubiaceat.	Synodus Eccles. Can. 11. Si quis die feſto vendiderit, pretium acceptum quadruplo reſtituat, ipſe vero poenitentiae ſubiaceat.

Albericus Lib. 2.	Synodus Eccles.
Cap. 14. Si quis deſcriptas feſtiuitates non celebrauerit, ſic iudicetur in eum, vt ſi liber eſt, tribus diebus poeniteat, ſi ſeruus ſeptem plagis mulctetur.	Can. 13. Si quis deſcriptas feſtiuitates non celebrauerit, ſic vindicetur in eum, vt ſi liber eſt, tribus diebus poeniteat, ſi ſeruus ſeptem plagis mulctetur.
Cap. 15. De deſponſatione coniugali in facie Eccleſiae placuit Sanctae Synodo, vt omnis coniugalis deſponſatio in conſpectu Eccleſiae praeſente Sacerdote coram idoneis teſtibus aliquo ſigno ſubarrhationis, et conſenſu vtriusque fieret, aliter non coniugium, ſed opus fornicarium reputetur.	Can. 14. Placuit Sanctae Synodo, vt omnis coniugalis deſponſatio in conſpectu Eccleſiae praeſente Sacerdote coram idoneis teſtibus aliquo ſigno ſubarrhationis ex conſenſu vtriusque fieret, aliter non coniugium, ſed opus fornicarium reputetur.

(a) In præfatione Capitularibus præmiſſa. § XLV.

ea, quae ab ipſis, vel eorum iuſſu ab Epiſcopis, aut viris doctis excerpta ſunt ex libris Diuinae Scripturae, ſicut ſparſim eorum mixta capitulis reperit. „Explicat rem ipſemet Benedictus Leuita, dum narrat excerpſiſſe ſe ex Canonibus Sacrorum Conciliorum, ex Decretis Romanorum Pontificum, ex dictis Sanctorum Patrum, conſtitutionibus Synodalibus Epiſcoporum Gallicanorum, ex codice Theodoſiano, ſiue Aniani interpretationibus, Pauli ſententiis, Iuliani Anteceſſoris nouellis, codice Legum Wiſigothorum, ex lege Salica, ex lege Ripuariorum, et ex lege Baiuuariorum „ haec magnopere Alberico Noſtro conueniunt.

Caput Octauum.

De collectione Stephani VVerböczii, quae Tripartitum vocatur.

Indoles Werböczii.

I. Stephanum Werböczy *(a)* inter collectores legum collocare debemus, quum is leges non collegerit ſolum, ſed digeſſerit etiam in locos communes. Collectio haec vim legis obtinuit per vniuerſam Hungariam, et Tranſyluaniam. Licet non diffitear Werböczium vtilem locaſſe operam iurisprudentiae hungaricae, vota tamen Regni aſſecutus non fuit; deſiderabat illud nimis multiplicatas conſuetudines, vti mox videbimus, colligi, Werböczius longe aliud praeſtitit, totus quippe in eo videtur fuiſſe, vt antiquatis, obliuionique traditis prioribus legibus ſolum Werböczii nomen in foris reſonaret, id certe homo gloriae vltra, ac par erat, cupidiſſimus rebus miſcendis innouandisque intentus ſpe ſua deuorauerat, ex qua excidit. Quia opus in tres partes diuiſum eſt, et plerunque ſub nomenclatione Tripartiti citari proferrique ſolet. Continet id plura ad res, et cauſas Eccleſiaſticas pertinentia, adeoque inter noſtra locum inuenit.

Fata Werböczii.

II. Werböczius in Transyluania lucem aſpexit, ſummis muneribus perfunctus eſt, quae omnia hic perſequi ſuperfluum duxi; Paulus Iouius quae de illo ſcripſit, commemoranda ſunt: ait is Werböczium ad Leonem X. profectum fuiſſe Legatum, Romaeque a ſe viſum aſſerit; poſt obitum Regis Ioannis ad Solymannum legationem pariter ſuscepit eodem teſte. *(b)* Fata illius publicae legum tabulae perhibent, auſusque pernicioſos; altera legatio infeliciter omnino ceſſit eidem, occupata enim iniquis Solymanni artibus Buda, ad caſtra illius vocatus Budae retentus fuit, vt Hungaris velut legum peritiſſimus ius diceret. *(c)*

Geneſis operis.

III. Ad opus Werböczianum reuertamur. Laborem colligendi ſuſcepit a Rege Vladislao *(d)* vltro delectus, vt id muneris expleret. Occaſionem operi dedit nonnullorum licentia, qui leges ſcriptas ſenſui ſuo pro arbitrio accomodabant; maius periculum imminebat ab illis, qui conſuetudines allegabant pro ingeniorum varietate diuerſas, vt iam nihil firmum, ſtabileque eſſet, ac iudicia mirum in modum perturbarentur. Inualeſcenti malo obuitebantur legibus, verum irrito conatu; „ Quum enim conſuetudines (ita Vladislaus *(e)* nulla ſcripturae firmitate fulcirentur, quidquid vel legum, vel conſuetudinum in medium proferebatur, id illi vel in contrariam ſententiam trahentes, vel aliter ab aliis Iudicibus tractatum, atque intellectum aſſerentes omnes iudicandi rationes turpiſſime confundebant, „ Iniunctum itaque fuit Stephano Werböczio, vt omnes conſuetudines colligeret, atque in titulos, et capita diſtingueret.

 Paru-

(a) Paulus Iouius in Hiſtoria ſui temporis Verbetium vocat vbique.

(b) Lib. 39. pag. 429. „ *Legationem ad Solymannum decreuerant, iterque confeſtim ſummae dignitatis Legati Ioannes Excchius Quinque Eccleſienſis Antiſtes, et Stephanus ipſe Verbetius iam natu grandis, et Scrinii Magiſter, quem Romae ſub Leone legatum vidimus.*

(c) Hiſt. lib. 40. p. 458. *Verbetium vero ſenem* (Budae manere iuſſit) *vt legum totius regni, vrbanarumque rerum peritiſſimum Budae Hungaris ius dicturum.*

(d) In exemplari hungarico appellatur Ladislaus.

(e) In Praefatione Decreti.

Paruit is libenter Regiis iuſſis, ac in conſortium laboris adſcitis collegis ſuis Protonotariis, et Iudicibus diuturno labore opus ad vmbilicum perduxit. *(a)* Magnum quidem tulit plauſum, at non diuturnum, paulo enim poſt patuit, quod non tulerit omne punctum, quare de nouo opere cogitatum fuit. Succeſſit quippe opus Quadripartitum, quod tamen lucem non vidit; Dixi ſuperius: nil non egiſſe Werböczium, vt aliae quaeuis leges obliterarentur, non aliam ſane ob cauſam inducit Vladiſlaum loquentem, quaſi alia iura litteris conſignata non fuiſſent.

Examen, et editio operis.

IV. Examen operis ipſe narrat Compilator, ſelegerat nempe Rex Vladiſlaus viros a doctrina, et prudentia praeclaros: Paulum de Warda Praepoſitum S. Sigismundi Pronentuum Regalium Adminiſtratorem *(b)* Magnificum Benedictum de Batthyán, Caſtri Budenſis Caſtellanum *(c)* Ioannem de Ellevölgy Palatinalem, *(d)* ac Albertum de Bellyén, et Paulum de Bollyar Perſonalis Praeſentiae Regiae Protonotarios, *(e)* Stephanum Keſerü de Gibarth Vice-Palatinum, Georgium de Mekeze Secretarium Regium, Michaëlem de Zob *(f)* Paulum Dombó Tabulae Iudiciariae Aſſeſſores, et Stephanum Henczelfi de Petrotz Directorem Cauſarum Regalium, hi legentes, et examinantes libellum maximis laudibus extulerunt, quibus permotus Rex in Comitiis Regni anno Domini MDXIV. celebratis omnium cum flagitatione, et plauſu hoc domeſtici iuris compendium *(g)* conceptis verbis, et viua voce approbauit. Pollicitus inſuper erat idipſum opus membranis conſcriptum ſe ſe regionatim *(h)* per vniuerſam Hungariam muneris loco transmiſſurum. Rex interim ipſe ad Conuentus Poſonii, Wiennaeque indictos toto ſubſequenti vere, ac maiori aeſtatis parte in tranſigendis cum Maximiliano Caeſare, ac Sigismundo Poloniae Rege Fratre ſuo negotiis occupatus, mox aliis, atque aliis diſtentus curis viuendi finem fecit, antequam propoſitum exequi poſſet, quamuis nihil operi aliud deeſſet, quam Regii ſigilli appreſſio. Quare Werböczius opus ſuum euulgare firmum habens, typis illud excudi curauit, *(i)* quemadmodum ipſe narrat in Praefatione Latina, quae tamen in plerisque exemplaribus deeſt. In editione anni MDLXI. Wiennae Pannoniae inquit Typographus: *Opus hoc olim ſecundaria vice Parentis ſui prelo excuſum erroribus, ac mendis ſcatuiſſe, ideoque ſe nitidiorem paulo, maiorique cura formatam* adornaſſe editionem, cuius editionis pariter poſſideo vnum exemplar. In illo ali-

(a) In Praefatione latina ait Werböczy: *cum interim reliqui Protonotarii mihi per id tempus collegae iudiciarii - - - - - ad haec omnia diſcutienda, recenſenda, et ad amuſſim trutinanda fuerant adhibiti*,, quibus verbis innuere videtur ipſos opus examinaſſe duntaxat; at in verſione hungarica ait ſe opus iuncta cum collegis opera elucubraſſe,, *neki ültem a' több jámbor Meſterekkel - - - - - erre a' rendre hoztuc, és három réſzü Könyvbe foglaltuc*,, id eſt: *conſedi cum reliquis Magiſtris* (Protonotariis), *ad hunc ordinem reduximus, et tripartito libro complexi ſumus*. Vladiſlai Decreti quarti Anno MD. articulo 10mo conſtitutum fuit, *vt vltra illos ſedecim iuratos Aſſeſſores iudicio intereſſe debentes ex Dominis Praelatis quatuor, et totidem e Dominis Baronibus iurisperiti mutatis vicibus conſuetudines, et iura Regni, quae in iudiciis allegari conſueuerunt, explanare, et conſcribi faciant, quibus tandem per omnia explanatis, conſcriptisque, et approbatis ſecundum easdem, et eadem iudicetur.*

(b) In verſione hungarica Gaſparis Heltai vocatur Arendator Regis., *Várdai Pál Sz. Sigmondbéli Prepoſt Királynak Arendátoro.*

(c) A' Nagyságos Batthyáni Benedek a' Budai Várnak Porkolábja,, verum hic Batthyanianus per adoptionem ſolum, ſeu praefectionem (vt noſtrates loquuntur) hoc nomen ſuſtinuit, naſcendi conditione Alapi fuit.

(d) In verſione Heltaiana vocatur *Nadori Hispán*, cum alias *Nandor Ispány* vocari ſoleat.

(e) Perſonalis Praeſentiae Regiae eſt Primas, hinc mirum, quod verſio hungarica vocet, *Tabulae Regiae Protonotarios.*

(f) In hungarico Szobó *vocatur.*

(g) Ita ipſemet Werbözi appellat, quod tamen a compendio multum abeſt.

(h) Verba Werböczii ex Praefatione ad lectorem recito.

(i) Si verſioni hungaricae fidem habemus, miſit illud Rex per vniuerſam Hungariam, vnde etiam patet, quantum verſioni tribuendum ſit, in Praefatione enim hungarica habetur: *el-küldé a' Felséges Király ſzerin ſzerte az Orſzágba, minden Vármegyében egy egy* Könyvet, *vagy Decretumot*, Rex illud vndequaque per Regnum miſit ad omnes Comitatus vnum Librum ſiue Decretum.

aliquot philyrae manu illius aeui exaratae occurrunt cum epigraphe *conſuetudinum Saxonicalium Transyluaniae*, de diuiſione videlicet bonorum iuxta conſuetudinem memoratorum Saxonum, de factis haereditatum, et praeſcriptione, de teſtamentis, de ſucceſſione ab inteſtato.

Verſiones.

V. Multiplex extat operis huius verſio, vtpote in Germanicum, et Illyricum, ſeu Croaticum; Hungaricae etiam verſiones tres extant: vna eſt Blaſii Veres, altera Gasparis Heltai, tertia Ioh: Laskai, de ſingula pauca dicamus: licet Blaſius Veres profiteatur a ſe in hungaricum idioma transfuſum Werböczii opus, compendium tamen dici debet potius quam verſio, atque hinc fit, quod ad finem ſinguli tituli ad Werboczium remittat; titulus tertius partis primae ſat ſuperque compendii perhibet indolem, ommiſſis enim paragraphis quinque prioribus a ſexto orditur. Eo tamen non obſtante ſeruilis eſt in nonnullis locis verſio, qualis eſt illa tituli quarti, vbi pro corporis, et animi dotibus ponitur: „ *egyeb teſti, és elmének jozigyvval.* Illud peculiare etiam occurrit, quod de ſecularibus Dominis ſermonem habens, illos *Paraſitak, paraſity Urak* vocat, quod moderno loquendi modo ruſticum notat. Quisnam fuerit Blaſius Veres ſubſequo Capite videbimus.

Gaspar Heltai Claudiopolitanus Typographus *(a)* nouam Werböczii adornaturus editionem, verſionem Blaſii Veres purgare, et emendare adniſus fuit, infelici tamen euentu, et ni me fallant omnia, non tam caſtigauit, quam ad arbitrium ſuum finxit opus iſtud, multa enim omiſit penitus, inter haec prologum totum etiam a Vereſio ommiſſum. Partis primae titulus ſecundus neque genuina verſio, neque bonum compendium dici poteſt, alios titulos compendio exhibet. Partis ſecundae tituli XLmi ſenſum Werböczii aſſecutus non fuit, dicit enim ille Praelatis corporale iuramentum (quod tactis Euangeliis dici ſolet) non iniuogi, verum illos ad puritatem conſcientiae ſuae faſſiones elicere in Cathedrali Eccleſia, ſeculares autem iurare in loco ad id per iudices deputato; Heltai autem ſic reddit ſenſum, vt diceret Praelatos ſecundum conſcientias iurare, Seculares autem in loco faſſionum Sacramenta edere. Sed neque partis primae titulo XII. melius reddit ſeoſum Auctoris, agit is de homagio, ſeu iuramento fidelitatis praeſtando a Praelato, verſio e contrario habet Praelatos ad fidelitatem Principi exhibendam obligari. Ignorauit nimirum Heltai homagium eſſe iuris iurandi vinculum illud, quo Vaſalli fidem ſuam Principi obſtriogunt; ioſulſa eſt etiam verſio in eo, quod nonnunquam ſeruili ſemet conſtringat verſione ſicut illud eſt: *gaudent priuilegio, priuilegiommal orülnec.* Lucem vidit haec verſio anno 1571 Claudiopoli, orthographia tantisper a Debrecinenſi diuerſa.

Sequitur tertia verſio Iohaonis Laskai Capituli Albenſis Transyluaniae iurati Inſpectoris anno 1589 edita, quae eadem videtur eſſe cum illa, qua nunc vtimur in Transyluania, haecque ſola videtur verſionis nomen mereri; haec ipſa ſub Principe Gabriele Bathory liberalitate Ioannis Imreffi operam ſuam conſerente D. Emerico Gellyén, Iudice Claudiopolitano, ac Notario Ciuitatis eiusdem caſtigatior prodiit, ac rurſus anno 1698 nouis emendata curis nunc ſola viget, in iudicio tamen textus duntaxat latinus robur habet.

(a) Fuit hic vir litteratus potius, quam eruditus, qui Robertum Stephanum inter Gallos, Aldum inter Venetos aemulaturus ad quaeuis animum adiecit, multaque edidit, inter quae etiam ad verſionem hungaricam ſcripturae Sacrae operam ſuam contulit. Libellus, quem aduerſus ebrietatem ſcripſit, tam inſipidus, quam ieiunus eſt.

Caput Nonum.

De aliis collectionibus legum Regni Hungariae.

I. Priori Capite laudatus Blaſius Veres leges Regni ordine Alphabetico ſibi digeſſerat, vt in promptu illas haberet, ab amicis rogatus praecipua quaedam excerpſit, et in titulos redegit, fuit autem is Comitatus Biharienſis Notarius, et Ciuitatis Varadinenſis Iudex primarius. Abſoluerat opus ſuum anno 1563. et Ioanni Secundo Tranſyluaniae Principi inſcripſit, multum in laudes Franciſci Némethy excurrens, quem anno 1565. Tokaini ictu ſclopeti occiſum luget. Lucem vidit opus hoc Debreci- ni apud Raphaelem Hoffhalter anno 1565. paginae nusquam ſunt ſignatae, conſpectus autem operis talis eſt:

Blaſii Veres opus recenſetur.

Primo habentur e Decreto S. Stephani Regis excerpti articuli, (a) de maleficis et veneficis e lib. 2. c. 32.

Vt quiuis rerum ſuarum dominetur, ex c. 6.

De obſeruantia diei Dominicae ex cap. 7.

De bonorum proprietate, quod quiuis de ſuis rebus teſtari poſſit, laudatur, cap. 35.

De ſeruis, vel ancillis in teſtimonium non recipiendis, ex cap. 19.

De homicida, vt eodem gladio, quo alium occidit, iuguletur, citatur lib. 3. cap. 46.

De facultate teſtamentum condendi cuiuis libera prouocatur ad cap. 6. vbi nec vola, nec veſtigium.

De dotatione Eccleſiarum ex cap. 34. vbi loco τὸ *prouideant* Epiſcopi Presbyterum, et libros, poſuit noſter: *viſitent Epiſcopi Presbyterum et libros.*

Secundo articuli Andreae Secundi (b). Reſiſtere poſſunt Regi nobiles, ſi eorum libertates violaret, vltimo articulo Andreae Regis.

De eductione gentium extra regnum, ex cap. 7. vbi hoc obſernandum, quod textus latinus habeat: „omnes, qui Comitatus habent, pro pecunia Noſtra nobiscum ire teneantur,„ in hungarico dicitur,„ Eccleſiarum Praelati, et Comites,„ vnde patet iam tunc ſub Andrea II. Epiſcopos Comitatus tenuiſſe, ſicque articulum hunc ſemper fuiſſe intellectum.

Tertio ex Decreto Alberti Regis excerpti articuli.

De dignitatibus Eccleſiaſticorum a Secularibus non occupandis, ex art. 19. Rectius 21.

Vt Eccleſiaſtici, et Seculares inuicem litigantes eadem onera ſubeant, ex cap. 34. quod aliud habet.

Regius procurator, ſeu aduocatus e iudicio exeat, dum Cauſae Regiae indicantur citatur art. 21. cum ſit 23.

Rex non euincens ius ſuum in aeſtimatione conuincatur, ex cap. 22. rectius 24.

De acceptatione litterarum in iudicio, cap. 30. rectius 34.

De litteris in alienis manibus exiſtentibus.

De occupatione vinearum.

De aeſtimatione vinearum ſit prouocatio ad Werböczium, qui part. I. tit. 133. ea de re agit.

Quarto ſequuntur e Colomanni Regis Decreto excerpti articuli, de mercatoribus, qui mercatu ditari volunt.

Vt mercatores quaeſtum facere volentes duplex tributum ſoluant ex cap. 29. rectius 33.

De ſolutione decimarum a perſonis Eccleſiaſticis praeſtanda ex cap. 50. rectius 66.

Vt nullus ſibi audeat Eccleſiam vendicare, citatur Decreti quarti caput octauum, apud nos eſt lib. 1. c. 65.

De bigamis Presbyteris ex cap. 76. nunc eſt lib. 1. cap. 67. aut potius libri. 2. cap.

(a) Omnia autem duntaxat e libro ſecundo excerpuntur.

(b) Andreae Király articuluſſi.

cap. 9. cui magis congruit „*Sacerdotes* (ita habet) *cui duae uxores fuere, vel vidu, arum, aut repudiatarum mariti, omni Eccleſiaſtico prouentu, et dignitate priuentur.*

De coniugatis Presbyteris laudatur cap. 77. nunc eſt libr. 2. cap. 10,

De conſueto ſigillo: vt quiuis conſueto ſigillo vtatur, citatur cap. 69. et 70. verum nullibi reperitur.

Cauſae fori ſpiritualis deſcriptae habentur cap. 43. 44. *et* 45. *ſicut etiam in Decreto Mathiae Regis habetur, quod articulos vocant;* videtur innuere Colomanni lib. 1. cap. 59. 60. et 61. cuiuis tamen citatas leges perpendenti patebit, raptum, maleficium, et adulterium ad Episcopi iudicium remitti, inter cauſas tamen ad forum ſpirituale pertinentes haud recenſeri.

Cauſarum nimiae protelationes reſcindantur cap. 49. quodnam capitulum hic deſignetur, non aſſequor, niſi indigitetur lib. 1. cap. 51. vbi fur quarta die ad iudicem ducendus iubetur, ſiue cap. 64. qui in tribus Conciliis cauſam ſuam definire noluerit, eius querimoniae amplius non audiantur.

De periuris ad teſtimonium non admittendis ex cap. 24. et 66. nunc 27. et 83.

Quinto ſequuntur excerpti articuli ex Decreto Sigismundi.

Aurum, et argentum vbicunque repertum fuerit, ad cameram Regis deportetur ex minoris Decreti art. 14, nunc decimi quinti, §. quinto.

De modo executionis, vt capitula non ſimplices perſonas, ſed Canonicos, vel in officiis conſtitutos, Conuentuales Monachos, Sacerdotes iuratos mittant. Sigismundi Decreti maioris articulo decimo, nunc articulo octauo, et Ludouici Regis Decreti 1. art. 20. nunc 21. verum apud nos Decretum vnicum dicitur, niſi forte auctor plura viderit.

Formula iuramenti: *Ego NN. iuro per Deum viuum, per Sanctam, perfectamque Trinitatem, ad meam veram fidem* &c. *Sic me adiuuet S. Trinitas vnus verus Deus.* „ laudatur Sigismundi Decreti Maioris cap. 21. verum formula haec articulo 1. hoc modo habetur: „*Ego T. iu„ro per Deum, et per Glorioſam Dei Ge„nitricem Virginem Mariam, et per omnes „Sanctos, et electos Dei* &c. *Sic me De„us adiuuet, et Beata Virgo Maria, et hoc „ſignum viuificae crucis Domini Noſtri Je„ſu Chriſti.* (a)

De venditione bonorum ab infidelibus tentorum, habetur in Decreto deſuper edito.

De illis, quos Comes ad Congregationem vocauit, et non venientium poena, ſeu birſagio trium marcarum. Sigismundi Decreti Maioris art, 9. nunc art. 7.

Sexto ſequuntur aliqui articuli ex Decreto Mathiae Regis.

De violatione Eccleſiarum Decr. 1. art. 63. et 64. nunc Decr. VI. art. 61. et 62.

De poena illorum, qui ad nundinas, et tabernas arma adferunt. Decreti maioris art. 68. auctor ex articulis 65. et 66. vnum efformauit multis praetermiſſis.

De contradictione aduerſus ſtatutionem. Decreti maioris art. 29. et minoris art. 9. nunc art. 27. Decr. maioris.

De officialibus nobilibus ex bono Dominorum ſuorum violentiam patrantibus. Decr. mai. art. 36. nunc 33.

Nullus exemptionem ab inferiori iudice habeat. Decr. mai. art. 24. nunc 21.

De exmiſſione ad executionem. Decr. maioris art. 12. ſicuti etiam in Decreto Sigismundi habetur, nunc art. 10.

De cauſis ad forum Spirituale pertinentibus ex Decreti Mathiae, quod articulorum nomine venit, Cap. 15. id eſt Decr. I. art. 3.

Cauſas has recenſens adiungit Clauſulam, quae in citata lege non reperitur: „*extra has cauſas, ſi aliquam diiudicauerit, vel interpellatus ad Tabulam Regiam non transmiſe-*

(a) Hinc patet quisnam fuerit Blaſius Veres, qui ad expungendam Sanctorum inuocationem praepoſteram verſionem ſibi indulſit.

miſerit, officium ſuum amittit.

De ſeruo vel officiali, qui non expleto tempore ad alium Dominum ſe confert, ex Decr. I. art. 37. rectius Decr. maior. art. 34.

De maiori potentia. Decret. mai. art. 18. rectius 15.

De telonei executione ex articulis Mathiæ art. 14. ſeu Decreti ſecundi art. 15.

Septimo ex Decreto Ladislai (a) Regis excerpti articuli ſequuntur.

De iudicio ſuper debitis. Ladislai Decr. I. art. 38.

Akones pro nona non deſumantur, Decr. I. art. 47. Rectius Decr IV. art. 27.

Vt nemo falſas vias in praeiudicium telonei inueniat. Decr. I. art. 85. rectius 87.

De maſſa auri, et argenti extra regnum non euehenda. Decr. I. art, 32.

De mineris auri, et argenti, omnisque metalli libere excolendis Decr. I. art. 30. Vrburam, quam lex ſolui praecipit, vocat auctor hungaricus *vſuram.*

De abolitione duellorum, Decr. I. art. 37.

De animalium ad nundinas libera depulſione. Decr. II. art. 27. Rectius 28. Decr. III. art. 29. et 30. Decr. IV. art. 24.

Bona pignori obligata qua ratione poſſint vicini acquirere. ibid.

De birſagiorum perſolutione Decr. I. art. 63. Rect. 66. et Decr. II. art. 12.

De iudicibus ordinariis regni, qui ſint, Decr. I. art. 47. Rect. 42. interſunt octaualibus iudiciis. Decr. I. art. 11. Rect. 10. vt iurent regni iudices, verum Palatinus iuret coram Regno Decr. I. art. 33.

Iudices Nobilium in ſingulis Comitatibus eligendi quales eſſe debeant. Decr. I. art. 34.

Qui iudices Regni diffamant, vt poenam iniquorum iudicum ſuſtineant.

De iudicibus Eccleſiaſticis Decr. 3. art. 62.

De mercede Capitularium. Decr. I. art. 93. Rectius 95.

Teſtimonium Capituli, vel Conuentus in iudicio eſt neceſſarium.

De damnis poſt mortem Regis Mathiae illatis. Decr. I. art. 16. et Decr. 2. art. 0.

De damnis per exercituantes, aut alios illatis. Decr. I. art. 22.

De morte cuiuscunque Regis. *Si poſt obitum cuiuscunque Regis occupationes, depraedationes exuſtiones quispiam attentauerit, perpetuae infidelitatis notae ſubiaceat, et in perpetuam ruſticitatem redigatur, et neque Rex, neque regnum gratiam illi impertiri poſsit.* In hanc rem laudatur Decr. I. art. 14. hic articulus cum talia non contineat, nescio; vnde deſumpſerit legem hanc.

Si Rex improlis decedat. Decr. III. art. 45.

De nonarum perſolutione Decr. I. art. 47. 48. Decr. II. art. 43. Rect. 44. Decr. III. art. 41.

Si Capitulares, vel Conuentuales falſas relationes feciſſe comperiantur, eorum poena. Decr. I. art. 43.

Decimatores propter debitum neminem detineant. Decr. VI. art. 30. hic non reperitur, id quod allegatur.

Decima omnibus Praelatis Eccleſiarum perſoluatur. Decr. II. art. 30. Rect. 37.

Si Decimatores ab aliquo decimas indebite deſumpſerint. Decr. 5. art. 23.

Decimae apum, agnellorum, caprarum aapud hospitem vsque feſtum S. Michaëlis relinqui poſſunt. Decr. II. art. 38. nunc 39.

De hospitalitate Decimatoribus praeſtanda. Decr. II. art. 44. nunc 42.

De ratione decimandi. Decr. III. art. 51.

Vt nemo dempto Episcopo Boſnenſi duo beneficia Eccleſiaſtica poſſidere valeat. Decr. III. art. 56.

De beneficiis Eccleſiaſticis iuuenibus non conferendis. Decr. III. art. 67.

Beneficia Eccleſiaſtica ſeculares non poſſideant.

Beneficia Eccleſiaſtica extraneus a nullo, niſi a Rege, vel Patrono impetret, ſecus facientes in aquam proiiciantur, velut communis libertatis perturbatores, quia quoduis beneficium habet Patronum, et regnicolis dare poſſunt. Decr. II. art. 30. rectius 31.

Eccleſiaſtici ſecularia bona a Rege impetrare non poſſunt. Decr. III. art. 55.

Epi-

(a) Seu potius: *Vladislai.*

Epiſcopi deſolatas Eccleſias aedificent S. Ladislai lib. 1. c. 6. Rectius c. 8.

De immunitate Eccleſiarum. Eccleſiae immunitas eſt, vt ex illa nemo extrahatur, quia fur eo confugiens ſeruus erit Eccleſiae. S. Ladislai lib. 3. cap. 45. *(immo 4. et 5.)* idem S. Ladislaus Rex eodem tertio Decreto c. 17. hoc dicit, quodſi ad Eccleſiam fugerit, et ſemet innocentem dixerit, edoceat, et ſi reus deprehenſus fuerit, puniatur, quaſi eo non confugiſset, ſi autem delictum ſuum confeſſus fuerit, lege S. Stephani iudicetur. *(a)*

De oneribus iudiciariis Eccleſiaſticorum, et Secularium. Decr. I. art. 74. nunc 76.

Eccleſiaſticae perſonae quomodo ſe ad bellum parare debeant. Decr. III. art. 15.

Supremi Comitis officium Eccleſiaſticis non conferatur. Decr. III. art. 57.

Supremi Comites ob deſidiam priuentur dignitate. Decr. II. art. 11.

Comites, et Iudices nobilium ad executionem absque litteris ſententionalibus ne procedant. Decr. II. art. 16.

De viduis, quae ab vno bono ad aliud proficiscuntur. Decr. VI. art. 8. *ubi hac de re nihil.*

Notorii haeretici notam infidelitatis incurrant. Decr. II. art. 4.

De quinque caſibus breuium iudicio discutiendis. Decr. III. art. 8. et Decr. I. art. 13. *haec poſterius citata lex aliud habet.*

Inimicis ſub poena notae infidelitatis arma, et victualia nemo praeſtet. Decr. III. art. 72.

Vt nemo armatus in ſede iudiciaria compareat. Decr. I. art. 77. Rectius 79.

Presbyteri, Scholares, et ruſtici arma non portent. Decr. III. art. 25. et 26. rectius Decr. VII. art. 60.

De redemptione terrae: redemptionem Archi-Diaconi, Plebani ab interfecto ſub poena amiſſionis beneficii exigere non audeant, ſed ab homicida illam deſumere poſſint vnam marcam, id eſt: quatuor florenos Decr. I. art. 29. *vbi tamen neque redemptio terrae commemoratur, nec marca deſignatur.* Inſuper Rex illorum beneficia conferre valeat, ſicuti placuerit. Decr. II. art. 6. Sicut habetur in Caroli, Ludouici, et Sigismundi Regis Decreto.

Vxores nobilium, matrem, filiam, ſororem nemo vocet in litem, niſi in cauſis, quae ipſas concernunt. Decr. I. art. 56. et Decr. IV. art. 13. *his tamen articulis id non aſſeritur.* ſed Decr. I. art. 58. et Decr. IV. art. 14.

Vidua nobilis, antequam eidem e bonis mariti dos perſoluatur, inde non eiiciatur. Decr. I. art. 60. *citata lex aliud habet.*

De iuramento, et electione Supremorum, et Vice-Comitum Decr. V. art. 2. et 3.

De homicidio deliberato, et caſuali Decr. I. art. 80. nunc art. 82.

De illis, qui manifeſtos malefactores dimittunt. Decr. I. art. 78. nunc 80.

De malefactoribus, qui in bonis alicuius reperiuntur. Decr. I. art. 79. rectius 81. et Decr. II. art: 19.

Dilationes tempore octaualium nemini proſint. Decr. I. art. 68 et 61. *citatae leges aliud habent, niſi citare voluiſſet art.* 54.

Si Capitulum falſas litteras ſcienter conficiat. Decr. I. art. 43. et Decr. VI. art. 14. *Haec poſterior Lex aliud habet, niſi citare voluiſſet* Matth. R. Decr. VI. art. 10.

Potentiae primis poſt euocationem octaualibus diiudicentur. Decr. I. art. 33. *qui aliud habet.*

De minori potentia. Decr. I. art. 54. rectius 55

De donatione occupatorum bonorum. Dec. II. art. 5.

Regi infideles nemo ad arces, et domos ſuas recipiat. Decr. I. art. 81. Rectius 83.

De iuramento ab illis deponendo, qui in variis partibus bona habent. Decr. IV. art. 17. rectius 18.

De formula iurandi.

De teſtimonio perhibendo. Decr. I. art. 53. *praepoſtera citatio.*

De litteris euocatoriis. Decr. IV. art. 4.

Vt Rex infidelem neminem declaret absque conſilio Dominorum, et Nobilium. Decr. I. art. 13.

(a) Miscet hic Blaſius Veres, quae S. Ladislai ſunt ob affinitatem nominis.

De citationibus legalibus. Decr. I. art. 63. et Decr. II. art. 12.
Ruſticus obtenta aliorſum commigrandi facultate aedificia non transferat. Decr. II. art. 21. Rectius 22.
Ad locum iudiciorum nemo intret, niſi vocatus, et a ianitore admiſſus. Decr. I. art. 77. *erronea citatio.*
Adiudicatoriae in Sede Iudiciali perlegantur. Decr. IV. art. 11.
De iuramento Protonotariorum, et aliorum Aſſeſſorum. Decr. III. art. 4.
De ſubditis aliorſum comigrare volentibus, Decr. I. art. 90. Rect. ar. 93.
De violenta ablatione ſubditorum. Decr. VI. art. 13. Rect. Decr. VII. art. 26.
De perſecutione fugitiuorum ſubditorum. Decr. I. art. 91 Rect. 94. et D. VII. ar. 28.
De remiſſione bonorum poſt mortem Mathiae Regis occupatorum.
Bona cum iure Regio impetranda ſunt. Decr. I. art. 57. *praepoſtera citatio.*
Si cui Rex bonum contulerit. Decr. I. art. 59. melius 59. 60. 61. et 62.
De bonis in ſemine deficientium. Decr. I. art. 60. Rectius 63.
De proceſſu pignoratitio. Decr. V. art. 7.
De iudiciali Regeſtro, ſeu cauſarum ſerie. Decr. IV. art. 51. Rectius 3. 4. et 5.
De ratione diſcutiendi adiudicatorias litteras. Decr. III. art. 5. Decr. IV. art. 13.
De iudicialibus, et ſententionalibus litteris: Iudiciales, et Sententionales litterae ſub finem octaualium diſtribuantur, vt ſi quiſpiam litigantium ſemet defendere vellet, non videatur ſubito priuari bonis ſuis, vel capite puniri, alioqui ſententia ſic ſolet exarari: niſi ſe iuſta aliqua ratione defendere valeat.
Qui ad curiam Regiam cauſam ſuam prouocat. Decr. I. art. 69. Rectius 72.
De appellationibus reuidendis. Decr. I. art. 70.
De appellationibus ad Curiam Romanam. Decr. I. art. 45. Decr. II. art. 10. Decr. III. art. 63.
De reuocatione Procuratoris.
De turbatoribus communis inquiſitionis. Decr. V. art. 5.
Si litteralia ſuper iure Poſſeſſionario amittantur. Decr. I. art. 76. Rectius 78.
De taxa litterarum in Capitulis, et Conuentibus.
De Donationibus Regiis Decr. I. art. 29. *praepoſtera citatio.*
De inefficacia litterarum, quibus arces, Caſtella regni aemulis, et hoſtibus in pignus conceduntur. Decr. IV. art. 16. Rectius 17.
Excepto homicidio licet cum aduerſario concordare.
Declinatoria mandata initio litis exhibenda ſunt.
Vt omnis menſura aequalis ſit per Regnum. Decr. V. art. 17.
De Palatini auctoritate. Decr. I. art. 33.
De puella nobili, quae ruſtico matrimonio iungitur. Decr. VI. art. 29.
De haereditate nobilium, per cruciatos occupata. Decr. VI. art. 28. rectius 16.
Nobiles foeminae etiam domi ſuae procuratorem conſtituere poſſint. Decr. I. art. 9. et 95. Rectius 97.
De Nobilibus, quorum litterae incendio conſumptae ſunt. Decr. I. art. 76. Hodie 78.
De Nobilibus, de quorum nobilitate teloneatori non conſtat. Decr. IV. art. 40. Nunc 42.
Nobiles decimas non ſoluant. Decr. I. art. 90. Decr. IV. art. 28. Rectius Decr. I. art. 50. et Decr. IV. art. 29.
De iuramento Nobilium. Decr. VI. art. 13. *qui tamen aliud habet.*
De Capitaneo, qui exercitum ad falſos rumores leuat. Decr. III. art. 19.
De ſtipendiariis extraneis Militibus ad Regnum non inducendis. Decr. II. art. 4.
De iudiciis octaualibus.
De inueſtigatione furto ſublatorum pecorum S. Ladiſlai II. Decr. 4. cap. de Dioetis. Nunc lib. II. cap. 5.
Vt illi, qui ad Papam querelas deferunt, capiantur. Decr. III. art. 63.
De ſeculari iudicio. Decr. III. art. 61.
E ruſtica proſapia oriundus non fiat Epiſcopus. Decr. VI. art. 11. Rectius Decr. VII. art. 24.
De oneribus ſecularium, et Eccleſiaſticorum. Decr. LXXIV. melius Decr. VII. art. 32. item Dec. I. art. 76.

Moue-

Digitized by Google

Monetae extraneae ad regnum non inferantur. Decr. I. art. 31.

De pecuniis controuerſis apud Capitulum, vel Conuentum deponendis. Decr. I. art. 93. Hodie 95.

Quaeuis cauſae intra quatuor octauas terminentur. Decr. I. art. 53. hodie 54.

Vt cauſae in domibus iudiciariis decidantur. Decr. I. art. 66. Rectius 69.

De cauſis, quas ad Comites remittunt. Decr. I. art. 73.

Vt cauſae in Comitatibus abſque litteris præceptoriis reuideantur. Decr. III. art. 71.

De cauſis ad forum ſeculare pertinentibus ad Eccleſiaſticum non transferendis. Decr. III. art. 60.

Quomodo ſcribantur Extradata iudicialium. Decr. IV. art. 12.

Qui litigantes offendit. Decr. I. art. 77. Rectius 79. *ſub finem.*

De Plebanis, et eorum confirmationibus (ſeu inueſtituris) Decr. III. art. 66.

De Praepoſitis, et Abbatibus. Decr. I. art. 44.

De veſtitu Praepoſitorum, et Abbatum, vt Seculari habitu non incedant, contrauenientes priuentur beneficio. Decr. I. art. 58. Rectius Decr. III. art. 58.

De reuocatione Procuratoris, et cauſae condeſcenſione. Decr. I. art. 50. Rectius art. 51.

De reuocatione Procuratoris coram Sede Comitatus.

De quartis Plebanorum. Decr. III. art. 50.

De Repulſis.

Si contra aliquem repulſio fiat. Decr. IV. art. 8. Rectius 19.

De falſis teloneis. Decr. I. art. 6. Rect. 87. et 88.

De conſanguineorum vulneratione, et occiſione. Decr. II. art. 40. *praepoſtera cit.*

Quinam poſſint eſſe Supremi Comites. Decr. V. art. 3.

Vt nemo duo officia tenere poſſit dempto Palatino, Iudice Regni Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Banis.

Subſidium Regi de conſenſu Regni decernatur. Decr. V. art. 1.

Rex exercitum, quem ad defenſionem regni ſeruat, augeat. Decr. III. art. 16. et 17. 18. 21. Decr. IV. art. 20. hunc 21.

De condeſcenſione ſtipendiatorum. Decr. I. art. 23.

De huiusmodi detentione, quae ſub poena trium marcarum prohibetur. Decr. I. art. 87. potius 89.

Qui nobilem detinet, arreſtat. Decr. I. art. 88. melius 90.

De cuſtodia portae Domus Iudiciariae. Decr. I. art. 42.

De eo, qui gladio hominem perimit, S. Ladislai Decr. II. cap. 7. Rectius cap. 8.

Quomodo inter Nobilem, et Ciuem iuſtitia adminiſtranda ſit. Decr. III. art. 38.

Vt Rex officia Hungaris conferat. Decr. II. art. 68. Rectius Decr. I. art. 8.

De officialibus, qui ex officio violentiam committunt. Decr. I. art. 24.

De officialibus, ob quorum imperitiam arces amittuntur. Decr. III. art. 47. Rect. 42.

De officiali, ſub cuius officiolatu Dominus illius notam infidelitatis incurrit. Decr. III. art. 46.

Ruſtico ſub mulcta trium florenorum non licet venari, vel aucupari. Decr. V. art. 18.

De propria oris confeſſione coram iudicio facta. Decr. V. art. 15.

De ficcis teloneis abrogandis. Decr. III. art. 74. et Decr. IV. art. 39. Rect. 40.

Eccleſiaſtici, et Nobiles telonium ſoluere non teneantur. Decr. I. art. 84. Hodie 85.

De poena triceſimatoris, vel teloneatoris, qui a Presbyteris, Monachis, et Nobilibus triceſimam, vel teloneum deſumunt. Decr. I. art. 39. Rectius Decr. III. art. 35.

De teloneatoribus Nobiles in ſuis libertatibus moleſtantibus. Decr. V. art. 29.

Vt telonea poſſidentes priuilegia ſua producant, Decr. IV. art. 19. Rect. 40, et Dec. I. art. 87.

Ruſtici vxores ſuas ducentes teloneum non ſoluant. Decr. I. art. 84. Hodie art. 86.

Telonei perſolutionem aeſtimet, et regulet Supremus Comes Decr. IV. art. 39. Hodie 40. item Decr. III. art. 74. et Decr. I. art. 87.

Vt teloneatores falſas vias in alieno fundo cuſtodire non valeant. Decr. III. art. 6. Rectius 36.

De nouo iudicio Decr. V. art. 11.

De aſſumptione noui iudicii. Decr. I. ar. 51. *adde* art. 52.

De nouis occupationibus Decr. V. art. 7. Rectius 6.

Vt Comes, Vice-Comes, et Iudex Nobilium in Comitatu cauſas diiudicent. Dec. I. art. 52. nunc 53.

De Vicariis, et Praelatorum Officialibus. Decr. I. art. 46.

De Ciuibus, C manis, et Iazigibus.

Rex liberas Ciuitates in priore libertate conſeruet.

De liberis Comitibus. Decr. II. art. 18. nunc 19.

De redemptione pignoris. Si quis pignus redimere velit, aduerſa pars autem ne at eſſe pignus, teneatur ad terminum, id eſt: diem praeſtitutum docere. Ita definiuit Rex Vladislaus in cauſa Domi orum Tho'dy, quam excitarunt aduerſus Capitulum Varadinenſe intuitu Harsán.

De bonis impignoratis. Decr. I. art. 62. Rectius 65.

Qui Iudices Nobilium, dum fugitiuos Jobbagiones comprehendunt, turbant. Decr. V. art. 16.

De Contractibus inter Eccleſiaſticos, et Seculares. Decr. III. art. 65.

De vicinorum, et commetaneorum nominibus in reambulationibus metarum connotandis. Decr. I. art. 43.

De prohibita. Decr. IV. art. 14. nunc 15.

De quaeſtoribus extraneis. Decr. I. art. 62. Hodie art. 84.

Operoſius, et prolixius exhibere volui operis laudati compendium, quo perlecto facile quiuis perſpiciet, hoc libro nos facile carere potuiſſe, et hanc forte eſſe cauſam, quod liber a Nobis recenſitus ad claſſem rariorum deciderit, quia exigua illius cura habita fuit, nullus certe ordo, aut delectus obſeruatus fuit, quamuis aliqua contineat notatu digna, quae alibi non facile reperies. Si citationibus fides adhibenda eſt, auctiora tunc fuerunt Regum Decreta, atque nunc ſunt.

II. Eiusdem aeui eſt collectio Petri Menghini Illicini, hanc innuit P. Montfaucon *(a)* inter illos libros, qui ex Bibliotheca Reginae Sueciae ad Vaticanam translati fuere, extare, verum magnopere errauit, prout alias ſoepius deceptus fuit, meo enim iuſſu diu, multumque conquiſitus inter libros dictae Reginae reperiri non potuit, verum in indice Ottoboniano repertus numerum 2783. praefert. Codex chartaceus eſt, elegantiſſimis characteribus exaratus in forma folii, numero foliorum ſex ſuper ducentos abſoluitur, quorum prima duntaxat facies numeris Arabicis notata eſt, aduerſa pagina illis carente, vtraque compacturae, quae membranacea eſt, tabula aureae aquilae inſignibus decoratur; prioris Tabulae, quae frontem tegit, interna ſuperficies glutine ſibi adhaerentem habet gentilitii ſcuti imaginem cum hac inſcriptione: *Philippi de Stosch L. B.* primo folio ſequentia leguntur

Recenſetur opus Petri Menghini.

15 M. 81

Auxilium meum a Domino

A Dietrichſtein. m. p.

ex quibus ſequi videtur Menghinum opus ſuum Miniſtris Regiis obtuliſſe, vt reuiſum, approbatumque in legem abiret, quam gloriam ea aetate non pauci prenſarunt. Codicis titulus talis eſt: „*Inclyti Hungariae Regni Decretorum, et* „*Conſtitutionum, atque articulorum omnium a* „*S. Rege Stephano vsque ad annum* 1567 „*argumenta, ſeu ſummaria ſecundum iuris Ciuilis prudentiam in artem, ordinemque dige-* „*ſta authore Excellenti iuris vtriusque Docto-* „*re Petro Mengino Illicino Proto-Notario* „*Apoſtolico.*„ Poſt librorum diuiſionem rurſus alter occurrit titulus minio ſcriptus, qui ita habet: „*Inclyti Hungariae* „*Regni varia. Conſtitutionum a Sancto illo* „*Rege Stephano vsque ad annum* 1570. *Co-* „*dex ſecundum Iuris Imperialis ordinem, vt* „*fieri potuit, digeſtus, et in quinque partes* „*diſtributus.*„

Liber

(a) In Bibliotheca Bibliothecarum Manuſcriptorum. Tom. I. p. 22.

Liber primus continet Decreta et Conſtitutiones, atque articulos de Eccleſiaſticis rebus, et perſonis, et de Rege, ac Dominorum aliorum ſtatu, et conditione.

Secundus de iudiciis, ſeu octauis, deque tota iudicialium materia.

Tertius de rebus, et bonis, et cauſis, de quibus iudicia, et lites fieri contingit.

Quartus de Criminalibus, ſeu delictis, et poenis, ac mulctis, ſeu birſagiis.

Quintus de iure, et ſtatu publico circa Regem, et circa eius prouentus, et Fiscum, ſeu Cameram, et triceſimas, et telonea, et tributa, ſeu contributiones, et ſubſidia, et fodiuas, ſeu mineras, et donationes, et circa regni partes, et expeditiones bellicas.

Libri primi rubricas, ſeu titulos huc adiicere operae pretium duxi:

1. De Inclyti Hungariae Regni iuris, et Decretorum, ac conſuetudinum codice faciendo.

2. De legibus, et conſuetudinibus, et conſtitutionibus Regni.

3. De Religione, fideque Catholica colenda, et haereticis, ſchismaticis, et paganis.

4. De Sacro Sanctis Eccleſiis, et eorum Praeſidibus, et Miniſtris, ac Clericis, Archi-Episcopis, Episcopis, Collegiis, ſeu Capitulis, Sodalitiis, ſeu Conuentibus, Abbatibus, Praepoſitis, Monachis, Parochis, et beneficiis Eccleſiaſticis, et eorum Patronatu, et collatione.

5. De Praelatorum Vicariis, ſeu Officialibus, eorumque foro, ac iurisdictione, deque interdicto, et excommunicatione.

6. De Eccleſiarum bonis, et prouentibus, ac priuilegiis, et decimis, quartis, ſedecimis, nonis, et Decimatoribus.

7. De Rege, Reginaque, et de Regno, et eius partibus, ac finibus, et Corona.

8. De Regis Conſiliariis, aliisque apud Regiam Maieſtatem dignitatibus, et aulicis, de Seuascalco magno, Magiſtro Agazonum, Magiſtro Dapiferorum, et Theſaurario.

9. De Regni iudicibus, et iurisdictione fungentibus Palatino, ſeu Praefecto Praetorio, Locumtenente, ſeu Legato, et Gubernatore, ſeu Vice-Rege, Iudice Curiae Maiori, vel Comite Curiae, Vice-Palatino, Magno Cancellario, Banis, Waiuodis, Perſonali Praeſentiae, Protonotariis, ſeu vicem gerentibus, Praelatis, Baronibus, et Aſſeſſoribus, Magiſtro Tavernicorum.

10. De Cancellario, et Cancellaria, et Sigillis.

11. De Comitibus, Vice-Comitibus, Comitatibus, Iudicibus, Nobilium, et eorum Aſſeſſoribus, et Officialibus.

12. De Belli Ductoribus, ſeu Tribunis militum, ſeu Capitaneis generalibus, et particularibus.

13. De quaeſtoribus, Camerariis, Comite Camerae, et Praefecto, Exactoribus Fisci, et Dicatoribus, eius Directore, ſeu Procuratore.

14. De ſtatu hominum, ſeu de iure Perſonarum, de Dominis, ſeu liberis hominibus, et ſeruis, et operariis, ſeu miniſtris, et mercenariis, de indigenis, et externis.

15. De Dominis terreſtribus, Baronibus, et Nobilibus, et eorum Priuilegiis, et libertatibus.

16. De Colonis.

Quam hactenus recenſui collectionem Petri Menghini, nihil continet, quod in corpore iuris hungarici impreſſum non ſit, ipſa tamen lucem non vidit. Porro Menghinus Illicinus natione Italus, dignitate Protonotarius Apoſtolicus de excolendis inſtituendisque Hungaris multum ſolicitus fuit, Paroeneſim enim ad Inclytos Hungariae Regni Proceres, et Nobiles exarauit, et ſermones de rectae fidei dignoscendae regulis in Metropolitana Strigonienſi Eccleſia habuit, et Viennae Menſe Iunio anni 1570 typis exſcribi fecit. Quae ipſius opera F. Ca-

Digitized by Google

rolus Peterfi ad calcem vtriusque tomi Conciliorum Hungariae recudi fecit, eo ſolum operae pretio, vt volumeu augeret. Praepoſitum S. Thomae ſuiſſe innuunt ſermones modo laudati.

Recenſetur opus Sambuci. III. Aliquanto poſterior eſt collectio Sambuci, quam ille ad illuſtrandam potiſſimum Bonſiuii hiſtoriam procudit, atque ideo etiam Bonſinio ſubiunxit; adſpexit illa lucem Hannoviae anno 1605 Ex hac Peterfi multa mutuatus eſt, quam ſub nomine *Decretorum Regum Hungeriae Hannouiae editorum* laudat. Neque id praetereundum eſt, quod hac editione vſus ſit, poene innumeris enim ſcatet erroribus, vt pateat, ex quam lutulento fonte hauſerit ſua Peterfius. Poſteriores editiones horum Decretorum Bonſinio ſemper ſubiectae caſtigatiores ſunt, praecipue anni 1690. Prima editio hanc habet epigraphen: *Decretorum, ſeu articulorum aliquot priſtorum Hungariae Regum ad contextum Bonſimi illuſtrandum, forique Pannonici vſum neceſſarius liber.* Ex hac epigraphe sat, ſuperque patet, quo loco tum fuerit Bonfinius, quo item loco fuerit hiſtoria Hungarica, quae ſolis fere commentis Bonſinii nitebatur; vtilior certe erat ſcopus alter, quem ſibi propoſuerat Sambucus, vt fori Pannonici pericula ſubituros erudiret; ſi parum referebat Bonſinium illuſtrare, pluris erat iurisprudentiae oſtenſis fontibus lucem adfundere. De his ſatis. In editione poſteriori legitur: *Regum Hungariae, et aliorum Decreta*, quae epigraphe conſulto appoſita fuit, cum alia etiam contineat, quam *Decreta Regum.*

Iam ipſam collectionem minutim inſpiciamus, omneseditiones concordant, ſi naeuos demas, vti innuimus. Ordo itaque collectionis Sambucianae talis eſt: *Sancti Stephani I. Regis Hungariae Decretum feliciter incipit. obiit MXLVII. Ad Sanctum Emericum Ducem ſe refert.*

Sequitur liber ſecundus: Ad caput quintum, quod eſt de libera vniuscuiusque teſtandi facultate, adnotatur: *hoc Andreas Rex confirmarat, ſed Ludouitus Rex aboleuit*, quam ex vero hoc dictum ſit, alias videbimus? ad caput 33. *Si vulgaris quidam alterius ſui ſimilis manſiunculas inuaſerit* adnotatur: *vulgaris: hoc eſt ruſticus liber factus, nam ſerui domos non poſſidebant.* Hanc notulam, qualiscunque demum sit, editores Tyrnavienſes ita propriam reddiderunt, quaſi e propria penu depromptam.

Poſt librum ſecundum S. Stephani ſequitur *Priuilegium* (eiusdem Regis) *datum Proto-Abbatiae S. Martini Pannoniae.*

Incipit Decretum Sancti Ladislai Regis. obiit anno MXCV.

Incipit liber ſecundus S. Ladislai Regis. Temporibus piiſsimi Ladislai Regis.

Incipit liber tertius Sancti Regis Ladislai. Hoc decreuerunt, hanc legem conſtituerunt.

Decretum Colomani nepotis Belae I. obiit MCXIII. In vita praemiſſa Decretis dicitur obiiſſe MCXIV. Apud Sambucum nou habetur, verum incipit a capite primo: de dote cuiuslibet Eccleſiae per beatum Stephanum diſpoſita. In margine remittitur Lector ad libri ſecundi, caput 34. Editores Tyrnavienſes addiderunt caput primum; remiſſio prorſus inanis, dum enim ad trigeſimum quartum caput Lector remittitur, id colligendum datur, quamuis Eccleſiam ad paucos illos manſos, (a) et boues fuiſſe reſtrictam, de quo tempore Colomani cogitatum non fuit, quum omnes donationes Sancti Stephani quae liberaliores ſunt, quam vt intra anguſtias paucorum manſorum conſtringi queant, ratihabentur.

Incipiunt Capitula de Synodalibus Decretis Domini Archi-Episcopi Laurentii Strigonienſis Metropolitani, et decem ſuffraganeorum ſuorum, en vnde illam deſumpſerit Peterfius.

Decretum Andreae Regis editum anno Incarnationis Chriſti 1222. E veſtigio ſequitur Priuilegium Belae IV. Siculis de Wag conceſſum praeuia hac admonitiuncula: *Iſtud Priuilegium Belae IIII. Regis declarat, qualiter Rex Siculos ſuos de*

Wag

(a) Id eſt: *mansiones*, ſeu ſeſsiones colonicales cum *mancipiis*, vt habet laudatum. cap. 34.

Wag exemit ab onere ſeruitutis, *obiit* 1270. In corpore Iuris, quo vtimur, hocce Priuilegium deſideratur, et in vita Belae IV. dicitur obiiſſe 1275.

Concluſio confirmationis Ludouici Regis I. praeſcriptum Decretum quondam Andreae Regis confirmantis anno Domini 1351. *qui obiit* 1382. poſt concluſionem articuli *nouiter concepti per Ludouicum.*

Gratia per Sigismundum Imperatorem infidelibus, et rebellibus ſuis facta ratione erectionis banderii aemuli ſui, nec non iniuriarum, damnorum, nocumentorum anno Domini 1403. *Sigismundi Imperatoris ſuper Donationibus poſſeſsionum infidelium anno Domini* 1404. Hoc Decretum nunc dicitur primum.

Decretum Sigismundi Imperatoris ſuper modo exercituandi 1435. *datum Budae*, hoc eſt ordine Quintum.

Alberti Illuſtris quondam Hungariae Regis decretum incipit editum anno Domini 1439. poſt articulum 31. de concordandi libera facultate data litigantibus ſubiungitur, „*de Proceſsibus per exhibitionem literalium Inſtrumentorum, qui modus fuit olim conſtitutus, et obſeruatus vsque ad annum Domini* 1488. *quo tempore quondam Dominus Mathias Rex iſtos longos proceſſus ad breuiores terminos reſtrinxit, tamen in cauſis prius motis adhuc priſtinus modus obſeruatur.* In margine notatur: *additio conſecutorum longe poſt.*

Ladislaus DEI gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae &c. Rex, Auſtriaeque, et Styriae Dux, nec non Marchio Morauiae 1454. *Fidelibus noſtris vniuerſis Praelatis, Baronibus, Nobilibus, et alterius cuiusuis Status, et conditionis hominibus poſſeſsionatis in Comitatu Peſtienſi conſtitutis, et exiſtentibus ſalutem et gratiam.* in fine additur: *ad relationem Dominorum Praelatorum, et Baronum confirmata.* Hoc eſt alias ſecundum Decretum.

Sequitur Decretum quondam Michaelis Szilágyi de Horoczeg, olim Gubernatoris Regni Hungariae editum anno 1458.

Articuli Ioannis Coruini Wayvodae in Ciuitate Peſtienſi per Praelatos, et Barones in congregatione generali, editi anno 1445.

Articuli pronunciati tunc de Officio Palatini, quando Spectabilis, ac Magnificus Dominus Emericus de Zápo'ya, perpetuus Comes Scepuſienſis, per Sereniſsimum Principem Dominum Mathiam Regem ex conſenſu Regnicolarum fuit electus in Palatinum.

Mathiae Regis Hungariae confirmatio Sanctionis Regis Andreae tempore coronationis anno Domini 1464.

Primum Decretum Mathiae Regis anni MCCCCLXII.

Secundi Decreti inuictiſsimi Principis Mathiae Regis Ungariae articuli noui per eundem editi anno 1464.

Decretum tertium Mathiae Regis anni MCCCCLXXVIII. alias annus 1471. praefigitur.

Quartum Decretum Mathiae Regis anni 1481. alias ad annum 1478. referri ſolet.

Decretum quintum Mathiae Regis anno MCCCCLXXXVI, alias ſextum.

De Vrburis obiter quiddam ex veteri codice. Fragmentum hoc apud Zachariam Moſſoczy deeſt, nos illud ſuo loco dedimus.

IV. Extat alia quoque minus obuia legum Domeſticarum collectio, inter quas, vti in Dioetis noſtris fieri aſſolet, Eccleſiaſticae quoque reperiuntur. Praefert illa ſequentem epigraphen: *Exemplar reconciliationis cum Hungaris factae* 23. *Iunii anno* 1606. *nec non conditiones pacis Turcicae Patakini typis Illuſtriſsimae Principis. Excudebat Georgius Renius anno* 1653. Si epigraphen duntaxat attendas, aliquot pagellas continere videtur haec collectio, at poſt recenſitas conditiones pacis turcicae ſequitur altera epigraphe: „*Incipiunt articuli Regni Hungariae in diuerſis generalibus Dioetis per Status, et Ordines eiusdem Regni Hungariae conditi, ac per Suas Maieſtates Regias confirmati ab anno Milleſimo, Sexcenteſimo octauo vsque ad nouiſſimam Dioetam anni Milleſimi Sexcenteſimi quadrageſimi noni.* Leges Eccleſiaſticas ſuo loco retulimus, quae ſunt eaedem omnino cum illis, quas ex corpore Iuris Hungarici excerpſimus.

Recenſentur aliae binae collectiones parum notae.

V. Alia

Digitized by Google

V. Alia rurſus minoris momenti compilatio legum Domeſticarum articulos ſolum continet in Religionis negotio conditas. Has compilarunt, et furtiuis typis ediderunt Acatholici, vt Europam querelis implerent, binas huiusmodi collectionis poſſideo editiones: vna latino ſolum idiomate refert leges ſequentes.

Collectio legum in negotio Religionis I.

Articulum primum Pacificationis Viennenſis anni 1606. de non turbandis in ſua Religione, et Confeſſione Acatholicis absque tamen praeiudicio Catholicae Romanae Religionis.

Articulum I. anni 1608. ante coronationem, vt religionis exercitium vbique liberum admittatur.

Diui olim Imperatoris Ferdinandi Secundi Diplomatis conditionem ſextam articulo ſecundo anni 1622. inſertam, qua priores leges confirmantur.

Anni 1625. art. 22. quo immediate praecedens lex roboratur.

Anni 1630. art. 33. ſimilis eſt.

Anni 1635. articulus 29. eiusdem pariter tenoris.

Diui Imperatoris Ferdinandi III. Diplomatis conditio ſexta articulo primo anni 1638. inſerta, quae praeter priorum confirmationem vix aliquid continet.

Eiusdem Ferdinandi Diploma articulo quinto anni 1647. inſertum, quo renouatis prioribus legibus liberum Religionis exercitium Nobilibus cum libero templorum, Campanarum, et ſepulturae vſu conceditur; ruſtici nequaquam turbandi, neque ad coerimonias religioni ipſorum contrarias compellendi innuuntur, vt Eccleſiarum Paſtores exturbari non poſſint, exturbati reduci valeant; quaeſtiones de occupationibus templorum complanandae iubentur, et transgreſſores ſtatutorum in negotio Religionis poena in contemptores ordinationum Regiarum lata puniendi decernuntur.

Articulo ſexto ſpecificantur nonaginta templa ſic dictis Euangelicis reſtituenda.

Articulo autem ſeptimo arcentur Acatholici a filialibus Eccleſiis, quas cum dictis nonaginta templis ſpecifice ceſſis actu non poſſiderent.

Articulo octauo *de reaſſumptione exercitii Religionis Helueticae, et Auguſtanae confeſsionis hominum in Ciuitate Szakolczensi commorantium, fundi templorum, et domorum Parochialium Tyrnauiensium a censibus ciuilibus exemptione, et Opificibus Euangelicis in cehis conſtitutis ad coerimonias religioni ipſorum contrarias non compellendis.* (a)

Aduertendum, hic quod rubrica minus late pateat, quam nigrum, in contextu enim Tyrnauiae non minus, ac alibi domus Parochiales, et Scholae *a quibuslibet contributionibus, et censibus ciuilibus liberantur.*

Articulo nono permittitur *ſtructura templorum, et liberum exercitium Religionis Euangelicorum in confiniis Iauriuensi,* (b) *Leuensi, Tihaniensi, prout etiam oppidis Rév-Comaromiensi, et Holiensi,* (lege Holi-siensi).

Articuli decimi epigraphe ſolum adſcribitur, et illa erronee, quaſi de campanis ſonaret, quum haec ſit: *de templorum, Parochiarum, et Scholarum in iis locis, vbi templa occupata, et in grauaminibus ſpecificata pro Catholicis manſiſſent, aedificatione.* Huius articuli § I. ſepulturae, et campanarum vſus erga ſimilem taxam pro Acatholicis etiam relinquitur.

Articulus vndecimus: *Euangelici ſtatus Catholicis Plebanis non ſoluant, et contra: et de prouentibus Eccleſiae Unguariensis Euangelicis Miniſtris relinquendis.*

Articulus duodecimus *de ſolutionibus Plebanorum Catholicorum, et Miniſtrorum Euangelicorum, et Stolaribus prouentibus* agit, de quibus ita disponitur, vt in locis, vbi prouentus Parochiales habentur ex terris

(a) Quum ſoepius id ipſum occurrat, admonendi ſunt Lectores exteri: opifices in coetibus, ſeu contuberniis vi articulorum a coetu conditorum aſtrictos fuiſſe, vt certis diebus Sacrificio Miſſae adſint, faces ſub miſſa accenſas teneant, ſupplicationes publicas frequentent. Et haec ſunt, contra quae tot leges ſcribi debebant, quae tamen plerumque effectu caruere, ſicut lex haec ipſa perhibet, vbi dicitur opifices coerimonias illas detrectantes ſub ipſa Dioeceſa mulctatos fuiſſe.

(b) Iaurini in noua ciuitate.

terris, pratis, molis, et id genus aliis; quiuis ſuae duntaxat religionis Parocho ſolutionem pendat, cuius opera vtitur, neque auditores Euangelici, vbi hactenus nihil ſoluerunt, Plebano Catholico quidquam praeſtare cogantur. In locis vero, vbi prouentus Parochiales nulli forent, verum Plebani ex ſolutionibus duntaxat perſonalibus ſuſtentarentur, tales per Euangelicos, et Catholicos praeſtandae *per Iudices locorum talium exigendae, in duas rectas, et coaequales partes diuidantur*, et inter Parochos diuidantur, ſtolares autem prouentus cuiuis a ſuis duntaxat auditoribus proueniant.

Articulus 13. *de reſtitui promiſſ.s templis ſicut et aliis, quae ſub diſturbiorum temporibus, aut poſt occupata, et nondum reſtituta fuiſſent*, iubet ille *per Commiſſarios vtriusque Religionis aequali numero adhuc ſub praeſenti Diaeta quantocius exmittendos reſtitui.*

Articulus 14. *de poena eorum, qui templa, Parochias, Scholas, et prouentus occupauerint, et alia ſtatuta in negotio religionis violauerint, ac de modo executionis eiusdem:* infligitur hoc articulo ſtatuta, et leges violantibus, ſi nimirum a Vice-Comite admoniti *transgreſſa non complanauerint*, poena ſexcentorum florenorum Hungaricalium, ex quibus quingenti ad confinia regni conſeruanda applicentur, ſexta pars mulctae partibus, et iudicibus, qui eſſe debebant vtriusque Catholicae videlicet, et Acatholicae religionis aequali numero deputandi Vice-Comites, Iudices Nobilium, et potiores nobiles; conuictis vnica appellatio ad generalem Regni Dioetam extra dominium concedebatur, qui ſe autem executioni huiusmodi ſententiae opponerent, per Palatinum, aut Iudicem Curiae in amiſſione bonorum condemnentur, et perpetuo exilio plectantur.

Anni 1649. articulo 10. Prioris Diaetae articuli renouantur.

Anni 1655. articulo decimo octauo iniuriae aduerſus articulos anni 1647. patratae iuxta modum ibi, et articulo decimo anni 1649 deſignatum vindicandae praecipiuntur.

Magni Leopoldi nunc regnantis Auguſtiſsimi Imperatoris, et Regis Domini Noſtr Clementiſsimi glorioſae reminiscentiae Genitoris Sacri Diplomatis articulus I. anni MDCLIX conditio ſexta, quae vllum in *libero cuiusdam vſu, ac exercitio religionis prohiberi* vetat.

Anno 1681. articulus 25. *de libero Religionis exercitio* in vſum reuocat ea, quae 1606. ſtatuta fuere, quibus additur Praedicantibus, et Scholarum Magiſtris Proſcriptis liberum in Patriam reditum admitti, Auguſtanae, et Helueticae Confeſſionis homines ad coerimonias religioni ſuae contrarias compellendos non eſſe.

Articulo 26. *de templorum, et locorum pro iisdem aedificandis aſsignatione* per Comitatus Caſtriferrei, Sopronienſem, Poſonienſem, Nitrienſem, Barſensem, Zoliensem, Turoczienſem, Liptouienſem, Aruenſem, Trenchinienſem, Scepuſienſem loca deſignantur, in quibus publicum ſuae religionis exercitium habere poſſint, in aliis vero Comitatibus, velut in Szaladienſi, Veſprimienſi, Iaurinenſi, Comaromienſi, Abaujvarienſi, Saroſienſi, Zemplinienſi, Ugochienſi, Bereghienſi, Thornenſi, Gömörienſi, Borſodienſi, Hontenſi, Neogradienſi, Szolnok, et Heues, nec non Peſt, Pilis, et Sold vnitis; Item Szabolczenſi, Ungh, et Szatmarienſi, *ſiquidem de praeſenti eſſent in actuali vſu omnium fere templorum,* (a) *ibidem habitorum, ideo eadem pro actualibus eorum poſſeſſoribus vſuanda relicta ſunt.* Renouantur inſuper leges de ſepulturarum, et campanarum vſu, de ſolutionibus Plebanorum Catholico-

(a) In quorum vſu reipſa fuerint, diligenter, ſed ſat inconſulte connotarunt *in Hiſtoria Diplomatica de ſtatu religionis Euangelicae in Hungaria in tres periodos diſtincta* absque loci deſignatione anno 1710. impreſſa. In meo exemplari poſt latinum titulum habetur in ſecunda pagina ſequens germanicus titulus: *Lehmanni ſupleti, et continuati Tomus nonus* das iſt: fernere Fortſetzung einiger Reichs-Handlungen darin die Hiſtoria der Evangeliſchen Religion von Huſſi Zeiten bis auf gegenwärtige vorgeſtellet wird, id eſt: vlterior continuatio quorundam actuum Imperii, in quibus Hiſtoria Euangelicae Religionis a tempore Huſſi ad praeſentia exhibetur.

rum (a) quae lex *non obſtantibus Cleri, et aliorum Secularium Catholicorum contradictionibus* perlata fuit.

Anno 1687. articulo 21. *in negotio religionis renouantur articuli* 25. *et* 26. *anni* 1681. *cum interiecta declaratione* quod nimirum Acatholici *per oppoſitam citatis legibus reclamationem ſuam abutentes, ipſo facto eorundem beneficii participes eſſe* deſierint quidem, *Maieſtas tamen ſua Sacratiſsima ex gratia*, et clementia ſua praecitatos articulos *adhuc* ratos fore benigniſſime reſoluit.

Anni 1715. articulo 30. in negotio Religionis renouantur articuli 25. et 26. anni 1681. nec non 21. anni 1687. quos nimirum in genuino ſuo ſenſu cenſuit *adhuc* conſeruandos ſua Maieſtas Coeſareo-Regia. Lex haec ſenſum genuinum praecedentium legum ad explanationum Regiarum trutinam reuocandum iubet, vetatque grauamina communi nomine proponi, tandem denominat Commiſſarios ad grauamina quaeuis tollenda„ et quamuis a Religione Catholica alienam ſectam a regnis Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae arcet, quod ipſum iam anno 1687. per articulum 23. praeſtitum fuerat.

Sequitur *Clementiſsima Regia, eaque Dioetalis Reſolutio, ſeu explanatio ſub decurſu nouiſsimae Dioetae publice elargita.*

Extractus Sacratiſsimae, Coeſareo-Regiae Maieſtatis nomine et iuſſu Reuerendiſsimo Domino Archi Episcopo Colocenſi reſponſi loco benigne ſignificatae reſolutionis.

Duo haec ad idem redeunt: *Prouiſuram* nempe *Maieſtatem ſuam receptarum (b) Religionum libertati, et ſecuritati, neque, vt vel Domini Terreſtres iure ſuo abutantur, vel a quocunque cuicunque conſcientiae vlla vis inferatur, permisſuram, ſed Regia manu impedituram.*

Primam hanc compilationem, vt Auguſtanae Confeſsionis Superintendenti Torkos tribuam, non leuia mihi ſuppetunt indicia.

(a) Lex haec iam parum probabatur Acatholicis, vt ferme in ſingulis Ciuitatibus proteſtatione interceſſerint.

VI. Altera compilatio latine, et Germanice reddit articulos in negotio Religionis exaratos, quibus praemiſſa eſt Synopsis diplomatum, et articulorum ad titulos 40. reuocatorum cum remiſsionibus. De hac Synopſi mox plura, ſequuntur illam leges ipſae eodem ſere modo, quo in alia compilatione, adduntur tamen aliquae in priori praetermiſſae. Recenſetur altera collectio.

Sic ad annum 1606. articulus 9. et 10. qui officia Regni *nullo interpoſito Religionis discrimine conferenda* pollicetur.

Ad annum 1608. ante coronationem articulus 3. ad Palatini officium *duas ex ſtatu Catholico, et totidem Euangelicae Confeſsionis perſonas* proponendas ſtatuens. Articulus 9. de officiis Hungaris absque Religionis discrimine conferendis. Art. 11. idipſum de Capitaneis conſtituitur. Articulus 13. vt in liberis, Regiisque Ciuitatibus cuiuis Hungaro absque *vllo Religionis discrimine* domos emere liceat.

Ad annum 1609. articulus 24. et 44. ille prioris anni leges de officiis conferendis, iſte de domorum emptione latas renouat.

Ad annum 1618. articulus 77. in negotio religionis renouans articulum 1. anni 1608. ante coronationem editam.

Ad annum 1622. inſerta *conditio tertia* de Hungaris absque discrimine Religionis officiis admouendis, *conditio quarta* de confiniorum praefecturis eodem modo conferendis, *conditio quinta*, vt tam in Tabula Regia, quam appellationibus *ſine discretione Religionis* Iudices fiant. *Conditio decima*, vt Sacrae Coronae Cuſtodes vtriusque Religionis Seculares deputentur. Articulus 23. de ſupremis Capitaneis Comaromienſi, et Iaurinenſi *ſine vlla discretione Religionis* conſtituendis. Articulus 24. de Praefecturis Tricesimae ſine vlla discretione Religionis creandis.

Ad

(b) Quam genuinus ſit hic extractus, non eſt huius loci examinare.

Digitized by Google

Ad annum 1625. articulus 16. de officiis Capitaneatus, et Vice-Capitaneatus *ſine vllo diſcrimine Religionis* conferendis.

Ad annum 1638. articulo primo inſertae conditiones: prima, tertia, quarta, quinta, ſexta, decima, decima ſeptima, quae prorſus eaedem ſunt cum conditionibus anni 1622.

Ad annum 1647. articulus tertius, quo ex quatuor perſonis vtriusque Religionis electi ſunt duo Conſeruatores Coronae, qui ſolitum etiam iuramentum ſolenniter praeſtiterunt. In Germanica verſione diſſimulatur τὸ: *ſolitum*. Articulus 15. *de Euangelicis vigore articuli anni* 1608. *ante Coronationem ad primum editi in matrimonialibus in conſueto vſu permanentibus*. Articulus 17. de Helueticae Confeſſionis affeclis ob ademptum Templum maius indemniſandis. Articulus 62. denuo de Praefecturis *ſine discretione Religionis* conferendis. Art. 78. vt in liberis Ciuitatibus ab officiis ſuis praeſertim ob Religionis, et nationis odium amoti reſtituantur in priſtinam dignitatem.

Ad annum 1649. art. 11. quaedam templa nonaginta templis, de quibus ſupra, accenſet. Articulus 12. Caſſouiae Helueticae Confeſſionis affeclis locum pro templo, et Scholis aſſignans. Articulus 19. renouans articulum 78. anni 1647.

Ad annum 1655. articulus 20. rurſus Capitaneatus *ſine discretione Religionis* conferendos innuens.

Ad annum 1659. articulo primo inſerta conditio tertia, quarta, quinta, ſexta, et decima Hungaros absque discrimine religionis in conſilium vocandos, confiniorum Praefecturas, et Iudicum officia pari ratione Hungaris conferenda, Cuſtodes denique Sacrae Coronae *ex Secularibus vtriusque Religionis* deputandos. Haec fere omnia cum remiſſione ad articulos priorum annorum iterantur articulo XIV. et ex parte articulis 27. et 42. eiusdem anni.

Articulis ſubiungitur appendix, quae complectitur 1. extractus Leopoldinae explanationis Archi Episcopo Colocenſi datae ſuperius in recenſione alterius editionis relatos.

2. *Clementiſsimam, eamque Diaetalem reſolutionem, ſeu explanationem ſub decurſu Diaetae anni* 1708. *publice elargitam, pariter ſupra relatam, qua pollicetur ſua Maieſtas clementiſsime prouiſuram, ne contra repetitos articulos, vel Domini Terreſtres iure ſuo abutantur, vel cuicunque Religionum conſcientiae vis inferatur.*

3. Compoſitionis Szathmarienſis per Carolum VI. rectificatae *(a)* punctum tertium, *quo in negotio Religionis receptae regni conſtitutiones manutenentur, nec non exercitium eiusdem ſecundum easdem leges, et conſtitutiones, ac articulos regni cum beneſi iis eorſum de iure ſpectantibus conceditur.*

4. Continet Compoſitionis eiusdem Szathmarienſis Iuramenti formulam.

5. Formam Sacri iurisiurandi praeſtiti a Sacri Diadematis Magiſtratu Duumviratus D. Petro Revai Comite Thuroczienſi, D. Stephano Palfy Comite Poſonienſi.

Has iuramenti formulas ideo adnectendas cenſuerunt, Acatholici, vt hoc exemplo declinarent formulam iuramenti legibus praeſcriptam, iuxta quam Sacramentum dicitur per inuocationem Sanctorum, in prima enim harum formularum habetur: „*iuro per Deum viuum omnipotentem coeli terraeque Creatorem*, in altera: *iuro per Deum viuum*, haec tamen exempla non patrocinantur illis, tum quod nulla harum formularum inſerta ſit legum Tabulis, tum quod vtramque vrgens temporum viciſſitudo fecerit neceſſariam. *(b)*

 De

(a) Compoſitione hac tumultus Rakocziani ſedati fuere.

(b) Iudaeorum iuramentum vide tripartiti operis parte III. titulo vltimo.

De Synopſi illud vnum obſeruandum ſtrictim, legem commemorari, ac ad articulos XL. reuocari, remiſſiones tamen ad leges non vacare difficultatibus, aliquas enim per illationes duntaxat exſculpere tentarunt, liberum etiam ſibi exiſtimarunt aſſerere *(a)* iuramenti Formulas ſupra attactas, in quibus nulla Sanctorum mentio, per leges ſtabilitas fuiſſe, quum leges, ad quas prouocant, altum taceant.

Caput Decimum.

De diuisione legum Eccleſiaſticarum.

Redditur ratio tituli operi huic praefixi.

I. Iam quae, et quales ſint Leges Eccleſiaſticae videndum, ac diſcutiendum, quaenam in Collectionibus Conciliorum locum habere poſſint, de aliquibus enim dubitari poteſt, et nonnulli, vti infra videbimus aliquas non tam et numero, legum Eccleſiaſticarum expungi volebant, quam ad collectionem Conciliorum eas pertinere negabant, atque ideo etiam hac epigraphe operis huius vſi ſumus, vt diceremus nos leges Eccleſiaſticas collegiſſe, et illuſtraſſe. Ob oculos noſtros poſitum habuimus opus Henrici Spelman, qui collectioni Conciliorum Angliae hunc praeficit titulum: *Concilia, Decreta, Leges, Conſtitutiones in re Eccleſiarum orbis Brittannici.* Bimius, L' Abbeus, Harduinus, Manſius poterant eodem titulo vti, multa enim habentur in collectionibus eorum, quae nullam habent Synodorum rationem, ſeu affinitatem.

Quid pertineat ad collectionem legum Eccleſiaſticarum.

II. Vt paucis dicam, quaenam ad collectionem ſiue Conciliorum, ſiue legum Eccleſiaſticarum ſpectare cenſeam; recenſenda eſt hic collectio Aldrici, cuius ſupra capite tertio § VI. meminimus, „*ex* „*quibus canonibus*, (inquit vita illius) *atque* „*edictis capitula ſtrictim colligere curauit, in ſuo* „*prooemio continetur inſertum. Primo vero col*„*legit capitula nonnulla ex duodecim Conciliis* „*ſiue ex Decretis Romanae Sedis Epiſcoporum,*„ „ *- quae ſequuntur, ex aliis collegit Canonibus,* „*atque dictis Patrum diuerſarum Prouinciarum,* „*atque nonnulla ex his, quae cum aliis ſanctiſ*„*ſimis, et doctiſsimis Epiſcopis in Synodis pari*„*ter] ſanxit, ſiue ex Capitulis Chriſtianiſsimorum* „*Imperatorum, in Synodis Epiſcoporum De*„*cretis tam tempore Pipini, quam et Karoli. ſiue* „*Hludouici.*„. Ad collectionem itaque legum Eccleſiaſticarum pertinere exiſtimo *primo* leges vniuerſalis Eccleſiae, Concilia generalia totius Eccleſiae Catholicae, Decretales Summorum Pontificum; *ſecundo* particulares leges, Concilia particularia, vtpote: Synodos Nationales, Prouinciales, et Dioeceſanas, Conſtitutiones Legatorum Sedis Apoſtolicae, Primatum, Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Statuta Capitulorum, et Conſtitutiones Regularium. Iam de his vberius:

Cur Synodus vniuerſalis Sardicenſis huc relata.

III. Leibnitius in ſupplemento ſuo ad codicem Iuris gentium exſtimulaturus eruditorum quempiam; vt ad colligenda Concilia Germaniae animum adiiceret, eo potiſſimum argumento vtebatur, quod duo Concilia Generalia eo pertinere poſſent. Quamuis autem merito dubium eſſe poſſit, an Conciliis generalibus locus dandus ſit in collectione particularium quarumpiam Eccleſiarum; a Concilio tamen Sardicenſi Synodos Eccleſiaſticas orſus ſim, tum quod Sardica in Illyrico Vrbs gentis Dacicae primaria eſſet, Illyricum autem nobis vindicamus, et iure dominationis Regum Noſtrorum, et quod inde ad nos praeclara fluxere conſtituta, tum quod Vrſacius, et Valens Pannoniae Epiſcopi praecipuam egerint ſcenam; exiſtimamus etiam Nos eodem, et forte meliori iure vindicare poſſe Sardicenſem Synodum, quo Cardinalis Aguirius in collectionem Conciliorum Hiſpaniae pertraxit etiam Concilia noui orbis.

IV. Pe-

(a) N: XXVIII. *Iuramenti formulae Cuſtodum Coronae, et occaſione compoſitionis Szathmarienſis depoſitae, ac articulo 49. 1715. Confirmatae nullam mentionem Sanctorum faciunt.*

De Epiſtolis decretalibus Summorum Pontificum.

IV. Petrus Poſſeuinus in apparatu Sacro cenſebat Epiſtolas Pontificum praeſertim longiores, quaeue Lectorem aut fatigarent, aut auerterent ab ipſorum Conciliorum lectione omittendas, verum facta paucis verbis earum mentione ad marginem, ſiue in ſubiecto Scholio, referendas in tomos Epiſtolarum Decretalium. Non video tamen Collectores voto Petri Poſſeuini obſecutos praeſertim antiquiores; exposcit id veneratio Eccleſiarum, qua huiusmodi epiſtolas iure proſequuntur, exposcit id ipſarum quoque Epiſtolarum auctoritas, licet enim ad vnam duntaxat emanarint Eccleſiam, aliis tamen pariter praebent formam Eccleſiaſticae vitae, pariter et disciplinae. Hinc videmus Summos Pontifices ſolicitos fuiſſe, vt reſponſa ſua ad alias quoque mitterentur Eccleſias. Praecepit id Siricius Himerio Tarraconenſi Episcopo, vt ad alias quoque Prouincias ſub litterarum ſuarum proſecutione mitterentur. (a) Recitamus etiam Zoſimi Epiſtolam ad Heſychium Salonitanum id ipſum praecipientem. Innocentius Papa ad Exuperium Toloſanum ſcribens ait formam illam Eccleſiaſticae vitae pariter, et disciplinae ab Episcopo Siricio per Prouincias commeaſſe. Serius inuentum eſt illud Scholaſticorum, quod Epiſtolae Decretales in illis Eccleſiis duntaxat vim habeant, ad quas miſſae fuere. S. Leo Epiſtola 159. vult, *vt in omnium obſeruantia data proſit auctoritas.* Clariſsimum extat deſuper eiusdem S. Leonis praeceptum in Epiſt. 4. ad Episcopos Campaniae, „*ne quid vero ſit, quod praetermiſſum a nobis* „*forte credatur, omnia decretalia conſtituta* - „ - - *omnium Deceſſorum Noſtrorum, quae de* „*Eccleſiaſticis ordinibus, et Canonum promul*„*gata ſunt disciplinis, ita a Veſtra Dilectione* „*cuſtodiri debere mandamus, vt ſi quis in illa* „*commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit dene*„*gari.* „ Nec tergiuerſabantur multum Episcopi, verum, vt Bonifacius Ruffo Theſſalonicenſi ſcribens inquit, *illis Epiſtolis debitum ſe accommodare conſenſum plurimi Sacerdotum Sacrarum traditionum memores ſunt profeſsi.* De conſtitutionibus Legatorum Sedis Apoſtolicae non eſt cur multa dicamus, a reuerentia enim primae Sedis auctoritatem mutuant ſuam.

Cur Spalatenſes Synodi huc relatae ſunt.

V. De Conciliis Prouincialibus et Nationalibus collectioni Noſtrae inſerendis magnopere Nobis laborandum non eſt, excuſandum potius venit, quod Dalmatiae, Salonitana, Spalatenſia inſeruerim: ſi Summus vir, cuius Nos tuebimur auctoritate, Sirmondus praebuit Nobis exemplum, qui Concilia Moguntiaca, Treuirenſia, Colonienſia, Mechlinenſia Conciliis Galliae inſeruit eo, quod olim dominationi Regum Galliae ſubfuerint; eadem ratio nos induxit, accedente praeſertim eo, quod iurisdictionem in Hungariam exercuerint Salonitani, et Spalatenſes Episcopi, aliquae Eccleſiae autem, inter quas eſt etiam Iadrenſis, quarum acta damus deinceps, noſtrae acceſſerint dominationi, neque nos commouit, quod aliquae a nobis rurſus auulſae ſint, quum ius retineamus, titulosque Eccleſiarum in honoribus geramus. Debent itaque placere illarum leges, ſi honorum placent axiomata.

Synodi Dioeceſanae.

VI. De Synodis Dioeceſanis ſerio nemo dubitare poteſt, et ideo otium induxerit auctorem Tractatus de Conciliis, vt ſcriberet par 3. cap. 2. (b) *poſſe non poni inter particularia Concilia Dioeceſanas Synodos.* Suo certe iure ſibi vendicant locum, cuperemque pro inſtructione Episcoporum quasuis Synodos Dioeceſanas colligi, multum ſane proficeremus ex illis. Conſtitutiones Episcoporum extra Synodum factas in Noſtra collocauimus collectione, *vt exemplum, et auctoritatem doctorum virorum ſequeremur, qui priuatas illuſtrium Epi*-

(a) *Etiam ad vniuerſos Carthaginenſes, et Boeticos, Luſitanos, atque Gallicos, vel etiam, qui vicinis ſibi commitant hinc inde Prouinciis ſub litterarum tuarum proſecutione mittantur.*

(b) *On pourroit ne pas mettre au Nombre des Conciles Particuliers les Synodes Dioeceſanes.*

ſcoporum conſtitutiones putarunt edendas eſſe. (a)

Priuilegia et Statuta. VII. Si Priuilegia Eccleſiis conceſſa operi Noſtro intexuimus, imitati ſumus codicem Eccleſiae Theſſalonicenſis, et Arelatenſis, veneranda vtique collectionum exemplaria. Quis ignorat, quod ſicut partem poteſtatis legislatiuae conſtituit Priuilegiorum conceſſio, ſic Priuilegia numerum legum augeant, priuilegium enim eſt *lex priuata concedens beneficium.* (b) Statuta Capitulorum maximi ſunt momenti, et Eccleſiaſticae disciplinae firmamentum, vnde inter ſubſidia iuris Eccleſiaſtici reuocanda ſunt, quae impetrare potuimus, eaulgare non intermiſimus. Regularium quoque ſtatuta in hoc terrae tractu nata complura dabimus. Volumus enim hoc opus noſtrum eſſe inſtar Bibliothecae, vnde quiuis ſua repetere valeat.

Caput Vndecimum.

De Legibus Ciuilibus, et Edictis Publicis in ſubſidium disciplinae Eccleſiaſticae latis.

Leges Ciuiles locum habent in collectionibus Legum Eccleſiaſticarum. I. Leges Ciuiles, et Edicta Principum licet indole ſua ab Eccleſiaſticis legibus plurimum differant, in collectionem tamen hanc noſtram immigrare iuſſimus, nulla enim ferme collectio illis caret. *Codex antiquus Canonum* recenſentibus Fratribus Ballerinis (c) habet Epiſtolam Imperialem ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, (eſt autem lex Honorii contra Pelagium) Sacram Epiſtolam Conſtantii Imperatoris, Valentiniani Auguſti Patris, et alia. In collectione Auellana praeter alias Sacras Imperatorum litteras habentur num. 37. Sacrae ad Bonifacium, quibus ſtatuitur, ,, *vt deinceps ſi duo per ambitum certauerint de Epiſcopatu Romano, nullus eorum ſit Sacerdos, ſed illum ſolum in Sede Apoſtolica permanſurum, quem ex numero Clericorum noua ordinatione Diuinum Iudicium, et vniuerſitatis conſenſus elegerit.* Num. 89. libellus Imperatoris, quem dedit Agapito Conſtantinopoli, (d) ſicuti etiam occurrunt num. 182 Iuſtini Aug. ad Hormisdam, et rurſus eiusdem Iuſtini num. 198. Benedictus Leuita enarrans fontes, ex quibus collegit capitula, ,, *ſicut*, (ait) *documenta, quae in diuerſis locis, et in diuerſis Schedulis, ſicut in diuerſis Synodis, et placitis generalibus edita erant, ſparſim inuenimus.* ,, Aldricus, vti ſupra vidimus (cap. X. § II.) Capitula Chriſtianiſſimorum Imperatorum ſuae intexuit collectioni.

II. Eo loco habendae ſunt leges Ciuiles, et edicta Principum, de quibus ſermo eſt, quo loco habentur in Eccleſia Dei ipſi Principes, ſunt autem illi non filii ſolum Eccleſiae, ſed Cuſtodes, Defenſores, et Tutores: ,, *Omnipotens Deus*, ita S. Gregorius M. lib. 6. cap. 6. *Principes fecit eſſe cuſtodes Eccleſiaſticae pacis*, neſcio honorine id Principibus, an oneri deputem? S. Auguſtin. enarr. in Pſalmos dicit Reges ſeruire Domino, dum Sanctam Dei Eccleſiam cuſtodiunt, et defendunt gladio, quem in vindictam acceperunt. Capitularium lib. 2. cap. 4. Rex ait poteſtatem ſuam famulari auctoritati Epiſcoporum. (e) Hinc legimus ſoepe in quantas gratiarum actiones effundantur Epiſcopi, et Summi Pontifices; an non onus eſt alienae auctoritati ſuam accommodare poteſtatem? Quo loco habendae?

III. Seruitus haec eſt, verum Regia, et Regio animo digna, qui quanto ſunt ſublimiores dignitate, tanto glorioſius ſemet humiliant. Spectatiſſimum in eo praebuit exemplum Conſtantinus M. Imperator in Synodo Nicaena, dum Patres alloqueretur *tanquam filius inquit* Theodoretus (f) ,, *Patris amantiſsimus Epiſcopis, et Sacer-* Pietas Principum.

(a) Verbis vtor Baluzii.
(b) Cap. Abb. de verborum ſignific.
(c) De antiquis Collectionibus par. 2. cap. 7.
(d) ,, *In nomine Domini* &c. *prima ſalus eſt rectae fidei regulam cuſtodire.*

(e) *Vt noſtro auxilio ſuffulti, quod veſtra auctoritas expoſcit, famulante, vt decet poteſtate Noſtra facilius perficere valeatis.*
(f) Lib. 2. c. 7.

Digitized by Google

Sacerdotibus tanquam Patribus haec propoſuit &c. Eruigii Regis quoque emicuit pietas, dum legem ferret in confirmatione Concilii Toletani XII. dum nimirum *(a) omnibus Synodalibus geſtis et debitam reuerentiam honoris impenderet, et patulum auctoritatis ſuae vigorem innecteret.* Patres Concilii Sueſſionenſis II. anno D CCC LIII. celebrati de Rege aiunt: ,, *poſthabitis ſecularibus curis, ipſe quoque Rex adeſſe dignatus eſt, vt non ſolum deuotione Eccleſiae ſe filium eſſe oſtenderet, verum etiam, ſicubi opus eſſet, protectorem regia poteſtate monſtraret.* Simile exemplum occurrit in Concilio Ticinenſi Seculo XI. vbi Rex ait: ,,*omnia, quae pro neceſſaria reparatione* (reformatione) *Synodaliter inſtituit, et reformauit Paternitas Tua, vt filius laudo, confirmo, approbo, et vt omnes ſint paratiores, etiam me inuiolabiliter ſeruaturum adiuuante Deo promitto, et in aeternum manſura, et inter publica iura ſemper recipienda, et humanis legibus ſolenniter inſcribenda hac noſtra auctoritate viuente Eccleſia per Dei gratiam victura cum Senatoribus terrae, cum domeſticis Palatii, et amicis Reipublicae coram Deo, et Eccleſia ita corroboramus.* ,,

Pietas S. Stephani.

IV. Ad pietatem S. Stephani Regis nihil addi poteſt, eam nimirum reuerentiam Eccleſiae adhibuit, qua maior eſſe non poteſt. Lib. I. ad S. Emericum cap. 2. ait: ,, ille, qui minuit, aut foedat Eccleſiae dignitatem, ille Chriſti corpus mutilare nititur. Reges ob augmentum Eccleſiae Auguſtos dictos vult, *(b)* vt ex nomenclatione diſcant onus, quod habent Eccleſiam augendi. Cap. 3. iubet Epiſcopos, quos *Seniores*, (id eſt: Dominos ſicut alibi demonſtrauimus) vocat, cuſtodiri, ſicut pupillas oculi. *(c)* Lib. 2. cap. 1. Regem Dominicarum rerum Cuſtodem, et Defenſorem, et cuſtodem diuinitus conſtitutum aſſerit.

Stupendum exemplum obſeruantiae in Epiſcopos.

V. Admiratione, et ſtupore digna eſt Eccleſiae reuerentia, quam Regem Clotri exhibuiſſe diſcimus ex Synodo Landavenſi circa annum DCCCIIXCV. *(d)* Statuerat Rex, et iurauerat, vt ſiquis pacem rumperet, peregrinaretur extra Patriam; occiderat autem Lundgnallaum, atque ideo *Epiſcopus Berthguinus conuocato Concilio excommunicauit Regem, et ille obtemperans Deo, et mandatis Dei, ac Epiſcopi reliquit Patriam, et iuit in peregrinationem, et poſt multum temporis rediuit ad Patriam ſuam, et quaeſiuit veniam apud Epiſcopum per Morcant Regem interceſſorem ſuum, et audita eius prece dimiſit* (Epiſcopus) *eum in Patriam emendaturum ſe in omnibus, et facturum condignam iuſtitiam.*

Reges quomodo confirmarint Concilia.

VI. Conſpicuae huic Regum pietati, quae omnes merito in ruborem agat, tribuendae ſunt illae Conciliorum confirmationes, quibus propoſito iuris Ciuilis neruo adiiciebant firmitatem, et ſtabilitatem; huiusmodi confirmatio in hac noſtra collectione ſoepius occurret, videmus ergo quid valeant confirmationes praelaudatae? Supra meminimus Eruigii Regis, quomodo Concilium Toletanum XII. confirmauerit. Idem praeſtitit Concilio Toletano XIII. lege in confirmatione eius edita, *(e)* vbi ſe ait deuote venerari conuentum Synodalis Concilii, in cuius medio praeſentia Spiritus S. habitare promiſit, atque ideo a ſe promulgari ibidem digeſta. Clotarius II. Francorum Rex eam voluit eſſe Concilio Pariſienſi anno DCXV. cele-

(a) *Anno feliciter primo gloriae noſtrae - - - quibus omnibus Synodalibus geſtis, atque Decretis et debitam reuerentiam honoris impendimus, et patulum auctoritatis Noſtrae vigorem innectere procuramus.* Manſi Tom. XI. Col: 1041. ad ann. DCLXXXI.

(b) ,,*Inde etiam Reges inprimis Auguſti dicebantur, quia augebant Eccleſiam.* ,,

(c) ,,*Chariſſime Fili! Seniores illos ita cuſtodias, ſicut oculorum pupillas.*

(d) Manſi Tomo XVII. Col. 39.

(e) *Reuerendum mihi conuentum Synodalis Concilii, in cuius medio S. Spiritus praeſentia habitare promiſit, deuote veneramus, inſtanterque honoramus ea, quae illorum ore, noſtraeque gloriae hortatu digeſta ſunt, in notitiam deducamus ſingulorum.* Idem anno Chriſti DCLXXXIII. in Concilio Toletano XIII. Patres alloquens ait: ,,*his votorum meorum inſinuationibus allegatis, quaeſo, vt fortia Paternitatis Veſtrae adiutoria prorogetis, luce enim clarius conſtat, quod aggregatio Sacro Sancta Pontificum, quidquid conſuevit obſeruandum per Spiritus Sancti donum omni maneat aeternitate praefixum.*

lebrato firmitatem, vt transgreſſoribus mortis poenam intentaret. *(a)* In Concilio Legionenſi Anni M XII. centum flagella in transgreſſorem ſtatuta, inuenio. *(b)*

Id ipſum vberius Confirmatur.

VII. Huc pertinent etiam tot leges Eccleſiaſticae a Regibus Kenetho, Eduardo, et Guthurno, Dha Rege ſeu Principe totius Walliae, Edmundo, Canuto, Bracislao promulgatae, quae apud Conciliorum editores occurrunt. Inter has nonnulli ipſa poene praecepta decalogi recitant, non certe, vt robur firmitatis adiicerent, ſed vt timore percellerent poenae ciuilis, quos diuini iudicii non ſatis perſtringeret cenſura; ſicut ergo collaudandi ſunt Reges gladium exerentes pro Diuinis legibus, ita gratiae iisdem habendae, ſi in ſubſidium legum Eccleſiaſticarum ſuas adiunxerunt. Id profitentur ſe facere, vt alios nunc omittam, Eduardus, et Guthurnus Reges, dum dicunt *(c)* ſe etiam conſtituere ſecularem disciplinam, eo quod ſcirent alios Canonibus ſecus morem haud geſturos. Ad eundem finem pertinebat, quando Reges aut intererant, aut praeſidere dicebantur Conciliis, quemadmodum in Concilio Sueſſionenſi II. anni DCCCLIII. dicitur: *poſt habit.s ſecularibus curis ipſe quoque Rex adeſſe dignatus eſt, vt non ſolum deuotione Eccleſiae ſe filium eſſe oſtenderet, verum etiam, opus ſicubi eſſet, protectorem Regia poteſtate monſtraret.* „ Non poſſumus non reſpicere tantisper ad Capitularia Regum Francorum, quorum nobis tanta cura ineſt; habetur nimirum libro tertio Anſegiſi cap. 43. (quod ex Concilii Turonenſis III. cap. 41. deſumptum eſt): *inceſtuoſi, parricidae, homicidae, ac multi apud Nos (proh dolor) reperiuntur, ſed aliqui ex illis Sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in priſtinis perdurare criminibus, quos oportet per ſecularis potentiae disciplinam a tam praua conſuetudine coercere, qui per ſalutifera Sacerdotum monita noluerunt reuocari, quorum aliquos iam excommunicauimus, ſed illi hoc parui ponderantes, in iisdem criminibus* perſiſtunt. *Quamobrem veſtra decernat Manſuetudo, quid de talibus deinceps agendum ſit.* „ Quae Episcoporum ſolicitudo, et petitio eo reſpicit, vt nimirum Regalis potentia percellat illos, quos canonica ſeueritas corrigere non poteſt, et diſtringat illos Ciuilis legis firmitas, quos non corrigit canonica praedicatio Sacerdotum. Neceſſe eſt enim (ita babet conſtitutio Childeberti Regis circa annum Chriſti DLIV. data) *neceſſe eſt, vt plebs, quae Sacerdotis praeceptum non ita, vt oportet, cuſtodit, noſtro etiam corrigatur, imperio.* Rurſus in praecepto glorioſiſſimi Regis Guntramni in confirmatione Concilii II. Matisconenſis anno Domini DLXXXV. „ *licet absque noſtra admonitione ad vos ſpecialiter praedicandi cura pertineat, attamen reliquorum peccatis vos omnino credimus eſſe participes, qui filiorum veſtrorum culpas non aſſidua obiurgatione corrigitis, ſed ſilentio praeteritis, nam nec nos, quibus facultatem regnandi ſuperni Regis commiſit auctoritas, illam melius euadere poſſumus, ſi de ſubiecto populo ſolicitudinem non habemus.* „ Quorſum autem hanc ſollicitudinem pertinere exiſtimet, patet ex illis, quae ſubiungit, „ *conuenit ergo, vt iuſtitiae, et aequitatis in omnibus vigors ſeruato diſtringat legalis vltio iudicum, quos non corrigit Canonica praedicatio Sacerdotum.* „ Similia habet Hildeberti Regis decretio data, circa annum DXCV. „ *omnes facultates ſuas Parentibus legitimis amittant, qui nolunt Sacerdotis ſui medicamenta ſuſtinere.* In alio rurſus capitulari incerto anno dato, cui interfuit Bonifacius Apoſtolicae Sedis Le-

gatus

(a) *Quicunque vero hanc deliberationem, quam cum Pontificibus, vel tam magnis Optimatibus, aut fidelibus Noſtris in Synodali Concilio inſtituimus, temerare praeſumpſerit, in ipſum Capitali ſententia iudicetur.* Edictum Regia Clotarii in Synodo Pariſienſi. Manſi Tom. X. Col. 545.

(b) *Concilium det illi centum flagella in camiſia ducens illum.* Manſi Tom. XIX. Col. 335.

(c) *Conſtituerunt etiam ſecularem disciplinam pro eo, quod ſciebant, quod non poſſent multos alia ratione gubernare, et multi nollent ad Eccleſiaſticam emendationem flecti, ſicut debebant, et compenſationem Secularem inſtituerunt Chriſto, et Regi communem, ſicubi homo nollet ad compenſationem Eccleſiaſticam inclinari virtute auctoritatis Episcoporum.* „ In Prooemio legum Eccleſiaſticarum Eduardi, et Guthurni Regum ad annum Chriſti DCCCCVI. a Manſio Tom. 16. col. 257. relatarum.

gatus circa annum DCCXLIV. Cap. VII. „*Eccleſiarum Seraos, vel Epiſcoporum, vel Clericorum a iudicibus, vel actoribus publicis in diuerſis angariis fatigari diuina prohibemus auctoritate.*„ Karolus Caluus in Conuentu habito in villa Colonia anno Regni ſui quarto, aerae Chriſtianae DCCCXLIV. cum conſenſu Warini, et aliorum optimatum ſub ſua, et Epiſcoporum, ac coeterorum fidelium Dei ſubſcriptione ſanxit, Cap. I. „*vt Sacerdotibus legalis poteſtas, et inluſtrium virorum ſtrenuitas, ſeu reipublicae adminiſtratores, vt ſuum miniſterium competenter, in omnibus rationabiliter concurrent.*„ Praeclariſſima ſunt, quae Karolus Magnus in Praefatione Capitulis ſuis praemiſſa in collectione Anſegiſi Abbatis apud Baluzium dicit: „*Ego Karolus Dei gratia, eiusque miſericordia donante Rex, et Rector Regni Francorum, et deuotus Sanctae Eccleſiae Defenſor, humilisque adiutor,*„ aliquibus interpoſitis ſic proſequitur, „*quapropter placuit Nobis veſtram rogare ſolertiam o Paſtores Eccleſiarum Chriſti, et ductores gregis eius, et clariſsima mundi luminaria, vt vigili cura, et ſedula admonitione populum Dei per paſcua vitae aeternae ducere ſtudeatis, et errantes oues bonorum exemplo operum, ſeu adhortationum humeris intra Eccleſiaſticae firmitatis muros portare ſatagatis, ne lupus inſidians aliquem Canonicas Sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones vniuerſalium Conciliorum excedentem, quod abſit, inueniens deuoret, ideo magnae deuotionis ſtudio admonendi, ac hortandi ſunt, imo compellendi, vt firma fide, et infatigabili perſeuerantia intra paternas Sanctiones ſe contineant, in quo operis ſtudio ſciat certiſsime Sanctitas Veſtra noſtram vobis cooperari diligentiam; quapropter et Noſtros ad vos direximus miſſaticos, qui ex noſtri nominis auctoritate vna vobiscum corrigerent, quae corrigenda erant.*

Eccleſia ſubſidio eſt Principibus. VIII. Sed Eccleſia quoque ſuis legibus ſubſidio fuit Ciuili Poteſtati, vt taceam illa, quae a P. Thomaſino de diſciplina Eccl. erudite, et fuſe in hanc rem congeſta fuere, Concilium Pariſienſe *ex euocatione glorioſiſsimi Principis Domini Clotacharii* (Clotarii II.) Francorum Regis anno Chriſti DCXV. celebratum ait: „*tractantes, quid Principis, quid ſaluti populi vtilius competeret, et quid Eccleſiaſticus ordo ſalubriter obſeruaret.*„ Nihil profecto in Conciliis frequentius occurrit, quam treuga; illius vtilitatem, et neceſſitatem illi tantum ignorare poſſunt, qui aeui medii hiſtoriam turpiter ignorant. Miſerati nimirum Epiſcopi temporum calamitatem, perſpicientesque exiles admodum eſſe Regum vires ad inteſtina bella, mutuas depraedationes ſiſtendas, eo animum adiecerunt, vt interpoſita Religionis reuerentia, animos ſenſim emollirent, ad pacem reuocarent, ſuis canonibus ſanxerunt treugam Dei, id eſt tempora bene multa, quibus ob ieiunia, Sacrarum ſolennitatum venerationem ab armis abſtinere deberent, niſi gladio Spirituali excommunicationis feriri, loca habitationum interdictis affici vellent, quod poſtremum cenſurarum genus aegerrime ferebant; deſignabant loca, et territoria, intra quae non liceret armis concurrere infeſtis, perſonas quasdam laicas ab iniuriis ſecuras reddebant. An non ſunt haec magna beneficia humanitati praeſtita? reperio etiam conſtitutum, vt aduerſarii praeuie de aggreſſione praemoneantur, diesque praefigantur, ne incauti inimica opprimantur coede, quam modis omnibus cauebant Epiſcopi legibus ſuis. Memorabile eſt mandatum Hugolini Epiſcopi Oſtienſis, et Velletrenſis circa annum Chriſti MCCVII. datum Velletrenſibus Coranis, et Sarmitanis, vt cum Nimphanis, et Sitanis pacem colerent. *(a)* In mandato hoc iubet Epiſcopus, vt ſi denique aduerſus illos procedere deberent, tribus diebus antea denuntient, et ab omni coede, et incendio abſti-

F

(a) Si quando neceſſitate cogente equitaueritis contra eos, tribus diebus ante ipſis denunciare veretis, et tunc ſi equitaueritis, equitabitis ſine occiſione, mutilatione, et incendio „ apud Baluzium Miſcellaneorum lib. 2.

Digitized by Google

abſtinerent. Pacis et ſecuritatis internae curam geſſit Synodus Poſonienſis, quam Peterſi nationalem dixit anno M CCC IX. celebrata Cap. VI. de prohibita depraedatione, et diſturbatione. *(a)*

Qui modernas Principum vires conſiderat, et admiratur, aegre credet neceſſarias fuiſſe has leges, vt publicae conſulatur tranquillitati, ſed admiratio ceſſabit, ſi ſecum perpenderit, ſicut cuiuis rei quasdam eſſe periodos, ſic finibus regiae poteſtatis, varias nouimus periodos, quos iam ampliores, iam reſtrictiores fuiſſe, et eſſe euidenter conſtat, iniuriane id Principum factum ſit? non diſcutio. Haec mente verſantes nonnulli in iura Feudalia inuehuntur, illaque deteſtantur, velut abſolutae Poteſtati aduerſa. At enim et hi paulisper ſedato animo cogitent illam regiminis formam, quam feudales leges effingunt, his ipſis legibus eſſe antiquiorem, et naturali ordine ſecundam; prima enim Patriarchalis, ſeu Patrum familias, altera, quam nunc tam liberaliter feudalem vocant, apud ipſas gentes barbaras aliquantum tamen excultas reperitur, inter quas conſtat poene feudalem eſſe regiminis formam.

Quicunque res Hungaricas nouit, recordatur, quoties Sereniſſimis Noſtris Regibus tam domeſticis, quam aliunde accitis, et quantum profuerint leges Eccleſiaſticae? quoties excommunicationum fragor aut aemulos deterruerit, aut aemulis vires detraxerit? quantae perſtrepuerunt, vt Carolo I. regnum firmaretur? adhuc auribus noſtris inſonat excommunicationis Sententia, aduerſus Ioſephi I. aemulos per totam Hungariam vbique vulgata. Soepiuſcule occurrent in Noſtra collectione litterae Apoſtolicae, quibus admoniti Episcopi iam pupilli Regis, iam adulti, ſed peregre agentis regnum in quiete conſeruarunt. In Tomo ſecundo collectionis huius reperies Conſtitutiones Fratris Gentilis Legati Apoſtolici in Synodo Episcoporum approbante Sacro Concilio latas de Statu Regis, de immunitate Regis, de Corona Regis, de bonis Regalibus, et Reginalibus.

Caput Duodecimum.

De Legibus mixtis, quae tam Eccleſiaſticae, quam Ciuiles dicendae ſunt.

Mixtae leges natae ſunt ex forma regiminis, quae fere vbique obtinuit.

I. Leges mixtas duplicis ordinis eſſe ſtatuimus, aliae ex indole ſua tales eſſe videntur, vti ſunt Leges aduerſus inceſtuoſos, quos et Eccleſia, et imperium ſuis inſectatur legibus, et ſub diuerſis reſpectibus ad partes vtriusque iurisdictionis, ſeu legislationis pertinent; aliae numero longe plures, quae ab incunabulis ſuis tales ſunt, ſeu quae cum ſimultaneo concurſu vtriusque poteſtatis ita conditae ſunt, vt veri nominis canones vna, et veri nominis leges Ciuiles videri poſſint, ſi ratio ſpectetur, qua conditae fuere. Exposcebat id tum forma regiminis, quae fere apud quasuis nationes cultas obtinebat, tum intimus ille nexus vtriusque Status; Eccleſiaſtici enim vbiuis primum occupabant locum. Proin quotiescunque leges rogandae erant, concurrebant omnes, aut Principum Edictis conuocabantur, et quiuis, quae ſuo congruebant ordini, proponebant, quibus mutua, alternaque charitate authorizando, collaudando, ſubſcribendo vtrique conſentiebant. Mutuum hunc vtrinsque poteſtatis occurſum, et concurſum firmabimus exemplis per vniuerſam circumcurſantes Europam.

In Italia.

II. Principio adferenda ſunt verba Aiſtolphi Moguntienſis Archi Episcopi, quae in Concilio apud Theodonis villam anno

(a) Nos qui praefati regni, et incolarum eius ſpecialem curam ſuſcepimus, ipſorum ſtatui pacifico prouidere deſiderabiliter affectantes, ſtatuimus Sacro approbante Concilio, vt omnes, et ſinguli cuiuscunque dignitatis, conditionis, ac ſtatus extiterint, qui in regno Ungariae praefato depraedationes, ſeu diſturbationes publicas, per quas &c.

Digitized by Google

anno Domini DCCCXXI celebrato dixit. (a) „*Si Principibus placuerit, aliisque ſuis fidelibus, rogemus, vt collaudetur, et ſubſcribatur, et collaudatum eſt, et ſubſcriptum eſt tam a Principe, quam a coeteris omnibus.*" Haec ideo praemittenda duxi, vt tum mutua collaudatio in ex:mplo pateat, tum conſtet etiam collandando, et ſubſcribendo firmari leges, aut rectius dixero condi. Ordiamur iam orationem ab Italia. De Ludouico narrat Dandalus ad annum DCCCXVIII. illum in Venetia Vrbe generale Principum, atque Pontificum celebraſſe Concilium, in quo regni negotia ordinata, cauſae Eccleſiaſticae diſcuſſae fuerint. (b) Concilii Ticinenſis Anno DCCCLXXVI. celebrati praefatio perhibet, (c) Imperatorem Carolum cum conſilio, et ſuggeſtione Anſperti Mediolanenſis Archi Epiſcopi, nec non Epiſcoporum, et Optimatum, atque reliquorum fidelium ſuorum ea, quae ad honorem Sanctae Eccleſiae, pacem, ac profectum totius imperii pertinebant, ſtatuiſſe. His decretis ſubſcripſit etiam legatus ſedis Apoſtolicae, et Papae Vicarius.

Conſtantinopoli.

III. Dimiſſa Italia Conſtantinopolim tranſeamus, vnde rerum promiſcue pertractandarum manauit conſuetudo. Praeclare pro more ſuo rem hanc executus eſt laudatus Thomaſſinus, (d) vnde paucis omnia abſoluemus, conſtat nimirum continuo ad Curiam Regiam commeantibus Epiſcopis perpetuam fuiſſe oppurtunitatem mixtarum huiusmodi legum condendarum. „*Terribile*, ait Cedrenus, *tribunal ex Ciuilibus, et Sacris hominibus cogitur.*" Balſamon, quem nemo coarctatae poteſtatis Regiae vnquam reum egit, perhibet, conſtitutum fuiſſe de controuerſia Metropolitani cuiusdam tribunal mixtum, ex Pontificibus, et doctis viris Senatoriis Patriarcha praeſidente. Hinc eſt Alexii Comneni Imperatoris reſcrip:nm ad Patriarcham Nicolaum editum, (e) non obſtante alio Decreto Imperatoris iam interpoſito, cauſam ſuo ordine decidi iubens. Hac ſemita propoſita filum hiſtoriae ſectantibus occurrunt incunabula legum illarum Eccleſiaſticarum, quae inter conſl.tutiones Iuſtiniani Imperatoris reperiuntur hoc, vt praemiſſum eſt, modo. Nemo ignorat, quam auide is nomen Legislatoris vniuerſalis captauerit, continuus erat in codicibus ad multam no tem vol endis. (f) Semper aderant Epiſcopi ad id voc ti, ex quorum conſenſu tandem prodiere, nomen tamen Imperatoris ob dignitatis non minus reuerentiam, auctoritatemque, quam praecipuum ſtudium retinebant, vnde ad illos plerumque dirigebantur, quos condendarum habuit auctores et participes. (g)

Collaudando leges feruntur.

IV. In Decretis S. Ladislai Regis ſplendidiſſimum aſſerti Noſtri teſtimonium habemus, videmus enim trium dierum ieiunium ante feſtiuitatem S. Petri a Sancto Rege Ladislao in Synodo ſtatutum, et ab vniuerſis Epiſcopis collaudatum, et canonizatum. (h) Dum haec ſcribimus, inſonat auribus Noſtris vox Patrum Concilii Chalcedonenſis, qui actione XVI.

(a) Manſi Conciliorum Tom. 14. col. 390.

(b) „*Peracto igitur triumpho in Venetia Vrbe generale Principum, atque Pontificum celebrat Concilium, vbi ordinatis Regni negotiis, et cauſis diſcuſſis Eccleſiaſticis* - - -. Manſi Tom. 14.

(c) *Incipiunt Capitula, quae Dominus Imperator Carolus* - - - - - *cum conſenſu et ſuggeſtione Reuerendiſſimi, ac Sanctiſſimi Domini Anſperti Archi-Epiſcopi S. Mediolanenſis Eccleſiae, nec non Venerabilium Epiſcoporum, et illuſtrium Optimatum, reliquorum fidelium ſuorum in Regno Italico ad honorem S. Dei Eccleſiae, et ad pacem, ac profectum totius imperii fecit.*" Manſi Tom. 17.

(d) De diſciplina Eccleſiaſtica part 2. lib. 3, cap. 43. et 44.

(e) „*Cauſſam audiat, finemque ei imponat legibus, et Canonibus conſentaneum, nihil eum impediente Reſcripto, quod prius a Maieſtate mea factum eſt.*"

(f) Procopius lib. 3. de bello Gothico cap. 3. „*Sine cuſtodibus in muſaeo cum grandaeuis Sacerdotibus ad multam noctem deſidere ſolet indefeſſo ſtudio ſacros Chriſtianorum Codices voluens.*"

(g) Thomaſſ. part. 2. lib. 3. cap. 46. „*Ad hos maxime Epiſcopos retuliſſe Iuſtinianum de iis canonibus, et regulis Eccleſiaſticis, quas inſerebat ipſemet illis conſtitutionibus, quae eius nomine, et auſpiciis in lucem exibant.*"

(h) Lib. 1. cap. 37. *In hac vero ſancta Synodo a venerabili Rege Ladislao ſtatutum eſt, et ab vniuerſis Epiſcopis collaudatum, et canonizatum, vt vigiliae celebrentur.*

ſimili modo ſententiam glorioſiſſimorum iudicum de Primatu Sedis Romanae, et altera poſt hanc Conſtantinopolitanae Sedis dignitate collaudarunt, et Canonizarunt. (a) Vidimus ab Epiſcopis Hungariae collaudatum, et canonizatum Decretum S. Ladiſlai; alterum viciſſim exemplum, quo Rex, et Proceres Epiſcoporum ſententiam collaudant, et canonizant, praebet eiusdem libri cap. XIX. quo villani ad alias Eccleſias tranſeuntes Pontificali iure, et Regali mandato coercendi decernuntur. (b) Hoc tomo occurret aliud etiam huiusmodi collaudationis exemplum.

Colomanus Rex iuriſdictionem Eccleſiaſticam non imminuit ſed auxit.

Antequam de Colomano aliquid dicamus, perſtringendi ſunt illi, apud quos, neſcio cur, tam male audit Colomanus, quem contemptorem, violatoremque Canonum habent, quem coarctatorem Eccleſiaſticae iuriſdictionis torno commemorant vultu. Tanta ſane in veneratione habuit is Canones Sacros, vt inconſultum, incautumque dixerit, inſtituta Sanctorum infringere. (c) Quod autem ad decurtatam iuriſdictionem Eccleſiaſticam attinet, collaudando, et canonizando magis ſtabiliuit auctoritatem Eccleſiaſticam ita, vt nemo magis Regum Noſtrorum. Lib. I. cap. LXV. arcentur omnes Comites, et Milites, id eſt Nobiles ab omni poteſtate in Eccleſia praeter ſolum Epiſcopum. (d) Eiusdem indolis ſunt alia etiam capita libri huius, capite enim L. homicidae vt poenitentiae publicae ſubiiciantur, ad Epiſcopum remittuntur, quin etiam parricidae ad Epiſcoporum cenſuram vocantur. cap. LVIII. mulieres partum ſuum necantes, cap. LIX. raptores mulierum, cap. LXI. adulteri ab Epiſcopo iudicandi, et plectendi cenſentur: neſcio ſane, quae leges ſiue illarum obiectum, ſiue eas condendi

(a) *Reverendiſſimi Epiſcopi clamauerunt: haec iuſta ſententia. haec omnes dicimus, haec omnibus placent.* ita Actio laudata.

(b) „*Si derelicta Eccleſia ſua villani ad alias tranſierint, Pontificali iure, et Regali mandato, vnde tranſierunt, eodem redire cogantur.*„

(c) „Incautum igitur, et inconſultum eſt, vt inſtituta Sanctorum Patrum praeſumamus infringere, quae ſummus potius debemus deuotione adimplere „ lib. 1. cap. 25. Haec ſane talia ſunt, vt cum pietate, et deuotione quorumcunque pientiſſimorum conferri poſſint. Iis ſimilia ſunt verba Capitularis tertii „*a Domino Carolo, et Filio eius Hludouico, ac ſapientiſſimis ipſorum Epiſcopis excerpti* Cap. 1. (apud Baluzarium Tom. 1. Capitularium pag. 357.) „ nouimus multa regna, et Reges eorum propterea cecidiſſe, quia Eccleſias exſpoliauerunt, resque earum vaſtauerunt, abſtulerunt, alienauerunt, vel diripuerunt, Epiſcopis, et Sacerdotibus, atque, quod maius eſt, Eccleſiis eorum abſtulerunt, et pugnantibus dederunt, quapropter nec fortes in bello, nec in fide ſtabiles fuerunt, nec victores extiterunt, ſed terga multi vulnerati, et plures interfecti verterunt, Regnaque, et regiones, et, quod peius eſt, regna coeleſtia perdiderunt, atque propriis haereditatibus caruerunt, et hactenus carent, quae omnia vitantes nec talia facere, nec conſentire, nec infantibus, aut ſucceſſoribus noſtris exemplum dare volumus, ſed quantum valemus, et poſſumus, adiuncto Leonis Papae, et omnium Epiſcoporum, quorum vſi conſilio hoc egimus, ſpiritu noſtro ſpiritui per Deum, et omnium Sanctorum merita prohibemus, conteſtamurque, ne talia faciant, vel facere volentibus conſentiant.„ Reges hi pientiſſimi alienationem vetant, et plenam periculi dicunt: idem facit Rex noſter Colomanus, et idem aſſerit. Liceat ad vnam quaeſtiunculam in hac nota marginali diuagari: contendunt aliqui Reges Francorum inſuper habuiſſe Conſtitutionem Leoninam de abalienatione bonorum: an ita ſe res habeat, videamus? Praeterquam enim quod in modo allegato textu, Papae Leonis diserta fiat mentio, apud Anſegiſum lib. 2. Capitularium cap. 20. ita absterrent Sacerdotes: „omnes omnino Sacerdotes (ita habet Capitulum) ab huiusmodi abalienatione abſtineant, poenas timentes, quas Leonina conſtitutio intentat.„ Canonum itaque reuerentia monuit Dagobertum in Capitulari I. anni DCXXX. Cap. LVIII., vt diceret „ illicitum ducimus, quod Eccleſiis conceſſimus, iterum ab Eccleſiis reuocare.„ Carolus M. in Capitulari anni DCCCII. Cap. XV. „quod ſemel offertur, non reuoluatur.„ in Capitulari Aquisgranenſi, ſiue primo anni DCCCIII. Cap. I. „quia nouimus iuxta Sanctorum Patrum traditionem res Eccleſiae eſſe vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum cuique non ſolum habita conſeruare, ſed etiam multa Deo opitulante conferre optamus, tamen vt ab Eccleſiaſticis de non diuidendis rebus vllius Eccleſiae ſuſpicionem dudum conceptam penitus amoueamus, ſtatuimus, vt neque noſtris, neque filiorum, et Deo diſpenſante ſucceſſorum noſtrorum temporibus, qui Noſtram, vel Progenitorum noſtrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, nullam penitus diuiſionem, aut iacturam patiantur.„ Iisdem omnino verbis vtitur Ludouicus Pius in Capitulari Aquisgranenſi Anni DCCCXVI. Cap. 1. rurſus Libr. 6. Cap. 3. „quaecunque a ſingulis Regibus circa Sacroſanctas Eccleſias conſtituta, vel ſinguli quique Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrarunt, ſub poena Sacrilegii ſolidata iugi aeternitate ſeruentur, Clerici etiam ſecularibus iudicibus, ſed et Epiſcopali audientiae reſeruentur, fas enim non eſt, vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.„ Haec ipſa lex totidem verbis repetit lib. 6. cap. 290.

(d) Nullus Comitum, vel militum in Eccleſia praeſumat ſibi vendicare poteſtatem praeter ſolum Epiſcopum.

dendi modum ſpectes, magis dici poſſint mixtae, ac ſint laudatae, in quibus agitur de poenitentia publica; videmus enim illis mutuo conſenſu veterem Eccleſiae diſciplinam renouatam, aut potius confirmatam, qua capitalium criminum rei Eccleſiaſtica diſciplina exercebantur, et expiabantur; felix certe diſtrictio, et vltio iudicii, quae dum ſupplicium infert, in remedium proficit, et ita plectitur reus, vt emendetur. Domeſticum legum mixtarum exemplum, quoad modum illas condendi reperies in Concilio Dalmatino, quod Nos ad annum DCCCLXXVI. damus. In planitie enim Dalmae iuſſit Rex Sfetopelek (quem Suatoplugi nomine noſtris notum eſſe conſtat) omnes populos terrae cum Epiſcopis, et Proceribus, atque Regni Præfectis conuenire, vti teſtatur Presbyter Dioclus, *(a)* quorſum aduenientibus Legatis Apoſtolicis per octo dies Eccleſiaſtica tractabantur, aliis autem quatuor diebus Secularia, quae omnia mutuo conſenſu firmata fuere. „*Pontifex* (ita habet Merulanus in rebus geſtis Dalmatiae Regum) *ad Regem extemplo duos Cardinales, ac duos Epiſcopos ſimul deſtinat, qui cum veniſſent Apoſtolica auctoritate, quae facto opus erant, peregerunt*„ per illos quippe leges rogatae, et quaecunque nouitiis Chriſtianis neceſſaria erant, plene, perfecteque fuere conſtituta.

Exemplum Dalmatiae.

V. Finitimum, vt ita dicam, conditarum legum mixtarum exemplum habemus in Synodo Regia Dinglouinaenſi Anni Chriſti DCCCCXXXII. de quo vetus M.S. Seculi XI. apud Hanſizium *(b)* narrat anno annotato, quod conuenientibus cunctis Bauaris ad locum, qui Dyngelfinga vocatur, in cauſa Synodalis colloquii Epiſcopis, Comitibus, aliiſque populis ſupradictae regionis feriandos dies ſubſcripſerint. *(c)* His addit Auentinus in eo Concilio Arnulphum Ducem praediorum Eccleſiaſticorum, quae *Ugri* depopulati fuerant, vſus fructus Sacerdotibus Monachis reſtituiſſe, templa, Sacras aedes refici, inſtaurari feciſſe, Maias, et Caninas, item vicos, et vineas, aliaque praedia prope Tyroleos in Venniorum, Atheſiſque valle Wolframmo Fruxinenſi reddidiſſe, Epiſcopos, Monachos, et Sacerdotes, quorum quidam excuſſo ſenerioris religionis iugo populariter viuere coeperant, ſub arctioris diſciplinae iugum miſiſſe; vides hic votum Aiſtolphi Moguntienſis Archi Epiſcopi hoc Capite § II. relatum ſuo haud caruiſſe effectu. Germaniae exempla enarrantibus non eſt neceſſarium repetere verba laudati Archi-Epiſcopi. Antea a nobis commemoranda fuerat Synodus Regia Hamburgenſis Anni DCCC XXXI. de qua praeclari pro genio aeui illius extant verſus *(d)* Hi commemorant ſub Ludouico Hamburgenſi Eccleſiae fines diſcretos, Eccleſiaſque fuiſſe additas *arbitrio* quidem *Procerum*, verum per *Pontificum Synodalem cenſuram*, id eſt: proponentibus Proceribus, et collaudantibus Epiſcopis. In Synodo Engilenheimenſi anni DCCCC XLVIII. praeſente *Miſſo*, ſeu *Miſſatico*, id eſt: Legato ApoſtolicoININ glorioſiſſimi Reges: *Otto*, et

In Bauaria.

 Lu-

(a) Aduenientes Cardinales, et Epiſcopi inuenerunt Regem in planitie Dalmae, a qua cum magno honore, et reuerentia ſuſcepti ſunt. Tunc Rex iuſſit congregari in eadem Dalmae planitie omnes Populos terrae, et regni ſui. Igitur omnes congregati, qui tum latina, quam et ſlauonica lingua loquebantur, iuſſu Honorii Vicarii Apoſtolici, et Chriſtianiſſimi Regis Sfetopelek per ſpatium dierum 12. Synodum fecerunt, in quibus 8. de lege Diuina, de ſacra Scriptura, ac de ſtatu Eccleſiae tractatum eſt, caeteris autem 4. diebus de poteſtate Regis, et Ducibus.

(b) Germaniae ſacrae Tom. 2. pag. 146.

(c) Anno DCCCCXXXII. regnante in Bauaria Arnoldo Duce, conuenientibus cunctis Bauuaris ad locum, qui Dyngelfinga vocatur, in cauſſo Synodalis colloquii Epiſcopis videlicet, et comitibus, aliisque populis ſupradictae Regionis, (populi hic eo ſenſu ſumuntur, quem mox explicabimus) *reſidentibus autem Epiſcopis in Synodali Concilio Adalperto Archi - Epiſcopo Salisburgenſi* (apud Hanſizium Vdelbertus vocatur) *Iuſangrino Epiſcopo Ratiſponenſi, Gerhardo Epiſcopo Pataoienſi, Ybolframo Epiſcopo Friſingenſi, Nithardo Epiſcopo Sabionenſi, nunciiſque Udalfridi Epiſcopi Aiſtatenſis, Chorepiſcopis Diperto, et Scoterlavo, aliiſque Presbyteris, et Diaconibus, et Clericis quam plurimis de ſtatu Eccleſiae tractantes feriandos dies ſubſcripſerunt.* „ Ita MS. Seculi XI.

(d) Vt coram multis conſultius ageret, inde Hamburgenſi Synodum collegit in urbe
Collegit Proceres regni, venere priores

Ludouicus (a) cum reliquis omnibus, vtpote Clero et Optimatibus profeſsi ſunt ſe in omnibus conſentire, quae auctorante, atque confirmante Legato Decreta ſtatuta ſunt.

Hiſpania. VI. Hiſpaniam deinceps perluſtremus. De Comitiis Hiſpaniae capite XVII. plura adferemus, quae etiam huc referenda eſſent, legesque mixtas pleniſſime comprobant. In Concilio Toletano V. ſeu anni DCXXXVI (quod Synodus mixta iure dici poteſt, et debet) adfuit Rex cum Optimatibus ſuis, *(b)* leges mutuo conſenſu collaudaturi, in illo pro robore Regum, et ſtabilitate gentis Gothorum Pontificale Decretum prolatum fuit. *(c)* Tomus Eruigii Regis Concilio Toletano XII. exhibitus fidem facit pariter aſſerto Noſtro, vbi *(d)* Patres Sanctiſſimos, et illuſtres aulae Regiae viros per Diuini nominis reuerentiam, et terribilem cunctis futuri iudicii diem conteſtatur, vt omnia bene excutiant, et ſano iudicio comprobent. Sub Alponſo V. Rege Legionenſi omnes Pontifices, et Abbates, et Optimates Regni Decreta decreuerunt. *(e)* In Concilio Coyacenſi anni ML, poſtquam dixiſſet Rex: *Ego Ferdinandus Rex, et Sancia Regina ad reſtaurationem Noſtrae Chriſtianitatis fecimus Concilium in Caſtro Coyaca, in Dioeceſi ſcilicet Ouetenſi cum Epiſcopis, et Abbatibus, et totius Regni Optimatibus.,,* Subiungunt dein Epiſcopi: *,, Nos autem Epiſcopi conſentiente Ferdinando Rege, et Sancia Regina ſtatuimus, vt in Noſtris Sedibus teneamus Canonicam vitam,,* aduertas velim, quomodo Epiſcopi dicant ſe ſtatuere, et Regem conſenſiſſe, factumque fuiſſe Concilium cum Optimatibus; vt iam nullum poſſit eſſe dubium mutua conſpiratione conditas fuiſſe leges, ita vt in illis, in quibus dicunt Epiſcopi ſe ſtatuere, Ciuilis poteſtatis auctoritas conſentiendo interuenieret, et viciſſim in quibus Epiſcopi conſentiunt, ſtatuendo interuenerit. Seculo adhuc XI. in Concilio Iaccetano anno MLX. Rainimirus Rex, *glorioſus*, et Sanctius filius eius in Synodo nouem Epiſcoporum praeſentibus, atque conſentientibus cuncti Principatus Primatibus, atque Magnatibus Sacrorum Canonum inſtituta Epiſcoporum iudicio reſtituerunt. *(f)*

VII. Nunc mare transmittamus, et Anglos, Scotosque luſtremus. Nihil magis perſpicuum, manifeſtiusque cogitari poteſt, atque ſint verba Concilii Kingſtoniae, *(g)* vbi dicitur Rex omnes optimates in vnum *conformaſſe*, qui de Spiritualium, ſeculariumque rerum neceſſitatibus inter ſemet ipſos communi conſilio ſcrutabantur. In Synodalibus Conciliis Anglia et Scotia.

Arbitria quorum per Pontificum Synodalem Cenſuram, fluuium trans Albin in finibus vrbem Saxoniae poſitam matrem cupit, atque tribunal Nordalbingarum ſare cenſuit Eccleſiarum.

(a) Tam ſalubri Miſſatica glorioſiſſimi Reges cum Pontificibus, omnique Clero congratulantes, vt dignum fuit ſe in omnibus conſentire, et obedire profeſſi ſunt, a quibus auctoronte, et confirmante Apoſtolico Legato ſubſequentia Capitula ſtatuta ſunt.

(b) In medio noſtri coetus Rex ingreſſus cum Optimatibus, et ſenioribus palatii ſui.

(c) Poſt inſtituta quaedam Eccleſiaſtici ordinis poſtrema cunctis nobis Sacerdotibus ſententia eſt, pro robore noſtrorum Regum, et ſtabilitate gentis Gothorum vltimum Pontificale proferre Decretum. Concil. Tolet. cap. 74.

(d) Omnes tamen in commune conuenio, et vos Patres ſanctiſſimos, et vos Illuſtres aulae Regiae viros, quos intereſſe huic Concilio noſtra delegit ſublimitas per Diuini nominis atteſtationem, et terribilem cunctis futuri iudicii diem, quia ſine perſonarum acceptione aliqua - - - - - quaecunque ſe veſtris ſenſibus audienda ingeſſerint, ſana verborum examinatione diſcutite, ſaniori quoque iudicio comprobate.,, Tomus Eruigii Regis Manſi Tom, XI. col. 1026. rurſus in allocutione ad Concilium,, *ecce in breui complexa, vel exarata deuotionis meae negotia in huius Tomi complicatione agnoſcenda perlegite, perlecta diſcutite, diſcuſſa - - - - ac decretis titulorum ſententiis definite.*

(e) Manſi Tom. XIX. col. 335. ad annum MXII. *,,conuenimus apud Legionem in ipſa ſede Beate Marie omnes Pontifices, et Abbates, et Optimates regni Hiſpaniae, et iuſſu ipſius Regis talia decreta decreuimus.*

(f) Ob reſtaurandum S. Matris Eccleſiae ſtatum noſtris in partibus, noſtra, maiorumque noſtrorum negligentia poene corruptum, Synodum nouem Epiſcoporum congregari fecimus in loco a Priſcis olim Jacca nominato, in quo Synodali conuentu praeſentibus, atque conſentientibus cuncti noſtri Principatus Primatibus, atque Magnatibus pleraque ſacrorum Canonum inſtituto Epiſcoporum iudicio reſtituimus, et confirmamus.

(g) Manſi Tom. XIV. col. 755. *cum omnibus gentis ſuae optimatibus, omniaque in vnum conformante, ac ſinceriſſima cordis intentione de ſpiritualium, ſeculariumque rerum neceſſitatibus inter ſemetipſos communi conſilio ſcrutantibus.*

Digitized by Google

is Cloueshonienſibus anno DCCCXXII. *(a)* et anno DCCCXXV. *(b)* habitis Archi Epiſcopus, coeterique Epiſcopi, et Abbates cum omnium dignitatum Optimatibus de vtilitate, et neceſſitate Eccleſiarum, monaſterialiſque vitae regula, ac etiam de ſtabilitate Regni tractabant. *(c)* Canutus Rex Inſulam Glaſconiam Abbatis Iudicio ſubmittens *(d)* ait: „ *cum Conſilio, et Decreto Archi Praeſulis Noſtri Edelnothi, ſimulque cunctorum Dei Sacerdotum, et conſenſu Optimatum meorum.*

Bohemia VIII. Capitis huius § IV. Decretum S. Ladislai diximus ab Epiſcopis collaudatum in legem abiiſſe; ſimile exemplum in legibus pro morum reformatione a Bracislao Bohemiae duce anno MXXXIX. latis exſtat. „*Seuerus enim Epiſcopus dixit: iſta Ducis deliberatio iuſta, ſit anathemate firma.*

Caput Decimum Tertium.

Leges Eccleſiaſticae in Dioetis ſeu Comitiis Hungariae latae, ſunt leges mixtae.

Epiſcopi Hungariae condendarum legum auctoritatem participabant. I. Superiore Capite §. I. originem legum mixtarum inde repetiimus, quod vbique apud cultas nationes Epiſcopi primum occuparent locum, et quotiescunque legis ferendae adeſſet neceſſitas, omnes concurrerint, et mutua, alternaque charitate authorizando, et collaudando in legem conſenſerint. Apud Hungaros praecipuum occupaſſe locum, et hodiedum obtinere Epiſcopos, tam manifeſtum, palmareque eſt, vt ſtabiliendae aſſertioni noſtri vlterius immorari ſuperfluum foret. Eadem praerogatiua gaudebant Epiſcopi Franciae teſte Ludouico Pio in Capitulari tertio anni DCCCXXVIII. dum ait: „*Exceptis Epiſcopis, Abbatibus, et Comitibus, qui ad placita noſtra ſemper venire debent.* Paucis expediendum: Epiſcopos ita primum tenuiſſe locum, vt in rogandis, firmandiſque legibus illorum conſenſus acceſſerit. In procemio libri primi S. Ladislai profitetur Sanctus Rex: *cum vniuerſis Regni ſui Pontificibus, et Abbatibus, nec non cunctis Optimatibus* ſancitas fuiſſe leges. In memoriam ſibi reuocet beneuolus Lector, quomodo S. Ladislai Lib. I. Cap. 37. *ab vniuerſis Epiſcopis collaudatum fuerit* ieiunium S. Petri. Sigismundus Rex in Decreto anni MCCCCXXXV. non ſolum voti, et deliberationis Praelatorum commeminit, verum aſſerit etiam illos totum regni corpus cum Nobilibus repraeſentare. *(e)* Albertus Rex ad petitiones Praelatorum aures exaudibiles Regio cum fauore inclinaſſe ſe aſſerit, dum legem ſcriberet. *(f)* Decretum Ladislai Regis anni MCCCCLIV. id in rem noſtram habet, quod illi haec ſubiiciantur in editione Sambuci *ad relationem Dominorum Praelatorum, et Baronum confirmata.* Similis eſt titulus articulorum Ioannis Coruini, *Articuli in Ciuitate Peſtienſi per Praelatos, et Barones in congregatione generali editi*, anno MCCCCXLVI.

II. Pro-

(a) Manſi Tom. XIV. col. 401.

(b) Manſi Tom. XIV. col. 489.

(c) De diuerſis Saxoniae partibus congregatum eſt Synodale concilium in loco praeclaro, qui nominatur Clouesho, praeſidente huic venerabili Concilio Beornolfo Rege Merciorum, et Wulfrego Archi-Epiſcopo, coeteriſque Epiſcopis, et Abbatibus, omniumque dignitatum Optimatibus, Eccleſiaſticorum ſcilicet, et ſecularium perſonarum, vtilitatem, et neceſſitatem Eccleſiarum, miniſterialiſque vitae regulam, et obſeruantiam, ſtabilitatem quoque regni pertractantes. „ Totidem verbis vtitur aliud Cloueshouienſe Synodale Concilium.

(d) Edita eſt haec charta Anno MXXXII.

(e) Vna cum fidelibus noſtris Praelatis videlicet, et Baronibus eiusdem Regni ad Noſtram Maieſtatem confluentibus certam conuentionem Nobilium de ſingulis ipſius regni comitatibus conuocari feciſſemus, tandem ipſorum congregatione adunata cum eorundem Praelatorum, et Baronum noſtrorum, nec non Nobilium regni totum corpus eiusdem regni cum plena facultate abſentum repraeſentantium vnanimi voto, conſilio, deliberatione, et conſenſu.

(f) Nos itaque huiusmodi petitionibus Praelatorum, Baronum, Nobilium, ac Regnicolorum noſtrorum aures exaudibiles Regio cum fauore inclinantes.

Digitized by Google

Epiſcopis diſſentientibus leges Eccleſiaſticae in Dioetis ferri nequiuerant.

II. Procul dubio conſenſus Praelatorum ad legis inſtitutionem adhibebatur, ſi absque eo lex perferri non poterat, et hinc vtique factum eſt, quod Maiores noſtri Canoniſationem, et collaudationem, ſeu conſenſum Epiſcoporum tam neceſſarium exiſtimauerint, vt absque eo haud crederent rite ferri leges de rebus, et cauſis Eccleſiaſticis; cuius perſuaſionis inuictiſſimum argumentum praebet Vladislaus II. Rex in Decreto VII. anno MDXIV. edito, vbi ait: Praelatos, et Barones diu, multumque conſultaſſe, et re concluſa quosdam articulos communi voto, et conſenſu obobtuliſſe, ommiſſos tamen fuiſſe articulos, de honeſtate Clericali, in quos Praelati conſentire non potuerunt. *(a)* Tantum ergo valuit diſſenſus Dominorum Praelatorum, vt articuli de honeſtate Clericali condi nequiuerint. Nemo autem oggerat in hoc Decreto leges de cauſis Eccleſiaſticis occurrere, ſed illae non niſi tres ſunt, et quidem omnes clari iuris, quibus reluctari non poterant Praelati; nam articulo 48. ſcelerati Praesbyteri, ſeditionis ruſticanae complices per Praelatos inquiri, et puniri praecipiuntur; ex hac etiam ſeditionis participatione manauit articulus 60. vt Praesbyteri non beneficiati arma, vel pixides non portent. Articulus autem 59. vt nullus duo beneficia Eccleſiaſtica teneat ex perpetua Eccleſiae disciplina deſumptus eſt. Quum igitur tales ſint articuli, quos conditos reperimus, vt illis refragari Praelatos nec oportuerit, nec conuenerit, certum eſt alios de honeſtate Clericali propoſitos fuiſſe, qui tamen diſſentientibus Praelatis in legem abire non potuerunt. Et ſane nec articuli de factis criminalibus propoſiti comparent, vtriusque ergo conditionis articuli, ſeu leges ſtatui non poterant. Ex quo ipſo vlterius conſequitur conſenſum Epiſcoporum ad condendam legem tam neceſſarium fuiſſe, vt neque articuli criminales diſſentientibus illis ſtatui quiuerint, et ſane ſi Epiſcopi, id eſt Praelati praecipuum ſtatum Regni conſtituunt, et conſenſu ſtatuum lex fit, procul dubio ſtatu Praelatorum diſſentiente, ſeu praecipuo ſtatu reluctante nec Regnum legem rogaſſe, neque legem conditam aſſerere licet.

Caput Decimum Quartum.

De Capitularibus Regum Francorum.

Quid ſit Capitulare?

I. Priori Capite diſſeruimus de Conuentibus, in quibus mixtae leges condebantur apud Hungaros, diximusque in Dioetis eſſe latas, iam propius ad rem noſtram accedentes de Capitularibus Regum Francorum ex inſtituto agamus. Antonius Aug. de emendatione Gratiani Lib. 2. Dialogo XI. de origine vocis multa ſat disputauit, ſed ſi verum licet dicere, ſat imperite, ait enim peccare illos, qui librum ſeu volumen Capitulare dicunt, quod Capitula contineat, *(b)* et quaſi collectio ſit multorum Capitulorum. Papias Capitulum, et Capitulare idem omnino eſſe dicit, et conſtat Capitula dicta, quod explanatio Capitulorum in illis fieret. Mihi quidem triplicem ſignificationem videtur habere vox haec; Capitulare enim notat legem, notat conuentum, in quo Capitula ſiue condita, ſiue excerpta ſunt, notat denique collectionem legum illarum, quae aeui illius vſus hoc inſigniuit nomine. Harum ſignificationum proferamus exempla. Legem notat, Capitularium Lib. 2. Cap. XXI. vbi nonae, et decimae perſolui

inben-

(a) Domini Praelati, ac Barones, et coeteri regnicolae noſtri, accepta mente noſtra, quum diu, multumque ſuper his rebus conſultaſſent, tandem collatis ſententiis, et re concluſa quosdam nobis articulos communi voto, et conſenſu parili, demptis articulis facta criminalia, et honeſtatem clericalem concernentibus, ad quos ipſi Domini Praelati conſentire non poterant, formatos, atque compoſitos obtulerunt noſtrae Maieſtati.

(b) „ Qui librum Capitularem dicunt, quod Capitali ſit, minus peccare videntur, quam qui ideo volumen Capitulare dicunt, quod in multa diuidatur Capitula, et quaſi collectio ſit multorum Capitulorum.

iubentur, *ſicut per Capitularia Noſtra ordinauimus.* *(a)* In Decretali precum ſub Carolo M. anno DCCLXXIX. celebrato Epiſcopi Conſtitutionem ſuam vocant Capitulare. *(b)* Conuentus, in quibus Capitula condita, tam diſtincte Capitularium praeferunt epigraphen, vt paginam vtramque illis complere poſſem. Collectionem denique Capitulorum hoc ſortitum fuiſſe nomen probari non debet, cum ſit perſpicuum. Nobis nunc primum de Capitularibus ſermo erit, in quantum legem, ſeu praeceptum notant.

Capitularia ſunt diuerſa a legibus.

II. Capitularia Regum Francorum (licet dixerimus Capitulare legem ſonare) a legibus diſtinguenda ſunt; ſcimus quippe ex Hincmaro Remenſi Capitularia pro legibus habita non fuiſſe, *(c)* malos enim iudices arguit, quod iam ad legem, iam ad Capitularia pro commodo ſuo recurrant, et iam legem, iam Capitularia amplectantur, prout vtilitatis propriae ratio ſuggeſſerit. Ipſe etiam Carolus M. legem a Capitularibus ſecernit, ac vna dolet, non omnes Regibus Franciae ſubiectos, etiam Capitularium fuiſſe obnoxios praeceptis, in Capitulis enim additis ad legem Longobardorum *(d)* de ſeruis fugacibus, vbi conſtituiſſet illos absque vlla annorum praeſcriptione vendicari poſſe, ſubiungit, a Longobardis, vel Romanis ea lege ſeruos vel aquirendos, vel amittendos, quae inter eos antiquitus ſit conſtituta.

Indoles Capitularium.

III. De indole Capitularium videamus. Optimam illam fuiſſe praeclara pietas, quae vndique elucet, perhibet, vt auro, cedroque digniſſima exiſtimem; ego ſane mirifice delector ſpectatiſſima Regum Franciae deuotione, quam Capitularium ſinguli, vt ita dicam, apices ſpirant, vbique legi Eccleſiaſticae occurrunt, et ſuccurrunt. Childericus Rex in Capitulari Sueſſionenſi Cap. I. iubet per vniuerſam Regionem dominari iudicia Canonica Sanctorum, quae conſtituerunt in Synodis ſuis, et videri quomodo lex Dei, et Eccleſiaſtica Regula recuperetur, quae in diebus priorum Principum diſſipata corruit. Exemplum hoc ſtrenue ſecutus Pipinus in Capitulari Synodi Vernenſis Cap. IX. exilii legem ſtatuit in praeuaricatores Epiſcopalium mandatorum, *(e)* vt condemnentur exilio, quos Epiſcopus emendare minime potuerit. Rurſus Capite XIV. transgreſſores Diei Dominicae iudicio Sacerdotali referuat, vt ſcilicet, qualiter emendari debeat illicita opera exercens, non in Laicorum diſtrictione, ſed in Sacerdotis caſtigatione conſiſtat. Karolus Magnus nihilo ſegnius legis Eccleſiaſticae vigorem Regia fouit auctoritate, Concilii enim Chalcedonenſis Canonem nonum renouauit in Capitulari I. incerti anni ſtatuens: „*vt Clerici inter ſe negotium habentes a ſuo Epiſcopo diiudicentur, non a Secularibus, et vt Clerici Eccleſiaſtici ordinis ſi culpam incurrerint, apud Eccleſiaſticos iudicentur, non apud Seculares.*„ Non abſimiliter Ludouicus Pius in Capitulari Aquisgranenſi anni DCCCXVI. Cap. VI. inquit: *placuit omnibus cum Sacris Canonibus concordare debere.*„ Clarius adhuc piam ſuam voluntatem teſtatam fecit in capitulari anni DCCCXXIII. Capite I. *(f)* Vbi tria ſpecialiter capitula

G ſibi

(a) „*In diuerſis placitis admonitionem fecimus, et per Capitularia Noſtra, qualiter haec obſeruentur, ordinauimus.*

(b) *Capitulare qualiter inſtitutum eſt in hoc Epiſcoporum Conuentu. id eſt: vt vnusquiſque Epiſcopus.* apud Baluzium in Capit. Regum Francorum Tom. I. col. 145. Auctor Tractatus de ſtudio conciliorum part. 2. cap. 2. p. 238. ait: *ceterm eſt un nom, qui s' etend a toute ſorte des Conſtitutions ſoit Eccleſiaſtiques, ſoit Ciuiles, et politiques.*„ haec nomenclatio ſe extendit ad quamuis ſpeciem conſtitutionum ſiue Eccleſiaſticarum, ſiue Ciuilium, ſiue politicarum.

(c) Epiſtola XV. ad Epiſcopos Regni cap. 15. *Quando ſperant aliquid lucrari, ad legem ſe conuertunt, quando vero per legem non aeſtimant aquirere, ad Capitularia concurrunt.*

(d) Baluzius de Capitularibus col. 249. cap. 8. *Si vero Longobardus, aut Romanus fuerit, ea lege ſeruos ſuos vel aquirat, vel amittat, quae inter eos antiquitus eſt conſtituta.*

(e) *Quodſi aliquis iſta omnia contempſerit, et Epiſcopus emendare minime potuerit, Regis iudicio exilio condemnetur.*

(f) *Diebus vitae noſtrae optamus, vt tria ſpecialiter Capitula, et a nobis, et a vobis Deo opem ferente in huius regni adminiſtratione ſpecialiter conſeruentur, id eſt: vt defenſio, et exaltatio, vel honor Sanctae Eccleſiae Dei, et ſeruorum illius congruus maneat, et pax, et iuſtitia in omni generalitate populi noſtri conſeruetur.*

ſibi cordi eſſe edixit, inter quae praecipuum fuit defenſio, et exaltatio, ac honor Eccleſiae Sanctae Dei, et ſeruorum eius. In Capitulari Tribirienſi placuiſſe ſibi et fidelibus ſuis aſſerit, *(a)* vt Epiſcopi, quos Deus ſuo, non humano iudicio reſeruauit, eorumque cooperatores, quorum precibus Sancta Eccleſia Dei conſtat, intacti permaneant, vtique iuxta illud: *nolite tangere Chriſtos meos.* Apud Anſegiſum Abbatem Lib. 2. Cap. 4. Epiſcopis dicitur, vt ad Regem deferant, ſi eius auctoritate indigeant, vt illius auxilio ſuffulti, famulante poteſtate Regia facilius perficere valeant. *(b)* Ex his patet, quam merito Concilium Trosleianum c. 3. Capitularia appellauerit pediſſequa Canonum inquiens: *et Canonum praecipiunt inſtituta, et ſimul eorum pediſſequa Regum Capitularia.*

Quae ſit auctoritas Capitularium?

IV. Auctoritas Capitularium altera eſt illorum indoles. Magnam fuiſſe ſatis patet ex Baluzio, vt pluribus actum agere neceſſum non ſit; potius corrigendus Baluzius, qui in depraedicandis Capitularibus omnem exceſſit modum, iurium enim Diuinorum, et humanorum iacturam aequo animo ſuperſtitibus Capitularibus ferret. *(c)* Vtut praeclarae ſint leges illae, ab hominibus tamen ſcriptae non caruerunt omni prorſus noeuo, neque id velim Baluzius aegre ferat, vere enim ſcripſit Diuus Auguſtinus Lib. 5. de Bapt. contra Donatiſtas Cap. 5. „*pro ſalute humani generis factum*, *vt inueniatur aliquid*, *quod reprehendatur quamuis in piis*, *et Chriſtianis litteris Oratorum*, *et non inueniatur in litteris piſcatorum.*„ Quis amabo aequam exiſtimabit legem hanc a Dagoberto Cap. 58. § 18 latam „ vt ſi ingenua ſeruum inuitis Parentibus ſecuta fuerit, liberum ſit, offerente Rege, vel Comite accipere gladium, et occidere ſeruum, vel permanere in ſeruitute. *(d)* Quid dicemus de purgatione vulgari per vomeres ignitos in Cap. II. anni DCCCIII. Cap. V. de homicidis ſtatuta, *(e)* vbi per nouem vomeres ignitos iudicio Dei examinari iubentur. Quid de purgatione vulgari per duellum praeſtanda, cuius multiplex occurrit ratio: in Capitulari enim IV. anni DCCCIII. decernitur, vt reus iure conuentus cruce, aut ſcuto, et fuſte contra actorem decertet, cruce quidem per iusiurandum, ſcuto autem, vel fuſte per duellum. Et rurſus in lege Longobardica anni DCCCI. ordinatur, vt antequam ille, qui vult ſe defendere, peierare debeat, in campo *(f)* cum fuſtibus contendat. Sed non ſemper fuſtibus pugnatum eſt, ad gladios etiam quandoque deuentum, et coedes factae. Hinc licet Dagobertus Rex *(g)* ſolennem illam formulam ſanxerit: „*mendacium iuraſti contra me*, *ſponde mihi pugnam duorum*, *et manifeſtet Deus mendacium*, *an veritatem iuraſti*„ adeoque res in ſponſione ſubſtitiſſe videatur, neceſſe tamen habuit, legem ſancire de illis, qui in duello ceciderunt, praeſertim de Campionibus. *(h)* Titulo enim XVII. de Campionibus prouidit, quot ſolidis componenda

---

(a) Placuit nobis, et fidelibus noſtris, vt Epiſcopi, et eorum Miniſtri, quos Deus ſuo, non humano iudicio reſeruauit, iuxta Sanctorum Canonum, Sanctorumque Patrum, ac Capitularium praecedentium Regum coram poſitorum ſtatuta, et Dei Sacerdotes, eorumque Cooperatores, quorum interceſſionibus, ſupplicationibus Sancta Dei Eccleſia conſtare videtur, intacti permaneant. In Capitulari Triburienſi Decretum Imperatorium poſt petitionem Epiſcoporum.

(b) Noſtrae dignoſcentiae id ad tempus inſinuare aut differatis, vt noſtro auxilio ſuffulti, quod veſtra auctoritas expoſcit, famulante, vt decet, poteſtate Noſtra facilius perficere valeatis.

(c) Leges (Francorum) *Baſilius Ioannes Heroldus tam Auguſtas, tam Sacroſanctas a veteribus habitas fuiſſe exploratum ſe habere ait grauiſſimorum virorum teſtimonio, vt caetera potius iura omnia et Diuina, et humana diſſimulari, abrogarique, quam ipſas violare perferrent tolerabilius.* Baluzius Praefatione ad Lectorem.

(d) Quod ſi ingenua ripuaria ſeruum ripuarium ſecuta fuerit, et Parentes eius hoc contradicere voluerint, offeratur ei a Rege, ſeu a Comite ſpata, vel concula, quod ſi ſpatam acceperit, ſeruum interficiat, ſi autem conucalam, in ſeruitio perſeueret.

(e) Si negauerit, ſe illum occidiſſe, ad nouem vomeres ignitos iudicio Dei examinandus accedat.

(f) Melius viſum eſt, vt in campo cum fuſtibus pariter contendant, quam periurium abſcondite perpetrent.

(g) Anno DCXXX. in lege Baiouariorum Tit. XIV.

(h) Quos ſtatuebat vtraque pars ſi ipſamet confligere noluiſſet.

nenda ſit coedes campionum; *(a)* nobilis quidem, et liber cum duodecim, ſi ſeruus, et Dominus conſenſerit totidem, ſin minus: cum viginti ſolidis componatur. Memorabilis eſt formula ab eodem Dagoberto de metis, et limitibus iudicio duelli contendentibus tradita, vt tangentes terram ipſam gladiis ſuis teſtificentur Deum, vt ipſius ſit victoria, cuius eſt iuſtitia. *(b)* Quid dicemus de purgatione per ſortes a Clotario II. de furе ſtatuta, vbi dicitur: „*ſi de ſuſpicione inculpatur, ad ſortem veniat*.„ Quid dicemus de iudicio ferri candentis, cuius memoria itidem in Capitularibus occurrit? quid de iudicio aquae feruentis a Ludouico Pio in Capitulari I. anno DCCCXIX. ordinato, vt ſeruus iudicio aquae feruentis examinetur, et ſi manus aduſta fuerit, interficiatur. *(c)* Quid de examine aquae frigidae, quod Ludouicus Pius ſuſtulit. *(d)* Quid inquam dicemus de omnibus generibus probationum vulgarium *per crucem, ſortes, ferrum candens, vomeres ignitos, duellum ſcutis, ſuſtibus, et gladiis, aquam frigidam, et feruentem?* omnia haec in Capitularibus toties fiunt, et cum abſque manifeſta Diuini Numinis tentatione fieri non poſſint, a iure Diuino vetantur. Quomodo ergo poteſt Baluzius tam exaggeratum Heroldi praeconium his Capitularibus tributum ratum habere?

Praetereundus hic non eſt error Graecorum de diſſolubilitate matrimonii ob fornicationem, ſeu adulterium, qui neſcio quomodo in Capitularia irrepſit; Et quidem ob inceſtum ſoluebantur coniuges a vinculo matrimonii ſub Pipino Rege in capitulis datis apud Vermeriam anno DCCLIII. cap. I. de eo, qui cum vxoris ſuae filia, (quam filiaſtram vocat) carnale commercium habuit: *(e)* in quo caſu datur libertas parti innocenti alteri nubendi, ſi abſtinere a matrimonio nolit, ſi tamen delicto cognito cum viro ſuo commixta non fuit. Apud Rheginonem lex haec ita refertur, vt pars nocens toto vitae ſuae tempore abſque coniugio relinquatur, parti innocenti vero liceat ad alia vota tranſire. *(f)* Adulterium quoque ſimili poena mulctatur in eodem Pipini Regis Capitulari cap. 5. ſi tamen mortem machinata fuit vxor marito ſuo; hocque in caſu vir vxorem ſuam dimittere poteſt, ipſa vero abſque ſpe coniugii relinquatur. *(g)* Sed neque relictam Sacerdotis vxorem ſub eadem poena ducere licebat, prouti perhibet idem Capitulare cap. 3. *(h) quia reprehenſibile viſum eſt, vt Sacerdotis relictam alius habeat.* Intempeſtiuam ſane reuerentiam Sacerdotii! Confiteri nos oportet liberaliter agi cum matrimonii vinculo, inſeparabilem enim vitae ſocietatem pro arbitrio tollunt, et ordinationem Saluatoris noſtri prorſus exinaniunt capite IX. quo ſerno ob euidentem neceſſitatem extra Patriam proficiſcenti, ſi ſpem non habeat redeundi, et vxor illum ſequi nolit, aliam vxorem cum poenitentia ducendi venia conceditur. *(i)*

Nihilo

(a) Si vnus ex his ab altero interfectus fuerit, quamuis nobilis ſit perſona, non componatur amplius, quam duodecim ſolidis, et ab eo componatur, qui illum iniuſte inuitauit, ſi ſeruus fuerit per Domini ſui conſenſum, pari modo ſubiacebit, ſin autem: cum viginti ſolidis componatur.

(b) Quando parati ſunt ad pugnam, tunc ponant ipſam terram in medio, et tangant ipſam cum ſpatis ſuis, cum quibus pugnare debent, et teſtificentur Deum Creatorem, vt cuius ſit iuſtitia, ipſius ſit et victoria, et pugnent.

(c) Si proprius ſeruus hoc commiſerit, iudicio aquae feruentis examinetur, vtrum hoc ſponte, vel ſe defendendo feciſſet, et ſi manus eius exuſta fuerit, interficiatur.

(d) Vt examen aquae frigidae, quod hactenus faciebant, a miſſis noſtris modis omnibus interficiatur, ne vlterius fiat.

(e) Vxor eius, ſi ita voluerit, ſi ſe continere non poteſt, ſi poſteaquam cognouit, quod cum filia ſua vir eius in adulterio fuit, carnale commercium cum eo non habuit, niſi voluntate ſe abſtinet, poteſt alia nubere.

(f) Siquis cum vxore fratris ſui dormierit adulter, et moecha, diebus vitae ſuae abſque coniugio maneat, ille vero, cuius vxor fuerit, ſi vult, aliam coniugem accipiat.

(g) Si qua mulier mortem viri ſui cum aliis hominibus conſiliauit, et ipſe vir ipſius homines ſe defendendo occiderit, et hoc probari poteſt, poteſt vxorem ſuam dimittere, et ſi voluerit, aliam accipiat, ipſa autem inſidiatrix poenitentiae ſubiecta abſque ſpe coniugii maneat.

(b) Siquis Presbyter nuptam ſuam vxorem habuerit, ipſam dimittat, et gradum perdat, ſi alius eam acceperit, et ipſam a ſe reiicint, et ſi ſe continere non poteſt, aliam accipiat, quia reprehenſibile eſt, vt relictam Sacerdotis alius homo habeat.

(i) Siquis neceſſitate ineuitabili cogente in alium

Nihilo meliora occurrunt in Capitulari anni DCCCLVIII. deciditur ibi caſus iſtiusmodi: *Homo Francus accepit beneficium de ſeniore ſuo, et duxit ſecum vaſallum ſuum, et poſtea ibi mortuus fuit ipſe ſenior, et dimiſit ibi ipſum vaſallum, dedit ei mulierem de ipſo beneficio, et habuit ipſam aliquo tempore, et dimiſſa illa reuerſus ad Parentes Senioris ſui mortui, et accepit ibi vxorem, et modo habet eam.* En deciſionem! *definitum eſt, quod illam, quam poſtea accepit, ipſam habeat,* quia nimirum poſteriora derogant prioribus. Piget nos alia horſum transcribere, et haec ſufficient. Scio quidem in Hungaria viguiſſe probationes vulgares, ſcio de iis in Synodis Regiis leges eſſe latas, ſed quia leges noſtras ita reueremur, et praedicamus, vt Sacras Regum Noſtrorum litteras cum litteris Piſcatorum conferendas haud cenſeamus, humanum aliquid pati potuiſſe legiſlatores noſtros profitemur. Tollat ergo Baluzius quod nimium eſt, et habebit me ſuffragatorem, et Capitularium reuerentiſſimum praeconem.

An Capitularia Summos Pontifices obligauerint?

V. Vidimus §. II. Capitularia non omnes Francorum Regibus ſubiectos obligaſſe, mirum ergo videri debet, quomodo in mentem venire potuerit Baluzio, vt ſcriberet Summos Pontifices legibus Capitularium fuiſſe obnoxios. *(a)* Obſeruari hic primum debet, quod idem Baluzius § XXVI. genuine confiteatur ſe non reperiſſe Romanos Pontifices, qui ante, et poſt Leonem quartum vixere, pollicitos eſſe, obſeruaturos ſe leges in iisdem Capitularibus praeſcriptas, quomodo ergo illarum obſeruationi ſe ſe obligarunt? Dein conſtat ex laudatis Capitularibus Eccleſias ſub toto imperio Francorum Capitularibus in quantum Ciuiles erant, non fuiſſe conſtrictas, exiſtimabimusne caput Eccleſiae illis deſeruiuiſſe? Dagobertus Rex anno DCXXX: in Cap. I. capite LVIII. ſanxerat huiusmodi legem: *Epiſcopus Archi-Diaconum iubeat, vt* (manumiſſionem impetranti ſeruo) *tabulas ſecundum legem Romanam, qua Eccleſia viuit, ſcribere faciat.* Idem praecipit Ludouicus Pius apud Baluzium pag. 466. *omnis ordo* (inquit) *Eccleſiarum ſecundum legem Romanam viuat.* Votum id erat Leonis IV. *vt ſicut Romana lex hactenus viguit, absque vniuerſis procellis, et pro nullius perſona hominis noscitur eſſe corrupta, ita nunc ſuum robur, vigoremque obtineat. (b)* Etiam me tacente conſtat nomine legis Romanae nunquam veniſſe Capitularia; conſtat ergo pariter Eccleſias alteri legi fuiſſe obnoxias. Quae autem ſit lex Romana docet Capitulum de honoranda Sede Apoſtolica, *(c)* monens ab Epiſcopis Sedem Apoſtolicam de immorigeris Presbyteris conſulendam, vt illa dignetur decernere, quid de talibus iuſto ordine Lex Romana ſtatuat, quo et ceteris modus imponatur. Sedes ergo Apoſtolica eſt fons legis Romanae, ſecundum quam Eccleſia, et omnis ordo Eccleſiaſticus viuebat illo Capitularium aeuo. Cui ergo perſuadebit Baluzius Pontifices Summos Capitularibus fuiſſe obligatos?

VI. In-

---

ducatum ſeu Prouinciam fugerit, aut ſeniorem ſuum (id eſt Dominum) *cui fidem mentiri non poterat, ſecutus fuerit, et vxor eius, quum valet, et poteſt, amore Parentum, aut rerum ſuarum eum ſequi noluerit, ipſa omni tempore, quamdiu vir eius viuit, quem ſecuta non fuerit, innupta permaneat, nam ille vir eius, cuius neceſſitate cogente alium locum fugerit, ſi nunquam in Patriam ſuam ſe reuerſurum ſperat, ſi ſe abſtinere non poteſt, aliam vxorem poteſt cum poenitentia accipere.*

(a) Nulla tamen res (Capitularium) *dignitatem, maieſtatem auctoritatem adeo commendat, ac obedientia, et obtemperatio Pontificum Romanorum, quos viri docti aduatarunt paruiſſe olim legibus Regum noſtrorum, et earum obligationi ſeſe obligaaiſſe.* Baluzius in Praefatione §. XXI. Auctor Tractatus de ſtudio Conciliorum par: 2. cap. 2. p. 239. ipſum id aſſerit: „*les Papes memes faiſoient gloire d'y obeir, et s' obligioent de les obſerver come il paroit par la lettre de Leon IV. al' Empeur Lothaire qu' Joes chartres, et gratien rapportent*„ Hanc Epiſtolam genuinam non exiſtimauerit Baluzius, alioquin mirum, ſi Gratiani merces aliquid valere poſſint.

(b) Gratianus Diſt. X. cap. 13.

(c) Apud Baluzium Tom. I. col. 256. „*per Epiſtolam, aut per idoneos ſuae partis legatos Apoſtolicam interpellet ſublimitatem, vt potiſſimum ſua ſancta Legatione dignetur decernere, quid de talibus iuſto ordine lex Romana ſtatuat definire, vt et is corrigatur, et coeteris modus imponatur.*

Digitized by Google

Quomodo condebantur?

VI. Indolem Capitularium non minus, quam affinitatem cum legibus Hungaricis mox vberius oſtendendam magna ex parte perſpiciet quiuis, ſi rationem condendi Capitularia, cum ratione condendi leges, quae apud nos vsque nunc obtinuit, contulerit; paucis id expediam: in conuentibus, qui placita, conuentus, concilia, Synodi, Synodales conuentus vocabantur, aderant Epiſcopi, Abbates, Comites, ac coeteri Optimates, hi enim omnes populi (*) nomine veniunt. Princeps proponebat legem, quam populus ſuo firmabat conſenſu, nonnunquam populus petitionem offerebat, quam Princeps ſuo dignabatur aſſenſu, fiebat etiam nonnunquam, vt Princeps ſtatueret aliqua, quae deinceps in proximo generali Placito in legem euehenda erant. Hanc indolem Capitularium, et eandem condendi rationem diſcimus ex ipſis Capitularibus. In Capitulari enim Saxonum anni DCCXCVII. conuenientes in vnum in Placito Epiſcopi, et Abbates, et illuſtres viri Comites, Optimates, vnanimiter conſenſerunt, et aptiſicauerunt legem. *(a)* Populum vocari Epiſcopos, Abbates, Comites, Optimates docet epigraphe Capitularis anni DCCCXX. *(b)* Conſenſum populi perhibet Capitulare Triburienſe *(c)* ſub Ludouico Pio, qui ſuum, et fidelium ſuorum placitum appellat, et inde etiam Conuentus ipſe generale placitum audire conſueuit. Populi appellationem, ac vnanimum ad ferendam legem concurſum docet Praefatio Capitulari I. anni DCCCXIX. praemiſſa. *(d)* Non ſolum conſenſu, ſed etiam ſubſcriptione Optimatum confirmata fuiſſe Capitularia elucet ex conuentu Colonienſi habito a Carolo Caluo anno DCCCXLIV. In principio enim ſtatim praemittitur, Capitula ſubſcriptione Principis, et Epiſcoporum, ac coeterorum fidelium fuiſſe conſenſu firmata, accedente etiam Optimatum conſenſu *(e)*. Subſcriptio ipſa adiectae confirmationis perhibet teſtimonium. In conuentus apud Marſuam Secundi ſub eodem Carolo anno DCCCLI. habiti praefatione occurrit conſultum Epiſcoporum, et coeterorum fidelium, eorumque ſubſcriptio, ac inſuper promiſerunt ſe illa perpetuo obſeruaturos, *(f)* quae ideo etiam in conſpectu totius populi relecta fuere. Memoratu digniſſimum eſt, et aſſertum noſtrum vberrime confirmat conſilium, quod Epiſcopi, et coeteri fideles Domini Caroli apud Bonoilum communiter illi dederunt, *(g)* *precamur* ita inquiunt, *vt Capitula, quae vos ipſi cum fidelibus veſtris in Colonia Villa manu propria firmaſtis, ſed et ea, quae in Beluaco Ciuitate Epiſcopis tradentibus ſub notiſsima conditione ſuſcepiſtis, illa quoque, quae cum Fratribus veſtris ſecus Theodonis villam in loco, qui dicitur Iudicium, approbaſtis, ante Capitula in Baſilica Sancti Caſtoris apud confluentes ſancita.,,* Vides Capitula ſancita ab Epiſcopis tradi, a Principe firmari, approbari. Eodem loco exprimitur diſertis verbis Epiſcopos, et Laicos conſideraſſe, id eſt expendiſſe firmitatem, quam inter ſe Reges fecerant, et Capitula ab Epiſcopis acceptata fuiſſe. *(h)* Vidimus

 ſupra

(*) vide notam marginalem cap. XII. §. V. littera *c.*

(a) Conuenientibus in vnum Aquis in Palatia Venerabilibus Epiſcopis, et Abbatibus, ſeu Inluſtribus viris comitibus omnes vnanimiter conſenſerunt, et aptiſicauerunt.

(b) Capitula data apud Theodonis villam in generali populi conuentu.

(c) Placuit Nobis, et fidelibus Noſtris.

(d) Haec Capitulo Dominus Hludouicus Imperator anno imperii ſui quinto vniuerſo coetu populi in Aquisgranenſi Palatio promulgauit.

(e) Incipiunt Capitula, quae ſunt acto anno quarto regni Domini Caroli Glorioſi Regis, Domini Hludouici Imperatoris Filii in conuentu habito in villa, quae dicitur Colonia, quae etiam ſubſcriptione eiusdem Principis, et Epiſcoporum, ac coeterorum fidelium Dei confirmata fuere conſenſu Warini, et aliorum optimatum.

(f) Haec, quae ſequuntur Capitula, acta ſunt anno DCCCLI. Incarnationis Dominicae, quando tres fratres Reges ſcilicet: Hlotarius, Hludouicus, et Carolus ſecus municipium Traiectum, penes locum, qui dicitur Marsna iterum conuenerunt, et conſultu Epiſcoporum, et coeterorum fidelium eadem Capitula ſubſcripſerunt manibus propriis, et inter ſe, ac inter fideles ſuos perpetuo ſe conſeruaturos promiſerunt.

(g) Apud Baluzium Tom. II. col. 52.

(h) Haec ſunt nomina Epiſcoporum, et laicorum, qui anno Incarnationis Dominicae DCCCLX. nonis Iunii in Secretario Baſilicae S. Caſtoris conſiderarunt cum nobilibus, ac fidelibus laicis firmitatem,

ſupra a Rege ſuiſſe ſubſcripta Capitularia; quorſum pertineat ſolennitas iſta, concluſio nunc dictorum Capitulorum declarat, eo nimirum valuiſſe, vt a fidelibus inuiolabiliter obſeruentur, et a Principe obſeruanda certius credantur.(a) Manifeſtum quoque eſt Synodi Piſtenſis exemplum, in qua non Rex ſolum, ſed Epiſcopi etiam, et Abbates cum reliquis Optimatibus, et fidelibus loquuntur, et illis, quae priores Reges, et Epiſcopi cum conſilio et conſenſu coeterorum fidelium Dei ſtatuerunt, quaedam adiicienda duxerunt (b) Capitula, quae apud Cariſiacum in Capitulari habito anno DCCCLXXIII. *a Rege ſtatuta ſunt placito generali omnium cum voluntate, et conſenſu a Praefato Rege, et ab omnibus, qui praeſentes erant, confirmata fuere.* patet id ex conceſſione Domini Caroli ad petitionem populi de immunitate Epiſcoporum, et reliquorum Sacerdotum ab expeditionibus bellicis, promittit enim Carolus Rex, quum ad generale Placitum venerit, petitionem ipſorum omnium fidelium ſcriptis, ſeu ſubſcriptionibus firmandam. (c) Ne autem quis exiſtimare poſſit, haec protelatoria fuiſſe, ſubiungit idem Rex: *modo ea, quae generalia ſunt, et omnibus conueniunt ordinibus ſtatuere parati ſumus, et ad proximum Synodalem noſtrum Conuentum, ac generale placitum, vbi plures Epiſcopi, et Comites conuenerint, iſta ſicut poſtulaſtis, firmabimus.*,, Denique de Capitulis in Wormatienſi Capitulari anni DCCCXXIX. ſancitis dicitur, quod ſint Capitula, *quae ad plurimorum notitiam ad generalia placita ſunt reſeruata.*

Oſtendimus iam Capitularia condita fuiſſe voluntate Principis, et conſenſu populi, tam a Rege, quam ab Optimatibus ſubſcriptione fuiſſe roborata, Principes pollicitos fuiſſe ſemet obſeruaturos eadem Capitularia, a populo quoque fuiſſe propoſitas leges Principis voluntate roborandas. Huc pertinet etiam Conuentus Ticinenſis anni DCCCLV. vbi Princeps ait: *populus noſter nobis quasdam petitiones obtulit, quas nos Dei amore, et eorum fidelitate ducti libenter ſuſcepimus, atque ideo ſubter annotata Capitula ad eorum vtilitatem ſubſcribi fecimus, quae in futuro pro lege tenenda firmamus.*,,

Iam oſtendamus Principes ordinaſſe quaedam in proximo Generali Placito in legem, ſicut praemiſſum eſt, euehenda; VII. Auctoritatem ergo Canonicam ſortita ſunt Capitularia intrinſecam, quia conſentientibus, collaudantibusque Epiſcopis ſancita fuere. Si auctori Tractatus de ſtudio Conciliorum fidem habemus deciſiones Capitularium ſunt veri nominis Canones. (d) Iam ante illum obſeruauit Ant. Aug. de emendatione Gratiani dialog. 10. lib. 2. Capitularia tum auctoritate Apoſtolica confirmata, tum et Epiſcoporum voluntate ſiue lata, ſiue roborata fuiſſe. Laudat is hanc in rem Concilii Meldenſis anni DCCCXLV. canonem LXXVIII. ,,*vt Capitula Eccleſiaſtica a Domno Carolo magno Imperatore, nec non a Domno Ludouico Pio Auguſto promulgata enixe obſeruari praecipiantur*, extrinſeca ergo pariter pollent auctoritate Canonica.

Capitularia ſunt canones.

Caput

quam glorioſi Reges noſtri inter ſe fecerunt, et haec Capitula ab omnibus obſeruanda acceptauerunt.

(a) *Et vt obnixius ſubſcripta Capitula a vobis auxiliante Domino inuiolabiliter obſeruentur, et nos ipſa obſeruaturos certius credatis, manibus propriis ſubterſirmauimus.*

(b) *In nomine Sanctae, et indiuiduae Trinitatis Carolus Dei gratia Rex, et Epiſcopi, Abbates quoque, et Comites, ac coeteri in Chriſto renati fideles, qui ex diuerſis Prouinciis ſuper fluuium Secuanam in locum, qui Piſtis dicitur, conuenimus anno Incarnationis Dominicae DCCCLXII. anno vero XXIII. regni Domini noſtri Caroli Regis, glorioſi Reges, et Epiſcopi, qui ante nos fuerunt, ducti amore, et timore Diuino cum coeterorum fidelium Dei conſilio, atque conſenſu plura ſtatuerint Capitula, nos etiam pro qualitate verum, et opportunitate temporum quaedam - - - Capitula ſuperaddidimus.*

(c) *Quando vita Comite Deo auxiliante ad generale Placitum venerimus, ſicut petiſtis, omnium fidelium noſtrorum ſcriptis firmare cupimus.*

(d) 2. part. chap. 2. p. 238. *il me ſuffit, que leurs deciſions ſoient des veritables Canons.*

Caput Decimum Quintum.

De Affinitate legum Hungaricarum cum Capitularibus Regum Francorum.

Lex fit conſenſu populi.

I. L*ex Francorum* vti Carolus Caluus in Edicto Piſtenſi Capite ſexto inquit: *conſenſu populi fit, et conſtitutione Regia.* Similia ſunt, quae Tripartiti operis parte II. tit. 3. de modo condendi leges noſtras publicae legum Tabulae perhibent, „*accerſito, interrogatoque populo, ſi eis tales leges placeant, an ne? qui cum responderint, quod ſic; tales poſtea Sanctiones, ſaluo ſemper Diuino, naturalique iure pro legibus obſeruantur.* Hanc legum condendarum rationem ſecum e Scythia attulerunt Maiores noſtri teſte Anonymo Belae Regis Notario, qui Cap. XI. narrat, *(a)* quomodo Dux, et Nobiles ſui ordinauerint omnes leges, et iura Regni, poenas etiam cuiuis delicto ſtatuerunt. Hac ratione a temporibus quoque S. Stephani Regis leges perferri ſolitas fuiſſe, et nunc quoque ſanciri, paucis oſtendendum, vt liquidius pateat cognatarum legum affinitas. De S. Stephano dubitare non ſinit Chartuitius in vita eius, dum inquit Sanctum Stephanum Edictum cum Epiſcopis, et Primoribus Hungariae promulgaſſe. *(b)* Populum ex Epiſcopis, et Primoribus conſurgere nemo ignorat, qui populum a plebe ſecernere didicit; edictum itaque illud conſenſu populi, et conſtitutione Regia factum fuit. Id ipſum S. Rex velut locupletiſſimus teſtis perhibet, dum ait Lib. 2. Cap. 23. *(c)* ſe decernere Primatum ſuorum conuentu; et Lib. 2. Cap. 27. in *Regali Concilio* decretum fuiſſe; Capite 33. vocatur lex: *definitio communis Concilii.* His veſtigiis S. Ladislaum inſtitiſſe docet praeſatiuncula Libro I. praemiſſa, vnde iam aliqua Capite XIII. § I. deprompſimus. *(d)* Lib. 2. Cap. 1. Optimates dicunt ſe in monte Sancto Conuentum feciſſe, et quaeſiuiſſe. Liquidiſſimum eſt Lib. III. Cap. 1. teſtimonium: *hoc decreuerunt* ita inquit, *hanc legem conſtituerunt.* In decurſu eiusdem Capituli dicunt Optimates: totius Regni Principes Sacramento firmaſſe legem aduerſus fures latam. *(e)* Confer haec, ſi placet cum iis, quae Cap. XIV. ex Synodo Piſtenſi recitauimus. De Colomano Rege invictum habemus teſtimonium apud Albericum, de quo ſupra, appellat enim is Decreta Regis Colomani *regalium inſtituta collectionum, et Senatoria totius Regni Decreta.* Capite primo iterum dicitur, „*placuit Regi, et communi Concilio.* Carolus I. Rex in Decreto anni MCCCXLII. idipſum profitetur. *(f)* In Decretis Sigismundi Regis memoratu digniſſimum illud eſt, quod in Decreto tertio anni MCCCCV. edito auctoritatem Praelatorum Baronum, et Procerum ſuorum commemorat, illique ſuam iungit authoritatem. *(g)* In Decreto V. anni MCCCCXXXV. articulo II. ſe cum Praelatis, Baronibus, et Regnicolis ſtatuiſſe declarat, *(h)* vt adeoque verum ſit:

(a) In illo Dux, et ſui Nobiles ordinauerunt omnes conſuetudinarias leges regni, et omnia iura eius, qualiter ſeruirent Duci, et Primatibus ſuis, vel qualiter iudicium ferrent pro quolibet delicto commiſſo.

(b) Stephanus Princeps regia dignitate unctus, quam vitam egerit, qua prudentia, et moderatione fuerit, illud ſatis declarat Edictum, quod ab illo cum Epiſcopis, et Primoribus Hungariae promulgatum eſt.

(c) De his qui flagellantur ſua quaerentes, decreuimus noſtrorum Primatum Conuentu, vt ille percuſſor ſoluat decem iuuencos.

(d) Praeſidente Chriſtianiſſimo Vngarorum Rege Ladislao cum vniuerſis Regni Pontificibus, et Abbatibus, nec non cunctis Optimatibus cum teſtimonio totius Cleri, et populi - - - canonice, et laudabiliter haec inuenta ſunt Decreta.

(e) Notum faciat Nuncius Regis totius Vngariae Principes Sacramentum feciſſe, quod neque furi parcent.

(f) Nos Praelatorum, et Baronum noſtrorum voto vnanimi, et conſilio eorundem.

(g) Celebrato Praelatorum, Baronum, Procerumque noſtrorum Conuentu, de ipſorum conſilio, authoritate, et conſenſu - - - has leges, ſeu conſtitutiones ex authoritate Regia duximus ſalubriter ſtatuendas.

(h) Concluſum eſt inſuper, ac ſtatutum per noſtram Maieſtatem cum Praelatis, Baronibus, ac Regnicolis noſtris.

Digitized by Google

ſit: Lex Hungarorum ſit conſenſu populi, et conſtitutione Regia. Ladislaus Poſthumus in Decreto anni MCCCCLIII glorioſis Maiorum Suorum exemplis ductus eadem ratione, et leges ſcripſit, et ſic a ſe ſcriptas teſtatur in Praefatione narrans, quod Praelati, et Barones exhibuerint ipſi articulos, ſeu leges ea cum ſupplicatione, vt eas ratas habere, et ſe obſeruaturum promittere dignetur. *(a)*

Eodem modo conduntur apud nos leges, quo olim Capitularia.

II. Sed ne in immenſum excreſcat oratio noſtra, ad certa quaedam capita eam contrahamus. Inter Capitularia Regum Francorum vidimus petitiones populi ad Principem, et eius reſponſa in legem abiiſſe; id ipſum renouatum videmus apud nos inchoante periodo Auſtriaca ſub Ferdinando I. Conſtitutionibus enim Nouizolienſibus anni MDXLIII. ſubiicitur reſponſio Regiae Maieſtatis ad easdem, ex quibus lex coaluit. Conſtitutionibus Conuentus Tyrnauienſis anni MDXLV. reſponſum Regis ad Articulos conſtitutionum Diaetae memoratae adnexum eſt. His perpenſis quis dubitabit intermiſſam a Francis Capitularium condendorum rationem ad nos commigraſſe, vel apud nos reuixiſſe? Vidimus ſub Regibus Francorum a populo fuiſſe propoſitas leges, et viciſſim deliberationi populi ſubmiſſas, huius eiusdem moris veſtigium exhibet Ferdinandi I. nunc laudati Decretum IX. anno MDXLVI. cuius praefatio docet populi reſponſione confectam fuiſſe legem. *(b)* Vidimus dum de Capitularibus nobis ſermo eſſet, ad petitionem populi condi leges: condunt etiam noſtri Reges fidelium ſuorum precibus inclinati. *Conſenſimus*, inquit S. Stephanus, (Lib. 2. Cap. 35) *petitioni totius Senatus, vt vnusquisque dominetur propriorum.* Non exigui momenti haec lex eſt, norunt id omnes illi, qui inter praecipuas Nobilitatis praerogatiuas collocant poteſtatem ſuis libere vtendi, et fruendi. Vidimus quomodo ſemet Reges Francorum ad Capitularia obſeruanda obſtringant, horum vtique exemplo vsque hodie Regia clementia pollicentur Auguſti Reges noſtri ſe leges ſuas benigne obſeruaturos; teſtatur id ſolennis clauſula omnium Dioetarum: *Nos ipſi inuiolabiliter obſeruabimus. (c)* Vidimus apud Francos quaedam Capitularia in legem euehenda ad generale Placitum fuiſſe reſeruata; huiusmodi exemplum habemus in Decreto Bachienſi ſub Ludouico II. anni MDXVIII. vbi articulo XLII. et vltimo, legibus tunc conditis deſignatur tempus, quo ſubſiſtere poſſint, durareque, dies ſcilicet alterius Dioetae, in qua tandem videatur, quid decernendum, et concludendum ſit? *(d)*

III. Moribus receptum fuit apud Tranſiluanos lege id expoſcente, vt homicidae, praeſertim, ſi aut caſuale fuiſſet homicidium, aut certe praemeditatus animus edoceri non poſſet, cum conſanguineis occiſi componerent, atque vitam, et membra redimerent. Hoc ipſum adeo inualuerat apud Francos, vt Sanctus etiam Remigius redemptitios huiusmodi haberet. In teſtamento enim ſuo apud Floduardum

Compoſitio et diuiſio. ac teſtamentum apud Francos.

(a) Quum nobis nouiſſime de manu, poteſtate, et educatione Domini Friderici Imperatoris Romanorum exeuntibus Praelati, Barones, et Nobiles Regni Hungariae inuitaſſent Nos, et conduxiſſent in hanc Ciuitatem Noſtram Poſonienſem pro faciendis ordinationibus, quae pro conſeruando ſtatu, et pace ipſius Regni oportunae videbantur, tandem inter alia, quae hinc inde concorditer expedita ſunt, Praelati, Barones, et Nobiles vniuerſi nobis exhibuerunt concorditer, et praeſentauerunt articulos infra ſcriptas deſiderantes, et ſupplicantes, vt eos, et in eis contenta rata habere, admittere, et nos obſeruaturas promittere dignaremur.

(b) Intellexerunt Domini Praelati, et Barones, Nobiles, coeterique ordines, et ſtatus regni Vngariae Poſonii congregati ea, quae Sacratiſſima Regia Maieſtas Dominus eoram Clementiſſimus ipſis in hoc Conuentu coram, et ſcripto proponere dignata fuit, ad quae omnia ſic humiliter reſpondent.

(c) Supplicarunt nobis humillime, vt vniuerſos, et ſingulos articulos, omniaque, et ſingula in eis contenta, rata, grata et accepta habentes, noſtrumque Regium conſenſum eisdem praebentes authoritate, et poteſtate noſtra Regia acceptare, approbare, et confirmare, atque tam nos ipſi conſeruare, quam per alios conſeruari facere dignaremur, offerentes nos clementer, quod praedicta omnia in praemiſſis articulis contenta tam nos ipſi inuiolabiliter obſeruabimus etc.

(d) Praedeclarata ſtatuta vsque ad Diaetam duntaxat pro Feſto beati Georgii Martyris in tertia reuolutione annuali venturi celebrandam durent, in qua quidem Diaeto, quod tandem melius videbitur, decernendum, et concludendum erit.

Lib. I. Cap. 18. (mihi pag. 53.) Friaredo, quem, ne occideretur, redemerat duos ſolidos condonauit, alios autem duodecim Baſilicae Sanctorum Timothei, et Apollinaris perſolui iuſſit. *(a)* Diuiſio inter Fratres vigore mandati Regii ſit apud nos, quod nemo noſtratum ignorat. Flodoardus Lib. 2. Cap. 4. (mihi pagina 101) de Romulfo Epiſcopo, et germano eius ait, *de diuiſione iure gerenda praeceptum obtinuerunt regale.* Teſtamenta Epiſcoporum confirmantur auctoritate Regia; rurſus Flodoardus Lib. 2. Cap. 4. (mihi pag. 102) narrat, quod *teſtamenti* (Rodulfiani) *pagina in Archiuo Remenſis Eccleſiae reſeruatur cum auctoritate Childeberti Regis, quia petitus idem Rex a praefato Praeſule per Sonnacum Diaconum virum Venerabilem hoc teſtamentum confirmare decreuit.* De Sonnatio autem Epiſcopo Lib. 2. Cap. 5. pag. 108. *viri Dei teſtamentum regalis praecepti reperitur pagina roboratum.*

Comites. IV. Nihil vulgatius in Capitularibus, atque Comitum officium, variaque munia. In Hungaria nihil fere abſque illis agebatur, id ſi probare vellem, oporteret me horſum tranſcribere vniuerſas regni leges, et perdurat in hodiernum diem eorum nomen, et auctoritas. Notiſſima eſt Regni in Comitatus diuiſio. Similis nomenclationis, et diuiſionis veſtigium reperimus apud Benedictum Leuitam Capitularium Lib. 3. Cap. 10. vbi de teſtibus eligendis agitur, qui de ipſo pago, aut de vicinis centenis eligi iubetur, niſi forte longius extra Comitatum ſit cauſa inquirenda, et Lib. 2. Cap. 25 Ebbo Archi Epiſcopus, et Rhnotfridus Comes ſex Comitatibus praeficitur. *(b)*

Miſſi Regii Miſſi Regii, aut Miſſi Dominici peculiare videri poſſet Francorum Officium, niſi id in legibus noſtris pariter occurreret; S. Ladislai Regis Decretorum Lib. 3. Cap. 1. nuncius Regis per omnes Ciuitates dirigitur. *(c)* In hodiernum diem nuncii Regii apud nos ſuperſunt, quum nemo in bonorum poſſeſſorium introduci poſſit, niſi Nuncius, aut Miſſus Regius adſit, quem *Hominem Regium* appellare ſolemus; antea vix aliquae inquiſitiones apud nos peragebantur, quin is adeſſet.

Telonea. Teloneorum magna apud Francos cura; frequentiſſimae apud nos de ipſis leges, ne videlicet noua, aut ſuperflua ſint, vt pontes reparentur, ne iter facientes eorſum accedere compellantur; haec omnia in Capitularibus vbertim reperies.

Coniuratores. Deſierunt iam in Hungaria Coniuratores, quorum tamen vſus in iure Canonico adhuc aliquis exiſtit, deſierunt inquam iam coniuratores, qui non de facto ipſo iurant, ſed affirmant iurati ſe verum exiſtimare, quod Principalis iurando asſeruit. Multiplices hac de re extant leges in Tripartito opere iuris Hungarici par. 2. tit. 34. cum quot videlicet coniuratoribus? aliquando nimirum cum quinquaginta, alias cum viginti quinque, alias cum duodecim, aut etiam ſex, et in minoribus cauſis, etiam cum tribus cauſa euincenda ſit. Et coniuratores deſignant, et numerum definiunt Capitularia, cuius conſtitutionis bina duntaxat ſpecimina adferemus. Capitularium Lib. 4. Cap. 26. libertatem ſuam probare volenti iniungitur, „*vt ſi is, qui eum pulſat, ad conuincen„dum illum procinctum habuerit, adhibeat ſibi „coniuratores octo legitimos ex ea parte, vnde „pulſatur, ſiue illa Paterna, ſiue Materna ſit, „et quatuor aliunde non minus legitimos, et iu„rando vindicet libertatem ſuam, quodſi prae„cinctus defuerit, affirmat vndecunque duodecim „liberos homines, et iurando ingenuitatem ſuam de„fendat.*„ Lib. V. Cap. CCXXX. de purgatione homicidii ſtatuitur, „*vt ſi is, qui de homicidio arguitur, facti teſtes non habuerit, cum duodecim coniuratoribus legitimis iurare cogatur.*

 V. Exer-

(a) Friaredus, quem, ne occideretur 14 ſolidis comparaui, duos conceſſos habeat, 12 det ad baſilicae Sanctorum Martyrum Timothei, et Apollinaris cameram faciendam.

(b) De nominibus locorum, in quibus Miſſi Dominici legatione funguntur, Ebbo Archi-Epiſcopus, et Rhnotfridus Comes ſunt ſuper ſex videlicet comitatus.

(c) „Hoc decreuerunt, hanc legem conſtituerunt, vt nuncius Regis per omnes Ciuitates dirigatur.

Inſurrectio apud Francos.

V. Exercituaſſe Hungaros Nobiles quum peruulgatum ſit, pluribus id expedire non oportet. Eandem apud Francos fuiſſe legem, vt reliqua nunc breuitatis gratia intermittam, (redibit enim nobis de eo ſermo) ſufficienter perhibet Capitulare octauum anni DCCCIV. vbi Carolus M. excuſat, quod Eccleſiaſticos a militia abſoluerit, non vt inde vilipendantur, ſed ob Sacerdotii reuerentiam, Sacrorumque Canonum auctoritatem, libet verba eius recitare: „*Secunda vice propter ampliorem obſeruantiam apoſtolica auctoritate, et multorum Sanctorum Epiſcoporum admonitione inſtructi, Sanctorumque Canonum regulis edocti, conſultu videlicet omnium Nobilium noſtrorum nosmet ipſos corrigentes, poſterisque exemplum dantes volumus, vt nullus Sacerdotum in hoſtem pergat.*„ Altero Capitulo mox ſequente ſic excuſat hanc conſtitutionem: *quia inſtigante antiquo hoſte audiuimus quosdam nos ſuſpectos habere propterea, quod conceſſimus Epiſcopis, et Sacerdotibus, ac reliquis Dei Seruis, vt in hoſtes non irent - - - quod honores Sacerdotum, et res Eccleſiarum auferre, vel minuere eis voluiſſemus, quod nullatenus facere velle, vel facere volentibus non conſentire omnes ſcire cupimus, ſed quanto quis eorum amplius ſuam normam Deo ſeruauerit, et Deo ſeruiuerit, tanto eum plus honorare, et chariorem habere volumus.*„

Serui.

VI. Seruorum conditionem eandem fuiſſe apud Francos, quae olim apud nos obtinuit, et nunc quoque ex parte viget, licet iam ſubditi, et Jobbagyones vocentur, docent innumerae de eorum emptione, ac venditione, et manumiſſione, ac repetitione, ſeu recaptiuatione in Capitularibus latae leges; ſed antequam paucas ex illis proferam, ſeruorum, ſeu ſubditorum, quod idem omnino eſt, conditionem, et ſeruitutis originem in lege gentis noſtrae inueſtigemus.„ Ex Sythia (a) Hunni vna cum vxoribus, filiisque, et filiabus, ac cuncta eorum familia, exeuntes dum plures peragrarent, peruagarenturque Regiones, Capitaneis ordinatis, et vno praeterea Rectore, ad lites diſſidentium ſopiendas, fureſque, et latrones, alios malefactores caſtigandos vnanimiter electo, atque conſtituto, communi omnium ſententia, Decretoque edictum fuit, vt dum aliquae res communitatem aequa ſorte tangentes occurrerent, ac generalis expeditio exercitus incumberet, tunc mucro, vel enſis ſanguinis aſpergine tinctus media Hunnorum per habitacula, caſtraque deferretur, et vox praeconica ſubſequeretur dicens: *Vox Dei, et praeceptum communitatis vniuerſae eſt, vt vnusquisque in tali loco armatus, vel qualiter poteſt, compareat, communitatis conſilium ſimul, et praeceptum auditurus.* Haec conſuetudo inter Hungaros vsque ad tempora Geyzae Ducis, Patris ſcilicet glorioſi Principis, et Apoſtoli noſtri beatiſſimi Stephani primi Regis Hungarorum inuiolabiliter extitit obſeruata, quae multos Hunnorum in perpetuam redegit ruſticitatem, nam ſancitum, et ſtatutum erat, vt tranſgreſſores eiusmodi mandati, niſi rationabilem aſſignarent excuſationem, cultro media per viscera ſcinderentur, aut communem, et perpetuam in ſeruitutem redigerentur. Haec Sanctio plurimos Hungarorum plebeae perhibetur feciſſe conditionis, nam quum vna, et eadem generatione a quodam ſcilicet *Hunnor*, et *Magor* vnanimiter proceſſerint, aliter fieri nequiuiſſet, vt hic Dominus, ille ſeruus, hic nobilis, ille ignobilis, et ruſticus efficeretur.„ Omnis autem ſeruitus in ruſticitate ſubſiſtit, quorum alii perpetui, ſeu perpetuae obligationis dicuntur, quod aliorſum ipſis commigrare integrum non ſit, aliis et hoc liberum eſt, verum et hi, ſicut et illi nihil habent proprium praeter laboris mercedem, quod omnino ſeruili conditioni proprium, et peculiare eſt, et hinc apud nos quoque vendebantur. Venditio-

(a) *Operis tripartiti* parte prima titulo tertio.

ditionum huiusmodi complura exempla veteres chartae perhibent, *(a)* quamuis nunc quoque hoc ipſum fiat non raro.

Operae ſeruorum.

VII. Iam operas, et tributa ſeruorum, quibus in Francia adſtringebantur cum ſeruorum noſtrorum operis conferamus, vt pateat, an tam deploranda ſit horum conditio, ſicut quidam eruditus auctor exiſtimauit. *(b)* In Capitulari Dagoberti Regis II. ſiue lege Alemannorum Cap. XXII. tributa, quae Eccleſiae ſerui perſoluere debebant, hoc modo recenſentur: „*Serui Eccleſiae tributa ſua legitime reddant, quindecim ſiclas de cereuiſia, porcum valentem tremiſſe vnum, panem modia duo, pullos quinque, oua viginti. Ancillae autem opera impoſita ſine neglecto faciant. Serui dimidium ſibi, dimidium Domino reddant aratiuum, et ſi ſuper haec eſt, ſicut ſerui Eccleſiaſtici faciant tres dies ſibi, et tres dies in Dominico.*„ Nunc in Hungariae pleriſque partibus reddunt pullos duos, oua duodecim. Non ita pridem tranſactis temporibus dimidium temporis nobis, dimidium ſibi laborabant. In Capitulari eiusdem Regis ſiue lege Baiuvariorum operae ſeruorum minutius recenſebantur, vt putes legem hanc ex moribus noſtris deſumptam, aut mores noſtros ex hac lege formatos. Capite itaque XIV. ſic habet: „ *de colonis, vel ſeruis Eccleſiae qualiter ſeruiant, vel qualiter tributa reddant, hoc eſt: agrarium ſecundum aeſtimationem Iudicis, prouideat hoc Iudex ſecundum quod habet, donet, de triginta modiis tres donet, et paſcuarium ſoluat ſecundum vſum Prouinciae - - - decingas legitimas, hoc eſt perticam decem pedes habentem, quatuor perticas in transuerſo, quadraginta in longo arare, ſeminare, claudere,* (id eſt occare) *colligere, et trahere, et recondere debeant, et vineas plantando claudere, fodere, propaginare, praecidere, vindemiare. reddant decimum faſcem de lino, de apibus decimum vas, pullos quatuor, oua quindecim reddant, parafredos donent, aut ipſi vadant, vbi iis iniunctum fuerit, angarias faciant cum carro vsque quinquaginta leugas, amplius non minentur,* (id eſt ducantur) *(c) ad caſas dominicas ſtabulare, foenile, granicam, vel tuminum recuperando, pedituras rationabiles accipiant, et quando neceſſe fuerit, omnino componant calceſurnum - - - ligna, aut petras quinquaginta homines faciant, vbi longe fuerit, centum homines debent exire, et ad Ciuitatem, vel ad villam, vbi neceſſe fuerit, ipſam calcem trahant. Seruus autem Eccleſiae ſecundum poſſeſſionem ſuam reddat tributa, opera vero tres dies in hebdomada in Dominico operetur, tres vero dies ſibi faciat. Si vero Dominus eius ei dederit boues, aut alias res, quas habet, tantum ſeruiat, quantum ei per poſſibilitatem impoſitum fuerit. tamen iniuſte neminem opprimant.* Quantopere haec moribus gentis noſtrae congruant, praeſertim quod de bobus Dominicis dicitur, id nemo ignorare poteſt, qui quidem res noſtras nouit.

Superflui laboris foret hic deſcribere omnia capitularia de repetitionibus ſeruorum fugitiuorum ſancita. Nullus fere Regum Noſtrorum etiam in periodo Auſtriaca fuit, ſub quo tales non-ferrentur leges. Vladiſlai Decretum ſerme totum circa hos verſatur. Etiam in Comitiis anni MDCCXXIII, leges tres de ipſis ſtatutae.

De ſigillo Iudiciali.

VIII. Solenne erat priſcis temporibus apud nos, vt Iudices, quum in ius vocandus erat quiſpiam, aut teſtis examinandus, ſuum ei ſigillum mitterent, quod in aliquibus locis hodiedum fit, vnde etiam mana-

(a) Nos Benedictus Praepoſitus, et Conuentus de Leleſz ſignificamus, quibus expedit praeſentium per tenorem, quod Conſtituti coram Nobis Hemericus, et Nycholaus filii Ioannis de Comitatu de Ung, qui etiam pro Petro Fratre ipſorum reſpondentes quandam Ancillam eorum Fata vocatam, quam in Noſtra praeſentia perſonaliter ſtatuentes, haereditariam, ut dicebant, vendiderunt Iacobo de Pank Comiti videlicet de Ung, pro ſex marcis perpetuo poſſidendam, quam pecuniam Iacobus ſupradictus eisdem perſoluit plenarie coram Nobis. In cuius rei teſtimonium litteras conceſſimus Noſtri ſigilli munimine roboratas. Datum anno Domini Milleſimo, Ducenteſimo, Nonageſimo.

(b) Ill. Adam Fr. Kollár in libello de Poteſt. Legisl. circa ſacra

(c) Hoc genus operae longam vecturam vocamus.

uit is loquendi modus, vt adhuc citatoria ſigillorum praeferant nomen praeſertim in foris Spiritualibus. (a) Idipſum ex lege Francorum, ſeu Capitularibus depromptum in Capitulari II. Dagoberti Regis, ſiue lege Alemannorum euidenter expreſſum videmus; capite enim 23. illi, qui ad transmiſſionem ſigilli non venerit, mulctam ſolidorum ſex infligit, ſi autem Epiſcopi ſigillum neglexerit, duodecim ſolidorum mulctam irrogat. (b) In Capitulari III. eiusdem Regis titulo II. Cap. XIII. aduerſus illum, qui Ducis ſui qualecunque ſignum, ſiue id ſigillum, ſiue annulus ſit, (annuli enim pariter ſigilla erant) contempſerit, poena quindecim ſolidorum decernitur. (c) Quum ergo maxima maximis, infima infimis concordent, fidenter aſſero, ſicut ouum ouo, ita Capitularia Regum Francorum legibus Hungarorum eſſe ſimillima.

Caput Decimum Sextum.

De Synodorum Regiarum nomenclatione, indole, et auctoritate.

I. Iam tandem ad Synodos Regias veniamus, de quibus prolixior ſermo nobis habendus erit, diſpiciendumque, quid nobis, quid aliis hoc nomine veniat. *Celebriores conuentus*, ait Doujat (d) *Synodos vocabant veteres, quod e diuerſis locis in eandem viam, locumque homines exeant, ſic etiam Coetus appellatur apud Latinos a coeundo, vt conuentus a conueniendo: nec male Conuentum Iſidorus Comitatum interpretatur, ſi vtriusque vocis originem ſpectemus*. Quodſi Iſidoro de Synodis Regiis ſermo eſſet, optimo iure Comitatum eam vocaret, Curiam enim Principis Comitatum vocatam nouimus, et Synodi Regiae in Palatiis Regum agebantur, quod de Aquisgranenſi, Cariſiaco palatio, Ticinenſi, et in Vermeriis pervulgatum eſt. Dictis laudati Doujat conſonat Chronicon S. Arnulphi apud Petrum de Marca Lib. 6. Cap. 24. quod de Carolo Rege inquit: *Carolus habuit colloquium, vel Synodum in Wormatia Ciuitate*. Quum itaque coetus, conuentus, colloquium ad ordinandam politiam, ſiue quod idem eſt diſciplinam fieri ſoleant, aliae vtique erant Synodi profanae, aliae Eccleſiaſticae, inter has medium videtur eſſe genus Synodorum Regiarum, de quibus agimus, quum ex vtroque aliquid habeant. Nobis nomine Synodorum Regiarum veniunt conuentus illi, qui non ex Epiſcopis ſolum conſtabant, verum etiam ex Optimatibus conflabantur, et vtramque politiam tam Eccleſiaſticam, quam Ciuilem communibus ordinabant ſuffragiis, ſeu Conuentus illi, in quibus mixtae condebantur leges.

Quid ſit Synodus Regia.

Petrus de Marca Lib. 6. Cap. 32. Synodos Regias ab Eccleſiaſticis ſecernens inquit eas fuiſſe diſtinctas ab Eccleſiaſticis ex eo capite, quod iſtae de cauſis ſingularibus cognoſcebant, Concilia vero Regia cauſas generales tractabant, quae pertinent ad diſciplinam, et politiam Eccleſiae, et Reipublicae; verum haec nobis non praebent genuinam Syno-

(a) *Nos Magiſter Petrus Comes, et Iudices Nobilium de Sarus damus pro memoria, quod Comes Dominicus vnus ex nobis Iudicibus, et Petrus Filius Nicolai, quos per petitionem Magiſtri Ioannis Filii de Uſz, et Ladislai Filii Thomae ad faciendam inquiſitionem cum Noſtro ſigillo transmiſeramus, ad nos reuerſi, ſigillumque noſtrum reportando dixerunt, quod ipſi ab omnibus, quibus decuiſſet, et licuiſſet, diligenter inquirendo talem reſciuiſſent veritatem, quod quaedam particula terrae litigioſa inter poſſeſſiones Bunoſalua, et Peklen prius ſemper ad dictam poſſeſſionem Peklen pertinuiſſet, et homines eiusdem villae vſi fuiſſent. Datum in Sarus feria ſecunda proxima poſt Dominicam:* Iudica, *anno Domini MCCCLIV.* Ex Autographo.

(b) *Si ſigillum, aut ſignum qualecunque Iudex per iuſſionem Domini ſui transmiſerit, et cum venire iuſſerit, aut ambulare in aliquam vtilitatem, et ille neglexerit, ſex ſolidis ſit culpabilis, ſi autem ſigillum Epiſcopi neglexerit, aut ad veniendum, aut ad ambulandum vbi iuſſerit, duodecim ſolidis ſit culpabilis.*

(c) *Siquis iuſſionem ſui Ducis contempſerit, vel ſignum, quale viſus fuerit Dux transmittere, aut annulum, aut ſigillum, ſi neglexerit facere, quod iuſſum eſt, quindecim ſolidos pro neglectu donet.*

(d) Praenotionum Canonicar. lib. 2. cap. I.

Synodorum Regiarum definitionem. Si in Eccleſiaſticis Synodis particulares cauſas fuiſſe tractatas contendat, cui, amabo, aſſertum ſuum perſuadebit? an Eccleſiaſticae tam Galliae, quam Hispaniae Synodi cauſis generalibus, et legibus plenae non ſunt? quid ergo in Conciliis plenariis agebatur, quorum auctoritas ab vniuerſa quoque Eccleſia acceptata fuit? Gregorius Turonenſis Lib. VIII. Cap. XX. nobis indubiam fidem facit ex aduerso in Synodis Regiis particulares fuiſſe cauſas agitatas. Matisconenſem Conuentum, quem *Placitum* vocat laudatus hiſtoricus, nec Petrus de Marca extra numerum Synodorum Regiarum collocabit, de Matisconenſi itaque Conuentu, in quo duorum Episcoporum cauſa diiudicata fuit, ſermonem inſtituens ait: „*interim dies Placiti aduenit, et Episcopi ex iuſſu Regis Guntramni apud Matisconenſem vrbem collecti ſunt.*„ Neque Petrus de Marca aliis coloribus noſſet depingere Synodos Regias. In Capitulari Francofordienſi, quod datum eſt in plena Synodo anni DCCXCIV. de purgatione Petri Episcopi, quam procul dubio particularem cauſam dicet, actum fuit. *(a)* Si ergo et generales cauſae vertebantur in Eccleſiaſticis Synodis, et particulares in Regiis, nemini poterit definitio Petri de Marca ſatisfacere, quum definitio naturam, et discrimen rei deſignare debeat. Suſtineri ergo non poteſt discrimen, quod inter Eccleſiaſticas, et Regias Synodos aſſignat idem Auctor, niſi forte verba eius benigna interpretatione eo trahere velimus, quaſi dicat in Synodis Eccleſiaſticis particulares, id eſt Eccleſiaſticas cauſas, in Synodis Regiis et Eccleſiaſticas, et profanas fuiſſe agitatas, ſed neſcio quomodo cauſae Eccleſiae eſſe, aut dici debeant particulares.

II. Nouitium videtur hoc vocabulum Synodi Regiae, forte primus hoc axiomate conuentus nunc recenſitos affecit Ill. Petrus de Marca Lib. 6. Cap. 24. vbi prolixiſſime de illis disputat, quam recte, nunc vidimus, et deinceps videbimus. Coeterum ante Petrum de Marca hoc nomen illos ſortitos fuiſſe Conuentus in antiquitatibus Eccleſiaſticis apprime verſatus Benedictus XIV. teſtatur, *(b)* dum ait Regias Synodos dictos fuiſſe Episcoporum et Optimatum Conuentus, in quibus vtraque politia leges accipiebat. In collectione Conciliorum Manſiana Tomo XIV. col. 929. Synodus Ticinenſis hanc habet epigraphen *Synodus Regia Ticinenſis.(c)* S. Ladislaus Conuentum huiusmodi Sanctam Synodum vocauit, recteque id factum, atque Synodo Regiae pro veteri more hanc appellationem congruere iam oſtendimus. Siue Decreta S. Stephani collectio ſint variorum Decretorum in variis Dioetis editorum, quod probauimus, ſiue vnius Dioetae foetus ſint, nobis adſtipulatur, dum ſoepius conuentum Regni *Regale* appellat *Concilium.* Longe ergo ante Petrum de Marca hoc nomen habuere laudati Conuentus. Thomaſſinus par. 2. Lib. 2. Cap. 46. huiusmodi Conuentus Concilia nationalia appellat. Auctor Tractatus de ſtudio Conciliorum id etiam aſſerit, par. 3. Cap. 2. pag. 553. *(d)* Si poſteriori huic Auctori aſſentiri poſſemus dicenti pag. cit. id nationalibus Conciliis proprium eſſe, vt illorum conuócatio a ſolo Principe fieri queat, vtpote quum plerum- An vſus huius nomenclationis reprehendi mereatur?

 que

(a) Cap. 4. *Definitum eſt etiam ab eodem Domino Rege ſiue* (id eſt: *et*) *a Sancta Synodo, vt Petrus Epiſcopus &c.*

(b) Lib. 1. de Synodo Dioec. cap. 1. *Dicebantur Synodi Regiae, quae non ex Epiſcopis ſolum conſtabant, verum etiam et Optimatibus, et Comitibus Regni, vt omnium ſuffragiis leges conderentur ad vtramque politiam Eccleſiaſticam, et Ciuilem diſponendam.*

(c) Editores quidem monitiunculam adiiciunt: „*ſeu potius in Vrbe regia*„ in Praefatione habetur „*in Vrbe Regia Ticino facta Synodus*„ monitiunculam non moramur, Praefatio autem inſcriptioni non obeſt.

(d) c' etoit des Conciles Nationaux de tout l' empire Francois, on l' on voyoit enſemble les Eveques de france d' Italie, de Saxe, et d l' Aquitanie.

que nullus Epiſcopus iuriſdictionem ſuam in quoſuis totius nationis Epiſcopos extendere valeat, procul dubio Synodi Regiae nationales dici deberent; at enim vero quid dicemus de Conciliis plenariis Africae? quis Princeps conuocauit illa? quid dicemus de Concilio *Italici Regni vniuerſali?* quod Ioannes VIII. conuocandum exiſtimauit ad Rauennatenſem Archi Epiſcopum ſcribens. Memoratus Doujat et ipſe Gallus, et *Regiorum Profeſſorum Primicerius, eoque nomine Comes*, de Conciliis Regiis per Gallias habitis differens ait: „*Sed haec communi Prouincialium appellatione plerumque comprehenduntur.*„ Videbimus deinceps Synodos nouem, atque etiam duodecim Prouinciarum, an illa Prouincialia dici poterunt? Quum itaque Conuentus hos mixtos in nullam aliam claſſem Synodorum collocare valeamus, Synodos Regias dicamus, neceſſum eſt. Vtriusque modo laudati praeclariſſimi Auctoris veſtigiis inſiſtens Synodorum Regiarum nomenclationi obſtreperem, niſi me defecatiſſimi iudicii ſummi Pontificis Benedicti XIV. commoueret auctoritas, cuius verba paulo ante laudauimus, nihil ille nouitium, nihil peregrinum in hac nomenclatione inuenit.

III. His exoluti ſcrupulis illos etiam a ſcrupulis abſoluamus, qui mixtum hoc Synodorum genus tanquam commixtionem, et confuſionem Eccleſiaſticarum, et Ciuilium legum condemnant, quaſi contra diſciplinam talia a Conciliis agitata fuiſſent, nolunt quippe nos Epiſcopos ſecularium negotiorum pertractatione contaminari. Prohibuerit licet ſeueriſſime teſte Ioanne Diacono S. Gregorius Magnus Epiſcopos *mundialibus contaminari cauſis*, perpendant tamen velim nimis religioſi hi viri, quod Eccleſia in regno ſit, et Regnum in Eccleſia, tamque inconuulſis nexibus cohaereſcat Eccleſia Reipublicae, vt plerumque communia vtrique ſint tam diſpendia, quam compendia,

Synodi Regiae an vtiles Eccleſiae?

tam pax, quam bella, tam vigor, quam remiſſio diſciplinae; accedit, quod ſicut poſſunt Eccleſiae carnali affectu regi, et peruerti, ita poſſunt et temporalia regi, corrigique ſpirituali Paſtorum ſolicitudine. (a) Mundiales nos cauſae non contaminabunt, id ſi agamus, vt totus mundus ſubdatur Domino.

IV. Amicis Petri de Marca illud adhuc in aurem dictum volo, a Scriptore hoc Sedem Apoſtolicam contumelia prorſus iniuſta affectam fuiſſe, dum labefactatae Eccleſiaſticae Conciliorum Prouincialium celebrandorum diſciplinae culpam in Summos Pontifices coniicit. Hi generales Regni Conuentus, hae Synodi Regiae, haec, ſi mauis, Concilia Nationalia intermiſſarum Prouincialium Synodorum origo, et cauſa fuerunt; recte enim obſeruat Thomaſſinus hinc et illud emerſiſſe, vt hi Conuentus ommiſſis Prouincialibus celebrentur non in Gallia tantum, et Hiſpania, ſed et in compluribus aliis Prouinciis, quod in illis quarumlibet cauſarum dirimendarum et facilitas eſſet maior, et auctoritas. Sed diſtinebantur etiam placitis illis, et generalibus Synodis, vt ad concilia Prouincialia celebranda tempus non ſuppeteret; imo Auctor Tractatus de ſtudio Conciliorum addit, quod parum in Dioeceſibus ſuis reſidere potuerint, Principum quoque vnice in placita ſua generalia incumbentium ſtudiis impediebantur ab Eccleſiaſticarum Synodorum celebratione.

An ideo intermiſſa Concilia Prouincialia?

V. Capitularia fuiſſe eiusmodi Conuentus, in quibus ad politiam tam Eccleſiaſticam, quam Ciuilem diſponendam communibus omnium tam Epiſcoporum, quam laicorum ſuffragiis leges condebantur, ambigi non poteſt. Vnde illud quoque non minus certum eſt, Capitularia quaeuis Synodos Regias dicendas, habendasque. Quam late itaque patuit Capitularium celebran-

An Capitularia pro Synodis Regiis habenda?

(a) Ita Thomaſſinus.

lebrandorum conſuetudo, *(a)* tantopere inualuit Synodorum Regiarum auctoritas; quaecunque de Capitularium auctoritate dici poſſunt, ea omnia in Synodis Regiis locum babent; ſi Capitula Canones ſunt, eo nomine etiam venire debent ſtatuta Synodorum Regiarum, quum Capitularia ferme ſemper etiam Synodi Regiae fuerint. Sonnatius Epiſcopus Remenſis Synodorum Regiarum ſtatuta appellauit Canones, eorumque obſeruantiam ſuo firmauit Decreto, quod teſtatur Flodoardus Lib. II. Cap. V. pag. 103. Sonnatii Synodum recenſens; „*vt Capitula Canonum Pariſiis lata in Generali Synodo in Baſilica S. Petri Lotharii Regis ſtudio congregata omni firmitate cuſtodiantur.*

Caput Decimum Septimum

De ratione Synodos Regias tum in Francia, tum alibi celebrandi.

Quibus conuentibus nomenclatio Synodi Regiae indita?

I. Conuentibus Epiſcoporum, et Optimatum Franciae nomen Synodorum inditum fuiſſe conſtat, id nunc quaerendum videtur, an ſemper in Placitis generalibus Epiſcopi ſeorſim conuenerint, et Synodos egerint? et an his peculiaribus duntaxat Epiſcoporum coetibus hoc nomen datum fuerit? Hludouicus Imperator, *(b)* anno Dominicae Incarnationis DCCCXXXVIII. generalem Synodum habuit, quam in notitia de Monaſterio S. Carilephi deſcribens ait: „*Cum ad vniuerſorum cauſas audiendas, vel recta iudicia terminanda in Cariſiaco palatio publice reſediſſet, et conuentum generalem totius populi vna cum Pipino, et Karolo filiis ſuis glorioſis videlicet Regibus, et Synodum Epiſcoporum, et reliquorum Sacerdotum ibidem generaliter ad Eccleſiaſtica, ſiue mundana negotia tractanda, nec non et ad vtilitatem S. Dei Eccleſiae faciendam coadunatum haberet.*„ Notitia itaque nunc laudata conuentum generalem totius populi, et synodum Episcoporum eodem quidem tempore habitam aſſerit, ſed Conuentum generalem populi a Synodo Epiſcoporum diſcernit. Arnulphi Chronicon ſuperiori capite § I. allatum idipſum aſſerere videtur, dum refert, quod Carolus habuerit *colloquium, ſiue Synodum* in Wormatia Ciuitate, nemo ignorat *ſiue* pro *et* vſurpatum fuiſſe, dicit ergo chronicon habitum fuiſſe colloquium, et Synodum celebratam, quae omnino cum prioribus coincidunt. Similis loquendi formula occurrit in legibus Caroli M. ad annum DCCLXXIX. *(c)* „*factum eſt Capitulare Carolo glorioſiſſimo, qualiter congregatis Synodali Concilio Epiſcopis, Abbatibus, viriſque illuſtribus vna cum Piiſſimo Domino Carolo.*„ Acta Concilii Attiniacenſis II. anno DCCCXXXIV. celebrati adhuc liquidius diſcrimen faciunt inter generale Placitum, et Synodum Epiſcoporum, quum nimirum duplices hi Conuentus vno, eodemque tempore celebrati ad ſe ſe inuicem cauſas remittunt. „*In vniuerſali Synodo* (ita habent acta) *totius imperii etiam cum Sedis Romanae Legatis, et in generali Placito foemina quaedam non ignobilis genere nomine Northildis, de quibusdam inhoneſtis inter ſe, et virum ſuum vocabulo Agembertum ad Imperatorem publice proclamauit, quam Imperator ad Synodum deſtinauit, vt inde Epiſcopalis auctoritas, quid agendum eſſet, decerneret, ſed Epiſcoporum generalitas ad Laicorum, ac coniugatorum eam remiſit iudicium, vt illi inter illum, et coniugem ſuam iudicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, et legibus ſeculi ſufficientiſſime praediti, eorumque legalibus iuditiis eadem foemina ſe ſubiiceret, et* quod

(a) Auctor Tractatus de ſtudio Conciliorum part. 2. cap. 2. pag. 238. de Capitularibus inquit: *ils regardent non ſeulement la France mais tout l' empire Francois c'eſt a dire, quaſi toute l' Europe,*„ hoc eſt: Capitularia non ſolum ad Galliam, ſed ad totum imperium Gallicum, id eſt quaſi vniuerſam Europam pertinent.

(b) Apud Baluzium Miſcell. lib. 3. N. 2. *Notitia de Monaſterio S. Carilephi in generali Synodo in Cariſiaco Palatio Regio facta ab Aldrico Epiſcopo per iudicium Epiſcoporum accepta.* pag. 133.

(c) Manſi Tom. XII. Coll. 893.

Digitized by Google

quod de quaeſtione ſua decreuiſſent, ſiue repetitione teneret, ſi vero crimen aliquod eſſet, inde poenitentiae modum poſt illorum iudicium ab Epiſcopali authoritate depoſceret, ſecundum quod Sacri Canones praefixerunt, ei imponere non negarent. „ An Epiſcopi in Placitis generalibus ſemper conuenerint, quid in iisdem egerint, mox videbimus, certum tamen eſt, non ſolum Epiſcoporum nunc dictis Conuentibus, ſed totius Placiti, ſeu Conuentus generalitati nomen Synodi Generalis adhaeſiſſe. Primo loco laudata notitia diſertis verbis id adſtruit, dum ait Synodum Epiſcoporum ad *Eccleſiaſtica, et mundana negotia tractanda* pertinuiſſe. Leges Caroli Magni quoque, dum viros illuſtres commemorant in Synodali Concilio congregatos, nomen Synodi ad totum Placitum extendunt. Quaeſtionem omnem dirimit Concilium Pariſienſe anni DCXXXVIII. in quo Aigulfus Abbas multis precibus egit, vt quod ante in generali Placito actum fuit in Synodo vniuerſali denuo firmaretur. *(a)*

Plurium Prouinciarum Epiſcopi confluebant.

II. Vniuerſales ſane oportet dicamus Synodos, in quibus plurium, quinque, nouem, ac etiam duodecim Prouinciarum Epiſcopi congregati fuerunt. Duodecim Prouinciarum ſcimus fuiſſe Concilium Tullenſe I. cui omnes notae Synodi Regiae conueniunt. *(b)* Synodus quinque Prouinciarum fuit Concilium apud Sueſſiones (Sueſſionenſe II.) praeſente Carolo Caluo Rege, et quinque Prouinciarum Epiſcopis celebratum die Kalendas X. (alias VI.) Maias indictione I. hoc eſt anno Chriſti DCCCLIII.

Qua ratione actae Synodi Regiae?

III. Iam ſenſim eo delapſus eſt ſermo noſter, qua ratione Synodi Regiae actae fuerint? videndum tamen primum, quid ante illas actum, quae fuerint partes Synodi Regiae, dein videbimus, qua ratione omnia pertractata ſint? Ante Synodos Regias itaque celebrabantur vnius, atque etiam plurium Prouinciarum Synodi, celebrabantur etiam Placita generalia. Synodorum huiusmodi pene innumera habemus exempla, de quibus aliqua depromenda duxi. Concilium Turonense III. apud Manſi Tom. XIV. col. 92. quosdam condidit canones in Synodo generali, ſeu Regia referendos et piiſſimo Principi exhibendos. *(c)* Concilium Cabillonense II. quaedam connotauit Regi praeſentanda, et ad eius Sacratiſſimum iudicium referenda. *(d)* Ad hanc Synodorum claſſem reuocamus Concilium Arelatense VI. anno DCCCXIII. iuſſu Imperatoris celebratum. Moguntiacum, Remense *(e)* et Turonense, Cabillonense, ex quibus compilatum eſt Capitulare Aquisgranense anni DCCCXIII. celebrata fuere eodem anno, de quibus refert Chronographus Moiſſiacenſis conſtituiſſe Imperatorem, vt in his Synodis, quae ſtatuta fuiſſent, vel potius ſtatuenda comperiſſent, ad illum referrent, qui dein conuentum magnum indixit. In hoc capitula quadraginta ſex ex conſtitutis Synodi excerpta fuere. *(f)* Simile exemplum habemus in Concilio Pariſienſi VI. apud Manſi Tom. XIV. col. 529. Recurret nobis paulo inferius ſermo de Concilio Tullenſi I. teſtantur ibi Patres ſe ante quindecim dies in Andemantunno

---

(a) Aigulfus Abbas ſupplicauit, vt quod ante hos in Compendio in generali placito noſtro tractauimus, nunc in vniuerſali noſtra Synodo Pariſiis congregata immunitatem loci S. Dionyſii denuo conferremus. Manſi Tom. X. col. 659.

(b) Haec ventilata, definita, atque obtenta ſunt in Synodo XII. Prouinciarum, quae habita eſt anno Incarnationis Domini DCCCLIX. indictione VII. in territorio Tullenſi ſub Principibus Carolo, Lothario, et item Carolo. Manſi Tom. XV. col. 529.

(c) Haec nos in Conuentu noſtro ita ventilauimus, ſed quomodo deinceps piiſſimo Principi noſtro de his agendum placebit, nos fideles eius famuli libenti animo ad nutum, et voluntatem eius parati ſumus.

(d) Quaedam Capitula, quae ſubterinſerta ſunt eidem Domino Imperatori praeſentanda, et ad eius Sacratiſſimum iudicium referenda connotauimus.

(e) Hic eſt ordo Capitularium breuiter annotatus, quae anno Dominicae Incarnationis DCCCXIII. notata ſunt in Conuentu Metropolitanae ſedis Rhemenſis Eccleſiae a Domino Carolo Piiſſimo Caeſare more priſcorum Imperatorum congregati ordinante Vulfaria eiusdem S. Sedis Archi-Epiſcopo, et caeteris quam plurimis Patribus „

(f) Dnus Carolus mandauit, vt quidquid in vnamquamque Synodum definiuiſſent ad Placitum conſtitutum Imperatoris renunciaſſent, quod ita factum eſt, et in ipſo anno menſe Septembri iam dictus Carolus fecit conuentum de omni regno vel imperio ſuo - - - ibidem conſtituit Capitula numero quadraginta ſex

tunno Lingonum in Synodum conueniſſe. Synodum Regiam, ſeu Capitulare apud Vermeriam anno DCCCLIII. celebratum teſtatur eiusdem Capitulum tertium, vbi diſertis verbis narratur Sueſſionenſis Synodi paulo ante celebratae Capitula apud Vermeriam fuiſſe perlecta, verba alibi recitabimus. Synodus Metenſis anni DCCCLVIIII. Capitulo II. Epiſcopis ad placitum profecturis leges praeſcribit, ſecundum quas Ludouico Regi exceſſus in regno Fratris ſui perpetranti indulgentia concedi debeat, ita quidem, vt coram Deo, et Synodo pro facto irrito rationes daturi ſint, ſi nimirum ſecus egerint, ac ipſis iniunctum fuerat. *(a)*

Placita generalia Synodis Regiis praemiſſa fuiſſe planum eſt ex illis, quae paulo ante commemorauimus cap. huius § I. vbi attulimus verba Concilii Pariſienſis, quae in Generali Placito tractata ſunt, confirmantis. Nec deſunt alia huiusmodi exempla. Memori animo velim haec recolat beneuolus Lector, et non mirabitur confirmationem Conciliis impertitam, ſi nimirum perpenderit ipſa Placita generalia, quibus Regia interueuit auctoritas, a Regiis Synodis ſuum mutuata fuiſſe firmitatis robur. Quod quidem ad Synodos attinet, inter Capitularia Ludouici Pii habetur Capitulare anni DCCCXXVIII, qualiter Conuentus Epiſcoporum fieri debeant, et ſequens praeſcribitur norma *(b)* vt in quatuor locis, id eſt in Moguntiaco, Pariſiis, Lugduni, et Toloſae haberentur, et ſolerti cura exquirerent religioni vtilia, ea tamen in ſummo ſilentio haberent, et ad aliorum notitiam perferri non admittant ante tempus conſtitutum, atque ideo Notarius eligatur, qui ſilentio iuriſiurandi religione adſtrictus omnia fideliter deſcribat, et fideliter conſeruet. Eadem ſequuntur totidem verbis in Epiſtola Generali, quam Ludouicus Pius Imperator ex Placito Aquisgranenſi miſit de Conciliis Epiſcoporum in quatuor Imperii partibus congregandis. Ex his patet Canones, ſeu Capitula in huiusmodi Synodis conſtituta non tam leges fuiſſe, quam opiniones, propoſitiones, et vt nunc loqui amamus, proiecta, quid ergo mirum, ſi emendationi, correctioni ipſimet ſubmittunt? Epiſtola Epiſcoporum, quam miſerunt Epiſcopi Remenſis, et Rotomagienſis Prouinciarum ex Cariſiaco Palatio anno DCCCLVIII. Domino Ludouico Regi glorioſo vberrimum etiam perhibet teſtimonium, neceſſario praemiſſas fuiſſe Synodos Epiſcoporum, capite enim primo poſtquam narraſſent, ſe litteris Regiis ad Placitum Remenſe euocatos fuiſſe, vt ibi Rex cum ipſis, et ceteris fidelibus de reſtauratione Sanctae Eccleſiae, et de ſtatu, ac ſalute populi Chriſtiani tractaret, ſubiungunt: *Diuinis legibus cautum eſſe, quia ſicut nec Archi-Epiſcopi ſine Co-epiſcopis, ita nec Co-epiſcopi, ſine Archi-Epiſcoporum conſenſu, vel iuſſu, niſi ea, quae ad proprias pertinent Parochias, debent praeſumere, et in tam anguſto tempore Archi-Epiſcoporum de Conuentu habere* non valuiſſe conſenſum.

Obſeruandum et id, quod Synodis Epiſcoporum ante Synodos Regias nonnunquam celebrari ſolitis interfuerint Reges ipſi, quod de Concilio Sueſſionenſi ante Wermerienſem Synodum Regiam, vti ſupra vidimus, celebrato euidenter patet. *(c)*

I et non

(a) Secundum miniſterium vobis a Deo traditum cum noſtra vnanimitate abſoluite, ſin alias vos nulla modo cum eo, quem abſoluere non poteritis - - - quoniam nec coram Deo, nec in Synoda nos inde auctores habebitis, ſi agere aliter, quod abſit, praeſumpſeritis, vosque in Synodo, et coram Deo pro facto irrito dubitis rationes „

(b) Anno ſexto decimo regnante Domino Noſtro Hludouico Conuentus Epiſcoporum fieri debet in quatuor locis id eſt: in Moguntiaco - - in Pariſio - - in Lugduna - - in Toloſa - - in quibus Conuentibus tractare, quae vere, et cum Dei adiutorio inuenire debent de cauſſis ad religionem Chriſtianam - - et quidquid ab eis de his cauſis adinuentum fuerit, tam ſolerti cura cuſtodiatur, vt nullatenus ad aliorum notitiam peruenire permittant ante tempus conſtitutum. Et ideo vnus Notarius inter omnes deligatur, qui quod ipſi inuenerint fideliter deſcribat, et ſub iuramento conſtrictus fideliter conſeruet.

(c) Epiſcopis iuxta inſtituta Canonum Synodum celebrare volentibus annuit idem Rex Carolus, eosque ad vrbem Sueſſionum in Monaſteria S. Medardi, et S. Sebaſtiani X. Kalendas Maias conuenire praecepit, vbi poſthabitis curis Secularibus ipſe quoque Rex adeſſe dignatus eſt „

et non minus de Concilio Lingonenſi certum eſt, quae enim ibi cum Rege ſuo Carolo congregati confirmarunt, Conuentui Tullenſi obtulerunt illi ipſi, qui ante quindecim dies in Andemantunno Lingonum cum Rege ſuo conuenerant. Si itaque Regia auctoritas his in caſibus nullum paſſa eſt detrimentum, metum omnem ponant illi, qui ex confirmatione praedictarum Synodorum Epiſcopalium anctoritati Eccleſiaſticae iuriſdictionis praeiudicium imminere exiſtimant.

De modo cauſis in Synodis Regiis pertractandi.

IV. De modo cauſas in Synodis Regiis pertractandi non eadem eſt omnium ſententia, praeclariſſimus enim veteris, et nouae diſciplinae Eccleſiaſticae inueſtigator Thomaſſinus parte. 2. lib. 3. cap. 47. duplicem conuentum, vnum Epiſcoporum, Procerum alterum fuiſſe in Synodis Regiis celebratum autumat. Poſtquam Decreta Concilii Pariſienſis quinti, in quo diploma Regis Clotharii II. diſceptatum, et ab Epiſcopis approbatum fuit, recenſuiſſet, concludit, inuictiſſimum inde argumentum haberi duplicis in eodem ipſo loco, eodemque tempore Conuentus generalis comitiorum, alterum illum, vbi Epiſcopi, Proceresque in commune conſultabant de regni rebus, quas Rex ad eos retulerat diſceptandas, vel de cauſis Eccleſiaſticis iis, quibus et laici implicati erant, et proinde tempeſtiue admodum, proiudeque in his mixtis Conuentibus verſabantur; alterum illum, vbi ſoli ſeiuncti Epiſcopi in commune tractabant de cauſis mere ſpiritualibus, vel de iis, quos eorum vindicarat foro, et iudicio longa conſuetudo, ac praeſcriptio, praeter ea, quae ex Canonicis legibus, et ex ſcripturis Sacerdotio adſcribuntur. Synodum apud Vermeriam anni DCCCLIII. inter Capitularia relatam, quam iam alias laudauimus, ab Epiſcopis ſeorſim confluentibus, et canones condentibus conflatam fuiſſe docet eiusdem Capitulum primum, et ſecundum, quibus nomina praeſentium Epiſcoporum conſignantur. Horum Conuentuum priorem Placitum dictum eſſe, alterum Synodum, quumque eodem loco, et tempore haberentur, iisdemque conſtarent Epiſcopis, minus illos a plerisque hiſtoricis fuiſſe diſcretos promiſcue permixtis et nominibus, et conuentibus. Superius oſtendimus nequaquam ex nominum, et conuentuum permixtione ortam fuiſſe nomenclationem; aſſentimur tamen celeberrimo viro, aliquando, et forte etiam plerumque duplicem conuentum eodem loco et tempore habitum. Semper id factum fuiſſe, vt vt magni faciamus viri doctrinam, illius auctoritati dare non poſſumus. Petrus de Marca in ſua (ſi Superis placet) Sacerdotii, et Imperii concordia (a) cum Thomaſſino facit, eo accedere videtur etiam Doctiſſimus vir Antonius Auguſtinus Tarraconenſis de emendatione Gratiani, dum ſuſpicatur fontem Capitularium fuiſſe ipſa Concilia. Fuerunt Concilia fons Capitularium, quia ex Synodis deprompſere Capitula, ſuſpicabatur autem celeberrimus vir id, de quo iam nunc dubitare non licet.

Ex Collectione Benedicti Leuitae procul dubio hauſerit ſententiam ſuam Thomaſſinus. Libro enim VII. Capitulo CCCCXLIV. norma ea rerum in Synodis pertractandarum ſtatuitur, vt nec iudices Seculares, neque alii Laici interſint, niſi in propria accuſentur perſona. (b) Hoc ipſum videtur in Carlomanni Principis Capitulari I. fuiſſe conſtitutum, vbi Principes aiunt, ſe per Sacerdotum conſilium ſtatuiſſe annis ſingulis Synodum

ipſo

(a) Lib. 6. c. 28. *Epiſcopi a Rege euocati frequentius, quam cum Carolo M. et Ludouico Pio celebrauerunt Synodos ex diuerſis Prouinciis ſeorſim a generali Regni Conuentu, in quibus indicabant cauſas graues Epiſcoporum nempe, Presbyterorum, et Diaconorum, ſi res tanti momenti eſſet, vt conſtat ex Synodis Moguntina, Sueſſionenſi, Valentinenſi, Tullenſibus duabus apud Saponarias, et apud Tuſiacum, aliisque. Interdum vltra progredsebantur, qui Synodis in illis ſtatuta, et Canones condebant.*

(b) *Quando ea, quae Canonica ſunt, ventilantur, vel quaedam regularia examinantur, nec iudices ſeculares, nec alios laicos intereſſe oportet, niſi eos tantummodo, qui in propria accuſantur perſona.*

ipſo praeſente celebrandam. *(a)* Rurſus monendi ſunt illi, qui nimis libertati Ecclesiaſticae metuunt, ſi Regiae poteſtatis audiant interuentum; non fuit otioſa Regum praeſentia, aut libertati Eccleſiaſticae praeiudicioſa in Synodis praefatis. In Synodo enim Sueſſionenſi anni DCCCLIII. actione prima perhibente: *Rex abſque vlla ambitione Synodum ſolus ingreſſus ſimpliciter cum Epiſcopo reſidebat.* Tantum profecto aberat, vt pientiſſimus Rex Epiſcopos turbaret, vt etiam ipſe cauſam dicere non detrectauerit, actione enim ſexta *(b)* actionem propoſuit aduerſus quemdam Diaconum Remenſis Eccleſiae, quod praecepta Regia ſuppoſuiſſet. In Synodo Tullenſi extat *libellus proclamationis Domini Caroli Regis aduerſus Venilonem Archiepiſcopum Zenonum - - - electis Iudicibus in Sancta Synodo duodecim prouinciarum* propria ipſius manu porrectus. *(c)* Meminerit beneuolus lector modo laudatas Synodos illas ipſas eſſe, quas Petrus de Marca in teſtimonium Synodorum Regiarum adduxit; patet ergo tum indoles, tum auctoritas Conuentuum, ſiue placita, ſiue Synodos Epiſcoporum illos voces.

Conuentus ergo, et Synodos generales in turmas duas, tresue diuiſos reperio, certam tamen epocham intuitu numeri harum turmarum deſignare operoſum foret, et inutilis laboris, cum varius fuerit vſus, parumque referat, an Monachi diſtinctam turmam fecerint, prout enim Ludouicus recte aiebat: *(d) in nullo ſentimus contrarium eſſe auctoritati Canonum Monachos ſubiectos Epiſcopis fieri debere.* Carlomanni Principis Capitulare II. datum anno Chriſti DCCXLIII. apud Liptinas, ſeu Concilio Liptinarum, Capitulo primo docet in illa Synodo Regia, ſeu placito generali duos fuiſſe conuentus, vnum in quo Epiſcopi cum Optimatibus prioris Synodi Decreta firmarunt, alium, vbi rurſus Epiſcopi cum Abbatibus promiſerunt ſe velle Canonibus obſequi. *(e)* Monachos pariter ſeorſim conueniſſe docet Capitulare Aquiſgranenſe anni DCCCXVII. de vita, et conuerſatione Monachorum habitum, Abbates enim ibi cum ſuis Monachis conſederunt, ac Capitula admodum vtilia ſtatuerunt. *(f)* De Capitulari iſto Leo Oſtienſis ait, Capitula in eo conſtituta ita fere omnia apud ſuos obſeruari, ac ſi Beati Benedicti forent. Hinc rurſus vides, quinam condiderint leges, et quantae auctoritatis fuerint? Clarius adhuc diuerſorum Conuentuum ſub ipſo Placito, ſeu Capitulari, vel Synodo Regia habitorum ſuppeditat exemplum Synodus Moguntina Anno Chriſti DCCCXIII. celebrata, e

 cuius

(a) Conſilio Sacerdotum ſtatuimus per annos ſingulos Synodum congregari, vt nobis praeſentibus Canonum Decreta, et Eccleſiis iura reſtaurentur, et religio Chriſtiana emendetur.

(b) Poſt haec Glorioſiſſimus Rex Carolus coram ſacra Synodo quemdam Diaconum Remenſis Eccleſiae Ragrandſiuum (alias Ragamfridum) *nomine impetiit, quod Praecepta falſa nomine Regio compilaſſet.*

(c) Aemulatus eſt in eo veſtigia Caroli M. qui anno Chriſti DCCCIII. in Capitulo de purgatione Sacerdotum hoc poſteris exemplum reliquit inquiens: *„iſta vero omnia, quae vires noſtras excedunt, in iudicio Epiſcoporum iuxta Canonicam Sanctionem definienda relinquimus „* En glorioſiſſimos libertatis Eccleſiaſticae aſſertores, quos Petrus de Marca turbatae pacis Eccleſiaſticae vellet eſſe auctores.

(d) In exemplari alterius Epiſtolae de cauſſa Aldrici ſuorumque monachorum apud Baluzium Miſcell. lib. 3. pag 132.

(e) Modo in hoc Synodali conuentu, qui congregatus eſt ad Kal. Martias in loco, qui dicitur Liptinas omnes Venerabiles Dei Sacerdotes, et Comites, et Praefecti prioris Synodi decreta conſentientes, firmauerunt, ſeque ea implere velle, et obſeruare promiſerunt, et omnis Eccleſiaſtici ordinis clerus Epiſcopi, et Presbyteri, et Diaconi cum reliquis Clericis ſuſcipientes antiquorum Patrum Canones promiſerunt ſe velle Eccleſiaſtica iura moribus, et doctrinis, et miniſterio recuperare, Abbates vero, et Monachi ſuſceperunt regulam Sancti Patris Benedicti ad reſtaurandam normam regularis vitae.

(f) Quum in Domo Aquiſgrani Palatii, quae Lateranis dicitur, Abbates complures vna cum ſuis reſediſſent Monachis, haec, quae ſubſequuntur Capitula communi conſilio, ac pari voluntate inuiolabiliter a regularibus obſeruari decreuerunt „ ita Capitularis citati initium. Leo autem Oſtienſis in Chronico Sinenſi lib. I. cap. 16. *„ Ludouicus Imperator, qui cognominatur Almus, vel Sanctus quarto imperii anno Aquiſgrani inito cum pluribus totius Franciae Abbatibus, Religioſiſque Monachis Conuentu vtiliſſima Ordinis Noſtri obſeruationi ſeptuaginta, et duo generalia Capitula ſtatuit, quae ita fere omnia apud Nos, acſi Beati Benedicti regula eſſet, obſeruantur.*

cuius Praefatione haec diſtinctio, et ſegregatio Conuentuum ita patet, vt vna appareat rerum pertractandarum ratio. „*Incipientes* (ita inquiunt) *in nomine Domini communi ſenſu, et voluntate tractare, pariter de ſtatu verae Religionis, ac de vtilitate, et profectu Chriſtianae plebis, conuenit de communi collegio Clericorum, ſeu Laicorum tres facere turmas, in prima autem turma conſederunt Epiſcopi cum quibusdam Notariis legentes, atque tractantes Sanctum Euangelium, nec non Epiſtolas, et actus Apoſtolorum, Canones quoque, ac diuerſa Sanctorum Patrum opuscula. Paſtoralem librum S. Gregorii cum ceteris Sacris dogmatibus diligenti ſtudio perquirentes, quibus modis ſtatum Eccleſiae Dei, et Chriſtianae plebis profectum ſana doctrina, et exemplis iuſtitiae inconuulſum largiente gratia Dei perficere, et conſeruare poſſent. In alia vero turma conſederunt Abbates, ac probati Monachi regulam S. Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem ſtatum, atque augmentum cum gratia Dei perducere poſſent. In tertia denique turma ſederunt Comites, et Iudices in mundanis legibus decernentes, vulgi iuſtitias perquirentes, omniumque aduenientium cauſas diligenter examinantes, modis, quibus poterant, iuſtitias terminantes.* (*a*) In alio Concilio Moguntiaco Anni DCCCXLVII. duas turmas reperies. (*b*)

Series agendorum.

V. Haec licet clara ſint, et minimè dubia, rationem tamen, qua in Synodo Regia Leges Eccleſiaſticae, aut, ſi mauis, mixtae condebantur, plene non edocent, neque ſufficienter ſeriem agendorum deſignant. Quantum mihi ex penſiculata Capitularium lectione eruere licuit, primum in turmas diuidebantur, ibique quaeuis turma ſua pertractabat, Synodorum, aut Placitorum ante Synodum Regiam celebratorum acta examinabat, dein quaeuis turma, quae ſibi videbantur conſtituenda, in pleno omnium conſeſſu referebat, atque mox, vti Benedictus. XIV. ſapientiſſimus ille Pontifex inquit, Epiſcoporum, et Optimatum ſuffragiis accedente etiam Principis conſenſu leges condebantur ad vtramque politiam Ciuilem, et Eccleſiaſticam ordinandam. Ex illis, ſicut diximus, peculiaribus Epiſcoporum ſeorſiuis Conuentibus ad Generalem omnium Conuentum relationem factam fuiſſe docet Concilium Tullenſe I. de quo ſoepius. (*c*) Perhibet quoque Synodus apud Vermeriam, de qua pariter alias, in hac (*d*) ipſe Rex Capitula, quae in Concilio Sueſſionenſi propoſuit, relegi fecit.

Fiebat itaque, et non raro, vt omnia Capitula in generali Conuentu, ſeu conſeſſu pia ſuſciperentur deuotione, quod ex nunc allata Synodo apud Vermeriam conſtat euidenter. Hinc vtique factum fuit, quod Capitularia aliqua, id eſt Synudi Regiae ſolos Epiſcopos loquentes referant. Huc facit Ludouici Capitulare interrogationis ad Epiſcopos datum anno Chriſti DCCCLV. in quo laudatus Rex, quae de conuerſatione Epiſcoporum, et Presbyterorum, ac reliquis cauſis Eccleſiaſticis conſtituenda ſint, Epiſcopis relinquit; (*e*) geſſerunt morem Epiſcopi, et nouemdecim condiderunt Capitula, in quibus cauſae tam Ciuiles, quam Eccleſiaſticae pleniſſime definiuntur; non eſt autem hoc vnicum exemplum, quod Epiſcopi ſoli ſtatuerint Decreta, quae Capitularia ſunt, et parem cum reliquis vigorem obtinuerunt. Teſtatur id Balu-

(*a*) Manſi Concil. Tom. XIV. col. 64.

(*b*) „Coſidentes in clauſtro S. Albani Martyris, quo priſcis temporibus ſub Carolo Imperatore Hidebaldus, et Richolphus cum ceteris Epiſcopis, et Abbatibus illuc conuenientibus fecerunt, et cepimus in Dei nomine - - - Conuenit inter nos de noſtro comuni collegiò Clericorum, atque Monachorum duas facere turmas ſicut, et fecimus, ita vt in vna turma coſiderent Epiſcopi cum quibusdam Notariia legentes, et perſcrutantes ſanctum Euangelium - - in alia vero turma ſederunt Abbates, ac probati Monachi regulam Sancti Benedicti legentes.„ Manſi Tom. XIV. col. 901.

(*c*) *Haec Decreta Synodice obtulerunt eidem Conuentui, et regibus adſidentibus.*

(*d*) *Sed et Capitula, quae Synodali conſultu Dominus Rex Carolus in Concilio memorato apud Sueſſionis Ciuitatem ſacro propoſuit Conuentui coram fidelibus ſuis in eodem Palatio Vermeria relegi fecit, et ab omnibus conſtanter ſuſcepta ſunt, et accepta.*

(*e*) *Quomodo iſtud rationabiliter quaeſitum, et inuentum perficiatur, vobis hoc ad tractandum, et nobis renunciandum committimus.*

Baluzius in admonitione, quam Tom. I. pag. 114. ſub Rege Pipino celebratis praemiſit. Narrat enim ſe dubitaſſe, an Decreta Synodorum, quae ab Epiſcopis ſub hoc tempus celebratae ſunt, referendae eſſent inter Regis memorati Capitularia. Dubium illius ſoluit Anſegiſi Abbatis, et Benedicti Leuitae auctoritas, qui illas in librum Capitularium retulerunt. (a) Hoc ipſum patet, ex Capitulis editis a Pipino Rege, et ab Epiſcopis Anno DCC-LV. ad Concilium *Vernis* celebratum ſolos Epiſcopos congregatos docet Praefatio Capitulorum. *(b)* Huius generis eſt Decretale precum quorundam Epiſcoporum, qualiter pro Rege, et exercitu eius hac inſtanti tribulatione à fidelibus in orationibus, et eleemoſynis Deo ſupplicandum ſit. Huc reuocanda ſunt: Capitulare anni DCCCI. apud Baluzium cum hac Epigraphe: *haec ſunt Capitula ex Diuinarum Scripturarum ſcriptis, quae electi Sacerdotes cuſtodienda, atque implenda cenſuerunt.* Item Capitulare III. anni incerti circa annum DCCCXIV. apud Baluzium, col. 357. *Capitula a Domino Carolo, et Filio eius Ludouico, ac ſapientiſsimis ipſorum Epiſcopis excerpta.* Excerpſerunt itaque illa ex peculiarium Synodorum actis, quae vtilia, et neceſſaria videbantur. His omnibus antiquius, et luculentius exemplum habetur in Edicto Clotharii II. Regis in Concilio Pariſienſi V. dato anno DCXV. cuius tale eſt initium: „*Edictum, vel Conſtitutio Inclyti Principis Clotharii Regis ſuper omnem plebem in Conuentu Epiſcoporum in Synodo Pariſienſi adunata, id eſt, compilata:* ex eo quod dicitur: *ſuper omnem plebem*, patet vniuerſales leges fuiſſe conditas, et has quidem in Conuentu Epiſcoporum. Simile exemplum habemus in Synodo Regia Anglicana circa annum DCCCCXXVIII. vbi dicit Rex ſe de conſilio Wulfhelmi Archi-Epiſcopi, et aliorum Epiſcoporum mandare Praepoſitis ſuis omnibus in toto regno ſuo. *(c)* Apud Anſegiſum Abbatem Capitularium Lib. I. Cap. XCII. legibus de Presbyteris, qui foeminas in domibus habent: „*Statutum eſt ab Epiſcopis de Presbyteris, qui foeminas ſecum indiſcrete habitare permittunt.*„ Quis neget, Epiſcopos ſtatuiſſe, dum id contextus legis habet? Eadem eſt ratio legis in Capitulis, anno DCCCIII. poſt reditum Legatorum a Sede Apoſtolica aduerſus Chorepiſcopos latae, vbi a cunctis Regni Epiſcopis talis praeſumptio ſiue ordinati, ſiue ordinantis in Synodo canonice prohibetur. *(d)* Grati id recognoſcunt Epiſcopi in Synodo, cui praeſedit Drogo Metenſis ad Theodonis Villam anno DCCCXLIV. ſub Principibus Hlotario, et Hludouico congregati, qui gratiam Principis recolunt, quod ab illis, licet indignis, Chriſti tamen Vicariis conſilium quaerere, et velut reuera ex ore Dei expectare dignentur. *(e)* Epiſcopi in hoc capitulari conſilium dando legem tulerunt; ſimiliter in Concilio Vernenſi anno eodem, (cui praeſedit Ebroinus Pictauorum Epiſcopus, et Venilo Zenonum Archi-Epiſcopus, nec non et Ludouicus S. Dionyſii Abbas, et Hincmarus deinceps Remorum Archi-Epiſcopus) Epiſcopi interpellati communi deliberatione conſilium ſuum aperientes ſtatuerunt, quaedam Capitula nulla certe aliorum mentione facta. *(f)*

(a) Occurrebant nonnullae Synodi per ea tempora celebratae, in quibus nulla mentio Principis, nulla eius auctoritas apparebat, quae tamen in libros Capitularium ab Anſegiſo Abbate, et Benedicto Leuita compoſitos relatae conſpiciuntur. Baluzius.

(b) Glorioſiſſimus, atque Deo religioſus illuſtris vir Pipinus Rex Francorum vniuerſos pene Galliarum Epiſcopos aggregari fecit ad Concilium Vernis palatium publicum recuperare aliquantisper cupiens inſtituta Canonica.

(c) Ego Adelſtanus (Ethelſtanus) *Rex Conſilio VVlfelmi* (Wulfhelmi) *Archi-Epiſcopi mei, et aliorum Epiſcoporum meorum mando Praepoſitis meis omnibus in toto regno meo.*

(d) Ne deinceps a quoquam tam ordinante, quam ordinari cupiente talis praeſumptio aſſumatur, a cunctis Regni noſtri Epiſcopis eſt in Synodo canonice prohibitum.

(e) A nobis, quonquam indignis, Chriſti tamen Vicariis, Diuinum Conſilium quaerere, et benigna deuotione velut reuera ex ore Dei expectare dignamini.

(f) Quia Deo inſpirante dignati eſtis iubere, vt de ſtatu Eccleſiae, qui vehementer magnitudine, ac multitudine peccatorum noſtrorum confuſus eſt, tractaremus in nomine, et adiutoria eius, quae communi deliberatione reperimus Celſitudini veſtrae, ac fidelis populi deuotioni humiliter aperimus.

De his Synodis Regiis id quoque obſeruandum: fuiſſe etiam in Synodis Regiis ab Epiſcopis ſeorſim congregatis aliqua definita, quae tamen, quum vniuerſitatem populi, vniuerſasque Eccleſias imperii non reſpicerent, Decretis Synodorum Regiarum inſerta non fuerunt. Diſcimus id ex Capitulo XII. Synodi Tullenſis anni DCCCLIX. apud Saponarias. *(a)* quo ſpecialia quarundam Dioeceſium Epiſcopis in propriis Parochiis *ad exequendum ſunt commiſſa.*

Tenemus iam nonnunquam, et quidem ſub ſtirpe Carolina, (cuius aetas appellari poteſt Seculum Synodorum Regiarum) ferme plerumque fuiſſe ſeparatim actos Conuentus Epiſcoporum, ſiue Concilia Prouincialia, quae iam vnius, iam plurium Prouinciarum erant. Videmus etiam aetate Caroli calui duodecim Prouinciarum Synodos; atque in his propoſitiones, vel interrogationes Principum ruminabantur, condebantur Decreta ad Synodum Regiam, (quam Concilium Moguntinum appellat magnam Synodum) referenda. Haec dein Principi offerebantur, ille viciſſim cum Epiſcopis, Abbatibus, et Comitibus in Placito Generali, ſiue Synodo Regia congregatis deliberabat, cum eorum conſilio, et conſenſu, aut ſeligebat aliqua, aut ſuſcipiebat vniuerſa; quae porro non videbantur vniuerſalitatem Populi reſpicere, intacta relinquebat. Huius aſſertionis noſtrae Specimen praebet nobis Capitulare I. anni DCCCXIII. de confirmatione Conſtitutionum, quas Epiſcopi in Synodis habitis ſanciuerunt, antequam enim illud cuderetur, celebrata ſunt (vti diximus ſupra) eodem anno Arelatenſe, Moguntinum, Cabillonenſe, Remenſe, et Turonenſe Concilium. Haec ad Regem delata fuiſſe perhibent acta memoratorum Conciliorum, ex his dein Synodus Regia excerpſit, quae videbantur opportuna, et Capitulari anni illius inſeruit. Sane ſi horum Conciliorum Canones cum Capitulari laudato conferre volueris, videbis totidem verbis ex Conciliis Arelatenſi, et Moguntino mutuata eſſe omnia. Dubium ergo eſſe non poteſt in Synodis illis minoribus fuiſſe concinnata quaedam Schemata legum in Synodo Regia condendarum, fuiſſe item Epiſcopis ad Placitum ituris leges datas, quibus conſentire poſſent, vel ſecus. Synodi vero Regiae praecipua erat auctoritas, vt decerperet, et approbaret Canones, quos totius Regni vtilitati videbat opportunos, qui poſt indeptam approbationem Canones eſſe occiperent. Praecipuam hanc Super Synodis Prouincialibus auctoritatem profitetur Concilium Moguntinum Canone XXII. *(b)* vbi vagos a Synodo Prouinciali ad Magnam Synodum adferendos innuit. Quum itaque Synodorum Regiarum tanta eſſet auctoritas, eoque omnia referrentur, Reges intereſſent, ac nonnunquam etiam praeeſſent, *(c)* mirum, et ab Eccleſiaſtica diſciplina alienum videri non debet, quod Canon poſtremus Concilii Arelatenſis IV. *(d)* ab Imperatore poscit, *vt illius prudentia ſuppleat*, ſi quid deeſſet, ſuo perficiat iudicio, ſi quid rationabiliter conſtitutum eſſet. Moguntinum vero in praefatione, *quidquid in eis emendatione dignum reperitur, Imperialis dignitas iubeat emendari.* Turonenſis tertii, et Concilii Cabillonenſis ſecundi

verba

(a) Haec de praecipuis in eadem ſacra Synodo fuere ſtatuta. Coeterum ſpecialia de quibusque Parochiis, prout viſum fuit ſecundum Eccleſiaſticam auctoritatem definita, et Epiſcopis in propriis Parochiis ſunt ad exequendum commiſſa.

(b) Conſtringantur vſque ad Synodum vbi eis iudicetur, vtrum ad iudicium Domini noſtri, aut ad iſtam magnam Synodum adferantur ſub cuſtodia publice.

(c) Dico: *nonnunquam*: oſtendam enim praeſediſſe Epiſcopos, praefuiſſe ſedis Apoſtolicae Legatos.

(d) Haec Imperatori praeſentanda decernimus, poſcentes eius prudentiam, vt ſiquid hic minus eſt, quam ſe ratio habet, eius iudicio emendetur, ſi quid rationabiliter taxatum eſt, eius iudicio perficiatur.

Digitized by Google

Verba ſupra recitauimus. *Suppleri* ergo *emendari*, ac *perfici* petebant per Regem, et Synodum Regiam Canones, cum ſcirent omnia in Synodis talibus Canouice cum aſſenſu Epiſcoporum agi, niſi forte aliquem offendat, quod ad Regem ob dignitatis praecellentiam ſermo dirigatur. Quum Prouincialium Conciliorum in vniuerſam Galliam haud valere poſſet auctoritas, niſi eam a Synodis Regiis, quae veri nominis Concilia Nationalia fuerunt, mutuarentur, merito cenſurae huic, et iudicio ſubmittebant ſtatuta ſua, quae vt verbis vtar Thomaſſini, (a) *ita temperabantur, vt alia aliis, omnia omnibus concordarent, exiſteret, obtineretque, quod ad pacem, ad diſciplinam puriorem Eccleſiae plurimum conferret.* Nec id quemque conturbet, quod in Synodorum Regiarum ſancitis Reges inducantur loquentes, parum enim refert, quisnam loquatur, dum conſtat Reges *definitionis generalis vulgare edicta*, dicendum itaque hic a nobis eſt illud Concilii Aurelianenſis V. „*ad Diuinam gratiam referen lum eſt, cum vota Principum concor lant animis Sacerdotum.*„ Praeclare illuſtrat hanc concordiam Iuſtiniani Imperatoris conſtitutio Contra Anthimum Patriarcham Conſtantinopoleos, dum inquit: *quoties Sacerdotum ſententia quosdam indignos Sacerdotes de Sacris Sedibus depoſuit, toties imperium eiusdem ſententiae et ordinationiscum Sacerdotum auctoritate fuit, ſicque Diuina pariter ac humana concurrentia vnam conſonantiam rectis ſententiis fecere.*

Disquiritur an omnia conſentientibus Epiſcopis ſtatuta fuerint?

VI. Obiicit Petrus de Marca Conuentum generalem habitum in villa Sparnacenſi anno DCCCXLVI. ex quo docet nouemdecim duntaxat Canones fuiſſe acceptatos, quum tamen Epiſcopi ſeptuaginta nouem condidiſſent; verum infirmum hoc eſt argumentum. quod Praefatiuncula Conuentui huic praefixa abunde refellit, (b) quae teſtatur factione quorundam excitatum fuiſſe Regem aduerſus Epiſcopos, ac illos tandem e conſeſſu remotos fuiſſe maxima cum iniuria, vtpote quum conſtet illis in Conuentu generali prioribus poſterioribusque temporibus ius ſuffragii competiſſe. In meridiana luce coecutit, quicunque non videt vi, non ratione, factione, non conſilio in Conuentu Sparnacenſi geſta, aut potius perturbata fuiſſe omnia.

Probatur teſtimonio Regum.

Quia hiſtorice rem noſtram agimus, conſulamus hiſtoriam, vt ordine Chronologico pateat omnia conſenſu Epiſcoporum in Capitularibus, ſeu Synodis Regiis canonice fuiſſe tractata, adeoque illas pro veri nominis Conciliis Nationalibus haberi poſſe, et earum ſicuti nomen, ita et auctoritatem fuiſſe ſortitas. Hinc eſt, quod Guntramnus Rex in praecepto ſuo anni DLXXXV. Canonem primum Concilii Secundi Matiſconenſis de obſeruatione Diei Dominicae inculcans, et reliqua eius Decreta vulgans ad *definitionis generalis* auctoritatem prouocet, ait enim: „*huius Decreti, ac generalis definitionis vigore decernimus.* In edicto Clotharii Regis anno Chriſti DCXV. dato in Synodo Pariſienſi Cap. 24. grauiſſima poena intentatur illi, *quicunque hanc deliberationem, quam cum Pontificibus, vel tam magnis viris Optimatibus, aut fidelibus noſtris in Synodali Concilio inſtituimus temerare praeſumpſerit.* (c) In Capitulari Francofordienſi anni DCCXLIV. Cap. 2.

(a) part. 2. lib. 3. cap. 51.

(b) „*Quia factione quorundam motus eſt animus ipſius Regis contra Epiſcopos, diſſidentibus Primoribus Regni ſui ab eorundem Epiſcoporum admonitione, et remotis ab eodem Concilio Epiſcopis, ex omnibus illis Capitulis haec tantum obſeruanda, et complacenda ſibi collegerunt, et Epiſcopis ſcripto tradiderunt dicentes: non amplius de eorum Capitulis acceptaſſe, quam iſta, et iſta ſe velle cum Principe obſeruare*„ Apud Baluzium Capitularium Tom. II. pag. 21.

(c) Neminem conturbent particulae: *aut*, *vel*, *ſeu*; quae disiunctiuae ſunt, promiſcue enim pro coniunctionis particulis: *et*, *ac*, *atque*, accipiebantur olim, ſic in conſtitutione Clotharii Regia anno DLX: *vſus* (conſuetudo) *eſt Clementiae Principalis neceſſitatem Prouincialium, vel ſubiectorum ſibi omnium populorum prouida ſolicitudine mente tractare*„ In Capitulari Sueſſionenſi anni DCCXLIV. *cum conſenſu Epiſcoporum, ſiue Sacerdotum, vel ſeruorum Dei conſilio, ſiue Comitum, et Optimatum*.„ Rurſus in Capitulari Saxonum anno DCCXCVII. *Conuenientibus in eius obſequio venerabilibus Epiſcopis, et Abbatibus, ſeu illuſtribus viris Comitibus.*„

Digitized by Google

Cap. 2. dicitur de Rege: *Statuit pientiſſimus Dominus noſter Rex conſentiente Sacra Synodo*, et ibidem Cap. 8. *definitum eſt a Domino Rege, et a Sancta Synodo.* Carolus M. in Capitulari anni DCCLXIX proteſtatur idipſum dicens: *hortatu omnium fidelium noſtrorum, et maxime Epiſcoporum, ac reliquorum Sacerdotum conſultu.* In Capitulari Aquisgranenſi anni DCCLXXIX. proteſtatio occurrit: *ea Capitula vna cum Sacerdotibus ſancita fuiſſe*. Rurſus in Capitulari Aquisgranenſi I. anni DCCCIII. Cap. 5. congregati inquiunt ſe decreuiſſe Leonis Papae, et omnium Epiſcoporum atque reliquorum fidelium conſultu. *(a)* In Capitulari II. eiusdem anni iuxta Sirmondi editionem, Epiſcopi, et Abbates manu propria ſubſignando illud firmarunt. *(b)* In Capitulari ſecundo anni DCCCXIII. dicit Carolus Imperator ſe cum conſenſu Chriſtianae Eccleſiae, conſilioque inſtituiſſe illa. *(c)* Non abſimiliter in Capitulari Aquisgranenſi anni DCCCXVI. *Ludouicus Imperator Chriſtianiſſimus, ac piiſſimus*, ait ſe *ex omni imperio ſuo* feciſſe *Conuentum Epiſcoporum, Comitum, vel Maiorum natu Francorum, vti ſancirent Capitula pro vtilitate totius Eccleſiae.*

Decisione Dogmatica. Nemo adhuc, qui quidem in communione Eccleſiae Catholicae perſtitit, ius definiendorum dogmatum Epiſcopis, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, et Magiſtros fidei, ac Sacro Sancti illius depoſiti voluit eſſe cuſtodes, auferre tentauit; neque Petrus de Marca eo prolapſus eſt; nemo ergo ambigere poteſt in Synodis Regiis Canonice acta fuiſſe illa, quae Eccleſiaſticae ſubduntur poteſtati; ſub Pipino enim Rege in Capitulari Sueſſionenſi Adalberti cuiusdam haereſis damnata eſt, de quo Rex ipſe Cap. 2. ait, *„ſicut inuenimus in Adalberto haereſim, quam publiciter vna voce condemnarunt viginti tres Epiſcopi, et alii multi Sacerdotes cum conſenſu Principis, et populi, ita condemnauerunt ipſum Adalbertum, vt amplius populus per falſos Sacerdotes deceptus non pereat.*

Episcopi praeſederunt. Conſenſum Epiſcoporum in Capitularibus condendis adhibitum fuiſſe liquidius perſpicietur ex eo, quod annales Eccleſiaſtici perhibeant Epiſcopis praeſidentibus Synodos Regias celebratas fuiſſe, ac etiam Sedis Apoſtolicae auctoritate firmatas. Quod Summi Pontifices probauere, quod ſub Epiſcopis, ac Legatis etiam Sedis Apoſtolicae geſtum fuiſſe ſcimus, dubitari non poteſt canonice actum eſſe; anno enim DCCCXLIV. in Synodo ad Theodonis villam praeſedit Drogo Metenſis Epiſcopus. Anno eodem in Concilio Vernenſi Ebruinus Pictauorum Epiſcopus, et Venilo Zenonum Archi-Epiſcopus, qui vltimus etiam Synodis apud Vermeriam celebratis praeſuit. Vt nihil dicam de Synodis Regiis, in quibus Epiſcopi agebant omnia. Sub Childerico Rege reperimus celebratum capitulare circa annum Chriſti DCCXLIV. cui praeſuit Bonifacius Sedis Apoſtolicae Legatus. Quid dicemus de Capitulari illo, cuius pleraque Capitula hanc habent clauſulam: *ita Georgius ſenſit*, ſiue Pontificem Summum agnoſcas, ſiue Legatum Sedis Apoſtolicae contendas parum refert. Abſoluemus omnem hanc narrationem verbis Benedicti Leuitae in Praefatione Libri quinti Capitularium, *„Duo Synodales conuentus, quos Sanctae Romanae, et Apoſtolicae Eccleſiae Legatus Bonifacius - - - vice - - - Zachariae Papae vna cum Karlomanno Francorum Principe Canonice tenuit, vt agnoſcant omnes haec - - - Principum Capitula maxime Apoſtolica auctoritate*

(a) *Placuit. ſicut Leonis Papae, et omnium Epiſcoporum Noſtrorum, atque reliquorum fidelium generali, et Synodali conſultu deuenimus, vt nullus Choreſpiſcopus.*, Notandum: in hoc capitulo Epiſcopi Dioeceſani, *Summi Pontifices, Cathedrales Epiſcopi* vocentur.

(b) *Omnes in vno conſenſerunt, quod ipſi voluiſſent omni tempore obſeruare, vſque in poſterum etiam omnes Scabinei, Epiſcopi, Abbates, Comites, manu propria ſubterſignauerunt.*

(c) *Carolus ſereniſſimus Imperator Auguſtus, a Deo coronatus, Magnus, et Pacificus, cum Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Ducibus, omnibusque fidelibus Chriſtianae Eccleſiae cum conſenſu, conſilioque inſtituit Capitula iſta„*

ritate ſore firmata, poſt iſta quoque, quae ſequuntur eadem auctoritate maxima, vt diximus, ex parte, et omnium Francorum vtriusque ordinis virorum aſſenſu ſunt roborata.(a) Haec autem eo pertinent, „*vt omnes:* (verbis Benedicti Leuitae vtimur) *haec Capitula legibus Diuinis, regulisque Canonicis concordare non ignorent.*

An Leo, Sergius, et Georgius fuerint Romani Pontifices?

VII. Ait quidem Baluzius in Praefatione ſua falli eos, qui exiſtimant Leonem, Sergium, et Georgium fuiſſe Romanos Pontifices, Legatos ſolum videri vult; parum quidem id refert, dicendum tamen, quod Baluzius vehementisſime fallatur, etenim ſi mente reuoluamus, quae de Chorepiſcopis ſtatuta ſunt, clarum erit Leonem, cuius auctoritas allegatur, Summum Pontificem fuiſſe. Si rurſus recolamus, quae de purgatione Sacerdotum ex auctoritate Georgii ſanciuntur, Georgium pariter Summum Pontificem fuiſſe, quis tamen fuerit, aſſequi non valeo; ex his iam etiam de Sergio coniicere licet, quod vana ſit Baluzii aſſertio. Etſi autem Baluzio contra facti euidentiam demus Leonem, Sergium, et Georgium Legatos ſolum fuiſſe, non erit tamen minus verum, tres vltimos Capitularium libros Apoſtolicae auctoritatis habere firmitatem; ſimiliter vanum eſt Baluzii, et Petri de Marca inuentum, aſſerentium Legatorum praeſentiam neceſſariam haud fuiſſe; quis de eo dubitauit unquam? quaeritur ne quid fieri neceſſarium fuerit, an quid factum ſit inquirimus? nunquid ideo, quod neceſſaria non fuerit Legatorum praeſentia, Sedis Apoſtolicae non addiderunt auctoritatem?

VIII. Sed ne ordinis Religioſi obliuiscamur, quemadmodum alii canonicam ſectabantur regulam, alii ſub monaſtica viuebant profeſſione, ita habentur inter Capitularia Regum Francorum ſaluberrimae de Canonicis non minus, quam Monachis in officio continendis leges conſtitutae *auctoritate, et canonica Episcoporum ordinatione.* Perhibet id Epiſtola Ludouici Pii ad Magnum Archi-Episcopum Senonenſem data anno DCCCXVI. vbi de Concilio Aquisgranenſi loquens ait,*(b)* quod a Sacro Conuentu formulam Canonicae inſtitutionis ex Sanctorum Patrum ſparſim digeſtis ſententiis collectam eidem transmittat, iubetque illis, qui canonicae profeſſionis cenſentur nomine, coram Miſſis Dominicis perlegi. Sacer itaque Conuentus digeſſit formam Canonicae inſtitutionis, quam Archi-Episcopus ex poteſtate ſibi propria, et Regiae auctoritatis praecepto obſeruari facere iubetur. *(c)* Hanc procul dubio ſcrutabantur Regulares, dum in turma Profeſſionis ſuae normam examinabant, vti ſupra vidimus.

Quae fuerint Monachorum partes in his Synodis?

IX. Quidam non tam facta inquirentes, quam ex factis illa, quae vellent facta fuiſſe, exſculpentes, confirmationem Concilii Matisconenſis magnopere vrgent. Non perpendunt nimirum, qualiscunque demum ſit, ad id valere tantum, vt lex Eccleſiaſtica in Ciuilem exurgeret, ſed neque illud attendunt, quod in ſic dicta confirmatione Guntramnus Rex ſemet definitionis generalis auctoritate tueatur. Caput rei eſt, quod in toto praecepto Regis laudati nec vox quidem haec *confirmatio*, aut huic ſimilis occurrat.

Quid de confirmatione Concilii Matisconenſis?

X. Memoriae cauſa hactenus dicta redigamus ad certa puncta, ex quibus

Statuuntur quaedam principia.

K plena

(a) Lib. VII. cap. 478. *De capitulis apoſtolica auctoritate roborotis. Maxime trium vltimorum Capitulo iſtorum librorum Apoſtolica ſunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maxime apoſtolica interfuit legatio, nam eorum nomina praeter trium, id eſt: Leonis, Sergii, et Georgii hic non inſeruimus, licet ea per ſingulos conuentus inſerta inueniſſemus, vitantes legentium, atque ſcribentium faſtidia.*

(b) In Epiſtola ad Sicharium Archi-Epiſcopum Burgidalenſem de eodem Concilio loquens ait: *Sacrum, et venerabile concilium, Diuino nutu, noſtroque ſtudio in Aquisgrani Palatio nuper aggregatum.*

(c) *Formulam Canonicae inſtitutionis, quam ſacer Conuentus ex Sanctorum Patrum ſparſim digeſtis ſententiis colligere, atque in vnum congerere ſtuduit, quam quia vobis tranſcribendi anguſtia temporis facultatem denegauit, ſtudii noſtri fuit, eam diligentius tranſcribi iubere, et abſque vlla deprauatione, aut detruncatione textus, qui ad vos vſque incolumis perferretur - - His, qui Canonicae profeſſionis cenſentur nomine ſecundum miniſterium Tibi Diuinitus collatum, et Noſtrae auctoritatis praeceptum coram Miſſis Noſtris obſeruandum percenſeas.*

plena Synodorum Regiarum habeatur notitia. Certum itaque eſt:

Primo: in Synodis Regiis omnia ex conſenſu Epiſcoporum fuiſſe ſancita, adeoque leges Eccleſiaſticas ex ipſo fonte legiſlatoriae poteſtatis, quam Eccleſia circa Sacra habet, profluxiſſe.

Secundo: Synodorum Regiarum eo, quod vera eſſent Concilia Nationalia præcipuam fuiſſe auctoritatem, quam proinde etiam Concilia Prouincialia reuereri debebant.

Tertio: Conciliis Prouincialibus nullo vnquam tempore integrum fuiſſe vniuerſae alicui nationi Eccleſiaſticas leges condere.

Quarto: Conciliorum Prouincialium Decreta fuiſſe plerumque mera ſchemata, et proiecta, ex quibus haec, vel illa in Synodis Regiis decerpebantur.

Quinto: Conciliorum Prouincialium decreta, de quibus nobis ſermo eſt, nequaquam in vulgus manaſſe, ſed ſub maximo ſecreto fuiſſe cuſtodita.

Sexto: interueniſſe Legatorum Apoſtolicorum, et Apoſtolicae Sedis Auctoritatem, cui quosuis Epiſcopos ſubiici neceſſum eſt.

Caput Decimum Octauum.

De Synodis Regiis in Hungaria.

Eaedem erant Epiſcoporum in Synodis Regiis Hungariae partes.

I. Dicet aliquis, quorſum Synodorum Regiarum Franciae tam ſolicita disquiſitio? quid referebat Conſtantinopolitanas, Toletanas, atque Anglicanas Regias Synodos commemorare? multum profecto referebat ea omnia adferre, quum enim tanta ſit, vti vidimus, legum Franciae, et Hungariae affinitas, ſi Capitularia, et Dioetae noſtrae eodem prorſus modo agebantur, nullum prorſus dubium eſſe poteſt in Synodis Regiis Hungariae Canonice facta fuiſſe omnia. Si Synodi Regiae illae ſunt, in quibus de Sacris, et profanis cauſis cum aſſenſu, et conſenſu Epiſcoporum, et Optimatum ferebantur leges, nemo poterit negare Dioetis noſtris (ſic enim appellamus comitia Noſtra) Synodorum Regiarum et nomen competere, et auctoritatem. Exploratum quoque eſt Epiſcoporum Hungariae eadem fuiſſe munia in Synodis Regiis, quae erant Epiſcoporum in Synodis Franciae, tantoque id verius, quod nemo inficias iuerit Synodorum Regiarum celebrandarum conſuetudinem fuiſſe totius Europae disciplinam. Quare quum Sanctus Stephanus Rex Hungariae ſe antiquos, et modernos imitatum fuiſſe Auguſtos profiteatur, quiuis ſuapte aſſequetur, nihil in Hungaria diuerſum a reliquis Prouinciis reperiri poſſe.

Epiſcopi Hungariae ante Dioetas Synodos celebrant.

II. Conuenerant in Francia ante generales Conuentus Epiſcopi, atque inter ſe ſe deliberabant; reperimus id ipſum Epiſcopos Hungariae feciſſe. En huius rei conſpicuum monumentum! quod hic intexendum duximus ex autographo: „*Venerabili in Xto Patri Domino Fratri Bendicto, Dei gratia Epiſcopo Transyluano Fratri ſuo Germano Frater Ladiſlaus per eandem* (Gratiam) *Archi-Epiſcopus Colocenſis, Aulae Regiae Cancellarius mutuam, et ſinceram in Domino charitatem. Noueritis, quod Dominus Ladiſlaus quinque Eccleſienſis, et Iuanka, Varadienſis Eccleſiarum Epiſcopi Nuncii Noſtri, et omnium Epiſcoporum, qui congregationi,* (a) *in Eccleſia Colocenſi interfuerunt a Domino Rege ſunt reuerſi, qui talem ordinationem cum Domino Rege duxerunt faciendam, ſicut in tenore litterarum ipſius continetur,* quarum tenor talis eſt: *Carolus* &c. (obligat ſe Rex, et vniuerſos fideles ſub poena excommunicationis, quod ad diem octauum Beati Ioannis Baptiſtae ad generalem Regni Conuentum in campo Rákos habendum cum Optimatibus conuenire debeat

(a) Non exiſtimo quemquam in vocula: *Congregationi* adhaeſurum, quum Synodus, et Congregatio idem ſit ſub diuerſo nomine.

Digitized by Google

beat) *Has autem litteras ſi neceſſe habetis ad Curiam Regis, vt ſigillatas nobis deferant, quia praedicti nuncii tantum pro ſe ipſas ſigillatas perreperunt. Haec tamen ſa‿ratis in coena Domini ſolenniter publicari ad populum, atque Clerum vbique in - - - - Sanctae obedientiae iniungentes, et mandantes, vt ad Octauas feſti Beati Ioannis Baptiſtae ad nos in Apoſtag* (quod eſtprope Danubium ſupra Follvár) *venire debeatis, quem locum nobis, et aliis Fratribus, ac ſotiis noſtris aduenientibus aſſignarunt, vt ſimul congregati ad locum Congregationis Regni accedere debeamus, habito primum inter nos tractatu praeuio, et maturo. Datum Colonae feria quarta proxima ante feſtum Annunciationis Virginis glorioſae anno* 1318.

Agebantur in Synodis Regiis ſeorſiui Epiſcoporum conuentus.

III. Fiebat in Synodis Regiis Franciae, vt ſeorſiuis locis, et diebus ſub ipſo Conuentu Generali agerent Epiſcopi cauſas Eccleſiaſticas; Iam alias ex Presbytero Dioclete recenſuimus Synodum Regiam a Rege Slauorum in planitie Dalmae celebratam, de qua idem „*iuſſu Honorii Apoſtolici viri, et Chriſtianiſſimi Regis Sfetopelek per ſpatium dierum XII. Synodum fecerunt, in quibus octo de lege Diuina, de ſacra ſcriptura, ac ſtatu Eccleſiae tractatum eſt, Ceteris autem quatuor diebus de poteſtate Regis, et Ducibus*„ an aliquid ad notionem Synodi Regiae addi debet? ſi in Merulani Regum Dalmatiae Rebus geſtis Synodum hanc legas, videbis eam prorſus ad normam Synodorum Franciae celebratam fuiſſe, prius enim conuentum mere Eccleſiaſticum narrat, deinde ea ad Synodum Regiam relata fuiſſe aſſerit. Verbis Merulani rem omnem narrabo: *Pontifex* (pii Regis intellecta voluntate) *ex templo duos Cardinales, ac duos Epiſcopos ſimul deſtinat, qui cum veniſſent Apoſtolica auctoritate, quae facto opus erant, peregerunt, per illos quippe rogatae leges, et quaecunque nouellis Chriſtianis neceſſaria erant, plane perfecteque fuere conſtituta, aduenienti autem Regi occurrerunt, ibi enim Rex cum magno Procerum Comitatu exſpectatos honorifice ſuſcepit, omnes quippe regni Praefectos ibidem iuſſerat congregari, vt omnibus nota eſſent quae agebantur.* Adueniente ergo Rege, quae Pontificali ſunt auctoritate definita, communibus ſuffragiis ſunt conſtituta, ideo enim ad plenum conuentum referebantur.

Euincitur vlterius teſtimonio Colomani.

IV. Non exiſtimo pro aſſertione mea reperiri poſſe teſtimonium efficacius, atque ſit, quod capite ſeptimo de Decretis Colomani euicimus; nimirum librum ſecundum Decretorum Regis huius ex aliquo Concilio Eccleſiaſtico, et quidem ni fallant me omnia, Vencellenſi *(a)* maxima ex parte eſſe deſumptum, quemadmodum Capitulare Aquiſgranenſe totidem verbis ex particularium Synodorum legibus conflatum conſtat. Haec ſi cum luculento exemplo quod §. II. huius capitis attulimus, conferantur, dubium non eſt, quod ſeorſim aliquando celebratae fuerint Synodi Eccleſiaſticae, quae dein ad Synodos Regias deferebantur, et praecipua harum auctoritate vberiorem acceperunt auctoritatis firmitatem. Accedit, quod teſte capitulo quinto einſdem libri aliam quoque Synodum ſiue ſub ipſis Comitiis, ſiue ante illa celebratam fuiſſe palam conſtet, dicitur enim decretum eſſe *in ſancta Synodo ab omnibus Epiſcopis, vt populus Strigonienſi Eccleſiae decimas omnium, quae poſſident &c.* dependant.

Cur particula *vt* adhibita in quibusdam Conciliis Hungariae?

V. Mirantur aliqui *(b)* cur Synodorum Eccleſiaſticarum Hungariae Canones plerique a particula *vt* incipiant, et putant omnes Canones inſtar precum ad Principem dirigi; hi qui huiuſmodi minutias ſectantur, dicant mihi cur pleraeque Ciuiles a particula *item* incipiant, etiam cum nihil praeceſſerit? procul dubio dicent inde profectum, quod legum compilatores particula *item* omnem exordii alicuius neceſſitatem praeſcindere

 volue-

(a) Quod *Vercellenſe* corrupte legitur.

(b) Inter hos familiam ducit Ill. Adamus Franc. Kollár in libello de Poteſtate Legiſlatoria circa ſacra.

voluerint, et ideo ſimpliciter ſcribebant: *Item ſtatutum eſt*. ſane ſi particula: *vt* id innueret, quod confirmatio expetatur, idipſum de Decreto Sancti Stephani dicendum foret, cuius Capitula aliqua hac particula incipiunt, ſed ſciendum eſt pleraque acta Synodalia principio carere, et ſubintelligi debere: *τὸ ſancitum eſt, vt.*

Caput Decimum Nonum.

Quaedam Synodorum Regiarum Hungariae conſtituta hiſtorice explanantur.

Vt oſtendant aliqui *(a)* Epiſcopos in ferendis legibus Eccleſiaſticis partem non babuiſſe, et eas inuitis Epiſcopis fuiſſe ſancitas, commemorant aliqua Synodorum Regiarum Hungariae, ſiue Dioetarum Conſtituta, quibus Epiſcopos aſſenſum praebuiſſe credi haud poſſit, quomodo ergo illa condita ſint fidem hiſtoricam ſecuti, ſingulis paragraphis enarrabimus.

§. *I. De militatione, ſeu exercituatione Eccleſiaſticorum.*

Quid in hoc genere licitum ſit Epiſcopis?

I. De militatione Eccleſiaſticorum Differentibus tria diſtinguenda ſunt: aliud enim eſt propriis manibus pugnare in hoſtem, illum coedere, aliud militem in hoſtem adducere, in caſtris adeſſe diſciplinae, et obſequii cauſa, aliud denique ad ſtatuendos, ſuppeditandosque milites eſſe adſtrictum. Pugnare in hoſtem, illum coedere, etiamſi Turca Chriſtiani nominis hoſtis ſit, nunquam fuit licitum viris Eccleſiaſticis, neque ad id leges noſtrae nos obſtrinxerunt. Propriis manibus pugnare, S. Thomas *(b)* *abuſionis eſſe* dicit, hancque rationem reddit, quia non competit Sacrificii incruenti adminiſtratoribus occidere, vel effundere ſanguinem, ſed magis paratos eſſe ad propriam ſanguinis effuſionem pro Chriſto, vt imitentur opere, quod agunt miniſterio. Vtinam Epiſcopi, et Sacerdotes gentis noſtrae gladio ſpirituali contenti precibus potius, quam armis pugnaſſent. Caro nimis ſtetit nobis ſoepenumero praepoſtera Eccleſiaſticorum fortitudo, poterat merito nobis quoque oggeri illud Zachariae Papae: *(c) Paganae gentes vobis pugnantibus praeualebant, quia non erat differentia inter Laicos, et Sacerdotes, quibus pugnare licitum non eſt, qualis enim victoria datur? Vbi Sacerdotes vna hora Dominica pertractant myſteria, et Chriſtianis Dominicum porrigunt corpus pro ſuarum animarum redemptione, et poſtea Chriſtianos, quibus Chriſtum praedicauere propriis, Sacrilegisque manibus necant.„* Id itaque maxime reprobat Zacharias, quod ſuis manibus pugnarint; diuerſum longe eſt militem ducere in hoſtem ad Patriae defenſionem. Agnoſcit id memoratus Sanctus Thomas loco citato docens, quod Praelati, et Clerici (ex auctoritate Superioris) poſſint intereſſe bellis non quidem, vt propria manu pugnent, ſed vt iuſte pugnantibus ſpiritualiter ſubueniant ſuis adhortationibus, et abſolutionibus, et aliis huiuscemodi ſpiritualibus ſubuentionibus, ſicut et in veteri lege mandabatur Ioſue 6. quod Sacerdotes ſacris buccinis in bello clangerent. Sanctiſſimos quoque Epiſcopos hoc feciſſe indubitatum eſt; id approbauit S. Heribertus Colonienſium Antiſtes. Sanctus Leo IX. dum Diaconus eſſet, militiam adduxit Imperatori, *ſaluo tamen per omnia proprii gradus ſacramento*. S. Bernardum belliducem expeditionis in terram ſanctam deſignatum fuiſſe, ex illius ad Eugenium III. datis literis nouimus. Sen-

ſatis-

(a) Vbique libellum Ill. Kollár prae oculis habuimus.

(b) Secunda ſecundae, quaeſt. 40. art. 2. ad 2.

(c) Apud Benedictum Leuitam Capitular, libro quinto.

Digitized by Google

ſatiſſime de his ſcripſit Thomaſſinus: *(a)* confitetur is primum viros pios fere omnes hunc bellandi auſum horrere, neque hunc horrorem illis vitio dandum, ſiquidem Epiſcopi ipſi vſui huic ſerviebant cauta, et neceſſaria diſpenſatione, reprehendendos tamen illos, qui tot Sanctiſſimos Pontifices, et Epiſcopos condemnare audent, eandem vero moderationem ſuggerit, vt ſic de antiquato hoc vſu gaudeamus, vt vna Sanctiſſimos Praelatos non damnemus.

Quando coeperint militare in Hungaria?

II. Militaſſe in Hungaria Eccleſiaſticos dubio vacat, quando coeperint, et quando primum hanc ſibi vna cum Optimatibus legem dixerint, id non tam planum eſt. Nunc laudatus Thomaſſinus diſciplinae huius originem ad annum MXXX. refert, quando nimirum Conradus Imperator bello impetere coepit Sanctum Regem Stephanum, *(b)* legerat enim in vita laudati Sancti apud Chartuitium, Regem Stephanum coacto Epiſcoporum, et Procerum conventu in Patriae defenſionem totius Hungariae evocaſſe exercitum, ſed, venia tanti viri dictum ſit, inde non ſatis liquet, Epiſcopos ad bellum acceſſiſſe, ad Comitia conveniſſe Epiſcopos docet Chartuitius, militaſſe non dicit. Vita functo Sancto Stephano, et Petro rurſus e Sede deiecto, dum Andreas, et Leventhe Regnum occuparunt, occurrerunt Epiſcopi verum inermes, ſcuto duntaxat fidei muniti, et pro telis cruces ſparſerunt, nullae tunc copiae, ſed chorus pſallentium circumſtabat Epiſcopos, qui ſanguinem, et vitam dabant potius, quam adimebant. Sed neque de Comitibus, aliisque Nobilibus, vt militem in hoſtem ducant, vidi legem, quae annum Chriſti MCCXXII. praecederet, eo enim anno conditus articulus VII. prima eſt lex, qua Servientes, id eſt: Nobiles Regis exercitum ſequi iubentur, ſi ipſum Regnum petat hoſtis, extra regnum bellum gerenti pro pecunia ipſius, competentique ſtipendio adeſſe praecipiuntur. *(c)* Nomine Servientium nusquam invenimus Eccleſiaſticos fuiſſe compellatos, omnes ergo Servientes, id eſt: Nobiles tenebantur ire in hoſtem Regno imminentem, illi nimirum, quibus liberum erat Regium exercitum extra regnum ſequi. Duo tamen hic obſervanda ſunt: Servientes Regis non vi legis huius militare coepiſſe, haec enim praeexſtantis vſus teſtimonium perhibet. Alterum eſt, quod Eccleſiaſtici ſemper libertatibus Servientium vſi iisdem obnoxii fuerint oneribus; de Epiſcopis autem diſerte meminit lex altera, quam ſub Sigismundo Rege anno MCCCCXXXV. ſibi ſanxerunt, vt Regi ſuo vndique bellis preſſo opem ferrent. Neque accuſari poſſunt Praelati, quod talem ſibi ſcripſerint legem, quum iam in Synodo Budenſi Philippi Sedis Apoſtolicae Legati praeviam habuerint conſtitutionem Anno MCCLXXIX. latam, quae ad defenſionem Patriae Praelatos, et

(a) Non me praeterit, quam fere exhorreant viri pii, et caſtioris Eccleſiarum diſciplinae amantiſſimi ab hoc vſu, et quam toti propendeant ad eum vituperandum, non ignoſci tantum, ſed et laudibus affici poteſt hic eorum dolor, qui et meritiſſime videri poteſt communis fuiſſe eorum olim Epiſcoporum, qui illi tamen vſui ipſi inſerviebant, provida, ac cauta, et neceſſaria diſpenſatione - - ſed nec laude, adeoque nec venia dignandi ſunt, qui damnare audeant eam conſuetudinem, quam tot concilia, tot Pontifices, ſanctiſſimique Epiſcopi, Imperatores, et Reges commendaverunt, vel iuſſione ſua, vel vſu, et exemplo, vel tolerantia ſua, et neceſſaria iuris ad temporum vices varias attemperatione. Vna prorſus, eademque ſapientia, et charitas iubet nos nunc gaudere de eius vſus deſuetudine, et eius reſtituendi deſperatione, et vetat, ne vna implicemus damnatione tot ſanctiſſimos Pontifices, ſummosque Principes, quos in ſupremo quodam ſupra nos faſtigio Numinis providentia collocavit.

(b) Anno MXXX. cum Conradus Imperator bellum indixiſſet ſanctiſſimo Hungariae Regi Stephano, Epiſcopos, et Optimates convocavit Rex, atque ita exercitum in hoſtem duxit - - Tum Rex Stephanus Epiſcoporum coacto conventu in Patriae defenſionem totius Hungariae evocavit exercitum .. Ita Chartuitius Epiſcopus in vita S. Stephani Regis. *Cogi Comitia neceſſe fuerat, vt Epiſcopi, et Comites belli gerendi cauſas edocti, vaſallos mox ipſi ſuos cogerent, adducerentque armatos ad caſtra Regia.*

(c) Si Rex extra regnum exercitum ducere voluerit, ſervientes cum ipſo ire non teneantur, niſi pro pecunia ipſius, et poſt reverſionem iudicium exercitus ſuper eos non recipiat: ſi vero ex adverſa parte exercitus venerit ſuper regnum omnes vniverſaliter ire teneantur.

Digitized by Google

alios Clericos militare admittit, licet enim idem Legatus prohibuiſſet, ne Praelati, et alii Clerici quibuscunque ſcenis factis ſe aliquatenus immiſcere praeſumant, nec bellicis actibus ſemet implicent, excipit tamen: niſi id pro Patriae defenſione fiat, dum modo *in propriis perſonis non pugnent.* (a) Sedis itaque Apoſtolicae auctoritate tuti in legem, quae ipſos pro Patriae defenſione non ad impugnandum, ſed pro defenſione tantum militare, id eſt: in hoſtem regno imminentem ducere militem, non autem in propriis perſonis pugnare iubet, merito conſenſerunt. Neque a Synodo alienum videatur militiam diſponere, hanc enim diſciplinam Seculo XV. in Polonia viguiſſe teſtantur Comitia anni MCCCCLXXV. ſub Caſimiro Rege celebrata, vbi ſtatuebatur, vt Eccleſiae eum numerum armigerorum adducant, quem Synodus vnicuique conſtituerit. (b) Diximus Sigismundi Regis Decreto V. coepiſſe Praelatos cum Banderiis ſuis (id eſt certo armatorum numero) pro defenſione finium Regni deputari. Ceterum iam antea ipſos militaſſe palmare eſt, et perhibet articulus I. in Comitiis, ſeu Synodo Regia anni MCCCCV. qui cauet, vt *Praelati adiuſtar exercituantium procedentes nemini damnum inferant.* Inuenimus etiam exemplum Canonici Csanadienſis ab exercituatione abſoluti. (c) Difficilius longe ſemet a perſonali hoc onere liberabant Episcopi Franciae; de Francone enim Episcopo Coenomannicae Vrbis conſtat ex relatione euendicationis de Monaſterio Aniſolae, *quod Dominus Karolus Franconi Episcopo conceſſit, vt hoſtes, et itinera nulla faceret, ſed Adalghiſus ſuus propinquus omnia regalia ſeruitia pro eo faceret, et per licentiam Franconis aliquam partem Ablatiae S. Carileſi teneret.* (d)

III. Quandonam perſonalis militiae, ſeu inſurrectionis (ſic enim apud noſtrates audit) onus ceſſauerit, non ſatis conſtat. III. Adamus Franciscus Kollár (e) legem recenſens Rudolphi Regis anno MDCII. latam prorſus memorabilem (quae quum Praelatos, tum alios a perſonali inſurrectione, ſine militia pro eo caſu prorſus abſoluit) ſubiungit: ad hunc fere modum praeſcriptas ſemper eſſe leges de militia Eccleſiaſticorum ferme omnes, quae Seculo XVII. et XVIII. fuerunt editae, et hinc concludit (f) anno ſupraſato MDCII. perſonali inſurrectioni ſucceſſiſſe ſubſtitutam. Notandum tamen de ſingulis caſibus ſingulas fuiſſe leges editas, ſicuti etiam ſingulae inſurrectiones totidem legibus imperari debent, neque enim aliquis ſibi perſuadeat generali de inſurgendo lege conſtituta ad eius obligationem ſufficere, vt hoſtis immineat, ſemper enim in publicis Comitiis decernenda eſt inſurrectio. Poſſumus ergo annum MDCII. epocham intermiſſae perſonalis inſurrectionis habere. Haec ideo a nobis commemorata ſunt, vt de militia Eccleſiaſtica diſciplina ea, quae Thomaſſino deſunt, addi poſſint. Deplorat is Germaniae, Poloniae, et aliorum Septemtrionalium fortem,

Quando omnis perſonalis militiae ceſſerit?

(a) *Perpetuo prohibemus edicto, vt Praelati, et alii Clerici, cuiuscunque ſint ordinis, et dignitatis, aut ſtatus ſeditionibus, praeliis, ſpoliis, rapinis, incendiis, aut aliis ſcenis factis ſe aliquatenus immiſcere non praeſumant, nec bellicis actibus ſe implicent, vel inuoluant, niſi forte pro Eccleſiarum ſuarum, et Patriae defenſione, non ad impugnandum, vel propulſandum, ſed ad defenſionem tantum, ſi neceſſitas compellat, et tunc non in propriis perſonis pugnent.*

(b) *Eccleſiae Cathedrales, et Collegiatae, Abbates, ſeu Praepoſiti Coenobiorum debent expedire armigeros in eo numero, iuxta quod in Synodo ſuper vnumquemque laudabitur.*

(c) *Stephanus de Rozgon inter ceteros honores Comes Themeſſienſis fideli dilecto Thomae dicto de Sadan Vice-Comiti, et Caſtellano noſtro Themeſſienſi, ac Iudicibus nobilibus de eadem ſalutem cum dilectione! Quia honorabilem virum Ladislaum ſcitum Dum de eadem, Eccleſiae Csanadienſis Canonicum, qui potius in iam dicta Eccleſia Deum pro nobis exorare debet, quam exercituare in praeſenti exercitu generali, cum vno familiori ipſius duximus ſupportandum. Ideirco horum ſerie veſtris dilectionibus ſupradictis firmiter committimus, et omnino aliud habere nolentes mandamus, quatenus praefatum Dominum Ladislaum Canonicum cum ſuo familiari in nullo impedire, moleſtare, perturbare, ſeu quouis modo damnificare praeſumatis, praeſentes vero perlectas reſtituatis praeſentanti. Datum in deſcenſu noſtro Campeſtri prope Sebes in feſto Beati Iacobi Apoſtoli anno Domini 1420.*

(d) Apud Baluzium Miſcell. lib. 3. pag. 129.

(e) De poteſtate Legislatoria circa ſacra cap. 13

(f) pag. 152.

tem, quod non tam feliciter ipſis ceſſerit, ac Gallis, vtpote quum Praelati memoratorum Regnorum hoc adhuc vinculo conſtringantur. (a) Nihil ergo eſt, quod Galliae ſuam inuideamus felicitatem, quaſi nobis integrum non eſſet nos totos Deo, cuius pars, et haereditas ſumus, mancipare. Vnam adhuc legis Patriae Peritis dubitationem proponemus: an nimirum ante annum MDCII. ſiue Clerici, ſiue Nobiles ſubſtituere ſibi non potuerint alios perſonalis praeſentiae ſuae locum ſuppleturos? Rationem dubitandi praebent formulae Thomae de Nyir Kallo, Regis Mathiae Secretarii (librum hunc more apud nos vſitato Stylum Cancellariae Mathiae Regis appellant alii, nos Marculphi formularium prae oculis habentes idiomate eruditis noto vtimur) extat hic liber, qui autographus dici poteſt, in Bibliotheca Quinque Eccleſienſis Capituli, formula autem continet exemptionem a quauis militia perſonali vna cum duobus familiaribus ſuis. (b) Mouet illa dubitationem, quia eximitur a perſonali militia, in fine tamen additur, quod neque loco ſui militem ſtatuere debeat, ex quo conſequi videtur, in arbitrio ſtetiſſe vniuscuiusuis ante legem praeallatam ſui loco militem ſubſtituere, quod cum allegatis exemplis pugnat.

§. II. De Cleri Contributione.

Certum penſum ab Eccleſiaſticis ſului imperatum qui negare vellet, aut imperitiam, aut temeritatem ſuam proderet; id autem in Synodu Regia, ſeu Dioeceta factum fuiſſe pariter certum et innegabile eſt, vnde id quoque innegabile euadit Eccleſiaſticos buius legis ferendae fuiſſe auctores, ſuoque, vti reliquas leges, firmaſſe conſenſu. In Comitiis anni MDXXXVII. art. XVII. Parochis, ac Capellarum, et Altarium Rectoribus ſecundum cuiusque facultatem ternorum florenorum penſum iniungitur, et hinc eſt, quod in Comitiis anni ſubſequentis dicant Epiſcopi, et Optimates articulo XVI. quod tempore proximae expeditionis bellicae perſonis Eccleſiaſticis parcere non potuerint, ſed illos quoque grauare debuerint, (c) verum eodem articulo penſum hoc apud ſe retinere iubentur Eccleſiaſtici. Prae oculis vtique habuere Epiſcopi illius temporis dum in legem laudatam irent, Concilii Lateranenſis IV. Canonem XLVI. (d) qui indulget vt Epiſcopi, dum Laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia conferenda ordinare poſſint; ſi id poſſunt ſinguli Epiſcopi, nunquid non poterant v-

Laudandi ſunt Epiſcopi, dum communi prouident neceſſitati.

niuer-

(a) Part. 3. lib. 1. cap. 47. *Non tam feliciter ceſſit aliis regnis, atque Galliae, nec tam cito eorum Clerus antiquiſſimae reſtitutus eſt libertati, vt vno in altaris miniſterio totus eſſet. Germaniae, Poloniae, et aliorum ſeptentrionalium Regnorum Praelati iisdem vinculis etiam nunc conſtringuntur.*

(b) *Nos Mathias Dei gratia Rex Hungariae memoriae commendamus etc. quod nos cum attentis, tum conſideratis fidelitate, et fidelium ſeruitiorum meritis fidelis Noſtri Egregii T. tum etiam ea de cauſſa, quod ipſe T. ingraneſcentis eſſet aetatis, atque adeo grauis, quod od ſufferendum, ſeu ad tollerandum belli labores omnino inhabilis ſit, et habeatur, eundem T. ſimul cum duobus familiaribus ſuis, quos ipſe voluerit, quique in continuis ſeruitiis ipſius occupabuntur, ab ingreſſu quorumlibet exercituum per Nos, ſeu alios quoscunque de Noſtro mandato contra quospiam Noſtros, et regni huius Noſtri aemulos generaliter, aut particulariter inſtaurandorum, vſque tempus vitae ſuae prorſus, et per omnia duximus eximendum, et ſupportandum, imo eximimus, et ſupportamus praeſentium per vigorem. Quocirca vobis fidelibus Noſtris Capitaneis, Belliductoribus, Lenatoribus, et Sollicitatoribus, quorumcunque praedictorum exercituum tam generalium, quam particularium, item Banis, vel Vice-Banis Noſtris Machouienſibus, Comitibus, vel Vice-Comitibus, et Iudlium Comitatus T. nunc conſtitutis, et in futurum conſtituendis praeſentium per vigorem notitiam habituris harum ſerie committimus, et mandamus firmiſſime, quatenus praefatum T. ſimul cum duobus familioribus ſuis per ipſum pro tempore nominandis, praetextu non ingreſſionis huiusmodi exercitus, ſeu non miſſionis loco ſui gentium armatorum ratione poſſeſſionum, et bonorum ſuorum in eundem exercitum, vt praemiſimus, vſque tempus vitae ſuae contra formam Noſtrae exemptionis in perſonis, ſeu poſſeſſionibus, portionibusque, et iuribus poſſeſſionariis, nec non rebus, et bonis ſuis quibuscunque impedire, moleſtare, turbare, aut quouis modo damnificare nusquam, et nequoquam praeſumatis, nec ſitis auſi modo aliquali gratiae Noſtrae ſub obtentu. Praeſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum T. &c.*

(c) *Quia tempore proximae expeditionis perſonis etiam Eccleſiaſticis parcere non poteramus, ſed in eos quoque contributionem impoſueramus, quam ad priuatas regni neceſſitates exponendam deputaueramus.*

(d) *Si quando forſan Epiſcopus ſimul cum Clericis tantam neceſſitatem, vel vtilitatem proſpexerint, vt absque vlla coactione ad releuandas vtilitates, et neceſſitates communes, vbi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſiam duxerint conferenda, praedicti Laici humiliter, et deuote ſuſcipiant cum actionibus gratiarum.*

niuerſi in Synodo Regia congregati? quicunque demum perpendere voluerit, quo loco res gentis noſtrae ſub Ferdinando I. fuerint, videbit Epiſcopos Hungariae mentem Concilii Generalis affectos fuiſſe.

§. III. *De Lege Amortizationis.*

Ludouico I. perperam tribuitur.

I. Marginalium notularum, quae in editione Corporis Iuris Hungarici anni MDCCL. reperiuntur, inuita profecto, vt aiunt, Minerua elucubratarum Auctor ad articulum 55. anni MCCCCXCVIII. Ludouicum I. facit legis Amortizationis auctorem, prouocat autem ſe ad concluſionem Ludouici I, qua confirmat Decretum Andreae II. Verum in illa nihil aliud dicitur, quam quod nobiles homines ſine haerede decedentes non poſſint bona ſua Eccleſiis, vel aliis pro libitu legare, vendere, vel alienare. Ego quidem in lege hac nullam ſimilitudinem cum lege amortizationis videre poſſum, aut certe ignoro, quid ſit amortizationis lex; prohibendo ne nobiles homines haerede deſtituti bona ſua Eccleſiis, vel aliis pro libitu legare, vendere, vel alienare poſſint, proſpicit lex indemnitati Fiſci Regii, ad quem talium bona deuoluuntur, quantum autem hoc a lege amortizationis diſtet, nemini poteſt eſſe ignotum. Hoc ipſum legis ſtatutum renouatur articulo XVII. anni MDCXLVII. et rurſus articulo XVI. anni MDCCXV. vbi finali paragrapho voluntati, arbitrioque Regiae Maieſtatis talium bonorum adeptio defertur, et relinquitur. Nihil itaque commune habent leges noſtrae cum lege amortizationis.

Nulla exiſtit in Hungaria amortizationis lex.

II. Si legum noſtrarum hiſtoriam ſpectem, nullam inuenio in publicarum legum tabulis, quae amortizationis lex dici queat. Regni habenas tenente Vladiſlao II. in Comitiis anni MCCCCXCVIII. talis modi lex lata fuit articulo LV. „*Epiſcopi, Eccleſiarum Praelati pro perſona ſua, et Eccleſiae ſuae poſſeſsiones, et iura poſſeſsionaria ſecularia nec a Regia Maieſtate quoquomodo impetrare, neque pecuniis eorum iure perpetuo emere, et comparare, aut titulo pignoris habere poſsint, et valeant.*„ Verum huic legi adiungenda eſt altera articulo LXV. condita, ex qua patet de illis bonis agi hac lege, quaeabsque praeiudicio Fiſci Regii emi, aut in pignus accipi non poterant, nouimus etiam bona, quae pecuniis comparauimus ſoepenumero conſenſum Regium ſuperinduci cum praeiudicio Fiſci Regii, et hinc eſt, quod edocto illius praeiudicio, huiusmodi emptiones, et conſenſus Regius reſcindantur. Si hiſtoriam temporis, quo lex nata fuerat, conſulamus, patebit temporaneam fuiſſe illius diſpoſitionem, vt Laici eo facilius, quae ab Eccleſiis abſtraxerant, reſtituerent; in lege enim citata dicitur: „*e conuerſo Domini Barones, et Seculares bona Eccleſiarum pro ſe non vſurpent, neque ſe illis aliquo pacto intromittant.*„ Temporaneam dixi fuiſſe hanc legis diſpoſitionem, tam enim ipſe Vladislaus II. quam reliqui Diui Reges Hungariae ſuam erga Eccleſias munificentiam non exiſtimarunt reſtrictam, et complura eius argumenta poſſent produci, niſi ea ſatis nota eſſent. Titulo autem pignoris emi, aut teneri bona ab Eccleſiis tam commune eſt, vt ferme quotidianum dici poſſit. Tandem ſupra citatus Articulus XVI. anni MDCCXV. omnia ad arbitrium Principis reuocat.

§. IV. *De Decimis.*

An Decimae, et quales debeantur iure Diuino?

I. De Decima ſermonem habituris altius tractationem hanc repetere neceſſarium eſt, vt ea, quae dicturi ſumus, et facilius intelligantur, et mutuo nexu ſibi cohaereant; atque primum inſinuandum, quo iure decimarum perceptio coeperit? exemplum nobis in lege veteri praeluxiſſe certum eſt, non autem inde ſequitur decimas ſoluendas eſſe de iure Diuino. Siquidem enim nomine decimarum, non modo ſolutio decimae partis, ſed quaeuis intertentio

tentio

tentio miniſtrorum Eccleſiae venit, dubitari non poteſt iuris Diuini tam naturalis, quam poſitiui eſſe, vt intertentio Miniſtris Eccleſiae praeſtetur, teſte enim Sancto Paulo nemo vnquam ſuis ſtipendiis militauit; determinatio antem quottae, ſeu partis decimae ex auctoritate Eccleſiae profluxit. Enncleate haec explicat S. Thomas ſecunda ſecundae, quaeſt. 87. art. I. *(a)* Sic ergo patet ad ſolutiones decimarum homines teneri partim quidem ex iure naturali, cum quiuis operarius dignus ſit mercede ſua, et nemo alienis ſtipendiis militet, partim ex inſtitutione Eccleſiae, quae tamen penſatis opportunitatis, temporum, et perſonarum rationibus poſſet aliam partem determinare. Communis eſt haec recte ſentientium doctrina teſte Proſpero Fagnano in tertium librum Decretalium de decimis cap. *In aliquibus. (b)* Et ſane Innocentius III. in Concilio Generali cap. *In aliquibus*, diſerte diſtinguit decimas alias ex iure Diuino, alias ex iure Eccleſiaſtico ſoluendas, *(c)* dum ſoluendas alias dicit ex iure diuino, alias ex loci conſuetudine approbata; quis neſcit autem contra ius Diuinum nullam valere poſſe conſuetudinem. *(d)*

Quando ſolutio decimarum coeperit in Hungaria?

II. Caſtigandus hic eſt auctor notularum in margine Corporis Iuris Hungarici poſitarum, is enim, dum in illam Sancti Stephani legem *(e)* *Cſi cui Deus decem dederit in anno, decimam Deo det.)* commentatur, non erubeſcit ſcribere, *„per hanc legem introducta eſt ſolutio decimarum„* inerudita profecto notula! quis enim ignorat ante legem hanc, quam ipſe notularum auctor anno MXXXV. aſſignat, decimas ab Epiſcopo Veſprimienſi deſumptas fuiſſe, quin ante Priuilegium S. Stephani Abbatiae montis Pannoniae conceſſum iam eas deſumebat teſte modo laudato Priuilegio. *(f)* Si enim ante victoriam aduerſus Cupam Epiſcopus Veſprimienſis accipiebat, omni lege, et Priuilegio antiquior eſt vſus decimarum in Hungaria, ſecus non appareret, quam iniuriam habere potuiſſet Epiſcopus Veſprimienſis ex fundatione Abbatiae Sancti Martini? Si Epiſcopatuum fundationales, quot quot ſuperſunt, inſpiciamus, nuſpiam decimarum ius conferunt; dubio igitur caret vſum decimarum quauis lege, quouis Priuilegio eſſe antiquiorem. Eccleſiarum quippe Antiſtites inſtitutione Eccleſiae freti illum inchoarunt, donec Sanctus Rex publica quoque lege ſanciret, et lege Ciuili firmaret. Sanctus Rex lege nunc laudata non commemorat beneficium Eccleſiis collatum, ſed id, quod Deo debitum eſt iuſinuat, et inculcat. Paschalis II. apud Rmum, et Clariſſ. Novák ait Sanctum Stephanum emiſſe decimas ab Eccleſia S. Michaëlis. Aliam ab auctore notularum ſequitur ſententiam Colomanus Lib. I. Cap. 25. vbi praecepti Diuini vtriusque teſtamenti paginis conſignati meminit.

III. Mirari etiam conuenit inualuiſſe apud Nos in Hungaria, vt decima appelletur *decima Regia*, praeſertim apud illos, qui hungarico vtuntur idiomate. Exiſtimant aliqui, et quaſi ex tripode pronunci- Cur dictae Regiae decimae?

L

(a) Determinatia partis decimae ſoluenda eſt auctaritate Eccleſiae tempore nouae legis inſtituta ſecundum quamdam humanitatem, vt ſcilicet non minus populus nouae legis Miniſtris noui teſtamenti exhibeat.

(b) Decimas deberi iure naturali, quantum ad ſuſtentationem Miniſtrorum, ſed iure Eccleſiaſtico poſitiuo quantum ad determinationem quottae, et hoc communiter tenetur.

(c) Illae quippe decimae neceſſario ſoluendae ſunt, quae debentur ex lege Diuina, et loci conſuetudine approbata.

(d) Sacram eſſe decimarum originem id perſuadet mihi, quod Ethnici ſolo naturae lumine ducti exiſtimauerint decimas Diuinitati reddendas eſſe; patet id Athenienſium exemplo, de quibus Piſiſtratus Soloni (apud Diogenem Laertium de vitis Philoſophorum lib. I. cap. 7. n. VI. mihi pag. 53.) ſcribit in haec verba *„Athenienſium ſinguli decimas frugum ſuarum ſeparant, non in vſus noſtros conſumendas, verum Sacrificiis publicis, commodisque communibus, et ſi quando bellum contra nos ingruerit in ſumptus deputandas„*

(e) Lib. 2. cap. 52.

(f) Et ne adhuc Eccleſia Sancti Michaelis vacua eſſe videatur, vel Epiſcopus Parochianus iniurias, querimoniasque in collectione decimationis pateretur, ei Curtem, quae vocatur Corton, cum omnibus eidem pertinentibus tradidi.

nunciant decimas a Regibus fuiſſe perceptas, et quaſi ius Regium in Clerum eſſe transfuſum, et inde originis ſuae retinuiſſe nomen; at prorſus perperam: tantum enim abeſt, quod Principes noſtri decimas deſumpſerint ante Clerum, vt vix aliquid a quoque fuerit depenſum, quod leges ipſae perhibent; ſi enim decimam deſumpſiſſent Principes ante Clerum, deſumere eam debuiſſent ante conuerſionem gentis, poſt conuerſionem enim decimas Cleri fuiſſe, Episcopi Vesprimienſis exemplum perhibet. Cui perſuadebunt absque tabulis, et teſtibus peregrinum praeſtationis nomen infideli genti exoſum non fuiſſe? poſtquam in Clerum translata fuit decimae deſumptio, an Camera Regia vacua manſit? quid huic praeſtationi ſubſtitutum fuit, vt Principibus proſpiceretur? quam exoſum fuerit decimae nomen genti in fide adhuc vacillanti patuit, dum poſt obitum S. Regis a fide deficientes in Clerum foeuirent. Decimae ergo nomen Chriſtianae fidei tam coaeuum, quam proprium eſſe confiteantur oportet. Vnde ergo Regiae decimae nomenclatio? cur Regia vocatur? haec nomenclatio turbulentis illis temporibus ſua debet incunabula, quibus Reges noſtri decimam precario percipiebant, vt vndique accifis viribus hoc ſubſidio ad reprimendum Turcam vterentur, et forte ſub hac nomenclatione aequiori animo ferunt onus decimarum, qui Eccleſiae legibus adſtricti eſſe nolunt.

De variis decimarum generibus.

IV. Decimarum indagata origine ad earum varia genera tranſeo. Iuris Canonici periti triplices deſignant decimas: praediales nimirum, perſonales, et noualium. Domeſticum nobis ad ſtabiliendam hanc Decimarum diuiſionem ſuppetit exemplum. Cap. *Ad Apoſtolicae* 20. *de Decimis.* habetur hoe capitulo Decretalis Lucii III. ad Strigonienſem Archi-Episcopum anno MCLXXXI. data, quae dum praepoſteram conſuetudinem carpit, decimas praediales, ſeu rurales, ac perſonales diſtinguit, et quo ordine exigendae ſint, docet. (a) Quaenam ſint decimae perſonales vberius explanatur eodem titulo, cap. 22. *Non eſt*, dicit enim Coeleſtinus Papa de negotiatione, de ipſa etiam militia, et *venatione* decimas eſſe Miniſtris Eccleſiae tribuendas. Harum decimarum nullum amplius veſtigium apud nos reſiduum eſt, et in aliis etiam quibusdam Regionibus exoleuere, niſi forte pecunia Chriſtianitatis (ſic enim apud nos vocatur) ſiue pauci illi denarii, quos titulo Chriſtianae fidei, ſeu in teſtimonium Chriſtianitatis agriculturam non exercentes praeſtare tenentur, decimam perſonalem vocare placeat. Quid ſint decimae noualium explicat Innocentius III. cap. *Quid per nouale* 21. *de verborum ſignificatione*, eſſe nimirum *nouale agrum de nouo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuiſſet.*

Ex praediis competit Clero decima.

V. Inuaſit nonnullos in Hungaria ea ſententia, decimas a praediis ſoluendas non eſſe, ſed errant tum in eo, quod duntaxat poſſeſſiones habitatoribus deſtitutas praediorum nomine compellandas cenſeant, tum in eo, quod ex agris talis modi territoriorum decimas dependi haud debere pronuncient. Siue ius Ciuile Romanum, ſiue municipale Hungaricum ſpectemus, dici nequaquam poteſt, praedium esſe poſſeſſionem, ſeu villam quondam populoſam, nunc autem habitatoribus vacuam; in iure enim Ciuili inuenimus praedium vrbanum, et ruſticum. In Decreto Andreae II. occurrit ſuper hac nomenclatione memorabilis lex, quae eſt ordine tertia, dicitur ibi: *nullam collectam nec libras dena-*

(a) *Intelleximus, quod quaedam conſuetudo in Hungaria inoleuit, vt multitudo plerumque de Parocia vnius Episcopi in Dioeceſim alterius transferatur, in qua licet per multa tempora moram traxerit, vterque tamen Episcoporum, tam is, cuius Parochiam reliquerunt, quam is cuius Parochiani ſunt facti, decimationem requirit: ideoque tua Nos duxit Frat. conſulendos, cui potius decimae ſunt reddendae, noueris igitur, quod aequum eſt, vt illi Eccleſiae decimae perſonales reddantur ab eis, in qua Eccleſiaſtica percipiunt Sacramenta, decimas vero meſſium, vel fructuum arborum, ſi coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitant (quoniam a diuerſis diuerſa conſuetudo tenetur) tu eligas in hoc caſu, quod per conſuetudinem diu obtentam ibidem noueris obſeruatum.*

denariorum (ſeu, vt rectius alii legunt: *liberos denarios*) *colligi faciemus ſuper praedia ſeruientium, nec in domos, nec in villas deſcendemus, niſi vocati.*„ Quum itaque Rex ſpondeat, quod praedia Nobilium collectis grauare nolit, et domos, et villas commemoret, ſatis manifeſtum eſt *τὸ praedium* non deſignare poſſeſſionem aliquam deſertam. Etſi denique contendas praedia eſſe loca deſerta, opponam legem vigeſimam primam eiusdem Regis, quae ſic habet: „*Epiſcopi ſuper praedia ſeruientium equis noſtris decimam non dent.*„(*a*) Epiſcopi itaque decimas ex praediis percipiebant, et hoc titulo equis Regiis auenam, vel hordeum praebebant; ſi enim ex praediis Seruientium nullum percepiſſent emolumentum, nullum habuiſſent Praedeceſſores Andreae titulum Epiſcopos grauandi. Si ius commune ſpectemus, cap. *commiſſum eſt nobis* 4. tit. *de Decimis*, iubet decimas de terris cultis, in quibus domus olim conſtructae fuerant, cum ea integritate perſolui, qua antea ſolebant perſolui. Concordat S. Stephanus, is enim in Priuilegio Abbatiae S. Mauritii de Bakonbél, anno MXXXVII. conceſſo ait: „*villarum, et praediorum nomina ſunt haec, quae S. Mauritio contuli:* „ aliquibus interpoſitis. „*in his villulis, ſiue praediis*„ inferius iubet diſertis verbis praedia decimari inquiens: „*in decimationibus tam populi ſui, et hoſpitum ſuorum, quam praediorum, tam liberi, ſicut Epiſcopi ſua poſſident iura.*„

VI. Docet nos Hadrianus IV. in capitulo nunc laudato multum valere conſuetudinem approbatam in re decimali; hinc recenſendae ſunt diuerſae hac in parte conſuetudines. Si quidem ius commune attendatur, perceptio decimarum ad Parochiales Eccleſias pertinet, quarta autem pars Epiſcopo cedit, qui modo loquendi apud Canoniſtas vſitato, habet intentionem fundatam ſuper omnibus quartis ſuae Dioeceſis. Apud nos alia obtinet conſuetudo: Epiſcopi enim plerumque percipiunt decimas, quartam autem Archidiaconus, et Parochi ita inter ſe diuidunt, vt ille ſeptimam, hi octauam, et in multis locis ſedecimam tollant. Haec conſuetudo primaeuae Eccleſiarum conſuetudini conformis eſt, antequam enim Parochiarum, ac beneficiorum Eccleſiaſticorum diuiſio inualeſceret, omnes decimae ſoluebantur Epiſcopis, prout id patet *Cauſa* 16. *quaeſt.* 7. *cap.* 1. decimas. „*Decimas ſub manu Epiſcopi fore cenſemus.*„ Inhaeſerunt huic vſui, qui Canoni VII. Concilii Lateranenſis anno MLXXVIII. habiti conſonat, Epiſcopi noſtrates, et optimo iure adhucdum inſiſtunt. Ea de re Parochi Agrienſis Dioeceſis ſemel, atque iterum Praelatis ſuis, et Capitulo litem mouerunt apud Sedem Apoſtolicam, pronti Litterae Alexandri IV. Papae anno MCCLV. editae teſtantur,(*b*) nihil tamen obtinuerunt aliud,

Decima et quarta cuius ſit?

L 2 quam

(*a*) Aduertat Lector temporibus Andreae Regis inualuiſſe conſuetudinem, vt Epiſcopi decimas decimarum praeſtarent Regi.

(*b*) „*Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis Filiis, Rectoribus, et perpetuis Vicariis Eccleſiarum Dioeceſis Agrienſis ſalutem, et Apoſtolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt, et honeſtum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem officii noſtri in debitum perducatur effectum: petitio ſiquidem veſtra nobis exhibita continebat, quod cum venerabilis Frater noſter - - - Epiſcopus, et - - - Praepoſitus, Archidiaconus, et Canonici Agrienſes omnes ſereveditus, et prouentus Eccleſiarum veſtrarum ſuis vſibus indebite applicantes, et vobis non niſi quamdam tenuem, et exilem partem de Decimis, ablationibus, et obuentionibus illarum pro ſuo libitu conferentes, diuerſis grauaminibus aliis vos afficerent, felicis recordationis I. Papa Praedeceſſor Noſter partibus coram ſe auctoritate literarum ſuarum citatis, primo Dilectum Filium Magiſtrum Ubaldum Sub-Diaconum, et Capellanum noſtrum deputauit in huiusmodi negotio Auditorem, et tandem, quod nimis erat ipſis Partibus difficile apud ſedem Apoſtolicam litigare, volens earum parcere laboribus, et expenſis, per ſuas litteras Dilecto Filio - - Abbati de Seps Ciſtercienſis ordinis, et - - Priori Fratrum Praedicatorum de Pothere, ac - - - Praepoſito Sancti Martini de Scips ſub certa forma dictum commiſit negotium ordinandum. Qui rite in eodem negotio procedentes, et literarum praedictarum forma ſeruata, earum auctoritate quartam partem dictarum Decimarum vobis, cum id de iure communi competat, pro ſuſtentatione veſtra inperpetuum ſententialiter aſſignarunt, et alia quarta illarum in loco tuto cuiuslibet Parochiae pro fabricis, luminariis, et ornamento Eccleſiarum ipſarum deponi fideliter decernentes, reſiduum praedictarum Decimarum, et duas partes oblationum in denariis, auro, vel argento, quae a Parochianis, vel aliis Chriſti fidelibus ex quacunque cauſa earundem Eccleſiarum ab ea, quibus offeruntur, exceptis pane, carnibus, et candelis, quae omnia cum tertia parte huiusmodi oblationum in denariis, et auro,*

quam vt quarta vna pro ſuſtentatione illorum, altera quarta fabricae, luminaribus, et ornamento Eccleſiarum aſſignaretur. Eo itaque recidit omnis Rectorum, et Vicariorum Dioeceſis Agrienſis conatus, vt id fere obtinerent auctoritate Sedis Apoſtolicae, quod nunc tenent. Si coniecturis moderatis locus eſſe poteſt aliquis, videntur adhuc aliqua Deciſionis huius veſtigia in nonnullis Parochiis, praeſertim Comitatus Saaroſſienſis, quae adhucdum quartam decimarum partem habent, quamuis non deſint, qui integras decimas poſſideant, quam coniecturam probatiorem mihi reddit, quod Iudices delegati vtpote Abbas de Seps, et Praepoſitus S. Martini de Scips (Scepuſio) e propinquo aduocati fuerint.

Quomodo potuerint Nobiles a praeſtatione decimae abſolui?

VII. Sub Alberto Rege anno MCCCCXXXIX. *in* Synodo Regia, ſeu Comitiis lata lege XXVIII. Nobiles omnes a decima eximuntur *antiqua eorum libertate id requirente.* Monuimus ex Innocentio III. Decretali decimas illas dandas eſſe, quae debentur ex iure Diuino, aut loci conſuetudine approbata. Idem Innocentius Papa epiſt. LVI. ad Thomam Patriarcham Conſtantinopolitanum apud Raynaldum ad annum MCCXVI. mirae conſuetudinis intuitu decimarum meminit, Venetos nimirum decimas rerum omnium totius vitae tempore aquiſitarum non niſi mortis cauſa dare ſolitos fuiſſe, *(a)* et licet illos, qui Conſtantinopoli commorantur ad perſoluendas decimas compelli iubeat, ne Eccleſia Conſtantinopolitana his fructibus careat, ſi ante obitum Venetias redeant, Venetiarum tamen vſum non reprobat. Reuocanda ſunt hic ad animum noſtrum ea, quae ſuperius diximus, quottam decimae iure Eccleſiaſtico eſſe determinatam, adeoque valere poſſe conſuetudinem diuturnam ad id, vt aliqui ad decimam reſpectu quottae, id eſt: hanc, vel illam quottam decimae non obligentur; non mea ſolum haec eſt ſententia, ſed Proſperi etiam Fagnani, qui aliorum quoque, et ipſius Rotae Romanae adfert auctoritatem. *(b)* Ad haec ſi exigatur lex, de qua agimus, merito exemptionem Nobilium a decimis ſuo firmarunt conſenſu Epiſcopi; condonaſſe ergo dicendi ſunt, praeſertim ob reuerentiam antiquae conſuetudinis, cuius mentio habetur in lege. Peccàto vtique vacabant Epiſcopi, dum condonarent, alioquin Apoſtolus Paulus peccaſſet, quod a Corinthiis ſtipendia ſibi debita accipere nolebat, peccaſſet etiam Sanctus Auguſtinus, qui populum ad ſoluendas decimas non cogebat, (hortabatur tamen tract. in ps. 46. et homil. 48. et 50.) Verum ſi antiqua haec conſuetudo liberauit Nobiles a quotta decimae partis, non abſoluit tamen ab omni omnino decima, tenentur enim Parochialibus Eccleſiis agros, et prata deputare, ac tam ſtolarem, quam annuum prouentum perſoluere.

VIII.

---

vel argento facta vobis cedant, dari dicto Epiſcopo praeceperunt. Superreliquis vero certam ordinationem ediderunt, iuxta litterarum continentiam earundem, prout in patentibus litteris dictorum Iudicum confectis exinde, ac eorum ſigillis ſignatis plenius dicitur contineri. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati huiusmodi Proceſſum, et ordinationem, ſicut per eosdem Iudices prouide facti ſunt, ratos, et firmos habentes, eos auctoritate Apoſtolica confirmamus, et praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Neapoli, octauo Kalendas Maii, Pontificatus Noſtri anno primo.

(a) *Venetos Conſtantinopoli commorantes ad perſoluendas decimas compelle, non obſtante conſuetudine, qua Venetiis decimas rerum omnium totius vitae tempore acquiſitarum non niſi mortis cauſa dare ſolent, ne Eccleſia Conſtantinopolitana his fructibus ex toto priuetur, ſi ante obitum Venetias redeant.*

(b) pag. 322. „*Dicendum: valere conſuetudinem reſpectu quottae, licet non fuerit in ſpecie per ſedem Apoſtolicam approbata, et contra hanc gloſſam, et Innocentium tenet hic Vincentius, et Abbas Num.* 8. *et alii complures, quos refert, et ſequitur Couarr. lib.* 1. *var. reſolut. cap.* 12. *num.* 8. *vers.* Quidam vero cenſent. *dicens: hoc obtinere non tantum in decimis perſonalibus, ſed etiam in praedialibus poſt Franciſcum Bald. in Tractatu de Praeſcript. in* 5. *parte principali qu.* 7. *quam ſententiam multoties etiam Rota probant.*

Idem eſt, de quarundam rerum decimatione.

VIII. Ad conſuetudinem antiquam velut lapidem lydium reducat velim beneuolus Lector, ſi in leges inciderit, decimas a quibuſdam fructuum generibus deſumi vetantes; audet enim Lucius Ferraris in prompta ſua Bibliotheca titulo: *Decima* ad deciſiones Rotae prouocare, vt euincat induci, et valere poſſe conſuetudinem ex certis fructibus omnino non ſoluendi. Ego quidem de authenticitate harum deciſionum me vadem pro hoc auctore dare nolo.

De exemptione Raſcianorum.

IX. Indignantur aliqui in Decreto quinto Mathiae lege tertia, et quarta Raſcianos, aliosque Schismaticos a ſolutione decimarum immunes conſeruari iubentis, prae coeteris ſtomachatur Rmus, ac Clariſſ. Balthaſar Kerchelich. *(a)* Indignatio omnium facile euanuiſſet, ſi omnia adiuncta legis perpendiſſent. Scimus primo ex Concilii Lateranenſis canone 35. aliquas gentes ſecundum ritus ſuos de more decimam non ſoluere, inter quos Graeci ſunt. Claudio Fleury teſte in Hiſtor. Eccleſ. Lib. 66. §. 4. vbi refert circa initium ſeculi XIII. Thomam Patriarcham ſtatuiſſe, vt ſi Graeci quoque ſucceſſu temporis ad decimas dandas flecti poſſint, Laici non obſiſtant. *(b)* Imitati itaque ſunt Epiſcopi Hungariae, conſentientes Raſcianorum aliorumque Schismaticorum exemptioni, ſupra laudatum Concilii Lateranenſis IV. Canonem. *(c)* Non iuſſit ille gentes praeſtationi decimae non aſuetas ad id compelli, ſed ſtatuit, vt Domini talibus perſonis, et taliter praedia excolenda committant, quod abſque contradictione decimas cum integritate perſoluant. Inſuper indulgentia Schismaticis facta ab Epiſcopis Hungariae temporanea fuit, diſerte enim ait lex, „*tantummodo per aliquos annos*.„ Si ratio indulgentiae ſpectetur, iuſtiſſima fuit, vt nimirum alii quoque ditioni Turcarum ſubiecti borum transfugarum exempla ſecuti ad regnum Hungariae tranſeant, vti lex inquit. Commendanda itaque eſt Epiſcoporum indulgentia, qui nihil non agebant, vt vires Turcis detraherent. Illud mirari non ſufficio, quod aliqui contra clarum legis tenorem Graeci ritus Vnitos ab onere decimarum eximere velint tanto iam tempore a lata lege tranſacto, quum diſtincte dicat lex: *Raſciani, et ceteri huiusmodi Schismatici.*

De iudice decimarum.

X. Cauſas decimarum ab Eccleſiaſtico iudice, ſi ius commune ſpectemus, diſcutiendas, et definiendas nemo credo ambiget; Inter Synodorum Regiarum leges occurrit tamen articulus XLIV. anni MCCCCLXXXVI. eas a foro Eccleſiaſtico auocans, et ſeculari aſſignans. Quomodo in hanc legem conſenſerint Epiſcopi, non habeo dicere, adnotandum tamen eſt poſt conditam etiam hanc legem contrarii vſus occurrere exempla manifeſta; reperio enim in Synodo Demetrii Strigonienſis Archi-Epiſcopi a nobis ſecundo Tomo huius operis inſerta Interdictum Eccleſiaſticum intuitu decimae denegatae intentatum, quod ipſum in Synodo Veſprimienſi anni MDXV. reperitur. Inter formulas Thomae de Nyirkallo, ſine Stylo Cancellariae Mathiae Regis extat abſolutionis ab excommunicatione ob de-

L 3 nega-

(a) Atque ideo obiicit a Mathia multa fuiſſe innouata, quod omnino innegabile reddit art. I. Decr. I. Vladislai Regis, vbi ſtatus, et ordines regni publica lege exorant Regem „ vt nullas prorſus nouitates, quemadmodum Dominus Mathias Rex, in eorundem detrimentum, et oppreſſionem introducat.

(b) Subiungit Fleury „ *nempe Decimas dare inter Graecos tanquam res neceſſaria nunquam introductum fuit.* „

(c) „ *In aliquibus regionibus quaedam commixtae ſunt gentes, quae ſecundum ſuos ritus Decimam de more non ſoluunt, quamuis cenſeantur nomine Chriſtiano. His nonnulli Dominorum ea tribuunt excolenda, vt Decimis defraudantes Eccleſias, maiores inde reditus aſſequantur. Volentes igitur ſuper his Eccleſiarum indemnitatibus conſulere ſtatuimus, vt ipſi Domini talibus perſonis, et taliter ſua praedia excolenda committant, quod abſque contradictione Eccleſiis Decimas cum integritate perſoluant, et ad id, ſi neceſſe fuerit, per Eccleſiaſticam cenſuram compellantur.* „

negatam decimam incurſae formula, *(a)* vt dubitare non poſſis Epiſcopos fuiſſe perſoluendae decimae iudices, quos vides denegatae decimae vindices. Non errabo itaque, ſi cum Gulielmo Durando Iuniore dixero, quod Iudices Seculares decimalia quaſi per quamdam alluuionem fruſtatim ad ſe omnia traxerint, lege enim citata id effectum non fuiſſe conſtat. Ad hanc rem plurimum valent, quae Benedictus XIV. de Synodo Dioeceſana Lib. IX. Cap. IX. egregie ſcripſit, plerisque nimirum in locis (quae apud Barboſam Lib. I. Cap. XXXI. num. 16. enumerata reperies) ſiue expreſſo Priuilegio Apoſtolico, ſiue diuturna conſuetudine ab Eccleſia tolerata inductum eſſe, vt cauſae decimales in *petitorio* ad iudicium Eccleſiaſticum, in *poſſeſſorio* vero ad ſeculare remittantur, terminenturque; quod etiam in Belgio ſeruari, praeſertim quum agitur de *quaſi poſſeſſorio* Iuris percipiendi decimas affirmat Van. Espen. part. 2. tit. 33. cap. 9. num. 14. egregia dein admonitione Epiſcopos ſecuros, et quietos reddit ſapientiſſimus Pontifex, dum Epiſcopum imprudentiae arguit, qui iurisdictionem ſibi olim iure communi competentem reparare tentaret. „*Rem ſiquidem impoſsibilem,* (ita inquit) *aggrederetur, et ſine vlla Eccelesiae vtilitate grauiter apud Principem offenderet.*„ Tentauit quidem Cardinalis Forgách in Synodo anni MDCXI. iurisdictionem Epiſcoporum ſupplici reſtaurare Decreto *(a)*„vt ſua Maieſtas dignetur cauſas Decimarum ad ceteras fori Eccleſiaſtici cauſas reuocare„ ſtatuit haec Archi-Epiſcopus ſuppliciter, et ideo absque offenſione, ſed etiam absque effectu. Nunc apud nos in Hungaria etiam Vice-Comites cauſas decimarum cognoscunt. Vltra haec exiſtimo ſat probabiliter ſuſtineri poſſe Sigismundum Hungariae Regem Martini V. Summi Pontificis, et Concilii Conſtantienſis auctoritate ſubnixum potuiſſe decimas ad Regium reuocare iudicium, quod dein Mathias praeſtitit. Verum illico conceſſionis tabulas a me exigis? ſubiungis hanc legem non ſub Sigismundo, ſed ſub Mathia latam fuiſſe; nihil quidem id obſtat, quum conceſſionis vis ad poſteros manarit; habemus aliud etiam exemplum ſimile huic: obtinuerat, vti mox videbimus, Sigismundus peculiarem Concilii Conſtantienſis conceſſionem ſuper appellationibus, quam tamen Vladislaus primum tabulis legum inſeri voluit. Tabulas Priuilegii Apoſtolici proferre me vrges? nullas habeo, non dubito tamen illas emanaſſe. In hanc me opinionem deduxit nunquam ſatis laudatus Benedictus XIV. Pontifex loco citato dicens: „*fertur Carolum VII. Francorum Regem Priuilegium impetraſſe a Martino V.* Si neceſſitudinem„ quae inter Martinum V. et Sigismundum Regem interceſſit, ſi ſpectatiſſimos labores, quos idem Rex ad reducendam Eccleſiae pacem exantlauit, ſi conceſſiones, quas impetrauit inferius recenſendas ſpectem, dubitare non poſſum id ipſum Martinum V. conceſſiſſe Regi Hungarorum, quod tribuit Regi Francorum, vt nihil dicam me adduci non poſſe, vt ſecus credam, aut Reges noſtros ſtatuere, aut Epiſcopos noſtros conſentire voluiſſe in legem hanc. Confirmat me porro in hac opinione, quod ſe ſe leges videantur inuicem respicere, ſi enim remiſſionibus, prouo-

(a) „Ioannes &c. Dilectis nobis in Chriſto honorabilibus, et diſcretis viris Praepoſito, et Capitulo &c. intra, et extra muros ciuitatis T. Plebanis ſalutem, et Paternam in Domino Benedictionem! Diſcretioni veſtrae, et cuilibet veſtrum in virtute Sanctae obedientiae firmiter committimus, quatenus Petrus de T. ab excommunicationis ſententia, qua propter non ſolutionem Decimarum noſtrarum per Nos innodatus eſt, abſoluere & interdictum Eccleſiaſticum in loca ipſius ex praedicto cauſſa impoſitum remouere velitis, ſic tamen declarando, quodſi ad feſtum Beati T. proxime venturum de, et ſuper dictis noſtris Decimis nobis ſatisfacere recuſauerit, aut noluerit, ex tunc poſt dictum terminum in eandem excommunicationis ſententiam noverit ſe relapſum ipſo facto, et Eccleſiaſticam interdictum huiusmodi, uti prius obſeruari faciatis, denec, et quousque aliud habueritis a nobis in mandatis. Datum.„

(b) De Decimis Eccleſiae debitis clementer dignetur ſua Maieſtas prouidere, vt in illarum perceptione impedimenta nulla fiant a Dominis ſecularibus: quin etiam Sua Maieſtas clementer dignetur cauſſas decimarum ad ceteras fori Eccleſiaſtici cauſſas reuocare.

prouocationibusque marginalibus nouiſſimae editioni adiectis fides eſt habenda art. XLV. Decr. maj. Vladislai Regis de appellationibus ſonans videtur ſe ad hanc legem referre, vbi dicit: *„cantrarium facientes debita poena puniantur.„* In remiſſione marginali fit prouocatio ad articulum, de quo agimus, vt nimirum cauſae non attenta contumacia ad forum Eccleſiaſticum pronocantis, definiantur cum refuſione expenſarum. Videtur ergo Mathias Rex conceſſione Concilii Conſtantienſis quoad decimas vti voluiſſe, Vladislao autem totam conceſſae facultatis amplitudinem placuiſſe. Et ſane aſſertionem meam ſtabilit quoque temperamentum a lege citata adiectum, vt Rex ipſe in perſona iudicet cauſas decimarum, quod temperamentum aliunde acceptae poteſtatis indicium eſt. Lubet iam prolixum hunc de decimis ſermonem Sancti Auguſtini verbis condire, *(a)* *„praecidite, et deputate aliquid Fisca Chriſti,(b) vel ex annuis prauentibus, vel ex quotidianis quaeſtibus veſtris, nam quasi de Diuino videris dare, et neceſſe eſt, vt trepidet manus tua, quando illam porrigis ad id, quad nan debueras. Exime aliquam partem redituum tuorum, Decimas vis? Decimas exime, quamquam parum sit; dictum eſt enim, quia Phariſaei decimas dabant:* ieiuno bis in Sabatho, decimas do omnium quaecunque poſſideo. *Et quid ait Dominus?* niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus, quam ſcribarum, et Phariſaeorum, non intrabitis in regnum coelorum, *ille ſuper quem debet abundare iuſtitia tua, decimas dat, tu autem nec millesimum das, quomodo ſuperabis eum, cui non aequaris?*

§. V. *De Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam impeditis, ac Legatorum Apoſtolicorum decurtata auctoritate.*

Vladislai Decreti I. articulus XLV. et Eiusdem Decreti III. articulus LXIII. Legatorum Summi Pontificis auctoritatem, ſiue iurisdictionem pene euacuarunt, et iudicium Sedis Apoſtolicae implorare vetant, appellationesque ipſas magnopere reſtriugunt. Offenduntur non pauci his legibus, alii laeſam iurisdictionem Eccleſiaſticam ingemiscunt, alii proſtratam Sedis Apoſtolicae auctoritatem gratulantur; verum horum gloriatio inutilis, illorum gemitus vani ſunt, diſertis enim verbis profitetur articulus LXIII. Decreti III. conceſſionem Concilii Conſtantienſis interueniſſe: deſinant hi gratulari, illi ingemiscere. Tabulas conceſſionis a me deposcunt vtrique? at dicant, amabo, an non Regnum publicis legum Tabulis factum aliquod aſſerens fidem mereatur? Si Hiſtorici multi, qui facti notitiam habere poterant, teſtentur, nemo dubitat; an non obrueris numero hiſtoricorum, ſi numerum illorum ineas, qui Comitiis regni intereſſe ſolent, et qui omnes de conceſſione Concilii Conſtantienſis vno ore teſtimonium perhibent? Quicunque Concordata nationis Germanicae cum Martino V. ſub Concilio Conſtantienſi inita expenderit, non dubitabit forte, an Praelatis, et Optimatibus Hungariae ſimilem conceſſionem aſſerentibus fides habenda ſit. Prodibunt illa Deo propitio in alio opere noſtro. Interim articulum, de quo agimus, transcribamus, oportet. Eſt in codice coaeuo. pag. 92. talis: *„De causis tractandis in Curia Romana, vel non-Sanctiſsimus Dominus Noſter Martinus V. ſtatuit, et ordinauit, quod nullae cauſae in Curiam Romanam committantur, nisi quae de iure, et natura cauſae in Romana Curia tractari debebunt, et quod cauſae, quae ad forum Eccleſiaſticum de iure, vel conſuetudine non pertinent, per Romanam Curiam etiam praetextu cruce signationis Laicorum extra tempus paſſagii Generalis nan recipiantur, de illis cognascenda in Curia, vel extra committendo, nisi de conſenſu partium, quae vero ad forum Eccleſiaſticum pertinent, de iure*

ſunt

(a) Enarratione in pſ. CXLVI.

(b) Dixerat enim paulo ante Sanctus Doctor Chriſtum habuiſſe Fiſcum, quando loculos habebat, Fiſcus enim eſt ſaccus publicus.

ſuit per appellationem, aut alias ad Romanam Curiam deuolutae, et de ſui natura in eadem tractandae tractentur - - - - committantur in partibus, niſi forſan quae cauſae, ex perſonarum qualitate in commiſsione exprimenda, illas tractare in Curia expedierit pro iuſtitia conſequenda, vel de partium conſenſu in Curia tractarentur.

§. VI. *De Legibus aduerſus Archi-Diaconos de funere interfectorum latis.*

Vigore Bullarum Apoſtolicarum latae ſunt leges.

I. De nulla re frequentiores in Synodis noſtris Regiis occurrunt leges, quam de Archi-Diaconis, ne ab interfectorum ſepulturis quidquam exigant. Cauſam inueterati mali nunc inueſtigare non vacat, illud hic maximo ſtudio obſeruandum (propter ea, quae paulo ante diximus) poſt toties iteratas de Archi-Diaconis leges primum ſub Mathia fuiſſe ad Bullas Apoſtolicas pronocatum, quamuis illae iam tempore Sereniſſimi Regis Caroli (teſte lege ipſa) editae fuerint. Hanc gratiam debemus Mathiae Regi, quod ſuae exiſtimationi, et regni honori conſulens Bullarum Apoſtolicarum meminerit, in quarum conformitate leges priores editae fuerant. Hinc patet quid de lege iudicium decimarum Regi deferente exiſtimandum ſit, ne tam facile iudicemus, et ſiue violata Eccleſiae iura lugeamus, ſiue ea obliterata pro vniuscuiusuis genio gratulemur.

Carolus I. vindicatur.

II. Hanc de Archi-Diaconis legem ſi cum animo ſuo reputaſſet Ill. Adamus Franciscus Kollár, rediiſſet in gratiam cum Carolo Rege, cuius *oscitantem, et dormitantem* erga Sedem Apoſtolicam gratitudinem accuſat. (*a*) Docente lege Mathiae Regis impendit ipſe quoque Eccleſiae neceſſitatibus operam ſuam, et Sedem Apoſtolicam, ex qua ad reliquas Eccleſias manat vigor disciplinae, implorauit, medelam obtinuit. An aliud agere oportebat? vere vigilat, qui Sedis Apoſtolicae omnium Eccleſiarum ſolicitudine diſtentae excitat ſolicitudinem.

Caput Vigeſimum.
De Legibus in negotio Religionis latis.

An inter Eccleſiaſticas referendae?

I. Legibus in negotio Religionis latis nullum dedimus locum, quia illas inter Eccleſiaſticas nullatenus referendas cenſemus, ſiue aduerſus Acatholicos latae ſint, ſiue illis fauere videantur. Talismodi enim legum in Synodis Eccleſiaſticis ſancitarum nullum vsquam occurrit veſtigium; pertinet id totum ad Regiae poteſtatis officium. Eccleſia enim Apoſtolicis erudita inſtitutis haereticum poſt vnam correptionem deuitare didicit, et quid Eccleſiae cum illis, qui foris ſunt? Nouimus quidem Decretis Africanorum Conciliorum interpellatam fuiſſe Principum pietatem. (*b*) At iniuriam potius depelli quam vim inferri optabant; et hinc S. Auguſtino, (*c*) et nonnullis fratribus viſum eſt non eſſe petendum ab Imperatoribus, vt Donati haereſim iuberent omnino non eſſe, poenam conſtituendo in eos, qui in illa eſſe voluiſſent, ſed foenientes aduerſus Catholicos compeſcerent, vt illis pax, et ſecuritas conſiſteret; tantum certe abſuit, vt Patres Africani ad *leges horribiles* (vt verbis S. Auguſtini vtar) Principum impellerent animos, vt ſeueritatem etiam latarum ab illis legum, quibus ad Eccleſiam cogebantur intrare inuiti, et decem auri librarum mulctam in Episcopos, vel Clericos vbilibet inuentos a piiſſimae memoriae Theodoſio propoſitam ea ratione tempe-rare

(*a*) De poteſtate Legislatoria. Cap. X. pag. 99.

(*b*) „Placuit et illud aduerſus haereticos, et paganos, vel eorum ſuperſtitiones, vt Legati miſſi de hoc a glorioſo Concilio quidquid vide prouiderint, a glorioſiſſimis Principibus impetrent„ Concilium Mileuitanum II. anni 416. Canone XI. Manſi Tom. IV. col. 329.

(*c*) Lib. ad Bonifacium ſeu ep. 185. alias 50. „ſed hoc potius conſtituerent, vt eorum (Donatiſtarum) violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam vel praedicarent legendo, vel legerent conſtituendo.„

Digitized by Google

rare ſatagerent, vt non omnes ea mulcta ferirentur, ſed in quorum Regionibus aliquas violentias a Clericis, vel a circumcellionibus, vel populis eorum Eccleſia Catholica pateretur. Obtinuit id a Concilio Carthaginenſi anno CCCCIV. die 26. Iunii celebrato S. Auguſtinus, *(a)* ſtetisſetque in eo Principum ſeueritas, niſi nouis, cruentisque perſecutionibus Eccleſiam fatigaſſent Donatiſtae, qui deiu bonorum publicatione, aliisque pecuniariis damnis propoſitis, et in Epiſcopos, vel Miniſtros illorum exilio conſtituto coerceri debebant.

Quis Spiritus Eccleſiae?

II. Si Patrum Africanorum ſententiam attendamus, is iuxta illam Spiritus Eccleſiae videtur eſſe, vt primo ad repellendam duntaxat iniuriam, et moleſtiam, ſi quam inferant Catholicis, Regiae pietatis inuocetur officium, vti paulo ante vidimus; curabant autem pracipue, vt ſupplicio capitali non afficerentur *propter ſeruandam etiam circa indignos manſuetudinem Chriſtianam, (b)* legum denique ſeueritate ita vtendum cenſebant, vt immaniſſimae haereſis Donatiſtarum aſſeclae terrerentur potius, quam plecterentur, *(c)* vlterius adhuc progreſſi odium, et cupiditatem abeſſe volebant, vnde arguebant eos, qui non dilectione corrigendi, ſed inimicandi odio legibus Imperialibus vtebantur, reſpuebant etiam illos, qui publicatis Donatiſtarum bonis inhiabant. *(d)*

III. Quum ſeueriores, atque Patres Africani optaſſent, ab Imperatoribus in Donatiſtas leges promulgatae fuerint, videndum, an et quantum profuerint Eccleſiae, vel obfuerint? illud profecto commodi coepit Eccleſia, vt timore corrigerentur, quos amor non dirigebat, libereque poſſent doceri, quibus liberum iam non erat ſaeuire. *(e)* Aliud emolumentum obuenerat, quod aliquos lethalis tenebat ſecuritas, qua veritatem fidei quaerere non curabant, alios error is tenebat, quod nihil intereſſe crederent, Catholici-ne eſſent, vel Donatiſtae, quia inter Donatiſtas nati, nemo eos ad Catholicam cogebat vnitatem. *(f)* Exercuit quidem Auguſtinum ea ambiguitatis trepidatio, an non ſub fictionis velamine priori tenaciter inſtiterint errori; ab hac ſe difficultate primum expediebat rem omnem iudicio Diuino referuando, *(g)* efficaciori dein argumento omne ſibi exemit dubium afferens plures ex illis, qui Imperialibus legibus perculſi redierunt, *cum ficti putarentur, quoniam iuſsionis ad nos terrore tranſierunt, tales poſterius in nonnullis tentationibus inuentos, vt quibusdam veteribus Catholicis praeferrentur. (h) Non ergo nihil agitur,* inquit: *cum inſtanter agitur.*

An ex his legibus vtilitas in Eccleſiam proſluxerit?

IV. Sed ſi leges Auguſtini aeuo profuere Eccleſiae, inde factum eſt, quod Epiſcopi eos, qui timore, vel dolore cogebantur, docuerint; diffiteri tamen non poſſumus ex aduerſo accidiſſe apud nos nonnunquam, vt negligerentur, neque docerentur, quos terrore expreſſa oris confeſſio vnitati fidei aggregabat; inexcuſabi-

Abuſus legum Ciuilium aduerſus Acatholicos latarum.

M lis

(a) „Obtinuimus tamen, vt illud potius, quod dixi ab Imperatoribus peteretur, decretum eſt in Concilio Noſtro, Legati ad Comitatum miſſi ſunt„ S. Aug. loco cit. c. 7.

(b) S. Aug. epiſt. cit. „ corrigi eos cupimus, non necari, ſic igitur eorum peccata compeſce, vt ſint, quos poeniteat peccaſſe.

(c) S. Auguſt. epiſt. 86. alias 60. ad Coecilianum Praeſidem: „prouidebis vt tumor Sacrilegae vanitatis terrendo ſanetur potius, quam vlciſcendo reſecentur. „

(d) S. Aug. Ep. 93. Alias 48. ad Vincentium Rogatiſtam cap. 13. „ quicunque vos ex occaſione legis huius Imperialis non dilectione corrigendi ſed inimicandi odio (legibus) perſequitur, diſplicet nobis „ et paulopoſt: „quisquis ex occaſione huius legis, quam Reges terrae Chriſto ſeruientes ad emendandam veſtram impietatem promulgauerunt, res proprias veſtras cupide appetit, diſplicet Nobis.

(e) S. Auguſtinus Lib. ad Bonif. ſeo Epiſt. 185. „Sicut meliores ſunt, quos dirigit amor, ita plures ſunt, quos corrigit timor. „

(f) S. Aug. ep. 93. alias 48. ad Vincentium Rogatiſtam cap. 5. „quam multi propterea veram Eccleſiam putabant partem eſſe Donati, quia eos ad cognoſcendam Catholicam veritatem ſecuritas torpidos, faſtidioſos, pigrosque faciebat, quam multi nihil intereſſe credentes in qua quisque parte Chriſtianus ſit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, et eos inde diſcedere, atque ad Catholicam nemo tranſire cogebat. „

(g) Epiſt. 89. alias 167. ad Feſtum: „ſed ſi eum tranſeunt ficti ſunt, non eſt hoc iam Noſtrum, ſed Dei iudicium „

(h) Idem ibidem.

lis hos redarguit error; haereticis enim monitio, inſtitutio debetur, et oratio illis praeſertim, quos pernicialis ſecuritas dubitare non ſinit, aut qui in haereſi nati parum intereſſe credunt, in qua quis parte Chriſtianus ſit; inſtructio ſane illis debetur quam maxime, quibus, (vt ait S. Auguſtinus) *aditum intrandi obſerant rumores maledicorum.* (a)

An diſputandum cum Acatholicis?

V. Docendos dixi, et monendos haereticos, ſoepe enim, multumque diſceptare cum illis non inutile ſolum, ſed perniciosſum etiam. S. Ambroſius in illud S. Pauli, (b) *haereticum hominem poſt primam correptionem deuita* ſcribens, exiſtimat ſemel tantum corripiendos, ne exercitatiores fiant in malo, et magis ſollicite quaerant erroris ſui praeſidia in perditionem multorum. (c) Simile ferme ex indole humanae conditionis repetitum adſert argumentum S. Auguſtinus, (d) „procliuiores enim ſumus quaerere potius, quid contra ea reſpondeamus, quae noſtro obiiciuntur errori, quam intendere, quam ſalubria ſint, vt careamus errore.„ Manet itaque conſtans Patrum aſſertio, plus a nobis praeſtari illis, ſi, vt corrigantur, oremus.

Leges Acatholicis fauentes non poſſunt Epiſcopis imputari.

VI. Si Patres neque iurgiis, ſed neque diſceptationibus agendum duxerunt cum Acatholicis, procul dubio inter leges Eccleſiaſticas referendae non videbuntur leges aduerſus illos latae; multo ſane minus leges pro illis latae inter leges Eccleſiaſticas locum occupare poterunt. Non exiſtimo autem quempiam fore, qui huiusmodi leges Epiſcopis Hungariae imputandas cenſeat. Si itaque hae leges e numero Eccleſiaſticarum, vti par eſt, expungantur, debebunt etiam aliquot ab Ill. Kollár in libello de Poteſtate Legislatoria circa Sacra in confirmationem aſſerti ſui allata exempla ſupputari, his enim exemplis opponemus illud S. Auguſtini (e) effatum: *in hoc ergo ſeruiunt Domino Reges in quantum ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſeruiendum illi, quae non poſſunt facere niſi Reges.*

An Lutherani in Hungaria combuſti fuerint?

VII. Leges illas horribiles de cremandis Lutheranis inſtar legum Eccleſiaſticarum a Principe latarum, velut ſpecimen legislationis circa Sacra exercitae adfert laudatus Kollár, (f) et, quod mireris, ſubdit obſcuras ſibi fuiſſe has leges, donec incidiſſet in epiſtolam Lutheri ad Reginam Hungariae Ludouici II. Viduam poſt cladem Mohacſianam exaratam, qua inſinuat Eandem doctrinae ſuae fuiſſe addictam, verum potentiam Epiſcoporum obſtitiſſe, quorum factione eueniſſet, quod nonnullius innocentis ſanguis effuſus ſit, gratulaturque ſibi, quod doctrinam ſuam non diſſeminauerit in Hungaria, ne videlicet illi tribueretur infauſta caedes Hungarorum. Non video, quid lucis affundat legibus allatis Epiſtola Lutheri, id vnum video famam Reginae ambiguam reddi, nemo tamen ideo conſtantiam illius in dubium reuocabit, huius Epiſtolae teſtimonio inductus; quum conſtet Lutherum ſollicitum fuiſſe, vt perſuaderet incautis Erasmum etiam e partibus ſuis eſſe. Quod autem ad leges ipſas incendiarias attinet, non exiſtimo quemquam exuſtum fuiſſe nomine haereſeos Lutheranae, quod enim Lutherus de aliquo innocente commemorat, id incerto rumori videtur tribuendum. Si vel vnus incendio periiſſet, prout plurium in Belgio, ac alibi ſupplicio ignis affectorum paſſionem de-
can-

(a) Epiſt. ad Vincent. loco citato.

(b) Ad Titum C. III.

(c) „Vt inexcuſabiles ſint, ſemel corripi oportere dicit, frequentius enim correpti exercitatiores fient in malo, cogere autem illos videtur, qui ſoepe corripit, vt ſollicitiores fiant ad perditionem multorum, ideo dimittendos, vt negligentiores effecti vel ſoli forte depereant. S. Ambr. in Commentar. in epiſt. ad Titum Tom. 3. col. 607.

(d) De natura, et gratia contra Pelagianos Cap. 25.

(e) Libro de correctione Donatiſtarum ad Bonifacium cap. 5.

(f) Citati libri cap. 12.

cantauit, hanc quoque deploraſſet in epiſtolis ſuis, in quibus tamen nullum veſtigium occurrit, *(a)* ſi demas, quod Georgium quemdam Bibliopolam interfectum in Hungaria ſcribat 1524. epiſt. ad Bremenſes ſcripta. *(b)* Haec ipſa epiſtola perſuadet mihi Lutherum incerta fama ductum ſcripſiſſe ad Ludouici Viduam de effuſo nonnullius innocentis ſanguine. De martyre enim ſuo Bohemico ſcribens ait: *quem nonita pridem Pragae in Bohemia ſupremo ſupplicio adfectum audi*. Quid famae, et rumoribus tribuendum ſit, nemo non videt, certe epiſtola Lutheri apud Kollarium ſibi, et temporum ratioui non conſtat, quandoquidem palmare eſt Lutherum ante cladem Mohacsianam ſui erroris ſemina ieciſſe in Hungaria, habuiſſeque aſſeclas non paucos, vt adeo multi concremandi fuiſſent, ſi leges laudatae unquam obtinuiſſent. Ego quidem exiſtimo eodem loco habendas cum illa lege, quae aquis mergi iubet *Forenſem*, ſeu extraneum, qui ab alio, quam a Rege, aut Ungaro ius Patronatus habente beneficium Eccleſiaſticum obtinuerit. *(c)* Sicut nos conqueri non poſſumus aliquem aqua hauſtum, ſic nec illi conqueri poſſunt aliquos conſumptos igni.

Remittitur Lector. VIII. Merito itaque omne hoc legum genus praetermiſimus, quia tamen opus hoc noſtrum inſtar Bibliothecae eſſe volumus, recenſuimus ſuperius leges omnes in negotio Religionis editas, quorſum Lectorem remittimus, ſi cui libuerit vberius cognoscere, quae deinceps conſtituta ſint, poterit conſulere collectionem mandatorum Regiorum in negotio Religionis editorum typis Vacienſibus exſcriptam. Si cui vacauerit etiam diſceptationes euoluere occurret *Veritas toti mundo declarata Georgii Barſonyi Episcopi Vacienſis*, cui Acatholici oppoſuerunt *Falſitatem toti mundo declaratam*, quam hiſtoriae diplomaticae ſupra laudatae inſeruerunt. Ad refellendum opus hoc denuo *Veritas toti mundo declarata*, multis acceſſionibus aucta, abſque auctoris nomine procuſa fuit. Auſus aliquid fuit in hoc ſcribendi genere etiam Martinus Biro Episcopus Veſprimienſis in Enchiridio ſuo, quod teſte Vogtio ob prohibitionem cenſurae, ſubſecutamque ſuppreſſionem inter rariores libros recenſendum eſt.

Caput Vigeſimum Primum.

Redditur ratio cur Auctor excerptas e Synodis Regiis Hungariae leges Eccleſiaſticas continua ſerie Synodis Eccleſiaſticis ſubiunxerit.

I. Nemo dubitabit, quod Leges Eccleſiaſticæ in Synodis Regiis Hungariae conditae in hoc opere meo locum habere debeant, quum profitear me in id adniti, vt quo fieri poteſt, pleniorem legum Eccleſiaſticarum collectionem Lectoribus meis exhibeam. Continua ſerie illas Synodis Eccleſiaſticis ſubiunxi, quum hae leges vt vt Eccleſiaſticae, et veri nominis canones ſint, aliam tamen indolem habeant. Congruum itaque duxi omnia eiusdem ſpeciei vno ſub obtentu ſiſtere. Exemplum mihi praebuit collectio Conciliorum Manſiana, in qua ad calcem aliquot Tomorum Capitularia Regum Francorum continua ſerie collocata ſunt, licet ea inter Synodos quoque referri potuiſſent eodem iure, quo a me exigis. Vt Synodos Regias continuis collocarem annis, commouit me etiam cenſura, qua Clariſſim. vir Adamus Kollár, *(d)* Peterſium perſtrinxit inquiens: Peterſium incaute prorſus egiſſe, qui Capitula de rebus Eccleſiaſti-

Cur continua ſerie?

 cis

(a) Poſſideo exemplar epiſtolarum Lutheri vſque ad finem Anni 1528. exaratarum, quas Ioannes Aurifaber collegit, et Andreas Petri Eislebii excudit anno 1565.

(b) „In quorum (Martyrum) merito referen„dus eſt etiam Gaſpar Tauberus Viennae Pann„niae igni abſumptus, item Georgius Bibliopola, „quem vita ſpoliauit Hungaria.„

(c) Vladislai Decr. 2. art. 31.

(d) De poteſt. legiſlat. c. 8.

cis ex Decretis S. Stephani, Sancti Ladislai, Colomani excerpta pro Canonibus Synodorum Eccleſiaſticarum habuit, et in collectione ſua primum locum occupare iuſſit.

Cur excerptae duntaxat? II. Vt autem excerptas darem, induxit me, quod volumen hoc in immenſum excreuiſſet, ſi integras Dioetas edere voluiſſem. Exemplis etiam factum hoc meum tueri poſſum, vt nihil dicam editores legum Ciuilium Hungariae quoque ex nonnullis Dioetis excerpſiſſe, non autem integras exſcripſiſſe. Boetbius quoque leges Kenethi Regis Scotorum diſtinxit in Ciuiles, et Religioſas, *licet Rex* (vti notatiuncula einsdem legibus Eccleſiaſticis *(a)* praemiſſa docet) *indiscretas dederit*. Edmundi Regis Angliae leges Eccleſiaſticas a Ciuilibus ſequeſtratas edidit Manſius Tom. XVIII. col. 598. Quare etiam ſecunda pars legum eiusdem Regis omiſſa eſt. *(b)*

Caput Vigeſimum ſecundum.

De auctoritate legum, ſiue articulorum in Dioetis, quas nunc Synodos Regias vocare placet, conditorum.

Canones quam vim habeant? I. Sat, ſuperque oſtendimus Synodos Regias pro totidem Nationalibus Conciliis habendas eſſe, adeoque veri nominis Canones in iisdem conditos fuiſſe, hocque etiam nomine obligare, quamnis Ciuilis etiam legis habeant firmitatem; non repetemus hic eandem crambem, ſed quorundam tergiuerſationibus, et dubitationibus occurremus. Exiſtimant aliqui, et aliis perſuadere volunt Canones, niſi Ciuili lege firmentur, conſilii duntaxat vim habere, et ſolum ex priuato pacto obligare, ſed quae, amabo, illa pacta, niſi Sacroſancta, et irrefragabilia pacta, quae ſpondemus, dum ſalutari regenerationis lauacro abluimur? *Per baptismum*, ait Concilium Florentinum, *membra Chriſti, et de corpore efficimur Eccleſiae.* Hauc nos Saluator Noſter audire iubet, niſi pro Ethnicis, et Publicanis haberi velimus, conſilium reſpuere tantam poenam non meretur; gratis omnino, et inſipienter iactat Apoſtolus gentium poteſtatem ſuam? gratis ait, „*praecipio ego, non Dominus?* ergo vsque ad Conſtantinum Magnum legibus carebat Eccleſia, quum nullus canon potuerit Ciuilis legis obtinere firmitatem? Nae! qui talia aſſerit, vtroque gladio priuat Eccleſiam, et omni exuit poteſtate; abſit ab Eccleſiae filiis tam praepoſtera hallucinatio. Aſſerimus quidem cum S. Iſidoro, *(c)* quod *Principes intra Eccleſiam poteſtatis adeptae culmina teneant, vt per eandem poteſtatem muniant Eccleſiaſticam disciplinam*, leges autem Eccleſiaſticas intrinſeca obligandi vi deſtitui, conſilia eſſe, dici non poteſt. Qui autem aſſerunt ex priuato pacto obligare canones, et tamen conſilia eſſe contendunt, nugantur vtique; etſi enim daremus ipſis, inter fideles, et Eccleſiam priuatum intercedere pactum, fateri tamen debebunt, Canones obligare, ſi ex pacto obligant. Si obligant, quomodo erunt conſilia? hoc principium ſi ſtabiliatur, legum etiam ciuilium corruet auctoritas, recte enim ait S. Auguſtinus: „*generale pactum eſt ſocietatis humanae obedire Regibus.*„ Generale pariter pactum eſt ſocietatis fidelium obedire legibus Eccleſiae, pactum Sanguine Ieſu Chriſti Saluatoris Noſtri ſignatum, tantoque fortius pactum, quanto ſacratiori firmatum ſignaculo. Sed miſſis bis

II. Ad propoſitam quaeſtionem redeamus; aio itaque leges de rebus, et cauſis Eccleſiaſticis in Comitiis, Dioetis noſtris latas eſſe Canones, et Leges Eccleſiaſticas vere, et proprie tales. In teſtimonium Articuli Dioetales de rebus et cauſis Eccleſiaſticis ſunt Canones.

huius

(a) Manſi Tom XIV. col. 781.

(b) *Leges Eccleſiaſticae Edmundi Regis Angliae a ſecularibus ſuis ſegregatae.* Ita epigraphe.

(c) Lib. 3. ſent. de ſummo bono.

huius aſſertionis a communione, Sacriſque noſtris alienos vocabimus, paulo ante laudatus Ill. Adamus Franciſcus Kollár p. 17. adfert Hugonis Grotii, et Gebhardi Theodori Maieri verba, qui inquiunt: „*Sunt in Codice Theodoſiano, Iuſtinianeo, et in Nouellis leges Eccleſiaſticae pene innumerae, quae proprium Canonum nomen ferre non poſſunt, quum non ex Sententia Synodi, ſed extra illam a ſola Maieſtate ſunt praeſcriptae.*„ Ita illi. Habemus ergo leges, articulos noſtros de cauſis, et rebus Eccleſiaſticis eſſe Canones, quia non a ſola Maieſtate, ſed ex Sententia Synodi ſunt praeſcriptae; docuimus enim illas ex Sententia Epiſcoporum, ex Sententia Synodi eſſe praeſcriptas; Quid ipſis ad notionem Canonis deeſt? auctoritas Epiſcoporum interceſſit, quid ergo impedit, quominus Canones dici poſſint?

An conſenſus Epiſcoporum ſufficiat?

III. Ais non ſufficere conſenſum Epiſcoporum, niſi ſoli Epiſcopi legem ferant? non poſſunt ergo te iudice conſulendo leges ferri? *Senatus conſultum* (inquit Iſidorus) *quod tantum Senatores populis conſulendo decernunt*. Si leges rogando ferri poſſunt, cur non conſentiendo? quid ergo ſunt Plebiſcita? „*Plebiſcitum* ex mente Iſidori vocatur, *quod plebs ſciſcitatur, et rogat, vt fiat.*„ Conſulas velim, et euoluas leges Ciuiles Hungariae, an non omnes rogando fiant? Si articulis, et legibus Eccleſiaſticis in Dioetis conditis obeſſet id, quod Epiſcoporum conſentientium duntaxat interuenerit, vel acceſſerit auctoritas, nec Ciuiles leges dici poterunt articuli earundem Dioetarum in cauſis profanis latae, quum Optimatum, et Nobilium acceſſerit duntaxat conſenſus.

Exempla adducuntur.

IV. Canones conſenſu Epiſcoporum ferri nil nouum aut peregrinum videri debet cuiquam. Splendidiſſima enim nobis in concilio Chalcedonenſi ſuppetunt exempla, et quidem actione ſexta, poſtquam ſententiam fidei coram Marciano Imperatore pronunciaſſent Patres, Religioſiſſimus Princeps dixit *(a)* ſe quaedam Capitula ſeruaſſe ad honorem illorum, decorum eſſe iudicans, vt potius regulariter per Synodum ſuper illis conſtituerent, quam lege Imperatoris ſanciantur. Capitula autem erant tria, quae in Canones abiuerunt conſenſu Epiſcoporum: de Monachis nimirum ſolitariis, eorumque erga Epiſcopos ſubiectione; de clericis: ne alienarum rerum haberent ſolicitudinem, denique vt Clerici alicui Eccleſiae deputarentur. Haec Capitula inter canones Concilii Chalcedonenſis reperies. Si modum condendi canones inquiras, nil aliud inuenies, quam Patres acclamaſſe Imperatori, conſenſumque ſuum praeſtitiſſe.

In eadem actione degradationis poena in eum, qui aduerſus fidem tumultum cierit, proponente Imperatore, et acclamantibus Epiſcopis ſancita fuit. *(b)*

Actione vndecima in cauſſa inter Baſſianum, et Stephanum de ſedis Epheſinae poſſeſſione agitata *Glorioſſimi Iudices* ſententiam dixerunt, vt ſiquidem vnus Epiſcopatum inuaſiſſet, alter illegitimis viis aquiſiuiſſet, neuter ipſorum eſſet Epiſcopus, ſed eligeretur alius, qui et fide integra, et vita noſcatur eſſe ornatus, vt eſſe poſſit Epiſcopus; quum autem ſancto Concilio reliquiſſet, vt ſententiam depromerent, omnes vna voce

 dixe-

(a) „Diuiniſſimus, et piiſſimus Dominus Noſter ad Synodum, dixit: *Quaedam capitula ſunt, quae ad honorem veſtrae reuerentiae vobis ſeruauimus, decorum eſſe iudicantes a vobis regulariter potius formari per Synodum, quam noſtra lege ſanciri*, et iubente Diuiniſſimo, et piiſſimo Principe Noſtro Veronicianus, vir deuotus, Secretarius ſacri Conſiſtorii Capitula ſicrelegit.„ Dein ſic proſequitur actione eadem „ Poſt hanc lectionem traditis Capitulis a Sacratiſſimo, et Religioſiſſimo Principe, Religioſiſſimo Archi-Epiſcopo Regiae Conſtantinopolis nouae Romae Anatolio, omnes reuerentiſſimi Epiſcopi clamauerunt: *Multos annos Imperatori Pio, Chriſtiano, Chriſtus, quem colis, ipſe te ſeruet, haec fide digna ſunt. Sacerdoti Imperatori* (ſeu vt alia lectio habet: Pontifici Imperatori) *multos annos.*

(b) Siquis idiota, vel militaris, ſeu Clericus publice de fide turbam congregans ſub obtentu diſputationis tumultum fecerit, ſciat, quia ſiquidem idiota ſit, ab vrbe regia expelletur, militaris vero, et Clericus gradus ſui periculum ſuſtinebunt: omnes Epiſcopi ad hoc clamauerunt: multos annos Imperatori.

dixerunt: iuſtam eſſe ſententiam, hoc Dei iudicium eſſe, Chriſtum iudicaſſe cauſam. *(a)* Sicut proinde Patres Iudicum glorioſiſſimorum iudicium approbando iudicarunt, ita Epiſcopi Hungariae pariformiter iuſtis, et Eccleſiaſticae honeſtati conſentaneis propoſitionibus aſſenſum praebentes iudicandi impleuerunt officium, et id multo magis dum reliquos etiam in Comitiis congregatos in eandem deduxerunt ſententiam.

Capitularibus Regum Francorum veri nominis Canones contineri ex ſupradictis planum fit tanto magis, quum Summi Pontifices (inter quos Zacharias) illos auctoritate ſua illuſtres fecerint, *(b)* aut ergo dicas leges etiam Ciuiles confirmationi Pontificiae obnoxias, quod non niſi imperitiſſime affereretur, neque tu admittes, aut dicas in Capitularibus Regum Francorum veros Canones fuiſſe ſancitos. Herardus Archi-Epiſcopus Turonenſis anno DCCCLVIII. Synodum Paroeciae ſuae celebrans ex Capitularibus quaedam excerpens Clero ſuo propoſuit, ac ea canonum nomine inſigniuit. *(c)* Praeiuit exemplo ſuo Iſaac Epiſcopus Lingonenſis, qui ſelecta capitula ex memoratis Capitulis in ſuorum vtilitatem collegit, *et in corpuſculum vnum adgregauit.* Vides ergo ex conciliis Epiſcoporum conflata Capitularia rurſum ad ſui principii rediuiſſe originem, et Conciliis inſerta fuiſſe. Quum ergo Capitularium, et Legum noſtrarum par ſit indoles, par debet eſſe conditio.

Caput Vigeſimum Tertium.

De collectionibus Synodorum Eccleſiaſticarum, praecipue autem P. Caroli Peterfy.

I. Qualecunque foret P. Caroli Peterfy opus, veniam mereretur, quum ignotum vadum tentauerit. Ottrokotſii quidem audiui exſtare collectionem quampiam in Archiuio, ſiue Bibliotheca Venerabilis Capituli Strigonienſis, mihi tamen veroſimile non fit Ottrokotſium tale quid tentaſſe, viribus ſuis certe maius opus aggreſſus fuiſſet; hiſtoriam Eccleſiaſticam exaraſſe multi perhibent teſtes, qui illud euoluerunt, ſi ſegmenta, quae hinc inde apud Peterfium, aliosque occurrunt, in conſiderationem ſumam, videmur hoc nos opere carere poſſe, quemadmodum in ſuperioribus adnotaui. Non deerant Hungariae complures Conciliorum collectiones, quas temporum iniquitas deleuit. In Bibliotheca Mathiae Coruini teſte Iulio Pflugk non pauci codices fuerant, quos ad hanc claſſem referendos ſuſpicor. *(d)* Concilia Eccleſiaſtica an aliquis collegerit ante Peterfy?

II. At

(a) Nobis videtur neque Baſſianum reuerentiſſimum dignum exiſtere, vt ſit Epheſiorum Ciuitatis Epiſcopus, quoniam ex inuaſione violenta Epiſcopatum ſibimet vendicauit, neque Stephanum reuerentiſſimum Epiſcopum, qui per coniurationes, et tales adinuentiones Epiſcopatum ſibimet acquiſiuit, iuſtum vero eſſe, vt eligatur alius, qui et fide integra, et vita noſcatur eſſe ornatus, vt eſſe poſſit Epiſcopus, totum autem Concilio ſancto relinquimus, quatenus ſententiam, quae in hac cauſſa fuerit viſa, depromat. Sancta Synodus clamauit: haec iuſta ſententia eſt, hoc Dei iudicium eſt, Chriſtus iudicauit cauſam, Deus per vos iudicat.

(b) Iſaac Epiſcopus Lingonenſis in praefatione capitulis ſuis praemiſſa „ *Vtile duximus quaedam ſaluberrima capitula ſanctionum, quae Sanctae Romanae, et Apoſtolicae Eccleſiae Legatus venerabilis Bonifacius Moguntiacenſis Archi-Epiſcopus vice Zachariae Papae vna cum Orthodoxo Karlomanno Francorum Principe in duobus Epiſcoporum conciliis, et ad profectum Eccleſiae Dei conſcripſit, quaeque etiam idem Papa Zacharias ſub anno Incarnationis Dominicae DCCXLII. auctoritate Apoſtolica confirmauit, et omnibus Eccleſiae Dei fidelibus irrefragabiliter obſeruanda conſtituit, reuoluere, et ad meam, meorumque vtilitatem quaedam ex his, quae in quaeſtionem ſaepiſſime veniunt, colligere, et in vnum corpuſculum adgregare.*

(c) *Quoniam auctoritas ſacra Canonum nulli Sacerdotum canones ignorare permittit, ne quemquam in reliquo nobis commiſſorum huius ordinis expertem nouerimus Canonum, decreuimus, pariterque iniunximus excerpta per noſtri laboris ſtudium haec modica, ſuccinctaque Capitula &c.* Haec autem Capitula ex capitularibus excerpta cuiuis ea inuicem conferenti innegabile euadet.

(d) Iulius Pflugk in epiſtola ad Vitum Ludou. a Seckendorff a pag. 60. vique 166. adferens Catalogum librorum Mathiae Coruini in arce Budenſi repertorum anno 1686. ſequentes etiam adnotauit.

Pag. 63. codices ſacrorum Canonum MS. in

Commendatur Peterſy.

II. At enimuero Peterſius non ſolum veniam meretur, ſed eximia etiam laude dignus eſt, quod primus difficili huic labori manus admouerit, ac inſignis eruditionis nobis ſpecimina dederit, neque fuerit aliis nationibus inferiores eſſe, quarum quaeuis ſuas collegit Synodos. Sphragiſtica quoque non parum debet Peterſio, quod multas, elegantesque ceras eruerit, et adiecerit operi ſuo, hoc quoque laudis genere primus eſt inter noſtrates. Styli quoque elegantiam commendare poſſem, ſi ſeſquipedalibus verbis parcius vſus fuiſſet.

Iudicia de Peterſio.

III. Auſteros nihilominus, et prorſus iniquos iudices nactus eſt Peterſy, inter quos eſt praecipuus anonymus ille litteris initialibus M. K. deſignatus, qui prima lineamenta Hungaricae Litteraturae typis vulgauit. Hunc ſequitur P. Alexius Horányi, *(a)* qui nihilo mitius egit cum illo paulo ante memorati auctoris verbis vtplurimum vſus. Alii non pauci acerbiſſimo ſtylo eum infeſtati ſunt, dum laudant etiam tam frigide, et ieiune id faciunt, vt detrahant potius debitae illius exiſtimationi, commendant enim veteres ceras, imagines, inſignia, ſigilla, chartae elegantiam, typorum nitorem, quae omnia ornamenta duntaxat ſunt.

Cenſura Peterſii.

IV. Negari quidem non poteſt noeuis laborare Peterſium, aliquos in hac diſſertatione iam adnotauimus; non vltimus eſt, quod prolixis narrationibus, et ad inſtitutum nihil pertinentibus multum litauerit, easque ita Synodis ſuis intexuerit, vt in collectione Synodorum aegre reperias Synodos. Oſcitanter etiam aliqua egiſſe Peterſium dubio vacat, quidquid iactet in Praefatione ſua, non videtur mihi vllos codices conſuluiſſe, ideo ferme omnia manca, et luxata edidit, quae feliciter reſtitui. Aliud quoque vitium operis accuſant aliqui, quod absque ratione, non offenſus, non irritatus acerbo nimis ſcribendi genere vſus aduerſus ſectarios calamum ſtrinxerit, ſi in feruore diſputationis talia excidiſſent, excuſari forte poſſet.

Collectio Thauzyana.

V. Eccleſiae ſuae Synodos veterum veſtigiis inſiſtens collegit, et typis exſcribi fecit anno MDCCLXVI. piae memoriae Franciſcus Thauzy Epiſcopus Zagrabienſis. *(b)* Praemiſſa breui admonitione ad *Venerabilem Dioeceſis ſuae Zagrabienſis Clerum* ſequitur ſub nomine Synodi Zagrabienſis a S. Auguſtino Gazotti Epiſcopo Zagrabienſi celebratae ſermo Synodalis, qui tamen, vt collectionis huius noſtri Tomo ſecundo euincemus manifeſte, foetus eſt Ioannis Tomco Marnauitii ad imitationem Bonfinii conſarcinatus. Occurrit deinde

Synodus Zagrabienſis Dioeceſana ſub Epiſcopo Franciſco Erghellio Anno MDCXXXIV. die 19. menſis Iunii, et ſequentibus celebrata, hanc Peterſius ignorauit, licet Tomo Secundo pag. 393. ſat magnifice pro more ſuo loquatur, quanta nomina cum Capitulo Zagrabienſi contraxerit. *(c)*

Synodus Zagrabienſis Dioeceſana habita ſub Martino Borkouits Epiſcopo Zagrabienſi anno MDCLXIX.

Syno-

folio, item alii quinque Manuſcripti in pergamena, et folio. Tituli Decretalium, et Conſtitutiones Eccleſiaſticae Manuſcriptum in folio maiore.

Pag. 64. Decretorum Eccleſiaſticorum codex integer in folio maiori. Item codex de vita honeſtateque Clericorum Manuſcript. in folio.

Pag. 67. Duo codices ſacrorum Canonum in folio maiore. Vnus impreſſus, vnus manuſcriptus.

Pag. 68. Tomus Iuris Canonici cum Epiſt. Pontif. Manuſcrip. in pergameno, et folio.

Codex Iuris Canonici MS. in pergameno, et folio.

(a) Memoriae Hungarorum, et Prouincialium ſcriptis clarorum. Tom. 3.

(b) *Conſtitutiones Synodales Dioeceſis Zagrabienſis pro vſu Cleri eiusdem Dioeceſis impreſſae Zagrabiae litteris Franciſci Xauerii Zeranſcheg per Antonium Iadera Factorem* 1766.

(c) Vellem apud Dioeceſes ſingulas ea contraxiſſe nomina, quae me ad hoc monopolium merentem Eccleſiae Zagrabienſi obſtrinxerunt, certe partem monumentorum eidem debeo.

Synodus altera eiusdem Illuſtriſſimi, et Reuerendiſſimi Domini Martini Borkouics anno MDCLXXIII.

Synodus tertia eiusdem Domini Epiſcopi Zagrabienſis. Annum nullum adnotatum reperio.

Synodus Zagrabienſis Dioeceſana IV. habita ſub Martino Borkovits electo Colocenſis, et Bachienſis Eccleſiarum canonice vnitarum Archi-Epiſcopo anno MDCLXXXVII. Narratio praeuia e Peterſio deſumpta praemittitur.

Synodus Dioeceſana habita ſub Ignatio Alexandro Mikulich Epiſcopo Zagrabienſi anno MDCXC. Subiicitur deinde Epiſtola Paſtoralis Thauzyana, qua tum vetera confirmat, tum ſua proponit monita.

VI. Ad illud collectorum genus, qui Canones ad certos titulos, ſeu capita reuocant, et digerunt, pertinet opus Pauli Ioſephi Riegger, qui ſecundum titulos librorum Decretalium Gregorii IX. ſuum complexus eſt opus (a) duobus tomis. Non improbandum conſilium! at reprehenſionem effugere non poteſt, quod inter librum primum, et ſecundum interiecerit appendices, qui quartam totius operis partem conſtituunt; miro vocum abuſu his appendicibus Ius Patronatus Regium, ſeu ius nominandi Epiſcopos ſtabilire intendit, mercibus ab Ill. Kollário in Hiſt. Diplomatica Iuris Patronatus venum propoſitis. Si quis Diſſertationem hanc meam euoluerit, indicet, an Rieggerus ad neſcio quod ius Eccleſiaſtico-Ciuile externum recurrere neceſſum habuerit, de quo in Praefatione ſua, neſcio an verboſius, vel operoſius agit. Collectio Rieggeriana.

(a) Specimen Corporis Iuris Eccleſiaſtici Inclyti Reg. Hung. et Partium eidem adnexarum in quinque libros ſecundum ordinem Decretalium Gregorii IX. Papae digeſti, et coordinati a Perilluſtri, ac conſultiſſimo Viro Paulo Ioſ. de Riegger, Eq. S. R. A. M. Conſil. Aul. act. in antiquiſſ., et celeberr. Vniuerſ. Vindob. Iuris Eccleſiaſtici Profeſſ. P. O. Vindobonae Typis Ioannis Th. Nob. de Trattnern. MDCCLXVIII.

Digitized by Google



RECENSIO LEGUM ECCLESIASTICARUM.

I. Synodus Orthodoxa Sardicenſis.

Triumphus Fidei.

I. A Triumpho Fidei, et manifeſtatae innocentiae S. Athanaſii, quem culpa vacare in Synodo Sardicenſi, hic primo loco a nobis edita patuit, Opus noſtrum ordimur, vt laetis his initiis de triumpho ſecurus ſtadium ego ſcribendo, tu amice Lector legendo alacrius decurramus: in alacritate enim animi, qua opus aggredimur, magnum praeſidium operis poſitum eſt. Triumphum Fidei appellaui Synodum hanc: tantus enim Fidei de conſubſtantiali, et quod inde conſequitur, vera Diuinitate Verbi ſplendor in ea effulsit, vt eius claritatem ferre non poſſent Ariani, ſed quaſi excaecati inter ſe diuidi, et ab inuicem deſciſcere coeperint, et licet Ariminenſe Concilium fraude in ſuam Sententiam inflectere deinceps viſi ſint, et venerabilis ſenectae virum Oſium ſtrenuum illum Fidei pugilem tormentorum vi a recta ſemita declinare coëgerint, non poterant tamen amiſſas in hoc Concilio vires reparare.

Occaſio Synodi.

II. Inter cauſas illius praecipua fuit integritas Apoſtolicae Fidei, contra quam Euſebiani acerrimum bellum mouerunt. „Tria fuerunt, inquiunt Patres Sardicenſes, quae tractanda erant. Nam et „ipſi Religioſiſſimi Imperatores permiſerunt: vt de integro vniuerſa diſcuſſa „diſputarentur, et ante omnia de Sancta „Fide, et de integritate veritatis, quam „violauerunt. Secunda de perſonis, quas „dicebant eſſe deiectas de iniquo Iudicio, vt ſi potuiſſent probare, iuſta fieret „confirmatio. Tertia vero quaeſtio, quae „vere quaeſtio appellanda eſt, quod grauės, et acerbas iniurias intolerabiles etiam, et nefarias contumelias Eccleſiis feciſſent.„ Synodum hanc debemus precibus S. Athanaſii, et Conſtantis, qui Occidenti praeerat pietati. „Athanaſius, ait Theodoretus Libr. 2. Cap. „4. ad Conſtantem accedens, de factionis Arianae inſidiis conquerens, bellum „contra Fidem Apoſtolicam excitatum

„lamentari. Conſtans ſimul, atque iſta audi-
„vit, Literas ad Fratrem ſcripſit, quibus e-
„um hortabatur, vt haereditatem pietatis
„Paternæ integram, inuiolatamque ſeruaret.
„Illum enim Imperium pietate ſtabiliuiſ-
„ſe, Tyrannos, qui Romanos oppreſſe-
„rant, profligaſſe, et barbaros vndique
„in ſuam poteſtatem redegiſſe; quibus Li-
„teris perſuaſus Conſtantius mandatum
„dedit, vt Episcopi tum Orientis, tum Oc-
„cidentis Sardicam conuenirent, quae in
„Illyrio vrbs Gentis Daciae primaria; de-
„lecta autem eſt Sardica, quum eſſet ci-
„uitas, quae Orienti, et Occidenti adia-
„ceret. (a)

An cauſa fidei in hac Synodo retractata?

III. De Anno celebratae Synodi nolumus multa differere, aut diuerſas Authorum adſerre opiniones, vel iis refutandis incumbere; Vbi enim ad veritatem Hiſtoricam ex die, et Conſulibus nihil depromi poteſt, non puto magnam operam in deſignando anno collocandam; Ideo communem Sententiam ſecutus ad Annum Chriſti 347. referendam duxi; vtilior quaeſtio occurrit, quomodo cauſam Fidei in hoc Concilio retractandam permiſerit Iulius Pontifex, et an aliquod Fidei Decretum ediderit idem Concilium? Cauſam Fidei in Concilio vniuerſali definitam rurſus diſcutere nunquam admiſit Eccleſiaſtica conſuetudo. Vtpote quum Paulus Apoſtolus Gentium Haereticum poſt correptionem vitandum duxerit. Hinc recte respondit S. Auguſtinus Pelagianis nouam cauſae cognitionem flagitantibus, poenitentiam ſolum, non autem audientiam ſupereſſe. Non retractarunt, non diſcuſſerunt cauſam Fidei Patres Sardicenſes, quaſi inueſtigarent, an trecenti decem, et octo Patres Nicaeni conſubſtantialitatem Verbi rite ſtatuerint, ſed retractarunt cauſam Fidei, vt illis, qui fraude Arianorum, qui nil minus, quam Haeretici videri volebant, in errorem inducti fuerant, et conſubſtantialitatem tanquam Sabellianae Haereſeos labem perhorrescebant, Fidem exponerent Nicaenam, et vim vocis *Homouſion* docerent, et hoc ſenſu accipiendum eſt, quod Socrates Libr. 2. Cap. 16. de laudatis Patribus Sardicenſibus ſcribit inquiens: „poſtremo verbum *con-
„ſubſtantiale* multo notius, et illuſtrius ef-
„fecerunt.„ Decretum autem Fidei nullum ediderunt, ipſi Patres vti N. 2do vidimus quaeſtionem de iniuriis veram appellabant quaeſtionem, vnde patet de fide nullam fuiſſe. Theodoretus quidem Hiſtoriae Eccleſiaſticae Libr. 2. Cap. 8. Literis Synodicis ab eodem Concilio ad vniuerſos Orbis Episcopos conſcriptis attexuit Fidei expoſitionem multis verbis diffuſam, quae tamen foetus Concilii huius non eſt, vt adeo potius abortus dici debeat. Sozomenum in eundem errorem deduxit Theodoretus, hunc enim in omnibus ſecutus eſt. Ait itaque Sozomenus Libr. 3. Cap. 11. „eodem tem-
„pore quoque aliam Fidei formulam e-
„diderunt, pluribus quidem verbis ſcri-
„ptam, quam quae in Concilio Nicaeno
„edita fuiſſet, ſed tamen eandem comple-
„ctentem ſententiam, et verbis non
„multum ab illa diſcrepantem.„ Quae poſtrema verba Sozomeni ſi perpendantur, non videtur ad Formulam a Theodoreto editam respexiſſe, ſed prae oculis habuiſſe aliam Fidei Formulam, nomine Sardicenſis Concilii vulgatam, quae omnino in verbis non multum diſcrepat. Refert illam, niſi me omnia fallant, S. Hilarius in Libro de Synodis aduerſus Arianos, (in editione Pariſienſi Anno 1631. pag. 336.) Sed primo obtutu quiuis facile perſpiciet: hanc non eſſe noſtrae Synodi Formulam; in initio enim formulae dicitur: „Sancta Sy-
„nodus in Sardica congregata ex diuer-
„ſis Prouinciis Orientalium partium.„
Certum tamen eſt generale Orientis, et Occidentis fuiſſe Concilium; Synodi ergo

(a) Ciuitatem hanc (Sardicam) non tantum Daciae vtriusque (mediterraneae, et Ripenſis) ſed etiam Moesiae primae Eccleſiaſticam metropolim fuiſſe Carolus a S. Paulo adnotauit, omni itaque iure ad nos pertinet.

go Sardicenſis nomen mentiti ſunt Euſebianae factionis Epiſcopi, qui in eo etiam errarunt, quod Moeſiam, et duas Pannonias Orientalibus adnumerauerint Prouinciis. Certum itidem eſt: quod vocem *Homousion* tanquam Teſſeram Fidei Catholicae, et retinendam cenſuerint Patres Sardicenſes, et clariorem, illuſtrioremque effecerint; illam autem in memorata Fidei Formula fruſtra requires; Hanc ergo genuinam Synodi noſtrae formulam exiſtimauit Sozomenus.

An formula Theodoreti authentica ſit?

IV. Damus quidem Formulam Theodoreti, at ſubdititiam tamen poſt Caeſarem Baronium, et Chriſtianum Lupum aſſerimus. Videtur quidem Harduinus Binio ſubindignari, quod Baronium ſecutus Appendicem Theodoreti exploſerit; in adnotatiuncula enim ſua, quam Epiſtolae Synodicae ſubiungit, quaſi exprobrans dicit: „Appendicem ſubiicit huic Epiſtolae Theodoretus, quam ſubdititiam Binius Baronium ſecutus de more arbitratur.„ Profecto ſi regulae ſanae critices in ſubſidium vocentur, nemo poteſt appendicem illam genuinam exiſtimare. Certisſima enim eſt illa regula Criticorum, contemporaneos Authores, et qui rei geſtae participes, et conſcii erant prae ceteris eſſe locupletiſſimos teſtes: quem, amabo, meliorem reperiemus teſtem, ac Sanctum Hilarium, et Athanaſium Synodo Sardicenſi coaeuos? Prior edidit Epiſtolam Synodalem, quam nos primo loco poſuimus, abſque vlla appendice, vel Fidei Formula. S. Athanaſius Apologia ac diſertis verbis aſſerit: circumlatas fuiſſe quaſdam tabellas, Fidei expoſitionem continentes, ſed eas non eſſe a Concilio conſcriptas, ſed omnino repudiatas, ait enim: „Tabellas, quas nonnulli iactant, quaſi in Sardicenſi Synodo conſcriptas ne legi quidem ſemel, aut proferri ſinatis, nihil enim tale Concilium definiuit. Quamuis enim certi homines nonnulla, quaſi quae deeſſent Concilio Nicaeno, adſcribere vellent, idque acriter contenderent, Sancta tamen Synodus indigne id tulit, Decretoque ſanciuit, ne quid vlterius de Fide ſcriberetur.„ Habemus etiam teſtem S. Euſebium Vercellenſem Epiſcopum Ariani furoris procellis iactatum, qui haec habet: „quia fama apud exteros increbuit de tabella Sardicenſis Concilii, meo ſuffragio denuncio, ne ea vltra Nicaenam Fidem decreta eſſe putetur.„ Miror profecto, quod Theodoretus non perſpexerit hanc Formulam edi non potuiſſe a Synodo Sardicenſi, quum illa craſſam rerum tunc geſtarum ignorantiam contineat. Vrſacium enim, et Valentem nimium quantum Arianos, et ideo a Sabellianorum, ac Patripaſſianorum haereſi nimium quantum remotos, de hac haereſi accuſat; qui fieri potuiſſet, vt Occidentales Epiſcopi, ex quibus maxima huius Synodi pars conſtabat, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Hypoſtaſes profiterentur? quum Latini aliam huic voci vim, poteſtatem, ac ſignificationem, quam Graeci tribuentes, diu voci huic repugnauerint; ſi haec ad ſuppoſitionem edocendam non ſufficiunt, neſcio: quomodo opus aliquod ſuppoſititium videri poſſit? Decretum ergo in hac Synodo, vt nihil Fidei Nicaenae addatur, editum agnoſcimus, ſed illud intercidiſſe dolemus.

V. Damus autem Epiſtolam Synodicam Patrum Sardicenſium ad vniuerſos Epiſcopos ſcriptam, vti et eiusdem Epiſtolam ad Iulium vrbis Romae Epiſcopum directam; in vtraque edenda ſumus ſecuti S. Hilarium vtpote coaeuum, qui eas fragmentis ſuis inſeruit. Labbeus exiſtimauit, eandem ipſius Synodi autographam eſſe editionem, et merito; ſuadet enim id contemporaneitatis ratio. In notis quoque marginalibus Harduinum ſecuti oſtendimus, quantopere ve- — Vnde accepta acta?

tuſtis codicibus conſentiat editio S. Hilarii? Epiſtolam autem ad Eccleſiam Alexandrinam ex S. Athanaſii Apologia 2ª decerpſimus. Huic ſubiecimus Canones viginti, et vnum ab eodem Concilio Sancitos; ſequuntur ſubſcriptiones Episcoporum, in quibus verſionem Dionysii Exigui tenendam, exemplum Chriſtiani Lupi ſecuti exiſtimauimus, ex eo vel maxime, quod Dionysium Exiguum inter Prouinciales Scriptores noſtros referendum exiſtimemus; noſtra ergo ex noſtris proferimus.

Fructus Concilii.

VI. Quidquid Valens, et Vrſacius imperiti illi Adolescentes (hoc enim nomine compellat Synodus Sardicenſis noſtrates hos Episcopos, „Vrſacius enim, „teſte Socrate Lib. 1. Cap. 20. erat Sin„gidonis vrbis ſuperioris Pannoniae, et „Valens Murſorum etiam Pannoniae Epi„ſcopus„ Ipſe quoque Euſebius iuuentutem ipſorum perſtringit de vita Conſtantini Libro IV. Cap. 43. mihi pag. 297. inquiens: „Pannonii, et Myſi ſu„um etiam iuuentutis florem tanquam im„puberem DEI coetum miſerunt.„ Differit autem hoc loco de Episcopis praefatis) in Orthodoxam Fidem peccarunt, quidquid contra Apoſtolicam Sedem Iulium Pontificem damnando exerrarunt, id totum egregie ſarciuit Synodus haec noſtra. Etenim Arianorum vires admodum imminuit, fraudem detexit, Athanaſium honori, et Sedi ſuae reſtituit, et primae Cathedrae honorem, ac iurisdictionem tam in Epiſtola Synodica, quam in Canonibus ſuo confirmauit teſtimonio, ait enim ad Iulium Pontificem: *hoc optimum, et valde congruentiſsimum eſſe videbitur, si ad Caput, id eſt ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibusque Prouinciis Domini referant Sacerdotes*, et Canone 3. *Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ab iis, qui iudicauerint, ſcribatur Romanorum Episcopo, et per propinquos Prouinciae Episcopos, ſi opus ſit Iudicium renouetur, et Cognitores ipſe praebeat*, et Canone 4. dum vetat abdicationem Episcopi ratam eſſe antea, quam Romanus Episcopus cauſa cognita ſententiam tulerit: luculentiſſima etiam ſunt illa Canonis 5. verba: *erit in poteſtate ipſius, quodcunque recte habere probauerit.* Suapte conſequitur ex his, Eccleſiae coaeuum morem eſſe, vt cauſae grauiores primae Sedis reſeruentur iudicio; non itaque ambitioni Romanorum Pontificum, ſed inſtitutioni Eccleſiaſticae, imo Diuinae, tribuant, velim, Sedis primae praecellentem praerogatiuam illi, qui eius auctoritatem aegro ferunt animo. Recte prorſus ait S. Leo I. Papa Epiſt. 87. *hanc Petrae iſtius Sacratiſsimae firmitatem nimis impia vult praeſumptione violare, quisquis eius poteſtatem tentat infringere fauendo cupiditatibus ſuis, et id quod accepit a veteribus non ſequendo.* A veteribus profecto accepimus, ab exordio nascentis Eccleſiae maiores cauſas ad firmiſſimae Petrae trutinam reuocatas fuiſſe. Fidem forte non mereremur, niſi Graecorum teſtimoniis vti poſſemus. Socrates Hiſt: Eccleſ. Lib. 2. Cap. 5. vbi Concilium Antiochenum contra S. Athanaſium celebratum reprehendiſſet ait: *quin etiam Iulius Romanus Episcopus neutiquam aderat, neque quenquam, qui eius Locum ſuppleret, eo miſit, idque quum Canon Eccleſiaſticus iubeat, non oportere absque ſententia Episcopi Romani Decreta Ecclesiis ſancire.* Si Canon Eccleſiaſticus Decreta Eccleſiis absque ſententia Romani Episcopi ſanciri vetat, quis dubitet a veteribus acceptum, et ad nos vsque transmiſſum primae Cathedrae Priuilegium? rurſus Cap. XI. dum Paulum Episcopum Conſtantinopolitanum cum Asclepa, Marcello, et Lucio ad Sedem ſuam repoſitum commemorat, priuilegii huius meminit inquiens: *Iulius vero, quoniam Ecclesia Romana priuilegium praeter ceteras obtinet, Literis ſuis ad Episcopos Orientis liberius perſcriptis illorum partes tueri ſtudet.* Theodoretus disciplinae Eccleſiaſticae apprime gnarus Hiſt. Eccleſ. Lib. 2. Cap. 4. Iulii hoc factum non modo non reprehendit, ſed allegata

Canonis

Canonis auctoritate tuetur: *Iulium Epiſ-ſcopum* ita inquit, *qui tum Romanam rexit Eccleſiam, Euſebiani de criminibus, quae falso contra Athanasium confinxerant, per Litteras certiorem fecerant; ille Eccleſiae Canonem ſecutus, et eos iuſsit Romam venire, et Diuinum Athanasium, quo pro ſe in Iudicio responderet, vocauit.* De eodem facto diſſerens Sozomenus Hiſt. Eccleſ. Libr. 3. Cap. 7. ait: *quum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Ecclesiam reſtituit, ſcripſitque ad Episcopos Orientis, eosque incuſauit, quod ſe inconſulto de his Viris iudicaſſent, Eccleſiasque perturbaſſent, quum Decretis Concilii Nicaeni ſtare nollent.* Nil ſane ad dignitatem primae Cathedrae ſplendidius excogitari poteſt, ac ſit cauſarum retractatio. *Haec inter cetera* (ita ſcribit S. Bernardus ad Summum Pontificem epiſt: 198.) *veſtri ſingularis Primatus inſignia, ſpecialius, illuſtriusque nobilitat veſtrum, et inclytum reddit Apoſtolatum, ſi eripitis pauperem de manu fortiorum ejus. Nulla meo iudicio in Corona veſtra praetioſior gemma Zelo illo veſtro, quo aemulari conſueuiſtis oppreſſos, nec relinquitis virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum.*

VII. Iam de auctoritate Concilii, et Decretorum videndum. Chriſtianus Lupus in Canones Concilii commentans indubitanter aſſerit p. 329. Tom. I. *certum eſt fuiſſe Oecumenicum, vt liquet ex S. Athanaſio.* Hoc ipſum patet ex actione tertia Concilii Chalcedonenſis, cui inſerta eſt relatio Concilii ad Marcianum Imperatorem, vbi Patres poſtquam ſententiam in Dioſcorum latam recenſuiſſent, cauſamque reddidiſſent damnationis, auctoritatem Concilii Sardicenſis adferunt inquientes: *adhuc et quosdam a diuerſis Conciliis rite damnatos in communionem propria authoritate ſuscepit: Sanctis regulis praecipientibus, excommunicatos ab aliis, in communionem alios non debere ſuscipere.* Haec autem Sancta Regula Canone 13. alias 16. huius noſtri Concilii ſancita eſt. Nicolaus Papa Epiſt. 6. ad Photium paria loquitur: *quod dicitis neque Sardicense Concilium, neque Decreta alia vos habere Sanctorum Pontificum, non facile nobis facultas credendi tribuitur, maxime quum Sardicenſe Concilium, quod penes vos in veſtris Regionibus actum eſt, et omnis Eccleſia recipit, qua ratione conuenerit, vt haec S. Conſtantinopolitana Eccleſia abiiceret, et vt dignum eſt, non retineret.* Diſficultatem, quae opponi poſſet de numero Conciliorum Oecumenicorum, verbo diſſoluit laudatus Chriſtianus Lupus loco citato, *quia tamen*, inquit, *eadem cum Nicaena cenſetur, non auget numerum Oecumenicarum, et ſane paſsim promiscue vſurpatur.* Grande ſane argumentum ex numero petitum! quum minor debeat eſſe ratio numeri, atque veritatis.

Fuit Oecumenicum Concilium.

Altera Synodus Sardicenſis Orientalium Episcoporum.

VIII. Refert quidem S. Hilarius in Fragmentis aliam Orientalium Episcoporum *Homousion* condemnantium Synodum apud Sardicam, aut Sardicenſium Ciuitatem celebratam, et illorum Decretum recitat, quod miſerunt ad Africam, vt ipſos in partem erroris vocarent; ſed Decretum impietate in Dominum Ieſum plenum, et a Regula Eccleſiaſtica magnopere diſſidens Synodalibus actis a me editis inſerere nolui, quum aeternis tenebris dignum ſit. Si Socrati fidem habemus, Concilium iſtud non in Sardicenſi Ciuitate, ſed Philippopoli in Thracia actum eſt. Poſtquam enim Lib. 2. Cap. 16. de fuga Arianorum Episcoporum diſſeruiſſet, ſubiungit: *Episcopi Orientales confeſtim discedunt; quumque ventum esſet ad vrbem Philippi, quae eſt in Thracia, priuatum inter ipſos Concilium conſtituerunt, de cetero aperte verbum* Conſubſtantiale *anathemate damnare, opinionem, quod Filius Patri disſimilis eſſet, per Literas ſcriptas vbique diſſeminare coeperunt.* Et ſane ſi praeceps horum Episcoporum fuga attendatur, ve-

Cur altera Synodus [illegible] terminata?

Digitized by Google

rum eſſe videtur, quod Socrates memoriae prodidit, licet ipſi dicant ſe id ex Concilio in Ciuitate Sardica congregato ſcribere, quod ideo feciſſe poterant, vt Decretum orthodoxae Synodi obſcurarent.

Semina Schiſmatis Orientalis.

IX. Concilium hoc triſtiſſima eſt Epocha Schiſmatis, quod Eccleſiam Orientalem ab Occidentali diu ſeiunxit. In hoc Concilio ſemina Schiſmatis Photiani poſita ſunt; appellationes enim ad Sedem primam ſublatas voluerunt erroris Ariani furore perciti Epiſcopi, quin eo inſaniae prolapſi ſunt, vt Iulium Summum Pontificem Sede ſua, et Dignitate excidiſſe impudentiſſime decernerent dicentes: *Iulium Vrbis Romae, Oſium, et Protogenem, et Gaudentium, et Maximum a Treuiris damnauit omne Concilium ſecundum antiquiſsimam Legem*,, in his profecto impletum videmus illud Dauidis: *Sagittae paruulorum factae ſunt plagae eorum*, tam exiguum enim vulnus firmiſſimae illi Petrae inflixerunt, quale ſagitta imbecilli manu paruulorum emiſſa edere poteſt. Sed quid mirum, ſi Vicarium JESV Chriſti Sede ſua deiicere parant, qui Pontificem noſtrum iam in coelos aſſumptum, et ad dextram Patris ſedentem coelo depellere, et Diuinitate exuere ſatagebant? in hos quadrat illud, quod Synodus Chalcedonenſis in relatione ad Marcianum Imperatorem de Dioſcoro ſimilia tentante ſcribit: *„Super alias ſuas malitias, etiam aduerſum ipſam Sedem Apoſtolicam latrauit, et excommunicationis Literas aduerſus ſanctiſsimum, et Beatiſsimum Papam Leonem facere conatus eſt.*„

An Canones Nicoeni obſint Primatui Romano?

X. Sed videamus antiquiſsimam legem, ad quam prouocant Schiſmatis Photiani anteſignani: reſpexerunt nimirum ad Canonem 5*tum* Concilii Nicaeni praecipientem, vt hi, qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur. Exiſtimabant etiam Canone 6*to* eiusdem Concilii euerſum eſſe Summi Pontificis Primatum. Sed indignatione pleni verum perſpicere non poterant; tantum enim abeſt: vt primam Sedem Concilium Nicaenum gradu ſuo deiecerit, vt potius inde manifeſtum pro eius auctoritate deducatur argumentum. Canon enim *Sextus* Alexandrinae, et Antiochenae Sedis dignitatem deſignat. Romanae nullum tribuitur Priuilegium, vtpote quum haberet dignitatem coeleſti praeiudicatam ſententia. Si Canonis verba ſecundum verſionem Dionyſii Exigui, ſiue ſecundum Gelaſii volumen actorum reſpiciantur, ideo tribuit Sedi Alexandrinae, et Antiochenae dignitatem, *„quoniam Romano Epiſcopo haec eſt conſuetudo.* Vrbis ergo Romae Epiſcopi attendebatur ſententia. Beati Petri in vtriusque Sedis Dignitate honoratur memoria; quis dubitabit primas tenere Romanam, quum et ipſe Romam praetulerit Antiochiae? Alexandria autem Diſcipulo Petri ſuam debet dignitatem; ſi tantum dignitatis et ſplendoris tribuit praedicatio Diſcipuli, an non ampliorem tribuet auctoritas Magiſtri? Neque negligendum eſt Canonis exordium: *„quod Romana Eccleſia ſemper habuit primatum.*

Petitur argumentum ex ipſo Concilio.

XI. Audiamus ipſum Concilium Nicaenum, in cuius praefatione haec habentur: *„Sciendum ſane eſt omnibus Catholicis, quoniam Sancta Eccleſia Romana nullis Synodicis praelata ſit Decretis, ſed Euangelica voce Domini, et Saluatoris noſtri JESU Chriſti Primatum obtinuit, vbi dixit Beato Apoſtolo Petro:* Tu es Petrus *ect. Prima ergo Sedes eſt Coeleſti beneficio Romana, quam Beatiſsimi Apoſtoli Petrus, et Paulus ſuo ſanguine dedicarunt.* „ Hinc vtique eſt, quod Synodus Chalcedonenſis pariter coeleſti oraculo ſtabilitam Romanae Sedis dignitatem agnoscat in relatione ad Leonem Papam: *„Romano Epiſcopo Vineae cuſtodia a Saluatore commiſſa eſt.*„ Sed redeamus ad Nicaenam Synodum: Eadem profitetur Synodum auctoritate Sedis huius peractam fuiſſe. Confirmationem quoque Canonum

in

inde ſe ſe accepiſſe cognoscit „*propter inſurgentes haereſes* inquit, *exposita eſt Fides Catholica apud Nicaeam Bithyniae, quam Sancta, et reuerentiſsima Romana complectitur, et veneratur Ecclesia, quippe quam trecenti decem et octo Patres mediantibus Victore, atque Vincentio Religiosiſsimis Romanae Sedis Presbyteris inſpirante DEO, pro deſtruendo Arii veneno protulerunt. Nam et nonnullae Regulae ſubnexae ſunt, quae memorata ſuscipiens confirmauit Ecclesia.*„

Occurritur obiectioni.

XII. Nolim mihi hic intempeſtiuus Criticus litem moueat, quod Canonem Nicaenum VI. pro Primatu Romanae Sedis attulerim, neque mihi oggerat verba illa: *quod Romana Ecclesia ſemper habuit Primatum* In Codice Ecclesiae Conſtantinopolitanae in Concilii Chalcedonensis actione 16 prolato non fuiſſe reperta, neque mihi in memoriam reuocet illo Canonis exordio caruiſſe Antiochenae, et Alexandrinae Ecclesiae codices deſcriptos ad Africanos de Appellationibus cum Romana Sede contendentes miſſos. *Autumant quidam* ait Chriſtianus Lupus in Canonem hunc: „*exordium iſtud fuiſſe primitus, quasi titulum Canoni praefixum, tandemque nescio, qua via irrepsiſſe in corpus, quid quid sit omisit ipſum Dionysius Exiguus Romanus Canonum Collector, et interpres, eumque iam pridem Romana Ecclesia recepit.*„ Omnis haec autumatio friuola omnino videtur, ſiue enim fuerit primum, quaſi Titulus Canonis praefixus, ſiue pars Canonis, ſiue ex titulo in textum translatus, ſufficit verba illa et Nicaeni Concilii eſſe, et in actis eius et reperta fuiſſe, ac etiamnum reperiri: Quod autem Dionysium Exiguum Romana Ecclesia ſusceperit, nil officit; de Coeleſti enim dignitatis ſuae ſententia ſecura nec titulo, nec textu Canonis indigebat, parum ergo de eo ſollicita eſt. Et ſane nihil obſuit Sedi Apoſtolicae verba illa in Codice Ecclesiae Conſtantinopolitanae non fuiſſe reperta. Poſtquam enim ex Codice illo Canon recitatus fuiſſet actione laudata „*Glorioſiſsimi Iudices dixerunt: ex his, quae geſta ſunt, et ab uno quoque deposita, perpendimus omnem quidem Primatum, et honorem praecipuum ſecundum Canones antiquae Romae Dei amantiſsimo Archi-Epiſcopo conſeruari etc. Reuerentiſsimi Episcopi clamauerunt: haec iusta Sententia, haec omnes dicimus, haec omnibus placent.*„ In Epiſtola autem Synodica ad S. Leonem data dicunt Patres: „*Poſt veſtram Sanctitatem, et Apoſtolicam Sedem honorem habere Conſtantinopolitanam, quae ſecunda ordinata eſt, confidentes, quia lucente apud vos Apoſtolico radio, et vſque ad Conſtantinopolitanam Ecclesiam conſuete gubernando illum ſpargentes, hunc ſaepius expanditis, eo quod absque inuidia conſueueritis veſtrorum bonorum participatione ditare domeſticos.*„

XIII. Sed ſi autumare licet, autumabo et ego, et coniecturam, nec paradoxam, nec improbabilem depromam; ſuspicor nimirum Codicem illum Conſtantinopolitanum fuiſſe adulteratum. Sed calumniari me aſſeris? Saepius Graeci de adulterationis vitio et accuſati, et conuicti ſunt. Sed nunc hoc non aſſero, verum ſuspicor ab Euſebianis fuiſſe ſublata illa verba Canonis. Sozomenus Hiſt. Eccleſ. Lib. 2. Cap. 20. hoc me docuit inquiens: *Denique fertur Euſebium Episcopum Nicomediae, et Theognidem Nicaeae quum falſa perſuasione eum, cui Imperator Libellum de actis Concilii Nicaeni cuſtodiendum commiserat, circumuenisſet, ſuas in eo ſubſcriptiones deleuiſſe, iamque conatos palam docere: non exiſtimandum Filium Patri conſubſtantialem eſſe.*„ Habemus ergo, quod Euſebius primus, et ſchismatis, et adulterationis codicum tribuerit exemplum Graecis. An non pronum eſt ſuspicari, quod is, qui ſubſcriptiones delere auſus eſt, de quo tamen conuinci facile poterat, etiam titulum Canonis ſuſtulerit, idem enim et conſubſtantialitatem Verbi, et praerogatiuam Petri oppugnabat. Quid quid ſit, tenemus codicem Conſtantinopolitanum fuiſſe adulteratum; conſtat enim Euſebii ſubſcriptionem eraſam, quam ergo fidem merebitur? Ceterum et oscitantia Librarii poterat eſſe omiſſus titulus

Codex Conſtantinopolitanus fuit corruptus.

ille:

ille: quod autem Africanorum cum Romano Pontifice de appellatione diſceptantium codices verba illa non habuerint, prorſus nihil probat.

II.

De Poenitentia Urſacii et Valentis.

Recenſetur poenitentia Urſacii et Valentis.

I. Dum Poenitentiam Urſacii, et Valentis Episcoporum hic adferimus, de reſipiſcentia, ſeu retractatione illorum diſſerimus. Sententia enim Concilii Sardicenſis compulſi libellum Iulio Papae obtulerunt, quo anathema Arii haereſi, eiusque ſectatoribus dixerunt, et falſa ſemet aduerſus Sanctum Athanaſium inſinuaſſe profitentur, ac vna ſemet iudicio Sedis Apoſtolicae, ſi a quocunque demum in cauſam vocarentur, ſubmittunt, vt neque alteri iudicio inconſulta Sede Apoſtolica adeſſe velint. Mox Aquileia litteras ad eundem Athanaſium dederunt, quibus non ſolum profitentur ſe illi communicare, ſed in ſignum etiam dilectionis, mutuas expoſcunt litteras. Vtrumque Poenitentiae monumentum ex Sancti Hilarii fragmentis exhibemus, quas laudatus Sanctus Athanaſius ſuae etiam intexuit Apologiae.

Teſtimonium, et iudicium de hac poenitentia.

II. De hac Poenitentia ſcribit Sulpitius Seuerus: „ad Athanaſii abſolutionem etiam illud acceſſit, quod Urſacius, et Valens Principes Arianorum, quum poſt Synodum Sardicensem viderentur a communione ſecreti, coram poſiti a Iulio Romanae Vrbis Episcopo veniam popoſcerunt, quod innoxium condemnaſſent, meritoque eum ſententia Concilii Sardicenſis abſolutum profeſſi ſunt. „Fictam hanc (vt Chriſt. Lupus recte animaduertit) poenitentiam extorſit metus Conſtantis Auguſti, ad quem Illyricum, in quo illi Episcopi, pertinebat.

III.

Sirmienſis Synodus.

De Synodo Sirmienſi praetermiſſa.

I. Hunc locum in noſtra Synodorum editione merito ſuae antiquitatis ſibi vendicaret Synodus Sirmienſis praeſentibus, vti ipſa Synodus habet, Sanctiſſimis Fratribus, et Coepiscopis noſtris Valente, Urſacio, et Germinio celebrata, niſi ea blasphemiis in DEVM, ac Dominum Saluatorem noſtrum IESVM Chriſtum ſcateret: Atque ideo Iure optimo S. Hilarius in Libro de Conciliis aduerſus Arianos, infidelis Fidei impietatem, et ſcriptam apud Sirmium blaſphemiam, ac Synodi exemplar appellauit blasphemiae exemplum, et recte quidem: non ſolum enim Filium minorem eſſe Patre diſertis adſtruunt verbis, ſed laqueos etiam incautae nonnullorum Fidei ſtruunt, quos ſtrenue detegit S. Hilarius loco citato p. 312. „*Meminiſtis namque in ea ſcripta proxime apud Sirmium blaſphemia id tentatum, ac laboratum fuiſſe, vt dum Pater vnus, et ſolus omnium DEVS praedicatur; Deus eſſe Filius negaretur, et dum de* Homouſio, *et* Homoiuſio *taceri decernitur. Id decretum eſſe, vt aut ex nihilo, aut creatura, aut ex alia eſſentia, vt conſequentia creaturarum, et non ex DEO Patre DEVS Filius natus confirmaretur. Tum porro in eo, quod honore, charitate, dignitate, maieſtate Pater maior diceretur, id eſſe quaeſitum, vt Filius his omnibus, quibus Pater maior eſt, indigeret; Poſtremo dum ignorabilis eius natiuitas aſſeritur, per hoc ignorantiae decretum neſcire, quod ex DEO ſit, iubemur perinde, quaſi iuberi, decernique poſsit, vt quis aut quod ignoraturus ſit, ſciat, aut quod ſcierit, ignoret.*„ Gratia ſunt, quae laudatus Sanctus Doctor exemplum Synodi editurus ſubiicit, inquiens: „*ipſam autem*

inſpi-

impiiſsimae blaſphemiae peſtem inuitus licet ſubdidi., hac Sententia territus ego quoque ab editione illius abſtinui.

De formula fidei a Marco Arethuſio conſcripta.

II. Aliam quoque Sirmii ſiue Synodum habitam, ſiue Formulam Fidei elucubratam fuiſſe diſcimus ex Epiſtola Germinii, qui depoſito Photino in Cathedra Sirmienſi ſucceſſerat, ad Epiſcopos Singiduni congregatos, eorumque Synodicam Epiſtolam reſcribentis a Sancto Hilario in fragmentis edita pag. 424. Hanc attexendam duximus, ne omnia praeteriiſſe videamur; verum Regulam illam Fidei nequaquam in Concilio aliquo, ſed fere tumultuario opere, *non habita*, vt inquit Nicolaus Faber in praefatione Fragmentis S. Hilarii praemiſſa, „*disquiſitione in celebri Epiſcoporum Concilio, ſed in fortuito paucorum congreſſu coram Imperatore diſputatione orta, non in aliqua Baſilica, aut publico loco, in quo ſolerent Synodi haberi, ſed in priuato Imperatoris cubiculo; non Sergio, et Nigriano, vel Conſtantio IX. et Iuliano II. Conſulibus, quo tempore Synodus Sirmienſis habita dicitur; Sed XI. Calendas Iun. Euſebio, et Hypatio Coſs. cuſam, et editam fuiſſe.* ait enim Germinius teſtis vtique locupletiſsimus: „*Miror Valentem aut oblitum eſſe, aut certe ſubdole diſsimulare, quid in praeteritum geſtum, definitumque ſit. Nam ſub bonae memoriae Conſtantio Imperatore, quando inter quosdam coeperat eſſe de Fide diſſenſio, in conſpectu eiusdem Imperatoris, praeſentibus Georgio Epiſcopo Alexandrinorum, Eccleſiae Peluſinorum Baſilio nunc Epiſcopo, tunc Anquiritano, praeſente etiam ipſo Valente, et Urſacio, et in ea praeſtate poſt habitam vsque in noctem de Fide diſputationem, et ad certam regulam perductam, Marcum ab omnibus electum Fidem dictaſſe, in qua Fide conſcriptum eſt: Filium ſimilem Patri per omnia, vt ſanctae dicunt, et docent Scripturae, cuius integrae profeſsioni conſenſimus omnes, et manu noſtra ſubſcripſimus.*

III. Porro Synodum Sirmienſem contra Photinum A: C: 349. et a S. Hilario de Synodis aduerſus Arianos allatam, et mire commendatam edendam cenſui, tanti nimirum S. Patris auctoritate commotus, qui eam non commendat modo, ſed etiam interpretandam ſuſcepit, et quidem de Synodo hac praemittit: „*Eam nunc Fidem retractemus, quae non olim tunc, quum Photinus Epiſcopatu deiectus eſt, conſcripta eſt. Neceſſitas, et tempus admonuit eos, qui tunc conuenerant, per multiplices quaeſtiones latius, ac diffuſius expoſitionem Fidei ordinare, quia multis, et occultis cuniculis in Catholicam Domum ea, quae per Photinum reuocabatur, Haereſis videlicet Pauli Samoſateni tentaret irrepere, vt per ſingula genera intemeratae, et illaeſae Fidei, vnicuique haec ticie, ac furtiuae fraudulentiae contraïretur, eſſentque totidem Fidei abſolutiones, quotidem eſſent quaeſitae perfidiae occaſiones.*„ Hinc vtique accidit, quod Sanctus Doctor noſter ad ſingulos anathematiſmos explicationem adiiciens, etiam commendationem adiungat, et quidem ad primum: „*quis hic ambiguitatis locus? aut quid ex ſincerae Fidei conſcientia reliquum eſt?*„ Ad ſecundum: *verum nobis abſolutam intelligentiam ipſa illa nominis religioſa profeſsio tribuit.*„ Ad Sextum, et Septimum „*totum hoc Catholica Fides damnat.*„ Totum nimirum illud, quod Formula condemnat.

Sententia S. Hilarii.

IV. Synodus haec non paucis Theologis non probatur, multis ſuſpecta eſt. Iacobus Sirmondus S. J. in Diatriba Sirmitana prima de Anno Synodi Sirmienſis ait: „*Formulam, quae aduerſus Photinum promulgata eſt, et Orthodoxam, vel ab Orthodoxis non abhorrentem interpretatur, et commendat Hilarius.*„ Diſplicet illa etiam Claudio Fleurio ad A: C: 351. et ideo dicit Eccleſiis non fuiſſe probatam, ſubdit tamen ſuſpectam fuiſſe propter Semi-Arianos, qui interfuerunt, quos mox recenſebimus; illud ergo in ſenſu horum Theologorum dici poteſt, quod Petauius de Ancyrana Synodo ſcribit, *eam ferme Catholicam fuiſſe.*

Sententia Theologorum.

Emendatur Petauius.

V. Et ſane non potuit effugere ſuſpicionem haereſeos apud illos, quibus perſuaſum erat ex hominibus Arianis, aut Semi- Arianis conflatum fuiſſe hoc Concilium. Petauius in Appendice de Anno Synodi recenſet Episcopos, quaſi ipſe quoque vna cum illis Theologus interfuiſſet, hoc modo: „*affuere Synodo,* inquit, *inprimis Orientales Episcopi, Marcus Arethusius, Georgius Alexandriae, Baſilius Ancyrae Episcopi, Pancratius Pelusii, Hypantianus Heracleae. Ex Occidentalibus vero eadem infectis labe Valens Murſorum Episcopus, nec non et Osius Cordubensis.*„ A talibus profecto hominibus non multum ſibi poterat polliceri orthodoxa Fides. At errat Petauius, errantque omnes, quotquot exiſtimant Synodo huic Arianos affediſſe, Catholici omnes erant Patres. Duas enim Synodos Sirmii habitas diſtinguere oportet, vtraque damnauit Photinum, ſed vna Catholicorum Synodus, altera haereticorum erat conciliabulum, ſi tamen vel hoc nomen meretur.

Synodus haec fuit celebrata a Catholicis.

VI. Aſſertum hoc noſtrum probant Sirmondus, et Natalis Alexander inuictis argumentis, et quidem poſterior argumentis in Syllogismos contractis ad regulas Dialecticae aſſertum ſuum euincit, ex quibus tria efficaciſſima argumenta pro Orthodoxia noſtrae Synodi mutuari placet, et quidem primo: Teſte S. Hilario Synodi huius noſtrae ſententia Photinus Episcopatu deiectus fuit, expelli autem non potuit, quum tamen Sozomenus Hiſt. Eccl. Lib. 4. alterius quoque Synodi meminerit, cuius Decreto in exilium actus eſt Photinus, *vt primum igitur Sirmii coacti ſunt,* inquit, *primum Photinum abdicarunt, vtpote opinioni Sabellii, et Pauli Samosateni fauentem - - - Photinus autem condemnatus exilio, nec sic quidem ſuam defendere opinionem ſubſtitit.* „S. Hilarius autem in fragmentis ait: „ *inter haec Sirmium conuenitur, Photinus haereticus comprehenſus, olim reus pronunciatus, et a communione iam pridem veritatis abſciſſus, nec tunc quidem propter factionem potuit dimoueri.*„ Duas ergo oportuit fuiſſe Synodos. Secundo: Synodo huic meri interfuere Occidentales, perhibente id rurſus S. Hilario loco citato, „ *de Photino autem sicut mos poscebat, ad Orientales Epiſtolae ſunt, non iniuria extorquendi, vt nunc agitur, aſſenſum, ſed inſtruendae vniuerſorum ſcientiae conſuetudine*„ alteri Synodo Sirmiensi ab Orientalibus celebratae Baſilium Ancyranum non tam interfuiſſe, quam praefuiſſe ſcimus, et Orientales damnationi Photini etiam damnationem Marcelli iunxiſſe perhibet S. Hilarius denuo laudatus: „*Orientales homines mente callidos, ingenio ſubtiles, malitia pertinaces occasionem reuoluendi eius, quod Athanasii abſolutione eſt diſſolutum, quaesiuiſſe iudicii, et reſcribentes de Photino Marcelli mentionem velut Inſtitutionum talium Magiſtri addidiſſe etc.*„ Occidentales autem Catholicos fuiſſe, reconciliatio Valentis, et Urſacii cum S. Athanaſio, ad hoc concilium a S. Hilario relata perſuadet.

Orthodoxia Synodi vindicatur.

VII. Annus ipſe celebratae Synodi conficit duas contra Photinum actas fuiſſe Synodos, vnam a Catholicis A: C: 349. alteram ab Arianis A: C: 351. et quidem noſtram Synodum ad annum CCCXCIX. referendam eſſe ſuadet S. Hilarius in fragmentis inquiens: „*ad tollendum ex Episcopatu Photinum, qui ante biennium iam in Mediolanensi Synodo erat haereticus damnatus, ex pluribus Prouinciis congregantur Sacerdotes*„ quo anno Synodus Mediolanenſis celebrata ſit, conficitur teſte Sirmondo ex Epiſtola Liberii Pontificis, ipſe enim ad Conſtantium ſcribens ait: *Octo annis, antequam ad Conſtantium ſcriberet, eam habitam fuiſſe.*„ Porro ſcripſit ad Conſtantium Liberius antequam in exilium mitteretur, adeoque anno Chriſti CCCLV. quare octauus annus ante hunc erit Annus Ærae vulgaris CCCXLVII. Si itaque biennio poſt Sirmienſis habita eſt, dubitari non poteſt illi annum 349. aſſignandum eſſe; de alterius anno non eſt magnopere laborandum. Siquidem teſte Socrate Lib. 2.

Cap.

Digitized by Google

Cap. 29. et Sozomeno Lib. 4. Cap. 6. „*poſt Conſulatum Sergii, et Nigriani, quo anno propter belli tumultus, et ſeditiones nullus Conſul vel ex Oriente, vel ex Occidente deſignatus eſt* „ qui annus vtique incidit in annum Chriſti 351. Edimus ergo Synodum Sirmienſem Catholicam, Triumphum nimirum Fidei orthodoxae.

Hiſtoria Synodi texitur.

VIII. Operae autem pretium eſt totam hiſtoriam Photini, depoſitionisque ſuae, ac Synodi noſtrae ex fragmentis Hilarii cognoſcere. „*Supereſt, vt quid de Marcello, et Photino geſtum ſit, paucisſimis dicam: Photinus Sirmienſis Epiſcopus ſuit a Marcello imbutus. Nam et Diaconus aliquando ſub eo fuit. Hic corruptis innocentiae moribus, ac diſciplinis turbare Euangelicam veritatem perſiſtebat nouis praedicatibus. Et hoc ita ſaepe eſt, vt quum incremento vitiorum, detrimenta in amore DEI fecerunt, veſanum deprauatae ſcientiae ſtudium increſcat. Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium iam in Mediolanenſi Synodo erat haereticus damnatus, ex plurimis Prouinciis congregantur Sacerdotes, hoc magis ſoliciti, atque anxii turbari rurſum miſcerique omnia, quod iam pridem plures Epiſcopos reos, vel falſorum in Athanaſio Iudiciorum, vel communionis haereſis Arianae ab Eccleſia fuerat neceſſe reſecare. Quam opportunitatem nacti Urſacius, et Valens Romanae Plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, et in communionem per veniam admitti rogant. Iulius ex conſilio veniam, quam orabant, impertit, vt cum lucro Catholicae Eccleſiae vires quoque detraheret Arianis, quum eos, qui vnitatem ante turbauerunt, conſilii huius, et audaciae poenitentes in communionem Catholicam, per veniam reconciliatae pacis admitteret. Et quia non eſt, niſi de veritate confeſsio, niſi de vitio poenitentia, niſi de admiſſo venia; Valens, et Urſacius admittendi, vt orabant in communionem, de Athanaſii innocentia, de Iudicii falſitate, de Arianae haereſis piaculo talibus Litteris ante profitentur - - - Superioribus igitur Litteris datis venia indulgetur, orantibus reditus ad Catholicam Fidem cum communione donatur, maximé quum Sardicenſis Synodi veritatem ipſae orantium veniam Litterae continerent: verùm inter haec Sirmium conuenitur, Photinus haereticus comprehenſus, olim Reus pronunciatus, et a communione iam pridem veritatis abſciſſus, nec tum quidem per factionem Populi potuit amoueri. Sed idem Athanaſius Marcellum, qui poſt recitationem Libri, quem ſcriptum ediderat (nam hunc quoque nos habemus) ſententia Synodi Sardicenſis Epiſcopatui erat redditus, vbi quaedam alia noua miſcere ſenſit, et ambiguis praedicationibus eius, in quam Photinus erupit, doctionis viam quaerere, a ſua communione ſeparauit, anteriore tempore, quam Photinus arguitur, praeuentam Iudicio meditationem corruptae voluntatis oſtendens, et non ex Libri editione contemnans. Sed quia promptum eſt ex bono malum efficere, praebuit non illis in Marcellum, quae geſta ſunt antea, ſed his, quae in Photinum gerenda erant, auctoritatem. Illud autem eſſe cognitum cunctis oportet, nullam vnquam aduerſus Marcellum, praeter eam, quae Sardicenſibus eſt diſſoluta ſententiis, deinceps Synodum fuiſſe contractam, neque hic, vnde Photino decretum ab Occidentalibus eſt, et ad Orientales eſt relatum, aliquod in eum expreſſum fuiſſe iudicium. Sed homines mente callidos, ingenio ſubtiles, malitia pertinaces occaſionem reuoluendi eius, quod Athanaſii abſolutione eſt diſſolutum, quaeſiuiſſe iudicii, et reſcribentes de Photino Marcelli mentionem, velut Inſtitutionum talium magiſtri addidiſſe, vt mortuam de Athanaſio ipſo iam tempore quaeſtionem, et veritatis iudicio conſepultam in publicam recordationem cauſae nouitas excitaret, et ſubrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inueheret. Exſtat autem in ſuperiori Epiſtolae corpore Marcellum ab Arianis occaſione libri, quem de ſubiectione Domini Chriſti ediderat, vna cum Athanaſio ſuiſſe damnatum. Docetur etiam recitatione eiusdem libri innocentem deprehendi, falſitatem quoque Iudicii Ariani, exſtantis adhuc libri fides arguit. De Photino autem ſicut mos poſcebat, ad Orientales Epiſtolae fiunt non iniuria extorquendi, vt nunc agitur, adſenſum, ſed inſtituendae vniuerſorum ſcientiae conſuetudine. Sed cur abnegatae Marcello communionis Athanaſius reus eſſe reſcribitur? Numquid*

 propter

propter libri vitium Marcellus abſtentus eſt? Teſtes ipſi ſunt ex Inſtitutis eius Photinum peruerſitatis iſtius initia ſumpſiſſe. Nam negata ſibi ab Athanaſio communione ingreſſu ſeſe Eccleſiae Marcellus abſtinuit; ita communio cum eo in iſta Fide de ſubiectione, traditione Regni docet, negata rurſum prauitate doctrinae alterius oſtendit. At ſic vtrumque viri iſtius iudicium caret culpa, quum in data communione Synodi ſit aſſecutus aſſenſum, in abnegata vero ipſo ſe Marcello abdicante ſolo ſine vlla Synodi auctoritate.

An tertia Sirmienſis Synodus celebrata?

IX. Tertiam aliqui putant fuiſſe celebratam Sirmii Synodum, tresque procuſas Fidei formulas; duas fuiſſe probauimus. Tertiam nomine Synodi venire non poſſe oſtendimus N° 20, habemusque conſentientem Sirmondum, ac Fabrum. Caſtigandus tamen hic eſt memoratus Faber, qui in praefatione ſua Fragmentis Athanaſii praemiſſa dicentis de praetenſa Synodo Syrmienſi, *quum nonniſi tres, aut quatuor eſſent Epiſcopi, cuſae ſunt tamen Regulae Fidei* etc. ſubtexit: „*in quo quidem rem extenuat. ſeptem enim, vel octo aderant,*„ ex Germinio quidem ſupra allato, qui teſtis eſt omni exceptione maior, nunquam eruet Faber ſeptem, vel octo adfuiſſe, vix vltra quinque deprehendet eo connumerato etiam Germinio; deſinat ergo malae Fidei arguere S. Athanaſium.

De Epiſtola Synodica.

X. In ſaepe laudatis S. Hilarii Fragmentis reperimus quidem Epiſtolam Synodicam Gratiano Nobiliſſimo P. et Dagalaifo Coſſ. id eſt A: C: 356. ab Epiſcopis Singidunum Pannoniae Sedem Epiſcopalem congregatis ad Germinii illius Vrbis primitus Epiſcopum, dein ad Sirmienſem translatum ſcriptam, verum quia haec contra Fidei veritatem pugnat, ad editionem noſtram haudquaquam referendam cenſuimus, licet Epiſcopalis Sedes Pannoniae ciuitas fuerit, atque ideo etiam Germinii reſcriptum ad Rufianum Pılladium, et ceteros datum praetermiſimus, quum is in Semi-Arianorum inciderit errorem.

IV.
Synodus Illyrica, ſeu Sirmienſis.

1. Sirmienſi Synodo alteram ſubiungimus Illyricanam, ſiue Illyricam, eo, quod in Illyrico acta ſit ſic dictam; De hac ait Theodoretus Hiſt. Eccl. Lib. 4. Cap. 6. „*Valentinianus Concilium in Illyrico cogi mandat, atque res decretas, ſtabilitasque ab Epiſcopis, (qui ibi in vnum vocati Fidem Concilii Nicaeni firmauerant) ad eos, qui de Fide inter ſe contendebant, miſit, ſcripſitque ad illos quoque litteras: quarum Fratrem ſuum participem fieri voluit, eumque vti Epiſcoporum decretis adhaeresceret, cohortatus eſt.*„ Annum celebratae Synodi cum Harduino aſſignamus annum Chriſti 374. licet alii iam anno 372. actam velint, nobis placuit de annis haud multum tricari. Sirmienſem dixi Synodum exiſtimans ibi celebratam fuiſſe. Inducit me ad id Concilii Aquileienſis a: C: 381. celebrati auctoritas, cui ſe Epiſcopus Sirmienſis hoc modo ſubſcripſit: „Anemius Epiſcopus Sir„mienſis Illyrici.„ Subſcriptioni conſonant verba Anemii Palladium, et Secundinum Epiſcopos Illyricos anathemate ferientis „*Caput Illyrici nonniſi Ciuitas eſt Sirmienſis, ego igitur illius Epiſcopus Ciuitatis ſum, eum, qui non confitetur Filium DEI aeternum, et coaeternum Patri, quod eſt ſempiternum, anathema dico, ſed etiam iis, qui idem non confitentur.*„ Si Anemius ſe Illyrici Epiſcopum iure ſcripſit, ſi Sirmium caput Illyrici eſt, vtcunque dici poteſt, ibi coactam fuiſſe Synodum, tum quod iam alias ibi celebratas fuiſſe ſciamus, tum quod maior fuerit conueniendi commoditas ob ciuitatis amplitudinem: Herodianus enim, inter ciuitates iſtius Regionis omnium maximam vocat; Mar-

Sirmii fuit celebrata.

celli-

cellinus autem ciuitatum Matrem appellát, et equos publicos diſpoſitos, vtpote: quum hic Imperatores crebro conſiderent, nouimus, et teſte Imperatore Iuſtiniano „*Faſtigium erat Illyrici tam in Ciuilibus, quam in Epiſcopalibus cauſis*„ Forte reſpexit etiam Valentinianus ad Patriam ſuam, teste enim Socrate Lib. 4. Cap. 1. genere Pannonius fuit, e Ciuitate Cibale ortus. De Illyrico Occidentali hic ſermonem eſſe dubitari nequit, tum ideo, quod Libellus Synodi de Orthodoxa Fide latino idiomate conſcriptus fuerit, quod imperitia Graeci interpretis ab Harduino reprehenſa docet, illa enim verba: *qui in Fide perſtiterint ſani*, ita reddidit Graecus Interpres: „*qui in fine reſtiterint*„ tum ideo, quod Episcopi in Libello dicant ſe mittere Elpidium „*a Regio principatu Romanorum has Litteras noſtras perferentem*„ hoc eſt ab ea Regione, quae Principi Romanorum paret.

Diuinitas Spiritus Sancti vindicatur.

II. Triumphos igitur Triumphis nectimus, dum Sirmienſi priori ſubiicimus alteram: quemadmodum enim illa Verbi conſubſtantialitatem contra Arianos ſtrenue propugnauit, ita haec Spiritus Sancti quoque, et hinc totius Trinitatis conſubſtantialitatem apertiſſime aſſeruit; Accidit nempe Arianis, quod homini e praecipitio ruenti euenire ſolet, vt ſuo pondere preſſus fortiore ſemper ruat caſu; a ſoliditate inuictae Petrae recedentes per errorum praecipitium volnebantur miſeri. Macedonius olim Episcopus Conſtantinopolitanus a Celeucenſi Concilio Episcopatu abdicatus, noui iam erroris author Spiritum Sanctum non eiusdem cum Patre, et Filio honoris participem eſſe docuit, ſed Miniſtrum eum, et Famulum vocauit, eademque de illo, quae de Angelis vere dici poſſunt, diſſeruit. In hunc errorem incidere Arianis pronum erat; quomodo enim poterant Verbi, cui Diuinitatem, et Conſubſtantialitatem denegabant, Verbi inquam Spiritum conſubſtantialem Patri credere? Arianos paſſim in hunc errorem incurriſſe teſtatur Sozomenus Lib. 6. Cap. 22. „*in hac re quidem* ita ait, *et hi, qui Filium Patri diſsimilem, et illi, qui eum ſubſtantia Patri ſimilem dicebant, inter ſe conſenſerunt, nam vtrique Spiritum Sanctum adminiſtrum, et tertium a Patre tum ordine, tum honore, quin etiam diuerſum eſſe affirmabant, at qui Filium Patri conſubſtantialem putabant, hi de Spiritu Sancto idemipſum cenſebant, id eſt consubſtantialem credebant.*„ Non poſſunt hic praetermitti ea, quae laudatus Auctor de quaeſtione hac, ſeu potius errore ſubnectit dicens: „*quae controuerſia quum contendendi ſtudio, (uti credibile eſt) in dies magis, magisque cresceret, Episcopus Romanus de ea re certior factus ſcripſit ad Eccleſias Orientis Litteras, vt vna cum Sacerdotibus, et Episcopis Occidentis Trinitatem, et Conſubſtantialem eſſe, et gloria aequalem exiſtimarent. Quo facto ſinguli rebus ab Eccleſia Romana iudicatis aquieuerunt, haecque controuerſia finem habere viſa eſt.*„ Ecce minime dubium Teſtimonium, quantum valeat Sedis primae in quaeſtionibus Fidei oraculum? an non ſimile eſt hoc trito illi S. Auguſtini effato: „*Cauſa finita eſt, vtinam finiatur et error.*

Summus Pontifex diſimit fidei quaeſtionem.

Summa Synodi.

III. Suauiſſima itaque Diuinae bonitatis prouidentia factum eſt, vt quum in Pannonia noſtra Valentis, et Urſacii artibus haereſis Arii incrementum ſumpſerit, longe maiora error Orientalis apud nos detrimenta acciperet, et ſic fieret cum tentatione prouentus; non ſolum enim Fides de conſubſtantialitate Verbi apud nos caput erexit, ſed trophaea ſua etiam ad conſubſtantialitatem totius Trinitatis aſſerendam prouexit, et haec Synodi noſtrae ſumma eſt, quam Edictum Imperatorium vocat *praeclarum Concilium.* Declarat autem, quod Sancta illa Trinitas conſubſtantialis eſt, et DEVS Pater cum Filio, et Spiritu Sancto ſanctificatur, et glorificatur, et quod Pater in Filio exiſtit, et Filius in Patre, vna cum Spiritu

Sancto

Sancto in omnem aeternitatem; neque dubium eſt: hanc Fidei lucem ab Apoſtolicae Petrae radiis in Illyricum defluxiſſe; In edicto enim Imperatorum, vbi ſumma Synodi habetur, dicunt Epiſcopi Illyrici: „*Nos autem non aliter ſentimus, atque duo Concilia, quorum alterum iam Romae, alterum habetur in Gallia, nimirum vnam eandemque eſſentiam eſſe Patris, et Filii, et Spiritus Sancti in tribus Perſonis*„ Concilium Romanum vti perhibet eius Epiſtola ad Epiſcopos Illyricos data ſic ſenſit: „*Vt Pater, et Filius vnius virtutis, vniusque magnitudinis debeat credi, vniusque eſſentiae ſiue ſubſtantiae, ſimul et Spiritus Sanctus.*„ Belle itaque haec congruunt cum illis, quae Sozomenus de praeiudicata per Apoſtolicam Sedem Sententia loco in priori §pho citato ſcripſit. Illud adhuc, velim obſerues Lector, dubitari vix poſſe ex praeallatis Sirmienſem fuiſſe hanc Synodum, cui haec ipſa Epiſtola Synodi Romanae ad Epiſcopos Illyricos directa, norma fuerit, atque cynoſura. Vltra haec tres conſtituerunt Canones in Epiſtola Synodica commemoratos, vt nimirum Epiſcopi in haereſim prolapſi deponantur, vt idem de Presbyteris, et Diaconis fiat, ac denique vt in Epiſcopatum euehendi non aſſumantur ex Curia, aut Officio Militari. Neceſſum ſane erat tunc Canonem hunc condi, ſiquidem Teſte S. Athanaſio: „*Ethnici homines, Catechumeni, primariique Decurionum, et quisquis fama opulentiae notus erat, ad ſpem Epiſcopatus pro Chriſtiana Religione Arianismum profitebantur*„ et periculoſum erat homines Curiales, Militares cito ad Cathedras extolli, ne dominari potius ex veteri conſuetudine, et omnia potenter agere pergant, quum Epiſcopatus miniſterium potius, quam Principatus ſit ex Inſtitutione Chriſti; Quare etiam Concilium Sardicenſe Canone 10 Diuites, et Forenſes, niſi diu ſubacti eſſent, ab Epiſcopatibus repellebat. Synodus vero haec noſtra eximiae humilitatis ſpeciem refert toto definitionis ſuae contextu, vt adeo illud S. Gregorii Lib. 7. Cap. 33. „*Quum culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis aequales ſumus*„ in ſe adimpleuerint Patres ad Synodum confidentes; tandem ſecurim ad radicem admouentes Polychronium, Telemachum, Fauſtum, Aſclepiadem, Amantium, et Cleopatrum Epiſcopos, vti videtur, Illyrici loco mouent. Obſecuti ſunt hac ratione Synodo Romanae ad eos ſcribentis: „*Credimus autem languentes in iſto conamine non tarde a noſtra ſeparandos eſſe communione, et ab eis Epiſcopatus nomen auferri.*„ Ad noſtram doctrinam plurimum facere poteſt Edictum Imperatorum, quod Synodi Libello ſubiicimus, memorabilia enim prorſus dicunt Imperatores. „*Vos mutuo complectimini, et Imperatoria Celſitudine nolite abuti.*„ Multum enim abuſi erant Euſebiani Imperatoria celſitudine; ideo S. Hilarius non dubitauit Conſtantium appellare Satellitem Euſebianorum; Animaduerti hic volo, Euſebianos, vti fuerunt Schismatis Photiani praecurſores, ita violatae Iurisdictionis, et Libertatis Eccleſiae temeratae fuiſſe auctores; Ex hoc abuſu Imperatoriae celſitudinis proficiscuntur diuturnae, et annoſae de limitibus vtriusque poteſtatis controuerſiae.

IV. Edimus autem acta huius Synodi, non quaſi a nobis nunc primum eruta, aut in lucem prolata, ſed ea Conciliis noſtris primum inſerimus, adeoque ſuo loco reponimus. Primo itaque damus Epiſtolam Synodicam Damaſi Papae ad Epiſcopos Illyricos miſſam, haec etſi ad hanc Synodum non pertineret, locum tamen inter Concilia noſtra mereretur, quum Decreta, et Summorum Pontificum Litterae vtramque paginam apud Collectores Conciliorum impleant. Sequitur Synodi noſtrae Libellus de Orthodoxa Fide. Hunc excipit Sacrum Valentiniani, et Valentis Imperatorum Edictum, Summam Concilii referens; tanquam appendicem huius Concilii ſubiicimus ex S. Hilarii fragmentis Epiſtolam Epiſcoporum Italiae ad Epi- Recenſio actorum.

ſcopos

ſcopos Illyrici datam, qua Illyricum etiam, DEVM clementi nutu reſpexiſſe gaudent, et conſortio infidelitatis, quo grauabatur, abiecto, ea, quae ſunt rectae ſententiae probare coepiſſe gratulantur; breui verborum compendio Synodum hanc noſtram perſtringunt Epiſcopi Italiae; quare recte ſcribit Nicolaus Faber in praefatione ad Fragmenta S. Hilarii, mihi pag. 369. *„haec Epiſtola apparet ſcripta poſt Synodum Illyricam circa annum Chriſti CCCLXXV. habitam, qua Nicaena Fides in Illyrico, vnde vi deiecta fuerat, velut ex Praetorio edicto reſtituta eſt.„*

V.
De Epiſtola Synodi Romanae.

Haec Epiſtola Damasi Papae, quae Synodica eſt, Apoſtolicam illam omnium Eccleſiarum ſollicitudinem, qua Petrus iam conuerſus per ſucceſſores confirmat Fratres, teſtatam reddit, ac vna perhibet, quid formulae Ariminenſi tribuendum ſit.

VI.
De Epiſtola Siricii Papae ad Epiſcopos Illyrici.

Hanc de Bonoſo Siricii Sententiam eo libentius damus, quod Epiſcoporum Illyrici, inter quos Pannoniae etiam Epiſcopi numerabantur, de perpetua, intemerataque Beatae Virginis Mariae integritate referat doctrinam. Abhorruerunt illi vel audire, alios DEI Genitrici naſci potuiſſe filios ex complexu viri. (a) Hanc Epiſcoporum doctrinam ita commendat Papa, vt inuictis etiam ſtabiliat argumentis. Aduertas velim, Summum Pontificem de Perſona, accuſationeque Bonoſi detrectare indicium, rectae autem Fidei cauſam ex Apoſtolici muneris ſollicitudine ſuſcipere, vnde et animi moderationem, et Sacro-Sancti depoſiti curam ſuſpicias, neque id omnino praetereundum, qua ratione Bonoſus ſapientiſſimis quibusque obrepere tentauerit, qui etiam S. Ambroſium tentauit. Haec nempe eſt omnium peruerſe agentium, et ſiniſtra docentium conſuetudo noſtris etiam renouata temporibus.

VII.
De Profeſsione Fidei Catholicae S. Martini Turonenſis.

Licet aliqui in dubium reuocent, an haec Profeſſio Fidei de Trinitate, Martini gentilis noſtri foetus ſit? eam tamen libenter ſuſcipimus, quum Eccleſia quouis tempore de illo in horis Canonicis cecinerit ſolenne illud: *„Sanctae Trinitatis fidem Martinus confeſſus eſt„* et rurſus: *„in virtute Trinitatis Deificae trium mortuorum ſuſcitatorem magnificum* praedicauerit, quae alluſionem ad dictam fidei confeſſionem ab eo editam referre, et memoriam illius continere videtur. Tantoque id vero ſimilius mihi euadit, quod genuina illius acta perhibeant eum a Presbyteris Arianis, dum Patrium ſolum reuiſeret, ſtrenue vapulaſſe ob praeclaram Sanctae Trinitatis confeſsionem.

(a) *Etenim vero qui fieri potuiſſet, vt quae Deum genuerat, et ex eorum quae ſecuta ſunt experimento miraculum nouerat, viri complexum admiſiſſet? abſit haec opinio. Nequaquam caſti animi fuevit talia cogitare, nedum perpetrare.* S. Ioan. Damasc. de Fide Orthodoxa Lib. IV. Cap. XIV. (mihi) pag. 374.

VIII.
De Epiſtola Zoſimi Papae ad Heſychium.
Salonitanum.

Synopſim Epiſtolae huius dare ſuperfluum foret, quum Synopſim illius ſecundo loco dederimus, prouti illam apud Manſi reperimus, breuiorem ſummam ſi deſideres, continetur his verbis, quorum memoriam Epiſcopos decet habere continuam, tales nimirum ordinandos, vt *meritum probitatis ſtipendia ante acta teſtentur.*

IX.
De Epiſtola Coeleſtini Papae ad Epiſcopos
Illyricos.

An Theſſalonicenſium Ciuitas poſt euerſionem Sirmii caput erexerit?

I. Exemplum praeſtantiſſimorum Virorum, qui ante nos Concilia ediderunt, ſecuti, miſcemus Synodis Decretales Summorum Pontificum, quum enim Canonicas Sanctiones vulgemus, principem vtique locum inter eas vendicant ſibi Apoſtolicae Sedis praecepta: damus itaque Decretalem Epiſtolam Coeleſtini Papae ad Epiſcopos per Illyricum, quam Bonifacius II. in Concilio Romano recitari fecit, vt doceat Epiſcopum Theſſalonicenſem ex veteri more, et Sedis Apoſtolicae imperio in Illyrico primas obtinuiſſe partes; quemadmodum ergo recenſentes Synodum Illyricam Sirmienſis Cathedrae praedicauimus dignitatem in Illyrico Occidentali, ita Theſſalonicenſi Primatus Illyrici Orientalis, tribuitur hac Coeleſtini Papae Epiſtola, quam proferimus; Et ſane licet in Sirmienſi Ciuitate omne fuerit Illyrici faſtigium tam in Ciuilibus, quam et Epiſcopalibus cauſis, id duntaxat de Illyrico Occidentali intelligendum eſt, ſi ſermo ſit de Epiſcopalibus cauſis: non poſſum enim illis aſſentiri, qui euerſo Sirmio faſtigium Epiſcopalium cauſarum erexiſſe Theſſalonicenſium Ciuitatem exiſtimant, inter quos etiam numerandus Iuſtinianus Imperator, ac etiam Farlati in Illyrico Sacro Tom. V. qui poſtquam e ruderibus Sirmii Cathedram Theſſalonicenſem exſtructam dixiſſet; corrigit ſe tamen, et mitius loquens adſtruit: „*aliquot ante euerſum Sirmium annis Theſſalonicenſem Ciuitatem Primatum Illyrici Orientalis habuiſſe*„ ego autem perpetuam hanc fuiſſe Sedis Theſſalonicenſis in Illyricum Orientale Iuriſdictionem contendo. Suus adhuc honos Sirmienſi conſtabat Cathedrae, dum in Concilio Sardicenſi can. 20. Aëtius Epiſcopus dicebat: „*Non ignoratis, qualis, et quanta ſit Theſſalonicenſium Ciuitas, ſaepe ad eam veniunt ex aliis Regionibus Presbyteri, et Diaconi*„ nihil diminutionis acceperat Sirmienſis Cathedra, dum Theodoſius Baptismum exciperet a Theſſalonicenſi Epiſcopo, de quo ait Socrates Libr. 5. Cap. 6. *Quum propter morbi grauitatem baptizari properaret, et Epiſcopum Theſſalonicenſem ad id munus obeundum requireret, primum ſciſcitatur ab Epiſcopo, quam Fidem amplexaretur. Et quum Epiſcopus reſpondiſſet opinionem Arii minime per Illyricum peruaſiſſe, neque nouam illius doctrinam eius Regionis Eccleſias potuiſſe occupare, ſed omnes, qui in illis verſabantur, antiquam illam, et vetuſtam Fidem ab Apoſtolis traditam, inque Concilio Nicaeno confirmatam ſemper obſeruaſſe, Imperator ab Aſcholio, ita enim vocabatur Epiſcopus, libentiſsimo animo Baptismum recepit.*„ Vides Primatis, et Metropolitae vocem de Illyrici Fide reſpondentis: quae ipſius reſponſio Orientale ſolum Illyricum reſpiciebat, quum in Occidentali Illyrico virus Arii diffuſum eſſet; horſum referas oportet illud Gelaſii Papae ad Epiſcopos Dardaniae: „*numquid apud Rauennam, apud Mediolanum, apud Treuiros multis temporibus non conſtitit Imperator? an harum Vrbium Sacerdotes vltra menſuram ſibi antiquitus deputatam quidquam ſuis dignitatibus vſurparunt?*„ non vſurpauit profecto Sirmienſis, dum ſuam Iuriſdictionem intra fines Occidentalis Illyrici contineret. S. Leo Magnus Epiſtola 84. veterem eſſe Theſſalonicenſis Epiſcopi dicit praerogatiuam,

tinam, inquiens: „*Sicut praeceſſores mei praeceſſoribus tuis, ita etiam ego Dilectioni tuae priorum ſecutus exemplum vices mei moderaminis delegaui:*„ Illyricum Orientale fuiſſe terminos huius delegationis docet Nicolaus I. Epiſt. 2. ad Michaelem Imperatorem: „*vicem*, inquit, *quam noſtra Sedes per Episcopos veſtris in partibus conſtitutos habuit, videlicet Theſſalonicensem, qui Romanae Sedis vicem per Epyrum veterem, Epyrumque nouam, atque Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam, Daciam Ripenſem, Daciamque Mediterraneam, Myſiam, Dardaniam, et Praeualim, Beato Petro Apoſtolorum Principi contradicere nullus praeſumat*„ Iam pridem S. Innocentius Papa A: C: 418. hos terminos Theſſalonicensi ſtatuerat. *Primatui*, inquiens, *Diuinitus haec procurrens gratia ita longis interuallis diſterminatis Ecclesiis discit conſulendum, vt prudentiae, grauitatique ſuae committendam curam, cauſasque, ſi quae exoriantur per Achaiae, Theſſaliae, Epyri veteris, Epyri nouae, et Cretae, Daciae mediterraneae, Daciae Ripenſis, Moeſiae, Dardaniae, et Praeuali Ecclesias Chriſto Domino annuente cenſeam.*„ Notitia Romani Imperii easdem Prouincias Illyrico Orientali adnumerauit, „*ſub diſpoſitione virorum illuſtrium Praefectorum Praetorio per Illyricum Dioeceses infraſcriptae, Macedonia, Dacia, Prouinciae Macedoniae VI, Achaia, Macedonia, Creta, Thesſalia, Epyrus vetus, Epyrus noua, et pars Macedoniae Salutaris, Prouinciae Daciae: Dacia Mediterranea, Dacia Ripenſis, Moeſia prima, Dardania, Praeualitana, et pars Macedoniae Salutaris.*„

Ius Sedis Apoſtolicae in Illyricum.

II. Qnum itaque Hungaria, et Prouinciae illius ex Illyrico Orientali, et Occidentali decerptae ſint, et in vtrumque Illyricum Patriarcha Romanus iurisdictionem immediatam exercuerit, neſcio vnde aliquibus in mentem venerit, Patriarchae Conſtantinopolitani apud nos quaerere auctoritatem: in ſubſequis recenſionibus enarrabimus Patriarcharum Conſtantinopolitanorum molimina, nunc iurisdictionem hanc Summi Pontificis altius repetamus: In Concilio Romano Bonifacii Papae ſeſſione ſecunda ait Theodoſius Echiuienſis ciuitatis Episcopus ad Bonifacium Papam: „*Conſtat venerandos Sedis Veſtrae Pontifices, quamuis in toto mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi iure vendicet Principatum, et ſolam Eccleſiaſticis cauſis vndique appellare neceſſe ſit, ſpecialiter tamen gubernationi ſuae Illyrici Prouincias vendicaſſe*„ Originem repetit Bonifacius II. a S. Petro, dum ait ad Episcopos per Theſſaliam conſtitutos: „*Inſtitutio vniuerſalis nascentis Eccleſiae de Beati Petri ſumpſit honore principium, in quo regimen eius, et ſumma conſiſtit. Ex eius enim Eccleſiaſtica disciplina per omnes Eccleſias Religionis iam crescente cultura fons emanauit. Nicaenae Synodi non aliud praecepta teſtantibus adeo, vt non aliquid ſuper eam auſa ſit conſtituere, quum videret nihil ſupra meritum ſuum poſſe conferri, omnia denique nouerat huic ſermoni conceſſa. Hanc ergo Ecclesiis toto orbe diffuſis, velut Caput ſuorum certum eſt eſſe membrorum*„ aliquibus interiectis ſic proſequitur contra illos, qui Illyricum ab immediata Romani Pontificis auctoritate auulſum volebant: „*Leguntur etenim praecepta maiorum, et quibus in Eccleſias Iuris aliquid dederint, inuenimus. Iam temerator eſt Eccleſiae Disciplinae, quis quis in eius Leges, quum ſibi nihil debetur, inrepit, ea ſibimet vendicando, quae ſibi a Patribus negata videantur.*„ Quandonam autem Theſſalonicenſis Episcopus Illyrici primatum, et Romani Pontificis vices gerere coeperit, non eſt tam planum, vt absque haeſitatione dici valeat. Iam enim Tertullianus Libro praeſcriptionum Cap. 56. Metropoles enumerans ait: „*Proxima eſt tibi Achaia, habes Corinthum, ſi non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes.*„ Theodoretus Libro 5. Cap. 17. Primatum Theſſalonicenſis Sedis pariter deſignat: „*Theſſalonica vrbs eſt amplisſima quae tametſi ſubiecta est ditioni Macedonum, prae cunctis tamen Vrbibus Theſſaliae, Achaiae, et aliarum Gentium plurimarum, quas Praefectus Illyriae moderatur, primas obtinet.*„ An iam primis

his temporibus vices Sedis Apoſtolicae commiſſas ſibi habuerit Theſſalonicenſis Episcopus, non patet. Innocentius Papa Anyſio vices ſuas commendans ita inquit: „*Cui etiam anteriores tanti, ac tales viri praedeceſſores mei Episcopi, id eſt Sanctae memoriae Damaſus, Siricius ita detulerunt, vt omnia, quae in illis partibus gerentur, Sanctitati tuae, quae plena Iuſtitiae eſt, traderent cognoſcenda.*„ In eodem Concilio Bonifacii reperitur etiam Epiſtola Damaſi Papae ad Acholium Theſſalonicensem Episcopum, ex quo tamen non conſequitur hunc primum fuiſſe, qui partes Sedis Apoſtolicae in Illyrico exequeretur.

Ad quos ſit data?

III. Agendum iam eſſet de Episcopis, ad quos haec Coeleſtini Papae edita eſt Decretalis, verum difficile admodum eſt id vel diuinando aſſequi, quarum Sedium fuerint Antiſtites. Illyrici Episcopos fuiſſe omnes inſcriptio perhibet. Paulum fuiſſe Episcopum Scopienſem Lucas Holſteinius aſſerit, quem alibi Episcopum Dardaniae ſcribi diximus; Perigenem fuiſſe Episcopum Sardicenſem, mihi ſatis probabile eſt; Senecionem autem puto eſſe Presbyterum illum, quem Innocentius ad Ruffum Epiſcopum Theſſalonicensem cum mandatis miſit.

Summa Epiſtolae.

IV. Epiſtolae ſumma haec eſt: peculiarem Sedis Romanae de Eccleſiis Illyrici ſollicitudinem recenſet, et exemplo Felicis Dyrracheni Episcopi ab accuſatoribus ſuis poene oppreſſi, et a Sede Apoſtolica erepti comprobat; dein rationem iſtam aſſignat, cur Theſſalonicenſi Episcopo Ruffo vices ſuas commendet vtpote experto, et proximiori, ac etiam digniori, quum etiam Apoſtolus Petrus, qui maxime eſſet primus, electus a Chriſto fuerit, neque facile eſſe ait in longe diſſitis meram explorare veritatem. Cuncta itaque ab eo ſibi referri, Ordinationes Episcoporum, ideſt electiones ab eo confirmari praecipit, Synodum Episcoporum eo inſcio colligi vetat, commemorat etiam aliquas transgreſſiones Canonum inualuiſſe, quas ideo „*culpas non leues Prouinciis innatas*„ appellat, tandem in praeuaricatores huius Epiſtolae praeclarum illud eſt Coeleſtini Papae monitum: „*Dominentur nobis regulae, non nos regulis dominemur.*

X.
De Epiſtola Xyſti Papae ad Synodum Illyricam.

Occaſio Synodi.

I. Epiſtola Xyſti Papae ad Concilium Illyricum Aëtio iterum, et Sigisuulto Coſſ. id eſt, A: C: 437. data Synodi celebratae nobis perhibet teſtimonium; vnde illa eo magis locum hic habere debet, quod ad Synodum ſcripta ſit. Acta quidem eius nulla ſuperſunt, aut certe mihi ignota ſunt. Difficile eſt etiam aſſequi, cur Synodus haec coacta fuerit, niſi exiſtimemus in eo Episcopos Illyrici Canonibus frequentem Synodorum celebrationem praecipientibus fuiſſe obſecutos. Theſſalonicensem etiam Synodum A: C: 435. commemorat idem Papa in epiſtola ad Episcopos in Theſſalonicenſi Synodo congregandos edita; ſi temporum ratio ineatur, de Theodoro Mopſueſteno agebatur, aut de Ioanne Antiocheno, et Maximi Conſtantinopolitani ordinatione. Si Epiſtolae tenor audiatur, de Theſſalonicenſis, vel Conſtantinopolitani Episcopi auctoritate quaerebatur. Verum gratis diuinando tempus terimus.

Summa Epiſtolae.

II. Summa Epiſtolae Xyſtinae haec eſt: praemiſſa gratulatione quod ad Episcopos, et quidem in Synodum coactos exhortationis verba dicat, veterem diſciplinam de Primatu Theſſalonicenſi obſer-

obſeruari vrget, ipſius Iuriſdictionis limites diſtinguit, ad Concilium vocatos adeſſe iubet, res ad ipſum deferri volens, vt ſic ad Apoſtolicam referantur Sedem; Canonum obſeruantiam inculcat, et quae corporis ad caput officia ſint, commonet. Orientalis Synodi definitionem a ſe haud approbatam inuigoroſam pronunciat, tandem memorabile illud addit: „*nec credatis vobis minui, quidquid reuerentiae illius, ad quem et maiores noſtri, et Nos Illyricanas Eccleſias iuxta morem traditum volumus pertinere, a veſtra dilectione, et ſeruari volumus, et deferri.*„ Diſcimus ex hac epiſtola vetuſtum, et ex veteri traditione deſcendentem eſſe morem illum, vt Concilia Prouincialia a Summis Pontificibus approbentur, ait enim: „*Sit Concilium quoties cauſae fuerint, quoties Ille pro neceſsitatum emergente ratione decreuerit, vt merito Sedes Apoſtolica relatione eius inſtructa, quae fuerint acta confirmet.*„

Concilia Prouincialia approbat Papa.

XI.
De Epiſtolis Sancti Leonis Magni.

Quod myſterium habet Matrimonium?

I. Iterum Decretalem Epiſtolam ad Epiſcopos Metropolitanos per Illyricum conſtitutos Theodoſio XVIII. et Albino Coſs: ideſt. A: C: 444. exaratam damus, et quidem S. Leonis M. quae ſe ſe et pietate in DEVM, et ſuaui eloquentia commendat. Firmat haec quoque Papae in Illyricum Iuriſdictionem in ſuperioribus abunde demonſtratam. Proferimus autem monumentum hoc ex Concilio Romano Bonifacii II. neque neceſſum eſt nos multa hic differere, quum clara, et plana ſint omnia. Elegans certe monumentum, irregularitatem ex defectu Sacramenti egregie enucleans, quum nimirum ad Sacerdotium perueniire non poſſe aſſerit eos, qui ante Baptiſmum aliam habuere vxorem; quicunque enim corruptam, et repudiatam duxit vxorem, aut e Lege prioris Matrimonii per mortem Coniugis ſuae ſolutus aliam ſibi copulauit, hunc defectus Sacramenti ab Altaris remouet miniſterio; ad quod neminem aſpirare admittunt Sacri Canones, niſi illum et natalium, et morum non minus quam Sacramenti commendet integritas. Defectum Sacramenti dicimus more loquendo ex ipſis Canonibus deprompto. De Sacramento enim Matrimonii inquit Doctor Gentium ad Eph. 5. ✝. 32. „*Hoc Sacramentum magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, et Eccleſia.*„ vel vti Graecus textus habet *in Chriſtum, et Eccleſiam.* Magnum inquit S. Chryſoſtomus Hom. 20. in Cap. 5. ad Epheſios Tom. II. mihi pag. 89. „*magnum Sacramentum ipſe dicit, quia magnum quid, et admirabile tacite ſignificauit DEVS, interim autem dicit, in Chriſto dico, quoniam et ipſe Patre dimiſſo deſcendit, et venit ad Sponſam, et factus eſt in Spiritum vnum, qui enim adhaeret Domino eſt vnus Spiritus.*„ De hac proſequitur idem Sanctus Doctor aliquibus interpoſitis „*de hac enim dicit Pſalmographus: Audi Filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliuiſcere Populum tuum, et domum Patris tui, et concupiſcet Rex pulchritudinem tuam. Propterea Chriſtus quoque dicebat, ego exiui a Patre, et venio.*„ *Si ergo Chriſtus*, ait S. Auguſtinus Tractat. 9. in Ioannem mihi pag. 483. *adhaeſit Eccleſiae, vt eſſent duo in carne vna, quomodo reliquit Patrem? quomodo Matrem? Reliquit Patrem, quia quum in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe aequalis Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Hoc eſt enim reliquit Patrem, non quia deſeruit, et receſsit a Patre, ſed quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua aequalis eſt Patri. Quomodo reliquit Matrem? relinquendo Synagogam Iudaeorum, de qua ſecundum carnem natus eſt, et inhaerendo Eccleſiae, quam ex omnibus Gentibus congregauit.*„ Myſterium ergo Matrimonio ſignificatum eſt Incarnatio Verbi Diuini, quod humanitatem noſtram ſibi copulauit. Eccleſia ergo Gen-

tium Sponſa eſt Verbi, quam S. Ioannes Apoſtolus vxorem agni vocat, Sponſa videlicet ex latere ipſius formata. „*Dormit Adam*, inquit S. Auguſtinus loco citato, *vt fiat Eua, moritur Chriſtus, vt fiat Eccleſia. Dormienti Adae fit Eua de latere, mortuo Chriſto lancea percutitur latus, vt profluerent Sacramenta, quibus formaretur Eccleſia.*„ Alio modo etiam illa animarum iuſtarum cum DEO coniunctio nuptiae recte vocantur teſte S. Auguſtino, loco laudato inquiente: „*Nec illae, quae virginitatem vouent, quamquam ampliorem gradum honoris, et ſanctitatis in Eccleſia teneant, ſine nuptiis ſunt: nam et ipſae pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus nuptiis Sponſus eſt Chriſtus.*

Quid ſit defectus Sacramenti in Matrimonio valido?

II. *Duo ſunt* (ait Innocentius III. Cap. *Debitum* de Bigamis non ordinandis) „*in coniugio, videlicet conſenſus animorum, et commixtio corporum, quorum alterum ſignificat caritatem, quae conſiſtit in Spiritu inter DEVM, et iuſtam animam, reliquum vero deſignat conformitatem, quae conſiſtit in carne inter Chriſtum, et Eccleſiam, ad quod pertinet illud, quod Euangeliſta ait: Verbum Caro factum eſt, et habitauit in nobis.*„ Haec quum deſignet ex Inſtitutione ſua Matrimonium, quidam defectus Sacramenti oritur, dum Matrimonium id perfecte non exprimit, quod ſignificare iuſſum eſt. Quum itaque Saluator Virginem ſibi iunxerit Eccleſiam, et illi ſanctiſſimo vinculo vsque in conſummationem ſeculi inhaeſurus ſit, *vna eſt enim* ait Cant. 6. *Amica mea, vna eſt Sponſa mea*, vna eſt Genitricis ſuae Filia, de quo itidem Eccleſia pronunciat dicens Cant. 7. *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi*: merito cenſetur intercedere defectus Sacramenti, ſi quis aut viduam, aut corruptam duxit vxorem. „*Epiſcopi, Presbyteri, atque Diaconi*, ita ait S. Leo in Epiſtola noſtra, *vnius vxoris viri ſint ſecundum Beati Apoſtoli ſententiam, et hanc ſecundum legis praecepta virginem accipiant, non viduam, non repudiatam, ſicut legis ſcriptura teſtatur; Leuitici enim Cap. 21. ℣. 14. Sacerdotibus veteris Legis praecipitur: Virginem ducet vxorem, viduam autem, et repudiatam, et ſordidam, atque meretricem non accipiet*„ Et rurſum Ezechielis Cap. 44. ℣. 22. *Viduam, et repudiatam non accipient vxores, ſed virgines.*„ his ita ſe habentibus:

Baptiſmus non tollit irregularitatem ex defectu.

III. Ea ſolum poterat eſſe quaeſtio, an qui ante baptiſmum vxorem habuit, ad Sacerdotium peruenire poſſit? quaeſtionem hanc definit, et rationem reddit S. Leo inquiens: „*Quum in baptiſmate peccata deleantur, non vxorum numerus abrogetur.*„ Sciendum quippe eſt irregularitates plerumque eſſe impedimenta potius, quam poenas, quum omnes ex defectu oriantur, et hinc illae diſpenſatione, non abſolutione tolluntur; quare baptiſmus licet culpam, et paenas deleat, irregularitatem tamen auferre non valet.

Monita.

IV. Antequam Epiſtolam hanc Decretalem dimittamus, Lector nobis monendus eſt: vt ad egregia duo monita, quae in merito diſciplinae Eccleſiaſticae maximi momenti ſunt, animum ſuum aduertat; ait quippe S. Leo: „*Nec vobis aliquid Iuris credatis imminui, ſi tam praeſentibus, quam futuris rebus videatis, ne illicitis praeſumptionibus reſeretur aditus, praecaueri. Cautius enim vſurpationibus, antequam tententur, obſiſtere, quam quae vſurpata fuerint, vendicare.*„ Dein in fine Epiſtolae inquit: „*qui ergo Iure ſibi debito vti cupiunt, Apoſtolicae Sedis auctoritati conceſſa per ſuam contumaciam imminuere non nitantur.*„ Has regulas ſi menti impreſſas habuiſſent nonnulli contumacis ingenii homines, minus bellatum in Eccleſia DEI fuiſſet. Sed ad alia

Summa epiſtolarum.

V. Ordine quintam hactenus recenſuimus; nunc de aliis pariter aliquid dicendum. Prima itaque de irregularitate ex defectu Sacramenti diſſerit, atque illicitis ordinationibus.

Ordine

Ordine ſecunda illa videtur eſſe, cuius meminit in prima, et pene id ipſum continet.

Ordine tertia opportuna ſane Epiſcoporum inſtructio de exercenda diſtrictione iudicii ſine praeiudicio charitatis.

Ordine quarta initia Eutychetis, quem imperitiſſimum ſenem vocat, perhibet.

Quinta Epiſcopos Illyrici in recta de Fide Incarnationis Dominicae confirmat ſententia.

XII.
De Epiſtola Epiſcoporum Dardaniae ad Leonem Imperatorem.

Occaſio, et Summa Synodi.

I. Epiſtolam Epiſcoporum Dardaniae ad Leonem Imperatorem datam ſubiungimus, memores Dardaniam vtpote Partem Moeſiae primae, non abſimiliter hodiernae Hungariae quoque partem conſtituiſſe. (a) Litteras has Synodicas fuiſſe mox videbimus, occaſio tamen antea recenſenda eſt. Marciano Imperatore ſanctae memoriae, vti S. Leo Papa ait, vel vti Euagrius Scholaſticus Lib. 2. Cap. 8. loquitur: „*Exemplo imperandi vere Regio omnibus ad intuendum relicto ad praeſtabilius Domicilium demigrante;* Imperatore itaque ſanctiſſimae memoriae (ita illum Epiſcopi Aegypti vocant) ad ſempiterna regna capeſſenda abeunte, A: C: 457. ſucceſſit Leo Thrax; Eutychiani vero a Concilio Chalcedonenſi damnati, a Marciano compreſſi, ſub nouo Imperatore noua moliri coeperunt. Sperantes ſe egregium aliquid facere poſſe. Timotheus itaque *Elurus*, ſeu Cattus ſic dictus, quod in nocturnis tenebris oberraſſet, et Eutychetis errorem fraudibus, et illuſionibus ſuaderet, iam metu Marciani Imperatoris ſolutus in Concilium Chalcedonenſe palam inuehi, Monachorum, quos ante errore ſuo infecerat, manu collecta Alexandriam maximo tumultu miſcere, et Orthodoxos affligere coepit. Opportune aberat Dionyſius Praeſidiorum Praefectus. Timotheum itaque hunc Alexandriui, vt laudatus Euagrius inquit: „*ad Epiſcopatus gradum capeſſendum ſuffragiis deligunt Proterio Epiſcopo adhuc ſuperſtite, et eundem a duobus Epiſcopis depoſitis ordinari faciunt, neque his contenti, Timothei ſuaſu Proterium locum irae dantem, confugientemque ad Baptiſterium, viſceribus eius gladio transfixis conficiunt*„ et corporis reliquias, vti habet Epiſtola Epiſcoporum Aegypti ad Leonem data, vulneribus vndique plenas ſecum abducunt, trahunt per vniuerſam fere vrbem, ludibrio miſerandum in modum exponunt, attrociter vulneribus lacerant corpus illud, quod (vtpote exanime) verbera minime ſentiebat, diſcindunt membratim, et nec a viſceribus more ferarum deguſtandis ſe continent. Poſteaquam tanto ſcelere Epiſcopatum adiuiſſet Timotheus, et ſtupro contra Eccleſiam habentem ſuum proprium Sponſum admiſſo etiam parricidium adieciſſet, ac de Fide peſſime ſentiret, volebat ordinationem ſuam legitimam videri, Concilium autem Chalcedonenſe pro nihilo reputari. Imperator itaque de pace Eccleſiae Alexandrinae ſollicitus Litteras ad omnes Epiſcopos ſcripſit, vt diligenter diſquirerent inter ſe, quid de ordinatione Timothei, quid de Concilio Chalcedonenſi ſentiendum? vbique ergo celebratae Synodi, prouti enim recte aſſerit Fleuri, „*Epiſtolae in defenſionem Concilii Chalcedonenſis ſcriptae, omnes ſunt Synodicae.*„ Narratio haec et occaſionem, et ſummam Synodi plene enarrat. Fructum tam huius quam aliarum huiusmodi epiſtolarum Sy-

 nodi-

(a) Dardanie contrée de la Myſie ſuperieure on premiere appellée Dace Mediterranée vers les confins de l' Illyrie et Macedoine, on eſt a preſent la partie meridionale du Royaume de ſervie. Dictionaire univerſele des ſciences Eccleſiaſtiques par le P. Richard.

Digitized by Google

nodicarum eum tulere Epiſcopi, quem narrat Euagrius Lib. 2. Cap. 11. *„poſt iſta Timotheus Elurus addicitur exilio, iubeturque Gangraenae domicilium rerum ſuarum collocare.„*

Annus Synodi. II. De anno Synodi huius dubitare non poſſumus, quum primo anno Imperii Leonis haec acta fuerint, quare ad annum CCCCLVII. haec epiſtola referenda. De Urſilio, ſeu Urſicinio Epiſcopo Dardaniae pluribus in notis egimus, ad quas remittimus Lectorem; De actis non eſt opus nos multa dicere, quum ea ex Harduino deprompſerimus. Corrigendus tamen hic eſt Fleurius, qui Tom. *6.* Libr. 39. latinae editionis pag. 759. perſuadere nobis vult ad ſexaginta duntaxat Epiſcopos ſcripſiſſe Leonem Imperatorem, diſertis enim verbis afferit Euagrius Lib. 2. cap. 9. *„generatim ad omnes ſcripſit„* et paulo poſt *„Litterae Leonis quaquauerſum ad omnes miſſae ſunt, his verbis compoſitae.„* Ipſe codex encyclicus apud Harduinum, ex quo ſuam adnotationem hauſit Fleuri, contra eundem pugnat, dicitur enim ibidem: *„Theotimo Epiſcopo Tomitano, et ceteris Epiſcopis Metropolitanis.„*

XIII.
De Epiſtola Theotimi Epiſcopi Scythiae ad Leonem Imperatorem.

Cur horſum collocetur? I. Veniam dabit amicus Lector, quod Epiſtolam Theotimi Scytharum Epiſcopi ad Leonem Imperatorem in cauſa Concilii Chalcedonenſis, et Timothei Eluri ſcriptam Synodis noſtris attexam. Notius eſt enim, ac dici debeat, Maiores noſtros Scythas fuiſſe; indulgendum itaque mihi, ſi Chriſtianae Religionis veſtigia apud illos perſequor. Exemplum ſequor Cl. Patris Ioannis Baptiſtae Prileszky, qui in actis Sanctorum Hungariae ad diem 20. Aprilis S. Theotimi laudes ex Sozomeno recitat. Hic tamen Theotimus noſter, cuius epiſtolam damus, alter debuit fuiſſe ab illo, quum illum longe ante iam Epiſcopatum geſſiſſe credat Baronius, dubium tamen eſſe non poteſt, hunc noſtrum ſubſcripſiſſe in Concilio Epheſino damnationi Neſtorii, ſubſcribit autem ibi: *„Timotheus Epiſcopus Tomitanus* (ſeu, vti ait Harduinus) *Ciuitatis Tomorum Prouinciae Scythiae decernens ſubſcripſi.„*

II. Illud etiam certum habeo, quod Theotimus iſte ſit ille ipſe, qui teſte Socrate Lib. *6.* Cap. 11. Epiphanio reſtitit. Vbi enim Epiphanius Origenis libros condemnari voluiſſet, Theotimus Epiſcopus Scythiae ita reſpondit: *„Ego Epiphani! neque hominem iam olim mortuum contumelia afficere volo, neque facinus tam nefandum aggredi audeo, vt eos condemnem libros, quos maiores noſtri neutiquam condemnarint, praeſertim quum non malam doctrinam in illis comprehenſam intelligam. Itaque libro quodam Origenis allato, eum legit, ſcripturaeque interpretationes Fidei Eccleſiae congruentes, quae in eo continebantur, oſtendit.„* Deinde adiunxit haec verba: *qui iſta contumeliis afficiunt, illi eas res contumeliis imprudentes afficiunt, de quibus libri ipſi conſcripti ſunt. Haec quidem Timotheus vir ob pietatem, et rectam viuendi rationem multorum ſermonibus celebratus Epiphanio reſpondit.„* Celebre profecto Scytharum nomen in Eccleſia DEI; hinc ait Euſebius Pamphili in tertio libro de vita Conſtantini differens de Concilio Nicaeno *„nec ab hoc choro abfuit Scytha.„* Monaſticam etiam vitam coluiſſe Scythas diſcimus ex Epiſtola Hormisdae Papae A: C: 510. Idibus Auguſti ad Poſſeſſorem Epiſcopum data, in qua conqueritur, quanta pertulerit quorundam Scytharum, qui Monachos praeſeferebant ſpecie, non veritate, profeſſione, non opere.

Quis fuerit Theotimus?

III. Si

Corriguntur acta SS. Hungariae.

III. Si temporum ratio ineatur, ſat clarum eſt Theotimum noſtrum eſſe illum eundem, quem Sozomenus ut Apoſtolum Scytharum commendat, cum enim ex Socrate teneamus Theotimum ſtetiſſe a S. Ioanne Chryſoſtomo, et S. Epiphanio, artibus Theophili ad damnationem Origenis inducto reſtitiſſe, Sanctum autem Chryſoſtomum in Synodo ad Quercum id eſt A: C: 403. fuiſſe damnatum, proculdubio habemus etiam ipſum interfuiſſe Concilio Epheſino, quod celebratum fuit A: C: 431. Quum itaque pariter exploratum ſit Theotimum ſuffragatum fuiſſe Concilio Chalcedonenſi, nil nos moratur, quin eundem fuiſſe dicamus; illud aſſequi non valeo, quomodo P. Prileszky in actis Sanctorum Hungariae ſcripſerit Theotimum aſſediſſe Concilio Conſtantinopolitano. Si enim de Concilio Oecumenico ſermo ſit, quod A: C: 381. actum fuiſſe ſcimus, errauit procul dubio P. Prileszky, ſiquidem illi Concilio Gerontius Epiſcopus Tomenſis ſubſcripſit. Synodis, vel potius Latrociniis contra S. Ioannem Chryſoſtomum actis Theotimum, velut a S. Chryſoſtomo ſtantem haud interfuiſſe, ex ſupra dictis ſatis patet, non video ergo quale ſit illud Concilium Conſtantinopolitanum?

Elogium S. Theotimi.

IV. Licebit itaque nobis in laudes Sancti huius Apoſtoli excurrere, et ea, quae Sozomenus Lib. 7. Cap. 25. ſcripſit, horſum referre, quae ſic habent: „*Tomienſem, et reliquae Scythiae Eccleſiam gubernabat Theotimus Scytha, vir in Philoſophia enutritus, quem ob virtutem admirati Hunni Iſtri accolae Barbari Deum Romanorum appellabant. Nam ſane diuinas in eo virtutes experti fuerant. Fertur enim, quod aliquando iter per hanc Barbarorum terram facienti, eadem via obuiam facti, aut qui ad praedationem adequitabant, lamentantibus igitur eius ſociis perinde, vt qui iam iam eſſent perituri, ille deſcendens ab equo orabat, quo facto Barbari, neque ipſo, neque comitibus eius, neque equis, quibus inſidebant, conſpectis, praeterierant. Quum autem crebris incurſionibus Scythas infeſtarent Hunni, quamuis natura eſſent feri, tamen ad manſuetudinem conuertit, tum conuiuiis, tum muneribus eos liberaliter excipiens, qua quidem ex re quidam Barbarus eum ſuſpicatus eſt eſſe opulentum, dolo capere ſtatuerat, parato igitur in hoc laqueo, ad Sanctum alligato, ſicuti in hoſtes conſueuerat, illi dum colloquitur, ſublata dextera funem immiſſurus erat, tanquam eum ad ſe, et ad contribules attracturus. At vero manus in ipſo conatu eleuata in aere remanſit, nec antea Barbarus ex inuiſibilibus vinculis liberatus eſt, quam aliis pro ipſo intercedentibus Theotimus DEVM exoraſſet. Aiunt porro, quod hic in coma nutrienda perſeuerauit, et Philoſophiae ſtudium, vt coeperat, proſecutus, ac tenui victu vſus ſit, ſumendique nutrimenti non ſemper idem, ſed in fame, atque ſiti tempus determinauerit. Philoſophi enim erat, opinor, his quoque pro neceſſitate, et non pro otio locum dare.*„ Hactenus Sozomenus. Praeclaram laudem ſupra recitauimus ex Socrate; Martyrologium Romanum ad diem 20. Aprilis haec habet: „*Tomis in Scythia S. Theotimi Epiſcopi, quem ob inſignem eius Sanctitatem, atque miracula etiam infideles Barbari venerati ſunt.*„ Monendus eſt hic Lector: Sozomenum, quae de coma, et habitu Philoſophico S. Theotimi ſcripſit, fidem non mereri, vtpote quum a regula Eccleſiaſtica aliena ſint; Damaſus enim Papa Acholio Theſſalonicenſi Epiſcopo ſcribens ait: „*non legerant Apoſtolum ſcribentem:* vir autem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi, *neſciebant habitum Philoſophorum non conuenire inceſſui Chriſtiano,*„ interpoſitis aliquibus „*homini, qui in habitu idoli incedit, nunquam adſcribendum eſt nomen Chriſtiani.*„ Vtinam omnes cordi imprimerent verba S. Papae ſcribentis: „*Philoſophia ſapientiae ſecularis amica, eſt inimica Fidei, venenum quoddam ſpei, bellum grauiſſimum caritatis.*„

XIV.

XIV.
De Epiſtolis Gelaſii Papae.

Occaſo epiſtolae ſcribendae ad Dardanos.

I. Poſt modicam ad Scythas atanos meos digreſſionem rurſus ad Epiſcopos Dardaniae reuertor. Horum conſtantia in defendendo Concilio Chalcedonenſi tantiſper nutaſſe videtur ſub Gelaſio Papa, cuius Epiſtolam ad ipſos datam hoc loco retulimus. Dixi: titubaſſe, et nutaſſe tantiſper praeclaros hos Antiſtites, pro Acacio enim ſcripſerunt ad Papam, quaſi haud videretur iure damnatus, qui Eutycheti fauere non dubitabatur, hinc recte ait Gelaſius: *„palam ſe Eutychianos pronuncient, vt in eius ſacrilego ſurore conuicti veritatis molibus obruantur„* et rurſus: *„quid adhuc Acacii tantummodo nomen obtendunt, non palam ſectatores Eutychetis, qui illic receptus fuerat, profitentur.„* Acacium Eutychetis erroribus aut adhaeſiſſe, aut fauiſſe palam eſt, quum manifeſte quilibet vel profeſſione ſua, vel communione poſſit agnoſci; non ſolum enim ſpſi Petro Mongo perditi ingenii homini, qui contra fas omne Antiochenam inuaſit Cathedram, communicauit ipſe, ſed etiam quod acerbe conqueritur Gelaſius Papa, Legationem Sedis Apoſtolicae blandimentis, praemiis, periuriisque deceptam Petri communione pollutam redire fecit. Hinc Acacii inſtabile ingenium palmare redditur. Scripſerat enim ipſemet ad Simplicium Papam, Petrum noctis eſſe Filium, adhuc iacente cadauere illius inſepulto ſubripuiſſe Sedem, fugiſſe tamen, et nullatenus comparuiſſe. Huius tamen ipſius inuaſoris, qui Latronum more Eccleſiam non tam capeſſere, quam capere conabatur, cauſam coutra Catholicum Antiſtitem legitime electum ſuſcepit Acacius.

Conſtantinopolitanae Sedis faſtus deprimitur.

II. Tanta de Acacio refert Gelaſius, vt dubitari non poſſit iure damnatum, qui totius Orientis confundebat, et miſcebat Eccleſias, ipſas Apoſtolicas Cathedras ſuo ſubiugabat imperio. Sed de eo ſolum conquerebantur Dardani, quod abſque Synodo damnatus eſſet, quod vt magis neceſſarium fuiſſe oſtenderent, Regiae ciuitatis Pontificem eſſe clamabant, et hinc conſpicuam Sedis repetebant dignitatem. Vude colligere licet Epiſcopos hos Acacio fuiſſe deuotos, intentumque fuiſſe Acacium, vt Illyricum orientale ſibi ſubiiceret, verum Epiſcopi Conſtantinopolitani inualeſcentem faſtum ſtrenue compreſſit idem Gelaſius Papa in hac Epiſtola ſua, dum eidem dignitatis ſuae primordia, et alienae Iurisdictionis commendatam praerogatiuam in memoriam reuocat, inquiens: *„An Sedem Apoſtolicam congruebat parvecíae Heracli enſis Eccleſiae, ideſt Conſtantinopolitani Pontificis iudicium praeſtolari„* et inferius quomodo alienae Iurisdictionis efferatur ſplendore, exprobrat dicens: *„Ad Sedem Apoſtolicam, a qua ſibi curam illarum Regionum nouerat delegatam, referre non curauit„* et rurſus: *Si de dignitate agitur ciuitatum ſecundae Sedis, et tertiae, maior eſt dignitas Sacerdotum, quam eius ciuitatis, quae non ſolum inter Sedes non numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum Iura cenſetur.*

Monita ſalutaria.

III. Iam pro more noſtro floſculos aliquos ex Decretali hac decerpamus. Velim itaque tales, qui ius iudicandorum Conciliorum a primae Sedis Epiſcopo abſtractum aliorſum reuocant, reſpiciant ad verba illa: *„Sola Sedes Apoſtolica impiam Synodum non conſentiendo ſubmouit, ac pro veritate, vt Synodus Chalcedonenſis fieret, decreuit.„*. Illi denique, qui cum haereticis congrediuntur, et illos tanquam piſces obmuteſcere vellent, ob oculos habeant, rurſus haec: *Quum quamlibet manifeſta ſit veritas, nunquam deſit,*

quod

quod pernicioſa depromat et falſitas, tametſi ratione, vel auctoritate deficiens, ſola tamen contentione non cadens.„

Summa reliquarum epiſtolarum. IV. Quam hactenus recenſuimus Epiſtolae forma breuior habetur infra ſub N. 7. hac, vti et illa, quae eſt ordine ſexta non ſolum Epiſcopos Dardaniae aduerſus Eutychetis haereſim communit, ſed Urſicinium Epiſcopum ad eos dirigit, qui omnes in ſana de duabus in Chriſto naturis doctrina confirmet. De his Epiſtolis ad Dardanos ſcriptis litem mihi mouebunt aliqui, non dubito. Habeant, per me licet, obtentam cauſam, donec vberius otium nactus oſtendero iure ea, quae Dardanos concernunt Epiſcopos, ad hanc collectionem vocata fuiſſe. Ad Epiſcopos autem Daciae, ſiue per Illyricum conſtitutos datam Epiſtolam, quae eſt numero quinto poſita, mihi eripi non patior. Reliquis Epiſtolis, vtpote ſecundo, tertio, et quarto loco poſitis, munit noſtrates aduerſus virus Pelagianae haereſeos, quam in his terris caput erigere coepiſſe hinc conſtat.

XV.
De Reſcripto Epiſcoporum Dardaniae ad Gelaſium Papam.

Haec Epiſtola perhibet, quantum valuerit apud Dardanos Gelaſii Papae admonitio; reſcribunt enim ad ſuperiores illius litteras ſe abieciſſe Acacium, et Eutycheti anathema dicere.

XVI.
De Epiſtola Symmachi Papae ad Laureacenſem Archi-Epiſcopum.

Ius Metropoliticum Eccleſiae Laureacenſis in Pannoniam perhibet Epiſtola haec, qua Theodoro Laureacenſi Archi-Epiſcopo Pallium mittit Symmachus Papa, perhibetque viguiſſe in Pannonia Fidem Chriſti.

XVII.
De Iure Sedis Apoſtolicae in Illyricum.

Si ad Collectoris legum Eccleſiaſticarum partes pertinet Iura Metropolitica Prouinciae detegere; multo magis mearum exiſtimaui partium eſſe peculiare illud ius, quod Sedes Apoſtolica in Illyricum obtinet confirmare. Quare haec omnia ex codice Eccleſiae Theſſalonicenſis (de quo in Diſſertatione de Synodis Regiis) decerpſi, vt vſurpatio Patriarchae Conſtantinopolitani pateat, videant etiam Eccleſiae Illyrici, quantopore a maioribus ſuis deſciuerint.

XVIII.
De Conſtitutis de ſtatu Eccleſiarum Pannoniae Daciae, et Moeſiae.

Innouationem, quam Iuſtinianus ad honorandum natalem locum ſuum inuehere tentauit, hic damus; non duxi neceſſarium plura de his differere, qui volet, conſulat Farlatum.

XIX.
De Concilio Prouinciali Salonitano Primo.

I. Succedit iam Concilium Prouinciale Salonitanum Lampadio, et Oreſte Conſulibus, ideſt A: C: 530. celebratum, quam eo libentius hic damus, quo clarius teſtimonium perhibet veteris disciplinae venerabilem formam, ad noſtras etiam, quas incolimus, partes feliciter Poenitentia commendatur.

liciter eſſe diffuſam, non ergo ſolum antiquitas, ſed gentilitas etiam commendabit nobis hoc Concilio traditam Eccleſiae disciplinam, placebit deinceps nobis auſteritas Poenitentiae publicae, placebit nobis difficultas veniae, et quia antiqua est, et quia Patriae noſtrae telluris diſciplina eſt; quum magna ſit vis iuditi nobis in Patriam amoris, ſua non deſtituentur efficacia domeſticae Leges. Confundemur procul dubio, et erubeſcemus Maiores, et Gentiles noſtros ſacco, et cineri incubaſſe, corpus ſordibus obſcuraſſe, animum moeroribus deieciſſe, ieiuniis preces aluiſſe, ingeminaſſe lachrymas, et mugiſſe noctes, diesque ad Dominum DEVM ſuum, Presbyteris aduolutos, et caris DEI adgeniculatos, omnibus Fratribus legationes deprecationis ſuae iniunxiſſe; nos vero, qui tam magna deliquimus, tam exiliter deflere ac *„noſtra breui lachrymula*, vt verbis S. Ambroſii vtar, *atque ad tempus parata* (vtinam vel haec ſemper in promptu foret) *communionem, quam plurimis decet poſtulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorquere,„* In portionem, et haereditatem Domini ſegregati, an de honore, et gradu noſtro non pertimeſcemus? Videntes eam vitae integritatem in Miniſtris Eccleſiae exposci, vt a ſacro miniſterio penitus arceantur, qui ſe grauiori aliquo contaminaſſent peccato, et decerui, quod Siricius Papa Epiſt. I ad Himerium Tarraconenſem Episcopum data inquit: *„vt nulla debeant gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.*

Oſtenditur Synodum hanc ad nos pertinere.

II. Sed quomodo Synodus haec ad nos pertinet? Si omnia alia adducenda abeſſent, illud vnum ſufficere poſſet, quod Ioannes Eccleſiae Sciscianae Episcopus huic concilio adfuerit. Quis ergo negabit id ad nos pertinere? Etenim Sciſciam Plinius Lib. 3. Cap. 25. Strabo Lib. 7. in Pannonia, et Ptolomaeus in ſuperiore Pannonia locauit, de quo contra fidem Itinerarii Antonii, Velleii Paterculi Lib. 2. Cap. 13. Ammiani Marcellini, et Eginharti dubium eſſe non poteſt. De Sede hac Episcopali habet notitia Episcopatuum Auberti Miraei Lib. 5. p. 399. *„Siscia, Siſſech, Siseg, Plinio, Ptolomaeo, aliisque vrbs olim Episcopalis Pannoniae ſuperioris ad Colapis, et Saui confluentem, nunc Arx Episcopi, et Collegii Canonicorum Eccleſiae Cathedralis Zagrabienſis contra Turcarum inſultus*, ita Ferrarius; alii ſcribunt Sciſciae rudera, hodie Soſſed ab accolis nuncupari, et Sedem inde Zagrabiam eſſe translatam.„ Cellarius in notitia orbis antiqui Lib. 2. Cap. 8. Sect. 1. §. 16. pag. 445. *„nunc nomine prodente, et itinerum ratione Siſek, ſiue Siſſeg vicus vocatur, ſplendor autem, et frequentia cum Episcopali honore abiit Zagrabiam vicinam.„* Lazius traslationem hanc S. Stephano, aut Patri eius Geyzae tribuendam exiſtimat in verbis: *„Episcopalem inibi Sedem, quae multis poſtea ſeculis a Stephano, ſiue Geyza Hungariae Rege locum proximum Zagrabiam, hoc eſt: Sorogram Ptolomaei translata fuit„* et hinc in Comitiis Regni A: C: MDCCXV. celebratis illius temporis Episcopus Zagrabienſis, ob vetuſtatem Eccleſiae ſuae primam poſt Archi-Episcopos ſeſſionem ſibi deberi inani contendebat labore. Cl. Kerchelich in Hiſtoria Eccleſiae Zagrabienſis pag. 11. geminum nobis nomen reddit vrbis huius inquiens: *tam vetus Siscia, quam et Segeſtica inſula Sclauonice Szifzeg, latine Siscia.* *„Siscium*, ait idem cap. 5. pag. 18. *decem horarum ſpatio Zagrabia diſtare, et eſſe ditionem Capituli Zagrabienſis, vbi vnus ſemper ex Canonicis morari conſueuit.„* Corrigendus eſt ex hoc Concilio modo laudatus Author; qui citato loco perperam ſcribit, conſtans eſſe de hac Sede a Seculo V. apud ſcriptores ſilentium. Nescio, an luculentius aliud ſeculo adhuc VI. vigentis Sedis Episcopalis poſſit deſiderari teſtimonium, ac perhibeat Ioannes noſter Siscianus Episcopus Synodo Salonitanae nomen ſuum apponens?

III. Ac-

Continuatur hoc ipſum argumentum.

III. Accedit, quod Tycianus Arbenſis, et Conſtantinus Scardonitanus, ſiue Scardonenſis Epiſcopus aſſederat, quorum Eccleſiae quemadmodum olim ad Eccleſiam Hungaricam pertinebant, ita nunc quoque earum retinemus nomina, vſurpamus honores; quid ergo vetat etiam leges retinere, aut potius noſtras facere? imo potius aequiſſimum mores aſſumere Eccleſiarum, quarum gloriamur honoribus. Sed ad Concilium ipſum propius accedamus.

Salonae praerogatiuae.

IV. Salonae itaque id actum eſt; fuit autem haec Vrbs Dalmatiae, inſcriptionibus apud Gruterum, et nummo Claudii apud Golzium Colonia Romana a Diocletiano Imperatore, (cuius Patria erat vicus agri Salonitani) Patriae ſuae mirum in modum ſtudioſo egregie exculta adeo, vt Conſtantinus Porphyrogenitus de adminiſtratione Imperii Cap. 30. non dubitauerit ſcribere Vrbem Salonae a Diocletiano Imperatore conditam fuiſſe, quod nimirum ad reſtaurationem referendum eſt. Et certe magnopere a Romanis culta fuit. Perhibet id Hirtius de Bell. Alexand: Cap. 43. de Gabinio ſcribens: *„Salonam ſe recipiens in oppidum maritimum, quod Ciues Romani fortiſſimi, fidiſſimique incolebant„* hinc vtique factum eſt, quod Strabo Lib. 7. Dio Caſſius Lib. 55. et Zonaras virili genere dixerunt Salonem; amplitudinem, et magnificentiam vrbis deſcripſit Lucanus Lib. IV. vers. 404. *„qua maris Hadriaci longas ferit vnda Salonas;„* His itaque dotibus conſpicua longo praefidebat terrarum tractui, ſiue Ciuilem, ſiue Eccleſiaſticam ſpectes iuriſdictionem. Michas Madius in hiſtoria ſua mihi pag. 376. Cap. XV. ait: *dominabatur totam Dalmatiam, et Croatiam vsque in Vngariam„* Thomas Archi-Diaconus Cap. 3. de S. Petro Apoſtolorum Principe inquit: *Dominum in Salonam direxit, quae caput erat Dalmatiae, et Croatiae„* Modo laudatus Madius loco citato Iuriſdictionis Eccleſiaſticae amplitudinem clarius deſignat ſcribens: *„antiquo tempore Salonitanorum Salona habebat ſuffraganeos XXIII. Epiſcopos„* Clarius eſt teſtimonium, quod Tirpimirus Dux Crobatarum in diplomate ſuo perhibet aſſerens: quod metropolis haec vltra Sauum, Drauumque vsque ad Danubium fines ſuos propagauerit. His, et ſimilibus inductus Carolus a S. Paulo in Geographia Sacra Illyrici occidentalis pag. 73. haec tradit: *„Si paucos Epiſcopos recenſeamus numero, ne mireris, quum in Illyrico* (late ſumpto) *vix libertatem Eccleſia ſub Conſtantino adepta ſit, ac ſtatim haec Regio ab Attila penitus deuaſtata fuerit, qui vicos paſſim, et oppida igne conſumens, omnes caedens, Sacra aeque, ac profana diruens, nec aetati, nec ſexui vsquam parcens, omnem regionem ſanguine tinxerit, eiulatibusque compleuerit. Tandem Eccleſias, et altaria euertit, ſedesque Epiſcopales poene omnes aboleuit„* Hac ex ratione vix vllorum Epiſcopatuum Pannoniae mentio fit ab eo, vſque ad tempora S. Stephani Hungariae Regis. Si proinde metropolis Salonitana vltra Sauum, Drauumque vsque ad Danubium fines ſuos protulit, bonam vtique Hungariae partem ſinu ſuo complexa eſt.

Bacsienſis Epiſcopatus erigitur.

V. Sane Bacsienſem Eccleſiam ab Honorio II. Archi-Epiſcopo Salonitano Seculo V. exeunte in Epiſcopalem erectam fuiſſe dubitari vix poteſt; hanc Iuſtinianus Imperator nouella Conſtitut: XI. in Pannonia ſecunda ſtatuit inquiens: *„Pars etiam ſecunda Pannoniae, quae in Ciuitate eſt Bacsenſi„* In Pannonia autem ſecunda, ſiue inferiori ſitam fuiſſe Bacſienſem ſedem Epiſcopalem iam Colocenſi vnitam, non eſt opus, vt Gentiles meos doceam, ſitum ignaros exteros ad Lazium, Ferrarium, Hanſizium remitto. Si itaque Bacsenſis, ſiue Bacsienſis Salonitano parebat Metropolitae, proculdubio ad nos pertinet haec, quam edimus, Synodus.

Digitized by Google

Salonitanae Eccleſiae in Hungariam iuriſdictio.

VI. Neque momentanea haec erat Salonitanae Eccleſiae Iuriſdictio, ſed ad ipſa S. Stephani tempora pertigit, quod perhibet apud Farlatum parte tertia Prolegomenon p. 388 Tirpimirus, qui Dux erat Croatarum A: C: 838. „*Per paginulam* ait *Priuilegialem Sanctae Eccleſiae Salonitanae dictae in aeternum mancipata permaneant* „ac deinde„ *vt in ſuam Matrem Eccleſiam, quae Metropolis vsque ad ripam Danubii etc*„ recte ergo concludit idem Farlatus loco citato: „*Nono ſeculo Eccleſia Spalatenſis, (ſiue Salonitana) adhuc in poſſesſione ſua retinebat partem Pannoniae ſecundae vltra Drauum, quam ante annos fere quadringentos adepta fuerat, Iusque Metropoliticum ad Danubium vsque proferebat; quod ſeculo decimo extunc intra flumen Drauum, ſiue Sauum contraxit, quum Stephanus primus Hungarorum Rex Strigonienſem Metropolim inſtituit, eidem decem Sedes Epiſcopales ab ſe in Pannonia, ſiue Hungaria fundatas, optimisque vectigalibus inſtructas ſubiecit.*„ Videbimus deinceps Spalatenſem Archi-Epiſcopum fuiſſe Primatem Hungariae. Haec autem ideo prolixius adducere oportuit, ne recurrentibus Synodis Salonitanis, et Spalatenſibus eadem repetere debeamus.

An Synodis rite praefigantur Conſules?

VII. Lampadio, et Oreſte Conſulibus conſignata eſt Synodus pro more veterum Synodorum. Grauis tempore S. Auguſtini in collatione cum Donatiſtis habita de Conſule, et die orta eſt controuerſia, vti diſcimus ex breuiculo Collationis eiusdem Cap. XV. quum enim obtuliſſent Catholici Concilium Gabiſum in ciuitate Cirtenſi, et eius dies, ac Conſules legerentur, Donatiſtae dixerunt, nec Conſulem, nec diem talia ſolere habere Decreta. Libet totam diſputationem ex Libro S. Auguſtini ad Donatiſtas poſt collationem deſcribere: „*geſtis ipſis Cirtenſibus calumniabantur, quia ibi dies, et Conſules legebantur, et exigebant a nobis, vt aliqua Eccleſiaſtica Concilia proferremus, vbi dies recitarentur, et Conſules; ipſi enim Concilium Carthaginenſe factum ſine die, et Conſule proferebant. Dicebant etiam Concilium Cypriani Conſules non habere, vbi tamen legitur dies: in illo autem ipſorum Carthaginenſi nec dies; nos autem, quod in manibus erat Concilium Melchiadis, ſicut illud Cirtenſe, et diem, demonſtrabamus habere, et Conſules*„ aliquibus interiectis „*etiam hoc exigebant, vt de Scripturis Sanctis oſtenderemus alicubi dies, et Conſules eſſe conſcriptos, quaſi Epiſcoporum Concilia ſcripturis Canonicis aliquando fuerint comparata, aut poſſent etiam ipſi de Scripturis Sanctis proferre Concilium, vbi Apoſtoli in Iudicio ſederint, et accuſatum aliquem vel damnauerint, vel abſoluerint: Et tamen reſpondimus eis, etiam Prophetas Libros ſuos praedenotatis, et definitis commendaſſe temporibus, quo anno, cuius Regis, quoto menſe anni, quoto menſis die factum fuerit ſuper eos verbum Domini*„ (a) S. Athanaſius contra Sirmienſem Synodum inſurgens ait: „*non niſi tres, aut quatuor, auſi ſunt tamen regulae Fidei Conſules addere, quod trecenti, et octodecim Patres Nicaeni non fecerant*„ et haec de ritu Synodos Conſulibus conſignandi, qui ſoepius recurret; offendemus etiam Synodos omni nota ſiue Conſulum, ſiue dierum deſtitutas; imitati fuerint Epiſcopi illi Concilium Apoſtolorum in actibus eorundem deſcriptum, nullam temporis notam praeferens, niſi forte de noſtris Conciliis dicamus illud, quod S. Auguſtinus loco allato inquit: „*fieri poteſt, vt in codicibus ſit iſta varietas, dum alii etiam dies, et Conſules diligentia maiore deſcribunt, alii tanquam ſuperfluum praetermittunt, hinc neque poſterioribus Synodis id vitium obiici poterit, quum magis negligentiae, quam fraudis eſſe potuerit.*„

Differitur de actis.

VIII. Dicamus iam, quod pridem dicendum fuerat, vnde Concilium hoc depromptum ſit. Mutuanimus nos illud

ex

(a) Initium reparationis humanae, aduentum ſcilicet Saluatoris notis Chronologicis nobis deſignarunt Sacrae litterae, dicente Luca Cap. 3. „*Anno quintodecimo Imperii Tiberii Caeſaris, procurante Pontio Pilato Iudaeam, Tetrarcha autem etc.*

ex Illyrico Sacro Farlati Tom. 2. p. 162. qui illud e codice MS. Bibliothecae Barberinae, qui inſcribitur: „*Hiſtoria Salonitanorum Pontificum*„ cui alter ſimilis eſt in archiuo Collegii de propaganda Fide inſertus volumini grandi ſub titulo: „*Seruia, Albania, et Illyricum*„ Offendit Lucium in Synodo hac, et ſubſequa rudior ſermo latinus, ſed praeterquam quod illud imperito ſcribae merito tribui poſſit, multis nos priuaret Conciliis, ſi incultus ſermo ad reprobanda acta Synodalia ſufficeret; legatur, ſi placet, S. Hilarii de Synodis Liber, et eius fragmenta euoluantur, vera eſſe conſtabunt, quae dixi; quia autem in nonnullis locis deprauata eſt lectio, et ego non ex Codice MS. edo, ſed exemplari typis edito vtor, liberum, ac neceſſarium exiſtimaui ex ſententia Farlati lectionem genuinam reſtituere.

XX.
De Concilio Salonitano Secundo.

Bacſienſis Epiſcopatus.

I. Alia rurſus ſequitur Synodus Salonitana ex eodem Codice MS. Barberino, quo prior a P. Farlato in lucem protracta; mendoſa eſt et haec, quam ex ſententia laudati Farlati reſtituendam curauimus. Perhibet iſta teſtimonium aſſertioni noſtrae de Bacsenſi, ſiue Bacsienſi Eccleſia ab Honorio Archi-Epiſcopo Salonitano erecta; hanc enim in exemplum adducunt Patres huius Concilii, Sedis tamen Bacſenſis Epiſcopus inter ceteros non comparet, quod vnde factum ſit, quis valeat diuinando aſſequi? id potius conicere licet: Bacſenſem Dioeceſim a Salonitana fuiſſe decerptam, adeoque hanc ad Danubium fines ſuos produxiſſe.

II. Acta eſt haec Synodus poſt Conſulatum Lampadii, et Oreſtis anno ſecundo, qui fuit aerae vulgaris 532. ideo dicitur in exordio Synodi „*poſt iterum, atque iterum Lampadii, et Oreſtis.*„ Similem huic anni conſignationem, ſine notam Conſularem profert eruditiſſimus Henricus Noriſius Diſſertatione Hiſtorica de Synodo V. ſiue Conſtantinopolitana ſecunda Cap. VI. ex inſcriptione lapidis antiqui, qui exſtat Romae in Baſilica S. Petri ad vincula ET. IT. P. C. LAMPADII, ET ORESTIS id eſt: *et iterum poſt Conſulatum Lampadii, et Oreſtis.* Socrates Hiſt. Eccleſiaſt. Lib. 2. Cap. 24. et Sozomenus Lib. IV. Cap. V. Synodum Sirmiensem contra Photinum actam hac nota conſulari deſignant: „*poſt conſulatum Sergii, et Nigriani*„ apud Chriſtianum Lupum Diſſertatione de quinta Synodo Cap. 9. p. 182. dicitur: „*Collatio prima facta poſt Baſilii Conſulatum tertio decimo*„ In Concilio Agrippinenſi, in quo Euphrates Colonienſis Epiſcopus damnatus eſt anno Chriſti CCCXLVI. celebrato apud Harduinum Tom. I. col. 631. habetur, „*poſt Conſulatum Amantii, et Albini IV. Idus Maias.*„ Quum alias id factum fuerit ſexto vergente ſeculo, vt ad annos deſignandos e Conſulibus ſuperiorum annorum epocha deſumeretur, tum id frequentiſſime accidit ſub Baſilio iuniore, qui ſolus Conſulatum geſſit, neque deinceps Conſules creati fuere vsque ad annum primum Iuſtiniani iunioris.

De nota Chronologica: Et iterum poſt Conſulatum.

III. Ad Concilium conuenerunt Prouinciales-Epiſcopi, vt ſibi aliquid oneris ex amplitudine Dioeceſium oborti demeretur, vix tamen aliquid impetrarunt, ex Dioeceſi enim Salonitana tritum Epiſcopatuum fines detracti fuerunt, aliis nil ferme demptum, vnde etiam Beſtoenſis Epiſcopus ad finem Concilii poſtulauit, tribus recens erectis Epiſcopatibus, quartum Dalmatiae adiungi. Sibi quidem Honorius maximam oneris partem tolli fecit, quod in aduerſum Cano-

Occaſio Synodi.

Canonicarum ſanctionum egiſſe videtur, dum tam exiguos excidit Epiſcopatus, vt iam et ſuae Sedis, et recens natarum Eccleſiarum nulla fuiſſet auctoritas, ſi haec Honorii ordinatio aetatem tuliſſet. Vigilius Papa aegre tulit, et improbauit factum hoc, quod temere, ac ex intempeſtiuo quietis, ne dicam, otii amore profectum fuit, et merito quidem cenſura Apoſtolicae Sedis caſtigatum cenſemus Honorium, plures enim videntur creati Epiſcopi, quam neceſſitas poſtulaſſet, et anguſtioribus terminis ſingulorum Iuriſdictio definita, quam dignitas, et auctoritas Epiſcopalis requireret, nemo autem vitio vertet ſacris Canonibus, ſi dignitatis, et auctoritatis, quae ex Epiſcopalis Iuriſdictionis terminis, et temporalium commodorum emolumentis deſfluunt, rationem haberi velint, pro hominibus enim, et ex hominibus aſſumitur Pontifex; numero vileſcere quaeque nullus ignorat, quid ſi addas trium quatuorue horarum poteſtatem?

Vigilius Papa reprehendit factum Synodi Epiſcoporum numerum augentis.

IV. Sed ad Vigilium Papam redeamus, ſcribens is ad Sebaſtianum Diaconum Praepoſitum Patrimonio Eccleſiaſtico Dalmatiae ait: „*Dum in Salonitanam Vrbem pro ordinatione Patrimonii adueniſſes, quantum eſt ad nos plurimorum relatione perductum, illicitis te, et a Sede Apoſtolica prohibitis ordinationibus miſcuiſti, et quos Honorius tunc praedictae ciuitatis Epiſcopus contra conſuetudinem Romanae, vel ſuae Eccleſiae, et Sedis Apoſtolicae conſtituta ſacris ordinibus applicauerat, non ſolum prohibere penitus noluiſti, ſed nec nobis ex hac cauſa, vel ſcripto referre, vel quando Theſſalonicae nobis occurreras, ne verbo quidem ſuggerere voluiſti, et cum illis tanquam cum legitimo, et rationabili ordine factis, cupiditatis ſpiritu acquieuiſti procedere, et eorum ſocius communionis venalitate es repertus.*„ Hoc contextu non increpari Simoniacam ordinationem, ſed ſuperfluas Epiſcopatuum erectiones perſuadet id, quod ad conſuetudinem ſolum Eccleſiarum prouocet, quum potuiſſet ad Ius Diuinum, humanumque appellare, ſi in Simoniacam labem calamum ſuum exerere voluiſſet Summus Pontifex.

V. Huic ergo reclamationi Pontificiae tribuendum videtur, quod nulla deinceps horum Epiſcopatuum occurrat mentio. Sed neque ſatis reperiri poſſint ſedes Epiſcopales „*ubi enim Ludrum ſitum ſit* (ait P. Farlatus) *in Chorographia Dalmatica ſeu recenti, ſiue antiqua nusquam reperies*„ quid loci, oppidiue ſit *Sarſenterum*, ſe prorſus ignorare profitetur idem? quid denique *Muccurum* ſit, non eſt ſat planum.

Epiſcopatus euaneſcunt.

VI. Non eſt hic praetereundum poenitentiae publicae in hac Synodo quoque reperiri veſtigium, dum Honorius Archi-Epiſcopus dicit: „*Nec conſignandi, nec reconciliandi facile DEI Sacerdotibus licentia eſt conceſſa.*„ Suum ergo implent officium praeclari illi Eccleſiarum Antiſtites, qui confiteri volentibus aures praebent, et arduum hoc, ac taedio, et periculo plenum munus per multas horas alacriter obeunt. Summa Concilii haec eſt: Epiſcopatuum erectio communi Decreto ſancitur, his Epiſcopi a Concilio ipſo praeficiuntur, demum Epiſcopis venia datur ſemel duntaxat per annum ad Concilium Prouinciale conueniendi.

Summa Concilii.

XXI.

De Epiſtola Vigilii Papae ad Epiſcopum Tomitanum Scythiae, in cauſa trium Capitulorum.

I. Iterum ad Scythas digredimur, eo nos reuocat Epiſtola Vigilii Papae ad Valentinianum Epiſcopum Tomitanum edita an. DCLVIII. quam ex actis Conci-

Summa Epiſtolae.

Concilii Conſtantinopolitani II. huc tranſcripſimus. Cuius Summa primum perſtringenda, dein aliqua explicanda. Ait itaque ſe Papa gratulari de Pontificali Valentiniani ſollicitudine ſcandala, errores a grege ſuo viriliter auertentis, proteſtatur ſe nihil in iudicato ſuo adverſum Chalcedonenſem Synodum ſtatuiſſe, ſe quatuor Conciliis inhaeſiſſe ſemper, et inhaerere, de Perſonis autem vtpote Theodori Mopſueſteni, Ibae, et Theodoreti nihil iudicaſſe, ſe blasphemias Theodori Mopſueſteni, et quae Theodoretus contra rectam Fidem ſcripſerat, refutare; conqueritur etiam de mendaciis Ruſtici, et Sebaſtiani Diaconorum Cardinalium, ac denique in ſuſcepto propoſito confirmat Epiſcopum, et praefatorum Diaconorum ſcripta ſiue ſuſcipi, ſiue legi vetat.

Quaenam ſint tria Capitula? II. Paucis perſtringendum hic, quaenam ſint tria illa Capitula, quae tantum ſcandalum in Eccleſia DEI excitarunt. Poſſet enim alicui in Hiſt. Eccl. parum verſato videri: quaeſtionem fuiſſe de tribus Articulis Fidei, vel Dogmatibus, quae ideo Capitula dicantur. Placet verbis Vigilii Papae rem expedire; ait is in epiſtola ad Ruſticum, et Sebaſtianum, quae exſtat collatione VIII. Concilii Conſtan. II. „*Cauſa Capitulorum, id eſt, de dictis Theodori Mopſueſteni, eiusque perſona, ſed et Epiſtola, quae ab Iba ad Marim-Perſam perhibetur ſcripta; nec non dictorum Theodoreti, quae contra rectam Fidem et epiſtolam beatae recordationis Cyrilli Synodicam ad Neſtorium cum duodecim Capitulis, quam et Sancta Synodus Epheſina prima ſuſcepit, et beata Chalcedonenſis Synodus ad conuincendas Neſtorii inſanias in definitione Fidei legitur poſuiſſe.*„

Iuſtin. Imp. ſpes deluſa. III. Epiſtola haec Vigilii Papae ideo collatione VIII. recitata fuit, vt Iuſtinianus Imperator oſtenderet Synodo Summum Pontificem damnationi trium Capitulorum aſſenſiſſe. Spe tamen ſua fruſtratus eſt, prouti enim recte ait Chriſtianus Lupus in Diſſert. de quinta Synodo Generali Cap. 6. „*quae omnia videntes Itali, Afri, atque Illyricani Epiſcopi, etiam ſeſe retrahere a Synodo dicentes, ſine Romano Pontifice ſuo Patriarcha ſe ſe non poſſe adeſſe. At perrexerunt Graeci. Fecere conuentum Acephalum, et tria Capitula contra Sedis Apoſtolicae interdictum, atque iudicium damnauerunt.*„

XXII.
Synodus Illyrica de damnatione trium Capitulorum.

Hiſtoria Synodi. I. Si Valentinianus Epiſcopus Tomitanus Vigilio Papae in damnatione trium Capitulorum conſenſit, non habuit memoratus Pontifex ita ſibi obſequentes Epiſcopos Illyricanos; non acquieuerunt enim hi, et ideo ad Concilium vocati eo ire noluerunt, quum tamen Vigilius Graecos Epiſcopos Latinis exaequari voluerit; quin potius coacta Synodo patrocinium trium Capitulorum ſuſceperunt, et ad Iuſtinianum Auguſtum Litteras dederunt, ac etiam Benenatum primae Iuſtinianae ciuitatis Epiſcopum obtrectatorem eorundem Capitum condemnarunt. Ægre id tulit Iuſtinianus, qui totis viribus damnationi Capitulorum ſtudebat adeo, vt Tyrannum indueret. Synodum hanc, cuius veſtigium damus, ſat acerbo inſectatus eſt calamo Iuſtinianus; eandem damnat in ſuae Fidei profeſſione, et teſte S. Iſidoro in Catalogo Virorum Illuſtrium, „*Iuſtinianus Imperator condit Reſcriptum contra Illyricanam Synodum.*„ Synodicam Epiſtolam non habemus, quod nobis dolet, veſtigium duntaxat Synodi celebratae ex Victore Tourenſi, et Epiſtola Clericorum Italiae Legatis Francorum, qui Conſtantinopolim proficiſcebantur, data.

II. Ve-

Excuſantur Epiſcopi Illyrici.

II. Veniam tamen merentur vtcunque Epiſcopi Illyrici, acta enim fuit haec Synodus ante quintam vniuerſalem, et tam anceps erat haec quaeſtio, vt diu pax reduci non potuerit in Eccleſia DEI; locum hic meretur ſuggeſtio Epiſcoporum Iſtriae ad Mauritium Imperatorem circa annum 590. miſſa, vbi dicunt: „*Vigilius ſcripta ſua ad omnes Prouincias mittens anathematis vinculo omnem populum obligauit, ſi quis damnationi trium Capitulorum praeberet aliquando conſenſum. Et licet poſtea Imperiali pondere ad conſenſum damnationis trium Capitulorum ipſorum paulatim ſinguli tunc fuerint coarctati, noſtrarum tamen Prouinciarum venerandi deceſſores, quibus indigni ſucceſſimus, praedicti condam Vigilii inſtructionibus informati, inclinari ad hac nullo modo potuerunt, quorum nos exempla DEO propitiante ſeruantes cum vniuerſo populo nobis credito, ſequentes etiam in omnibus definitionem S. Concilii Chalcedonenſis, defenſioni Capitulorum ipſorum, et reuerentiam exhibemus, et a communione damnantium cum Diuina gratia abſtinere noſcimur*„ habemus ergo Illyricos Epiſcopos ſententiae Vigilii Papae mordicitus inhaeſiſſe, et quid mirum, ſi in iudicio non de Fide, ſed de Perſonis edito, titubante Capite perturbabantur membra; Diſcimus ex recitatis verbis Epiſcopos duntaxat Iſtriae in peruicacia perſtitiſſe. Epiſcopi ergo Illyrici in ſententiam Capitis ſui abiuerunt. Epiſcopi Iſtriae adhuc anno 690. diffidebant, ait enim Ado ad hunc annum pag. 202. „*Synodus Aquileiae facta ob imperitiam Fidei quintum vniuerſale Concilium ſuſcipere diffidit, donec ſalutaribus Beati Papae Sergii monitis inſtructa, et ipſa cum ceteris Eccleſiis annuere conſenſit.*„

XXIII.
De Epiſtolis S. Gregorii Magni.

Sequuntur Epiſtolae S. Gregorii Magni Spiritu Apoſtolico plenae. Primis duabus deteguntur ſomenta iurgiorum, quae inter Natalem Epiſcopum Salonitanum, eiusque Archidiaconum Honoratum deinceps exarſerunt grauiſſima, vti docet ſexta, ſeptima, et duodecima. Parum autem profuere haec Honorato; is enim loco motus, vix Epiſtola quindecima reſtitutus fuit. Huic dein magna cum Maximo Praeſumptore de poſſeſſione Epiſcopatus interceſſit controuerſia, et neſcio pluſne Honorato Epiſcopatus, an Archidiaconatus conſtiterit, Maximo locum ſibi tandem vendicante: tanti nempe ſtetit Honorato licet iniuſte oppreſſo in Epiſcopum ſuum conſurrexiſſe, ſaluaque poterant omnia eſſe, ſi plus charitatis, quam iuſtitiae rationem habuiſſet Honoratus. Reliquae Epiſtolae ferme Illyricum, aut alias Dalmatiarum Eccleſias reſpiciunt, quorum honores gerunt noſtrates Epiſcopi *Titulares* (ſic dicti)

XXIV.
De Synodo Illyrica aduerſus Monothelitas.

Exemplum illorum, qui hactenus Synodos ediderunt imitati, veſtigium Synodi Illyricae damus ex Baronio Annalium Eccleſiaſticorum Conditore, ac Patre. Conualuit nimirum recta Fides contra Monothelitarum errores, omnes Epiſcopi, licet ab inuicem diſſiti, concorditer anathemati illos addixerunt, ex quo vnitatis et conſenſionis Fidei memorabile habemus documentum, Baronius Synodum refert ad annum Chriſti 679. acta nulla habemus.

XXV.

XXV.

De Epiſtola Eugenii II. Papae ad Urolphum de conuerſione Avarorum A: C: DCCCXXIV.

Summa epiſtolae.

I. Epiſtolam Eugenii II. Papae ad Urolphum datam multis nominibus ſibi vendicat editio haec noſtra; quod videlicet diluculum Fidei Genti noſtrae, in tenebris gentilitatis ſedenti illuxiſſe nunciet; laetiſſimum vtique nuncium! quod Tutundi, ſeu Tuduni laudes referat, cuius Chriſtianiſſimam virtutem commendat, quod Epiſcopatus in ipſa hac Hungaria noſtra conſtitutos doceat. Et haec ferme eſt ſumma totius epiſtolae. Poſtquam enim praeclara Fidei incrementa gratulatus fuiſſet Papa, committit vices ſuas Urolpho, aut potius ſignificat, tunc primum conſtitutos Epiſcopos ad reuerentiam, et obedientiam Urolpho Laureacenſi ſeu Patauienſi exhibendam adhortatur, Duces Tutundum, et Moymarum, ac omnes primores, vti et reliquum vulgus, vt a diaboli fraudibus ſibi caueant, commonet, tandem obſecrat eosdem, vt ad Epiſcopatus deinceps erigendos de Poſſeſſionibus ſuis, praecipue autem talibus, quae praeexſtantium olim Epiſcopatuum fama vulgante fuiſſe dignoſcerentur, conferant, illa autem conſtituendis Epiſcopatibus magis idonea loca exiſtimat, vbi rudera ſedium Epiſcopalium ſupereſſent.

Vnde deſumpta?

II. Quum Epiſtola haec ſaepe vulgata ſit, non eſt, cur multa dicamus de fonte, vnde ad nos manauit; nos Hanſizium in Germaniae Sacrae Tom. I. pag. 149. ſequimur, deſideratur ea apud Harduinum, et Cardinalem Baronium. Non teremus autem hic tempus enumerando auctores, qui epiſtolam hanc vulgarunt, qui quum plurimi ſint, multo plures ſunt, qui eam laudarunt, et aliqua ſuis intexuerunt operibus.

Annus epiſtolae inueſtigatur.

III. Si annus Pontificatus, ſiue alia aliqua nota Chronologica appoſita foret, de anno editae epiſtolae diſſenſio nulla eſſe poſſet. Paſſim quidem ad annum DCCCXXIV. referri ſolet ita volente Pagio, mihi autem placet ſententia ſoepius laudati Hansizii ad annum vigeſimum ſextum reuocantis; quid quid enim dicat Pagius, ipſa epiſtola loquitur Urolphum aliquanto ante ad limina Apoſtolorum acceſſiſſe, et re nondum plene confecta rediiſſe, moram certe non breuiſſimam interceſſiſſe tum verba ipſa perhibent, tum res ipſa euincit. Creatus eſt nimirum Eugenius II. Papa decimo quarto Kalendas Iunias, atque electio primum VIII. Kalendas Iulias, vti habent res geſtae Ludouici Imperatoris, eidem nunciata fuit; adde: quod perhibentibus iisdem actis apud Baronium Tom. 9. pag. 895. non fuerit Eugenius absque aemulo, duo enim per contentionem Populi electi memorantur, donec itaque hoc ſchisma comprimeretur, tempus aliquod effluxiſſe dubio vacat; quum itaque Eugenius II. non illico quietum habuerit Apoſtolatum, neque Urolphus illico Apoſtolici illius benedictionem efflagitauerit, et dein etiam ad emanationem Epiſtolae moram interceſſiſſe innegabile ſit, Hanſizii opinio mihi plene probatur.

XXVI.

De Synodo Regia Delmenſi.

Vnde deſumpta?

I. Aliquot ſeculorum hiatum habet ſeries Synodorum noſtrarum, quem replere nullatenus potuimus. Transiuimus ergo ad ſeculum nonum, quo iam ad finem vergente reperimus celeberri-

 mum

mum Conuentum Delmenſem, quem Synodum cenſemus, et ad annum Chriſti DCCCLXXVI. veſtigiis P. Farlati inſiſtentes referimus. Damus autem non tam acta Synodalia, quam hiſtoriam illius, et partem aliquam decretorum ex Hiſtoria Presbyteri Diocletis, quae *Regnum Sclauorum* inſcribitur, aliqua decreta infra ex codice Merulano ſubiicimus; mendis ſcatere hiſtoriam ſatis clarum eſt illi, qui hiſtoriam temporum illorum nouit, aliquot enim ſeculis diſſita coniungit, quaſi ſimul acta fuiſſent; grauem etiam litem mouet Presbytero noſtro laudatus P. Farlati ob diſtinctionem Croatiae, Albae, et Rubeae, vtpote Conſtantino Porphyrogenito incognitam. Nos errores in notis marginalibus adnotauimus, et correximus, aliquas etiam emendationes textui inſeruimus, neminem tamen id commoueat, ex tenebris enim errorum quidam veritatis radii effulgent.

Conuerſio Narentanorum.

II. Narentani, qui Croatas cum Francis contra Saracenos bellum gerentes depopulabantur, a Venetis in auxilium Croatarum aduenientibus male accepti, et mulctati, acceptae cladis magnitudine eruditi, coeperunt in ſe excitare ſemen verbi Diuini, quod SS. Cyrillus, et Methodius inter eos fruſtra diſſeminarunt. Calamitate ergo ſubacti Fidem Chriſti cum baptiſmo ſusceperunt. Et ſane inquit Farlati Tom. 3. pag. 67. „*Serblis, Narentanisque omnibus Chriſto adiunctis, quum Dalmatae, ac Sclaui omnes diuerſi generis populi in vnius Eccleſiae corpus coaluiſſent, huius Concilii cogendi neque cauſa magis idonea, neque tempus magis opportunum inueniri poteſt.*„

Quomodo ad nos pertineat?

III. Ipſe locus celebratae Synodi illam noſtrae editioni vendicat, etenim Dalmae, ſiue Dumnum eſt locus, vbi actus fuit celeberrimus hic Conuentus, qui locus vti veroſimiliter adſtrui poteſt, in confiniis fere ipſis Croatiae, et Serbliae requirendus eſt. De Croatia multum eſſe in hiſtoria Synodi ſermonem, eam legenti perſpicuum erit, de Epiſcopatibus etiam antequam Turca omnia igne, ferroque ſubiugaſſet, ad Hierarchiam Eccleſiae Hungaricae pertinentibus, et quorum honoribus hodiedum aliqui gloriantur, et ornantur, multa conſtituuntur, vt adeo nemo mihi horſum collocatae Synodi inuidiam creare valeat.

Eſt Synodus Regia.

IV. Synodum Regiam vocitandum eſſe Conuentum iſtum docui iam in diſſertatione de Synodis Regiis, et perhibent verba illa: „*per ſpatium duodecim dierum Synodum fecerunt, in qua diebus octo de Lege Diuina, de Sacra Scriptura, ac de Statu Eccleſiae tractatum eſt; ceteris autem quatuor diebus de poteſtate Regis.*„ Obſeruaui iam alias ſoepius in his Synodis prius de Eccleſiaſticis, dein de Profanis cauſis actum, vtrasque autem communi omnium ordinum conſilio, et conſenſu pertractatas fuiſſe, vt neſcias, an Paullimirus normam hanc Regiae Synodi a Francis, vel Conſtantinopolitanis acceperit, quorum expreſſit exempla.

Summa Synodi.

V. Actum autem fuit in hoc Concilio de Epiſcopatibus partim reſtituendis, partim inſtituendis. Eccleſiaſticae etiam Prouinciae diuiſio facta fuit; Metropolitanis ſui aſſignati ſuffraganei, et quidem nouae Metropoli Diocleae has Sedes Epiſcopales, vtpote: Antibarium, Budvam, Ecaterum, Dulcignum, Suacium, Scodram, Drivaſtum, Polletum, Sorbium, Boſonium, Tribunium, Zachulanium, attributas fuiſſe patet, relictas autem Metropoli Spalatenſi, Scardonam, Stranſonam, quod nunc eſt caſtellum Jaderae, Emnam, Arbuam, Abſarum, Vegliam, et Epidaurum, quod nunc dicitur Ragusum; alia etiam edita tunc fuiſſe decreta vtcunque conſtat; *praeterea* ait codex Merulanus: „*Regis edicto cau*-
tum

tum eſt, ne quis vllius Eeeleſiae Ius vſurparet, ne quis Clerico iniuriam faceret, ne quis aduerſus Eccleſiaſticam libertatem ire praeſumeret, ſed vt omne Clericorum Ius, atque poteſtasPraepoſitorum Eccleſiae arbitrio definiretur, laeſae Maieſtatis reus eſſet, ſi quis contra attentaret.„

Vſus latinae linguae vulgaris.

VI. Duo adhuc obſeruanda veniunt, de quibus nobis paulo poſt ſermo redibit, nimirum latinam linguam bona ex parte viguiſſe in partibus illis, dicit enim Presbyter noſter: „*igitur omnes congregati tam latina, quam et Sclauonica lingua, qui loquebantur*„ alterum eſt tantam fuiſſe diſſeminatae a S. Methodio Fidei memoriam, vt Legum compilationem *Methodium* appellarent, vti animaduertit Lucius, licet alii methodum dici velint.

XXVII.
De Synodo Spalatenſi.

Recenſentur acta.

I. Vſque adeo verum eſt S. Auguſtini effatum, quod in fronte huius editionis poſuimus ex libro I. de Baptiſmo contra Donatiſtas Cap. 14. depromptum: „*neque enim omnia, quae illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriae litterisque mandari potuerunt, aut omnia, quae mandata ſunt, nouimus*„ vsque adeo inquam verum eſt illud S. Auguſtini effatum, vt ex toto nono ſeculo vnius dumaxat Synodi memoriam habeamus. ſeculo decimo aliquanto plura recurrent, quorum primo loco damus Synodum Spalatenſem A: C: DCCCCXV. praeſidentibus Sedis Apoſtolicae Legatis, in cauſa Liturgiae Sclauonicae, aut potius idiomatis Sclauonici in Liturgia Sacra adhibendi celebratam: Latuit haec Synodus pleroſque Liturgicos ſcriptores, qui de Liturgia Sclauonica vtramque implent paginam, latuit etiam ipſum Benedictum XIV. vaſtiſſimum illum eruditionis oceanum. Non intermiſiſſent enim praeclari hi ſcriptores narrare, quod Liturgia haec licet a Ioanne VIII. ratihabita, ab eius tamen ſucceſſore Ioanne X. prohibita fuerit, ac doctrina S. Methodii iterum in dubium vocata. Debemus hanc Synodum acri iudicio, et ſolerti induſtriae P. Farlati, qui e codice MS. Barberino hiſtoriae nimirum Salonitanae maioris edidit, et notis illuſtrauit, cuius obſeruationes ſecutus emendatum exhibeo textum. Edidi autem primum praefationem Concilii, cui ſubieci Concilii Decreta, haec excipit Epiſtola Ioannis X ad Ioannem Archi-Epiſcopum Spalatenſem, qua hortatur eundem, vt nouitatibus pernicioſis in Liturgiam inductis iuncta cum Legatis Apoſtolicis opera obſiſtat. Aliam dein ſubiungimus eiusdem Papae epiſtolam ad Tamislaum Ducem Croatiae, quae confirmatio videri poteſt Canonis 14*ti.*

Eſt Synodus Regia.

II. Synodum hanc veri nominis Regiam fuiſſe praefatio docet in verbis: „*Quoque peruenientes dicti Epiſcopi Dalmatiarum, peragrantes Ciuitates Chrobatarum, atque Serborum conuenientes, congregatis in Spalato Epiſcopis, et Iudicibus celeberrimum Concilium peregere.*„ Confirmantur itaque ea omnia, quae de Synodis Regiis ſcripſimus, nimirum ibi omnia Canonice acta, finitaque fuiſſe, videmus etiam Legatos Apoſtolicos talibus aliquando praeſidere Conciliis.

Occaſio Concilii, eiusque ſumma.

III. Praecipuae cogendi Concilii cauſae erant Liturgia Sclauonica, et Iura Metropolis Spalatenſis, circa haec itaque capita maxima ex parte verſantur eiusdem Decreta, quamuis et alia opportune addita fuerint; In minutioribus locis Epiſcopos conſtitui vetat, quod idipſum tot Legibus Canonicis vetitum eſſe ſciat. Epiſcopos intra terminos ſuos antiquos coercet. Poſſeſſiones Eccleſiarum penes Eccleſiam remanere iubet, occiſores Principis etiam in tumultu oc-

Digitized by Google

ciſi caſtigat, ſeruos Dominorum percuſſores poenitentiae ſubiicit, inter Epiſcopos Raguſanum, et Catharinum Dioeceſim diuidit, Licinium Epiſcopum in ordinem redigit, Epiſcopos ab ordinandis in Sclauonica lingua miniſtraturis inhibet, et Miſſas hoc idiomate facere absque Pontificis indultu interdicit, Epiſcopum Croatorum Metropoli Spalatenſi ſubiugat, Interdicto ſubiicit Prouinciam, ſi Rex, et Proceres contra dicti Metropolitae auctoritatem aliquid attentent, pari interdicto ſubiicit Eccleſiam loci, vbi Presbyter occiſus fuerit, niſi ſatisfactio praeſtetur. Uxores dimitti ob ſolam fornicationem admittit, filios, et ſeruos latina lingua erudiri vrget, tandem Presbyteros ab vxoribus ſeparatos vitam degere praecipit, aliam vxorem ducentes a communione Fidelium remouet. Ioannes X. ſuam ſollicitudinem potiſſimum in idioma Sclauonicum intendens, illud in Diuinis officiis haud admittendum, et pueros lingua latina imbuendos decreuit. Habes hic ſummam actorum Concilii, de quorum capitibus nonnullis tantiſper nobis agendum erit.

XXVIII.
De Epiſtolis Ioannis VIII.

Epiſtolas Ioannis VIII. complures damus conſerto ordine, quarum primo Salonitanos ad vnionem cum Sancta Romana Eccleſia reuocat. Sequentes autem Epiſtolae lumen Fidei parti Hungariae opera ſancti Methodii feliciter illuxiſſe nunciant, licet non defuerint, qui iteratis vicibus Apoſtolico viro obtrectarent. Nobis haec monumenta vindicare ſuperſedemus, quum eruditiſſimus vir Cl. Salagius id diſſertiſſime praeſtiterit.

XXIX.
De Concilio Prouinciali Salonitano.

I. Exortam de Iurisdictione Spalatenſis Eccleſiae controuerſiam definiuit quidem Synodus prior, finem tamen non accepit. Epiſcopus enim Nonenſis, ac etiam alii nonnulli non ſolum Metropolitanam Sedem contemnebant, ſed etiam quaſi per latrocinium alienas diripiebant Parochias, vt iam terminis antiquis ſe contineri non paterentur, ſed vi agerentur omnia; triennio ferme durarunt haec iurgia, Sede Apoſtolica cauſae definitionem differente. Non habeo dicere cauſam tantae morae. Tandem Ioannes X. Summus Pontifex opportunitate vſus per Mladabertum Apoſtolicae Sedis Legatum, in Bulgariam ad Simeonem Regem miſſum, hac ſuper re epiſtolas dedit ad Epiſcopos, quas tamen non habemus, ac vna memorato Legato iniunxit, vt e Bulgaria redux Dioeceſibus ſingulis terminos conſtitueret. Legatione itaque Bulgarica perfunctus Principem, et Proceres cum Epiſcopis ad Concilium conuocauit, in quo Dioeceſium diſtinxit, definiuitque terminos. At Romam reuerſus Ioannem X. fatis functum reperit, cui vbi ſucceſſiſſet Leo VI. anno eodem 928. ab eodem Concilium a ſe celebratum confirmari fecit. Damus itaque Concilium Mladaberti ex Hiſtoria Salonitana maiori a Farlato editum, vti et Leonis VI. epiſtolam ad Epiſcopos Dalmatiae in confirmationem Concilii ſcriptam. Occaſio Synodi.

II. Nemo dubitare poteſt hanc Synodum ad noſtram Collectionem pertinere, ſi vel nomina Eccleſiarum, de quarum finibus agitur, attendamus, vt nil dicamus de Croatia, de Sisciana, Summa Synodi.

nunc

nunc Zagrabienſi Sede diſertis tractari verbis, eo autem libentius illam ad noſtras reuocauimus Synodos, quod Regia ſit. Dicitur enim: *Synodaliter nos Epiſcopos cum Croatarum Principe, et eius Proceribus congregauit,,* quis inde non videat Legatum Apoſtolicum praeſidere? paucis ſummam damus: Synodo Spalatenſi ſuam vindicat dignitatem, Eccleſiis antiquos terminos aſſignat, Sedes Metropoliticas determinat. Nonenſem Epiſcopum quo minus Scardonitanam, Siſcianam, et Delmenſem abſorbeat, oneris Pontificalis magnitudine deterret. Leo VI. exprobrat Epiſcopis Dalmatiae, quod Metropolitae ſuo debitam denegent reuerentiam, et terminos alienos inuadant.

Monita ſalutaria.

III. Mori noſtro inſiſtentes duos decerpimus floſculos amice Lector, vnum eſt immenſum Pontificale onus a Synodo tam grauibus expreſſum verbis, vt diſcas de magnitudine Dioeceſis non eſſe ſollicitum, ſi amplitudo Iurisdictionis Pontificibus ad ſuum, et ſibi commiſſi gregis cedat interitum, neque ſuum poſſint in eo implere officium. Si verum fateri volumus, quemadmodum paſſim Epiſcopos conſtitui Sacri vetant Canones, ita immenſas reſpuebant Dioeceſes maiores noſtri. Alterum eſt, quod Leo VI. inculcat, et mente ſaepe repetere oportet, „*nos nimirum per ordinem Iuſtitiae gradientes, et ſecuros ad Diuinam contemplationem peruenire, et gratiam DEO ſubditis illuceſcere, quum ſuis Praepoſitis curam obedientiae exhibere delectantur.,,*

XXX.
De Synodis Pannoniae Seculi X.

I. Diluculum Fidei in Hungaria noſtra in ſuperioribus oſtendimus, dum Apoſtolicos Urolphi labores, recitatis Eugenii II. Litteris, Apoſtolicae Sedis collaudauimus praeconio. Ampliorem Fidei profectum perhibet epiſtola Epiſcoporum Bauariae ad Ioannem IX. Summum Pontificem data, ex qua diſcimus plures in Hungaria Synodos habitas fuiſſe, cuius acta producere nulla quidem poſſumus. Hoc Synodorum habitarum documento laeti non putauimus vniuerſam epiſtolam Synodis noſtris inſerere, et molem augere voluminis, quum alia pleraque ad noſtrum inſtitutum haudquaquam pertinentia complectatur, et paſſim videmus editores Conciliorum veſtigiis illorum eſſe contentos. Ad finem decimi ſeculi huius reiecimus has Synodos, licet non dubitemus ante finem eiuſdem eſſe celebratas, ſeculo decimo iam adulto, et declinante eas agi oportuiſſe certum eſt. Epiſtolae aetatem ſolum attendimus, quam ignorare non poſſumus, quum ad Ioannem IX. ſcripta fuiſſe perhibetur.

Incrementum Fidei in Hungaria.

II. Synodorum harum celebrationi obeſſe forte videbitur id, quod Piligrinus Laureacenſis Archi-Epiſcopus ad Benedictum VIII. ſcripſit A: C: 974. nimirum Chriſtianos, quorum maxima pars Populi eſt, nonniſi furtiue ſoboles ſuas Domino conſecraſſe, oratoria Chriſtiano more conſtruere integrum non fuiſſe. Si tantopere oppreſſa fuit Fides Chriſti, quomodo exiſtimabimus Synodos ibi agi potuiſſe? Sed facilis eſt reſponſio, teſte enim S. Auguſtino in breuiculo collationis cum Donatiſtis, Catholici Epiſcopi poſtquam Concilium Cirtenſe aduerſus Donatiſtas allegaſſent, et hi reſpondiſſent tempore perſecutionis non potuiſſe congregari Concilium, reſpondebant Catholici: „*facilius duodecim homines in Concilium conuenire potuiſſe eo tempore, quo etiam congregationes plebium fieri ſolebant, quamuis perſecutione feruente,,* ad noſtrum prorſus caſum valent, quae idem S. Doctor in laudato breuiculo cap. 17. mihi pag. 720.

An Synodi haberi potuerint?

720. ſcripſit: „*Catholicis autem reſpondentibus, quod et Episcopi facile congregarentur tam pauci, vt nec Concilium dici debeat, quando plebes congregabantur, et erant ſine dubio, quibus ordinarentur Episcopi, ipſae vtique plebes*,, aliquibus interiectis · „*nam et domum priuatam Chriſtianis congregandis praeſtitam conſtitit tempore perſecutionis, ſicut in quibusdam geſtis Martyrum legebatur; quia Donatiſtae dixerunt fieri non potuiſſe, vt illo tempore domum ſuam quisquam praeberet, et commoratum eſt vsque adeo non eſſe incredibile, quod in priuatam domum pauci illi Epiſcopi perſecutionis tempore conuenirent, vt ferunte perſecutione etiam in carcere docerentur baptiſati Martyres, et illic a Chriſtianis celebrata Sacramenta, vbi Chriſtiani propter eadem Sacramenta tenebantur incluſi. Inter haec ergo tandem aliquando, ſaepe etiam Cognitor interlocutus, fieri potuiſſe illum conuentum ab Epiſcopis, quando et plebes congregatae probabantur*.„ Quid ni ſimilem ſententiam ferret Cognitor, dum ex Piligrini epiſtola intelligeret maximam Populi partem Chriſto fuiſſe denotam, et ſoboles ſuas licet furtiue, Chriſto tamen dedicaſſe, et oratoria ſolum extruere non potuiſſe.

Vlterius probatur Synodos celebrari potuiſſe.

III. Alia quoque patet reſponſio, quam ſuggerit incomparabile opus praeſtantiſſimi viri Stephani Sallagi Presbyteri quinque Eccleſienſis, quod de ſtatu Pannoniae libris ſeptem digeſſit; ait is lib. 1. cap. 5. pag. 173. „*Vidimus, qui fuerint fines ditionis Hungaricae, quum Conſtantinus Porphyrogenitus in oriente, Otto M. in Occidente imperarent. Verum paulo poſt fines ſuos Hungari contraxiſſe videntur, quum nempe anno Chriſti* 955. *memorabili, at internecina clade ab Ottone Imperatore ad Auguſtam Vindelicorum affecti ſunt*,, paulo poſt „*at neque ſuum omni ex parte conſeruare iis licuit, Pannonia enim Sauia poſt cladem Auguſtanam Hungaros a Croatis ſpoliatos fuiſſe exiſtimo*„ quid ergo mirum, ſi alia erat Fidei facies, vbi pro ſummo Imperio haud dominabantur Hungari.

XXXI.
De Epiſtolis Episcoporum Germaniae, de ſtatu Eccleſiarum Morauienſium, et Pannonicarum.

Nunquam ſalus animarum procurata fuit, quin boni omnis hoſtis diabolus ſemina inuidiae aſpergeret, hac excitati Episcopi Germaniae, quae Sedes Apoſtolica in gratiam Neophytorum Methodii opera ad Fidem traductorum vtiliter conſtituerat, ſat acerbe carpunt, Nullo ſane operae pretio.

XXXII.
De Leonis VII. Epiſtolis.

Prima harum Metropoliticum ius Laureacenſis Eccleſiae explicat, altera reſponſa Gerardo Laureacenſi Archi-Episcopo data recenſet, quae disciplinam illius temporis adumbrant; altera quidem epiſtola ad nos non pertinet; quia tamen epiſtola ad Gerardum data interiit, hacce ratione voluimus illarum ſarcire iacturam.

XXXIII.
De Epiſtola Agapiti Papae.

Rurſus Metropoliticum Ius Laureacenſis Eccleſiae in ſcenam prodit, quod ab Episcopo Salisburgenſi oppugnatum, Agapitus ad priores Leonis VII. epiſtolas reſpiciens confirmat.

XXXIV.

XXXIV.
De Epiſtolis Benedicti
Papae VII.

Quam merito Iuri ſuo Metropolitico metuerit Gerardus, docent binae hae epiſtolae, quibus ad Fridericum Salisburgenſem id transtulit. Non componemus has lites.

XXXV.
De Epiſtola Piligrini Laureacenſis Archi-Epiſcopi,
de conuerſione Hungarorum.

Feritas, et procurſiones Hungarorum.

I. Fauſtiſſimum Fidei lumen ſubitaneo fulgore in animis Hungarorum accenſum geſtienti animo annunciamus ex epiſtola Piligrini Laureacenſis Archi-Epiſcopi; operae pretium eſt hic conſiderare, quomodo populus iſte abſque ullis meritis bonis, imo cum plurimis meritis malis conſecutus ſit gratiam. Quod enim de Saulo dicit S. Auguſtinus in Libro de Gratia, et libero arbitrio, id iure optimo de maioribus meis dici poteſt: *„Lupus rapax mane rapiens, veſpere autem diuidens* fuit populus iſte.„ Etenim tantis cladibus afflixit Ecclesiam DEI, vt praecipuis malis, quibus decimum Eccleſiae ſeculum affluebat, tot Hungarorum incurſiones, et irruptiones accenſeri debeant, tantaque erat Populi huius feritas, vt in ea exaggeranda laborauerint ſcriptores, ferme omnes deterrimis depingant coloribus. Auctor vitae S. Geminiani ſeculo X. vitam agens, Hungarorum gentem *„foetidiſſimam, et pene omnibus metuendam gentibus„* appellat, quam inquit: *„in noſtris tribulationibus crudeliſſimam experti ſumus„* alibi ait: *„cuius illa, quam vtinam neſciremus, non dices certaminis, ſed inſolitis furoris„* Hinc vtique ſcripſit idem auctor lugubres illos verſus ad S. Geminianum Vrbis Mutinenſis Patronum, quos Muratorius ex codice 700. annorum deſcripſit, et ſic habent:

„Confeſſor Chriſti pie DEI famule
„O Geminiane! exorando ſupplica,
„Vt hoc flagellum, quod meremur miſeri,
„Coelorum Regis euadamus gratia.
„Nam doctus eras Attilae temporibus
„Portas pandendo liberare ſubditos,
„Nunc te rogamus licet ſerui peſſimi,
„Ab Vngarorum nos defendas iaculis.
„Patroni ſummi exorate iugiter,
„Seruis puris implorantes Dominum.

Nihilo mitius ſcripſerunt de Vngaris recentiores; Muratorius in Diſſertatione prima ait: *„Hungarorum gens ipſa feritate ferocior, ac omnium barbarorum immanitatem poſt ſe relinquens.„* Mabillonius in Annalibus Benedictinis Lib. 41. §. 2. Tom. 3. pag. 290. ſcribit in haec verba: *„Nondum omnino deferbuerat Nortmannicus furor, quum noua gens non minus ſaeua, quam barbara, in Europam debachari coepit. Hi fuere Hungari, agreſtibus illi moribus, ac ferinis proeliti, ad ſolam belli diritatem formati videbantur. Matres infantium horum, vbi primum nati erant, faciem caedere ſolitae, vt eos ad dolorum patientiam a puero aſuefacerent, carnibus crudis veſcebantur, ſanguinem ipſum potabant. Ceterum ingenia crudelia, tumida, ſeditioſa, nihilque in eis veri, nihil ſinceri, fraus, et perfidia omnia. In Foeminis eadem ferocitas, atque in Viris. In bello ſagittis potius, quam gladiis vtebantur, quas tanta dexteritate iaculabantur, vt earum ictus nulla induſtria vitari poſſet, fugiendo magis, quam reſiſtendo terribiles.„* Ego quidem exiſtimo, quod tetrae huius imaginis originales colores aegre poſſet exhibere Mabillonius, quod ad ſanguinem hauſtum attinet, proculdubio id ex Chronico Regio S. Pantaleonis mutuatum eſt, ait enim hoc ad annum Chriſti DCCCC. *„Arnolphus Imperator obiit, moxque eodem anno Vngori, morte illius audita, collecto permagno exercitu Moravanorum gentem,*

Digitized by Google

tem, quam illorum auxilio Arnolphus Imperator ſubdiderat, inuadunt, ſibique vendicant, Baioarienſium quoque fines occupant, Caſtella diruunt, Eccleſias igni conſumunt, populos iugulant, et vt magis, magisque timeantur, interfectorum ſe ſe ſanguine potant.„ Sed quod non nunquam ex furoris impetu, augendumque terrorem factum eſt, moribus Hungarorum perperam adſcripferis. Quam autem fuerint fugiendo terribiles, expertus eſt, teſte Annaliſta Saxone, Ludouicus Rex, ſimulata fuga in inſidias pertractus. Quidquid ſit de moribus maiorum noſtrorum, quod Eccleſiam DEI populati ſint, certum eſt, prouti enim Muratorius differt. 40. docet Hungaros anno DCCCC, ex Hermanno contracto DCCCCII, ex Luitprando DCCCCV, ex Cligonio, et Lupo DCCCCXX Italiam vexaſſe nouimus. DCCCCXXI, et ſubſequenti eorum gladiis, et ſagittis Italia ſanguine maduit. In MSto codice Bibliothecae Caſanatenſis Romae habetur nota marginalis, vbi legitur cyclus Paschalis Dionyſii Exigui hisce verbis: „*hoc anno ideſt DCCCCXXII, venerunt Hungari in Apuliam quarto die ſtante menſis Februarii.*„ DCCCCXXIV. Ticinum incenderunt, DCCCCXXVII Germaniam, Galliam, et Burgundiam peruagati per Italiam redierunt. Modo memoratus Lupus tradit illos DCCCCXXXV, DCCCCXL, et DCCCCXLVII. in Apuliam irruiſſe, Capuam obſediſſe, ac innumera in iis regionibus perpetraſſe mala. Flodoardus tradit DCCCCLI. Hungaros ex Italia in Aquitaniam tranſiiſſe, fortaſſis et anno DCCCCLII. Hungaros e Gallia fugientes Italia vidit. Richardus Miniacenſis, et ex eo Bonfinius afferunt ab anno DCCCCII fere quotannis populandi cauſa Italiam repetere conſueuiſſe. „*Tota ergo* (ita ait Muratorius loco citato) *periodus aerumnarum quas ab Hungaris Italia ſuſtinuit, inter annum DCCCC, et DCCCCL reuera concluditur.*„ Non ſolum Italiae imminebant, ſed etiam in Hiſpaniam procurrerunt. Ricciobaldus de Compilatione Chronologica apud Eccardum Tom. I. ad tempora Henrici Saxonis ait: „*Hungari Italia oppreſſa etiam Galliam et Hiſpaniam oppreſſerunt.*„ Studreb. Ratisbonenſis Chronicon ſimilia habet: *Huius Hugonis tempore* (videtur eſſe ſermo de anno DCCCCXII) *Vngari per Galliam, et Hiſpaniam omnia igni, et ferro deuaſtant, et conſumunt.*„

II. Poſt tanta merita mala Chriſtianam Fidem ſub ſecuritate pacis vix praedicari coeptam tantum fructum feciſſe, vt ex nobilioribus Vngaris circiter quinque millia Chriſto lucrifierent, inenarrabilis eſt Diuinae bonitatis pietas. Si narratio tota Piligrini expendatur, videtur ſatis certum, Geyzam quoque tunc Chriſto fuiſſe mancipatum, licet dein Piligrini Apoſtolicis laboribus interruptis, DEVM verum cum inanibus Diis coluerit. Magna enim illa Sacerdotum ſecuritas, Fidei Chriſtianae libertas, tot Nobilium virorum conuerſio Ducis exemplo tribuenda, licet de eo taceat Piligrinus, forte ideo, quod tunc temporis Baptismo nondum fuerit ablutus Geyza. Nobilium virorum conuerſionem maxime commendat Piligrinus: et recte, quum de nobilium conuerſione magis ſit laetandum. Egregie id exponit S. Auguſt. Confeſſionum Lib. 8. cap. 4. pag. 173. „*Si minus noti ſunt populis, minus de illis gaudent etiam, qui nouerant eos, quando enim cum multis gaudetur, et in ſingulis vberius eſt gaudium, quia ferueſaciunt ſe, et inflammantur ex alterutro, deinde quod multis noti, multis ſunt auctoritati ad ſalutem, et multis praeeunt ſecuturis. Ideoque multum de illis, et qui eos praeceſſerunt laetantur, quia non de ſolis laetantur: abſit enim, vt in tabernaculo tuo prae pauperibus accipiantur perſonae diuitum, aut prae ignobilibus nobiles: quando potius infirma mundi elegiſti, vt confunderes fortia, et ignobilia huius mundi elegiſti, et contemptibilia, et ea, quae non ſunt, tanquam ſint, vt ea, quae ſunt, euacuares. Et tamen idem ipſe minimus Apo-*

Conuerſio Hungarorum.

ſtolo-

ſtolorum tuorum, per cuius linguam tua iſta verba ſonuiſti, quum Paulus Proconſul per eius militiam debellata ſuperbia, ſub lene iugum Chriſti tui miſſus eſſet, Regis magni prouincialis effectus, ipſe quoque ex priore Saulo Paulus vocari amauit ob tam magnae inſigne victoriae, plus enim hoſtis vincitur in eo, quem plus tenet, et de quo plures tenet, plus autem ſuperbos tenet nomine nobilitatis, et de ſuis plures nomine auctaritatis.„ Si ergo tanta vis eſt poſita in conuerſione nobilium, quantam exiſtimahimus fuiſſe conuerſionem Hungarorum, ſiquidem quinque millia Nobiliorum fidem ſuſceperunt.

An Templum S. Martini de monte Pannoniae primum templum fuerit?

III. Eccleſiis etiam reſtaurandis manum neophytos Hungaros admouiſſe teſtatur Benedictus VI. in epiſtola ſua ad Gallos, et Germanos data inquiens: *„Eccleſias quasdam in ſua terra, quas Patres incendia dederunt, poſteri inſtaurare videntur.„* Et hac occaſione mouendi ſunt illi, qui perperam exiſtimant templum S. Martini in monte Pannoniae primum fuiſſe Hungaris templum; tuentur quidem ſe Fundationalibus S. Stephani, in quibus dicit: *„necdum enim Epiſcapatus, et Abbatiae praeter locum ipſum in Regno Vngariae fuerant„* hunc errorem ſecutus eſt etiam Stiltingus, verum ſufficienter refellitur epiſtola Benedicti VI. neque litterae S. Stephani id aſſerunt, quod exſculptum vellet Stiltingus: Epiſcopatum nullum ſuperfuiſſe temporibus S. Stephani non multum reluctabor, Eccleſias nullas fuiſſe nego, et pernego.

Vnde accepta acta?

IV. Vnde Epiſtolam Piligrini, et Benedicti VI. acceperimus, neque opus eſſet dicere, quum vtraque toties vulgata ſit, ſiue ex Harduino, ſiue ex Hanſizio, ſiue ex Stiltingo depromptam velis. in tuo arbitrio ſtabit. quem fontem malis, in eo ſumus ſecuti Stiltingum, quod epiſtolam Benedicto VI. tribuerimus.

XXXVI.
Sylueſtri II. Litterae ad S. Stephanum Regem.

Defenſores Sylueſtrinarum litterarum.

I. Deuenimus ad plenam Fidei lucem, quae eo magis a nobis praedicanda eſt, quod Crux Chriſti non ſolum in fronte Regum refulgeat, ſed a Regibus etiam praedicetur. En virtus Crucis Chriſti, non modo vicit mundum, ſed per eos iam vincit, qui ſuo tenent imperio mundum: De his ſatis hactenus. Ad Sylueſtrinas itaque litteras deuenimus, tantis quorundam ſtudiis impugnatas, aliorum vero conatibus vindicatas. Non exiſtimo neceſſarium eſſe, vt argumentis Cl. Svartzii refellendis incumbam, quibus a doctiſſimis viris Stiltingo, Kollario, et Pray pleniſſime ſatisfactum eſt; quamuis Ill. Kollár deinceps has easdem litteras conuellere coeperit; meas tamen dubitationes, ac rationum momenta, quibus easdem diſpuli, lectori beneuolo candide recenſere debeo.

Dubia aduerſus has litteras.

II. Mouebat me imprimis, quod Ius Eccleſias Hungariae diſponendi, et ordinandi ad ſucceſſores Reges transmisſum haud videam contra, ac litterae hae innuant; quod Werböczius quaeuis argumenta pro Iure Patronatus Regio vndecunque exquirens Sylueſtrinarum litterarum nusquam meminerit; ſed neque Diui Reges Vngariae aliquando ad illas prouocauerint. Denique quod hae cum teſtimonio Chartuitii pugnent; ait enim Sylueſter II. *quia Nobilitas tua Apoſtolorum gloriam aemulando Apoſtolicum munus Chriſtum praedicando - - - gerere non eſt dedignata:* Chartuitius autem cap. 3. num. 18. *nomen adeptus eſt Apoſtoli, et quamuis ſuper ſe Euangelizandum non aſſumpſit aſſiduum Praedicatorum, tamen Dux. et Magiſter eius tutaminis, et ſuſtentationis inſtituit ſolatium.* Quod quidem attinet ad

S Ius

Digitized by Google

Ius Eccleſias ordinandi, exquiſitiſſima cum eruditione illuſtrauit Ius Patronatus Apoſtolicorum Regum Ill. Adamus Franciſcus Kollár, ſi tamen totum opus expendatur, perpetuus Iuris Patronatus vſus non tantum irrefragabiliter non docetur, ſed neque vllus euincitur. Liber enim primus, et ſecundi capita quinque de Sancto Stephano agunt. Capite ſexto ab Andrea primo erecta Abbatia Tihanienſis commemoratur, quod cuiuis absque Priuilegio Apoſtolico licet; certe inde ius Epiſcopos nominandi non deducitur. Dein ex eo, quod Rado Palatinus Eccleſiam, quam ſupra Drauum fluuium in honorem S. Michaëlis Archangeli aedificauerat, S. Petro, et Mauro Epiſcopo Quinque Eccleſienſi commendauerit, exſculpere vult cum conſenſu, et licentia Regis in praefatum Epiſcopum fuiſſe translatum Ius Patronatus; quod quidem inde non conſequi exiſtimo, quum Eccleſiam aliquam Epiſcopo commendare idem certo non ſit, ac Ius Patronatus in illum transfundere. Nullum hic nominationis veſtigium. Capite ſeptimo, octauo, ac nono epiſtolas S. Gregorii VII. etiam a nobis relatas, et illuſtratas refert, in quibus ne verbulo quidem ius nominationis Epiſcoporum commemoratur. Capite decimo diſceptat aduerſus Peterſium de Colomani lege piſtrinas Eccleſiis auferri iubente; nullum Vicariae a Sede Apoſtolica acceptae poteſtatis vſum inde erui poſſe euicimus in Diſſertatione de Synodis Regiis, et ſi conſequeretur etiam, nil pro Iuris Patronatus, ſeu nominationis vſu extundi poſſet, cuius nulla mentio in toto Colomani Decreto. Caput vndecimum verſatur circa Iusiurandum ab Archi-Epiſcopis Sedi Apoſtolicae praeſtandum, qua de re Paſchalis II. litterae recitantur. Summus Pontifex obiter duntaxat commemorat Epiſcoporum translationes ſolo nutu Regis fieri. Si in electionibus Canonicis translationes Epiſcoporum fieri non poſſent, ipſe quoque aſſentirer vſum nominandi Epiſcopos ex his Apoſtolicis litteris doceri; verum quum in electionibus non minus, quam nominationibus poſtulationes, adeoque translationes Epiſcoporum iuſtis ex cauſis locum habeant, non puto ex his litteris firmum ſtrui poſſe argumentum. Capite XII. et XIII. refutationem inueſtiturae a Rege Colomano factam enarrat; at inueſtituras etiam in caſibus liberae electionis viguiſſe infra pluribus oſtendemus, dum refutationem hanc proferemus. Capite XIV. et XV. expendit Belae, aut Emerici Regis Diploma, de quo inferius ſuo loco; vbi quum ſolum de Epiſcoporum, aliorumque beneficiatorum ordine Iuris non conuictorum depoſitionibus agatur, vſum nominandi Epiſcopos non firmat Diploma illud. Capite XVI. referuntur Alexandri III. ad Belam III. pro libera electione Spalatenſis Eccleſiae perſcriptae litterae, quia autem teſte Thoma Archi-Diacono Petrus electione ad Cathedram Spalatensem euectus fuit, nil inde pro Sylueſtrinis litteris conſequi patet. Idem eſt de Capite XVII. ex eo enim, quod Rex Calano Quinque Eccleſienſi Epiſcopo, de inceſtu accuſato e Sede ſua deturbando incubuerit, ac Boleſlaum Vacienſem Epiſcopum Eccleſia eiecerit, quid amabo inde ad firmandum nominationis vſum deduci valet? Capite XVIII. allatae Apoſtolicae litterae manifeſtum perhibent teſtimonium electionis tunc in Hungaria vigentis. Plura huiusmodi et exempla, et teſtimonia electionum occurrunt apud eundem Ill. Auctorem, quae licet variis modis explicare ſatagat, id tamen perſpicuum eſt, nullum indubitatum electionis exemplum ante tempora Concilii Conſtantienſis exercitae in eruditiſſimo illo opere, quod hactenus recenſuimus, reperiri. Merito ergo videor mihi dubitaſſe de Sylueſtrinis Litteris. (a)

III. Ab-

(a) Stat itaque ad ſucceſſores S. Stephani ius nominationis transmiſſum non fuiſſe, aut certe non probari.

Sylueſtrinae litterae Iuri Nominationis non opitulantur.

III. Abſit amice Lector, vt his Ius Patronatus Apoſtolicorum Regum conuellere, aut Capitulis Hungariae ius liberae Electionis vindicare cupiam. Salua ſunt Sereniſſimis Regibus noſtris Iura ſua, neque in illos peccaſſe mihi videor, dum originem ſplendidi huius Iuris ad poſteriora tempora, conceſſionem quippe Concilii Conſtantienſis referendam adſtruo. Haec praefari neceſſarium habui, vt argumenta, quibus litteras Sylueſtrinas aduerſus dubitationes praerecenſitas apud animum meum tueor, libere depromere valeam. Exiſtimo itaque Sylueſtrum II. Ius nominandi Epiſcopos legitimis Regibus Hungariae haud conceſſiſſe; Secus enim et Werböczius, cui Sylueſtrinas litteras ignotas non fuiſſe vberrime docet toties laudatus Ill. Kollár Lib. I. cap. 10. pag. 51. et Reges noſtri pronocaſſent ad eaſdem, neque vllum electionis ſimulacrum, vti poſt Concilium Conſtantienſe factum videmus, Eccleſiis reliquiſſent. Dixi ſimulacrum electionis, aliquam enim electionis ſpeciem antea viguiſſe manifeſtum eſt. In hanc opinionem me deduxit ipſe Ill. Auctor, dum Lib. I. cap. 10. pag. 52, ita ſcribit: „*at quaeret fortaſſe quiſpiam, cur Werböczius aeque claris, ac perſpicuis verbis Sylueſtrinas litteras, atque confirmationem Concilii Conſtantienſis non deſignarit, nimirum quia confirmatio illa et recentior erat, et ad probandam beneficiorum collationem, qua de re eo titulo agit, plus roboris habere eſt viſa.*„ Vtroque ergo tam Werböczio, quam Kollario adſtipulante, non ſatis roboris habent Sylueſtrinae litterae ad Ius nominationis Regibus noſtris adſerendum. Hinc neque mirum eſt pacificum, et indubitatum nominationis vſum vsque tempora Concilii Conſtantienſis, neque a locupletiſſimo Iuris huius defenſore probari quiuiſſe, quin certum eſt Pontifices plus ſimplici vice Eccleſiis Hungariae Epiſcopos pro ſuo deſignaſſe arbitrio. Contra quorum conatus peremptorium argumentum fuiſſet ius Nominationis in pactum cum Sylueſtro II. initum deductum allegare, ſi verba genuinarum Sylueſtrinarum litterarum eum ſenſum reddere viſa fuiſſent.

Conciliatur Chartuitius cum litteris Sylueſtrinis.

IV. Quantum ad pugnam Sylueſtrinarum litterarum cum Chartuitio, non exiſtimo eam tantam eſſe, vt in amicam concordiam reduci non valeant. Etenim et ille Chriſtum praedicare dicitur, qui modis omnibus Chriſtum cordibus hominum inferere nititur; quod abunde praeſtitit Apoſtolus Gentis noſtrae, licet e ſuggeſto verba pro concione non fecerit. Qua ratione Sanctus Rex praedicaſſe dici poſſit, docet Chartuitius cap. 2. num. 9. „*Cum his DEI Seruus Princeps Chriſtianiſſimus aliquando comiter cum omnibus, aliquando ſingillatim cum vno quoque eorum colloquium habens, in tam Diuinis conſpectibus ſe probabilem reddidit, vt omnes militiae ſuae Comites ad veri DEI cultum conuerteret. Quos vero alienae ſectatores viae reperit, minis, terroribusque ſubiugauit: Ipſosque ſecundum Eccleſiaſticam doctrinam inſtituens iugum, et legem diſciplinae ſuppoſitis ceruicibus adhibuit*„ an non hoc eſt Chriſtum praedicare?

Auctoris de Sylueſtrinis litteris ſententia.

V. Extra omne igitur dubium poſitas aſſero Sylueſtrinas litteras? minime id quidem. Comploratam ergo litterarum cauſam contendo? nec hoc quidem. Licet enim argumenta pleraque validiſſime a viris laudatiſſimis refutata videam, quia tamen deperditas ſcimus, originem autem inuentarum litterarum non ſatis tenemus, non puto rem eſſe ſat eliquatae veritatis, vt me pro ſinceritate earundem vadem praebere audeam. Non voco equidem in dubium ſiue Levakovichii fidem, ſiue Verantii circumſpectionem, patere tamen deberent acta exemplaris in Traguriensi Archiuio reperti, quod ſemper vtique talibus in caſibus attendi debet, et ſolet. Quis me ſecurum praeſtabit interpola-

tum non fuiſſe exemplar? A Syluеſtro II. litteras, et quidem ſimilis ferme tenoris ad S. Stephanum exaratas fuiſſe docet Chartuitius, et Werböczius. An hoc ipſo tenore ad apicem omnia perſcripta fuerint, non liquet, ideo neque contentioſe aut affirmare, aut negare auſim. Solent Critici, dum deperdita monumenta in lucem protrahuntur, inter cetera criteria, etiam fragmenta eorundem indubitata cum tenore monumenti in lucem recens protracti conferre, an toti cohaereant. Contendamus ergo fragmenta Sylueſtrinarum litterarum cum toto contextu. Chartuitius cap. 2. num. 12. Pontificem Sylueſtrum cum Aſtrico colloquentem inducens videtur ſummam litterarum compendio referre, dum ſic ait: „*Quibus auditis valde gauiſus Romanus Pontifex, cuncta, prout fuerant poſtulata, benigne conceſſit. Crucem inſuper anteferendam Regi velut in ſignum Apoſtolatus miſit; Ego inquiens ſum Apoſtolicus, ille vero merito Chriſti Apoſtolus, per quem ſibi tantum populum Chriſtus conuertit. Quapropter diſpoſitionem eiusdem, prouti Diuina gratia ipſum inſtruit, Eccleſias vna cum populis vice noſtra ei ordinandas reliquimus.*„ Ipſa quoque verba Sylueſtrinarum litterarum hic recurrunt, vt adeoque maiorem partem genuinam eſſe nil dubitem; verum nîl occurrit apud Chartuitium de confirmatione Sedis Apoſtolicae a Regibus impetranda, nîl de ordinatione Eccleſiarum ad poſteros transmittenda dicitur. Werböczius parte prima Tituli XI. § 3. commeminit crucis, a Summo Pontifice transmiſſae, commemorat laudem inſtitutae gentis S. Stephano tributam. Aſſentior itaque Ill. Kollario lib. I. cap. IX. pag. 51. ſcribenti Werböczium prae manibus, et oculis habuiſſe Sylſteſtrinas litteras; at in genuinis illis litteris nîl legit de Iure Nominationis ad ſucceſſores Reges transmittendo. Ita proinde exiſtimet, velim, beneuolus Lector, me his litteris neque fidem derogare, neque adſtruere, atque ideo eum locum tribuere inter acta Eccleſiaſtica, quemadmodum Concilii editores teſtimonia celebratarum Synodorum adferre ſolent.

XXXVII.
Diplomata S. Stephani Regis Eccleſiis Hungariae conceſſa.

I. Nouem Diplomata Sancti Stephani Regis Eccleſiis Hungariae conceſſa continua ſerie hic damus, quamuis alia acta Eccleſiaſtica interiici debuiſſent, maluimus tamen vno obtutu omnia ſiſtere, quod deinceps etiam praecipue in Decretalibus Summorum Pontificum faciemus. Pauca haec nobis ſuperſunt, quae ipſa etiam nobis intemperantes quidam critici e manibus excutere fategerunt. Nuper enim prodiit Viennae ſub Anonymo quidam libellus germanicus Typis Ioannis Geroldi, qui dubitantis perſonam mentitus Priuilegium laudati Sancti Regis Anno MI. Monaſterio S. Martini conceſſum ex regulis artis Diplomaticae oppugnat. Reſpondimus nos e veſtigio dubiis his, in qua concertatione vſi ſumus nomine Agamantis Palladii, quod nobis Academia Philaletorum Romae indidit. Quia autem opuſcula huiusmodi facile intereunt, totum huc tranſcribendum cenſui.

Diploma S. Stephani monti Pannoniae conceſſum impugnat Anonymus.

II. Primum argumentum Anonymi aduerſus Diploma S. Stephani eſt, quod originale ipſum non videatur in membrana, ſeu, vt ipſe vocat, corio pargameno exaratum eſſe. Probat id ex tranſumpto exemplari Leopoldi I. Regis, et Imperatoris, qui in ſimplici papyro conſcriptum diſertis adſerit verbis. Rudes omnino, et imperitos eſſe oportet Hungaros, qui Priuilegium originale inſpexerunt, ſi id a S. Stephano in papyro exaratum fuiſſe crediddiſſent;

Diploma S. Stephani vindicatur.

quot-

quotcunque illud hactenus viderunt, et pia deuotione proſecuti ſunt, omnes vno ore membranaceum eſſe dixerunt; Ignoſcat itaque bonus Anonymus, ſi plus oculis meis, et manibus, quam argumentationibus illius credidero: Vnde autem factum ſit, quod Magnus Leopoldus in ſimplici papyro conſcriptum dicat? non eſt tam pronum aſſequi, neque tutum aliquid coniicere, niſi totus Leopoldini Priuilegii contextus pateat; alium enim ſoepe numero ſenſum reddunt fragmenta a reliquo contextu Diplomatis auulſa tantoque minus tutum eſt aliquid diuinare, quod ex allatis ab Anonymo pag. 19. Diplomatis Leopoldini verbis non conficiatur Leopoldum S.Stephani totum transumpſiſſe Priuilegium: Summam enim duntaxat referre videtur, licet adfirmare non auſim (deſunt enim reliqua) tranſcriptos haud fuiſſe tenores illius: mihi quidem videtur Imperatori ſufficere potuiſſe ad extractum Priuilegii referendum, Litteras S. Stephani in ſimplici papyro conſcriptas vidiſſe in authentica quapiam forma. Sed ſi dicamus etiam Leopoldum tranſumpſiſſe Priuilegium totum, numquid id tuto facere non poterat, etiamſi apographum ſolummodo exhibitum fuit? Simile ferme exemplum occurrit in Priuilegio Geyzae II. Anno MCLVIII. pro Gaufredo Abbate S. Benedicti de radice ferrei montis edito. Poſtquam enim Rex laudatus narraſſet autographa Sanctorum Stephani, et Ladislai fuiſſe igne abſumpta, inquit: „*Horum vero Priuilegiorum exemplaria, pro diuerſis negotiis, ſcilicet, quae ſolent emergere absque ſigillaris impresſionis firmamento, in Camera eiusdem Abbatis Monaſterii, ab horrido conbuſtionis infortunio, Diuina ſic volente clementia, ſunt ſeruata, ex quorum teſtimonio haec in praeſenti ſunt Priuilegio relacta.*„ Imo idem Rex hoc ipſum apographum ſuo ſigillo muniuit, inquiens: „*hoc ipſum Priuilegium ſigilli proprii munimine manu propria roborauimus.*„ Tandem etiamſi, nescio, quas in ſimplici papyro oblatas litteras, aut ipſe Leopoldus, aut quod veriſimilius eſt, Cancellarius eius temporis originales credidit, venia dari poteſt glorioſo Imperatori, depellendis potius Turcis, quam Diplomatibus diſcutiendis intento; Illi enim debemus, quod nobis in hoc otio quietis eſſe, ac etiam disceptare liceat.

Erraui, quod Leopoldo veniam quodammodo exorauerim; membranam enim papyrum, ſeu chartam appellando ab exemplo antiquitatis non receſſit: innumera poene exempla occurrunt in Diplomatibus antiquiſſimis Regum Francorum, vbi ipſa Priuilegia in membrana exarata, iam chartae, iam chartulae vocantur, iam chartale Teſtamentum appellantur: etiam in Capitularibus eorundem Regum id ipſum occurrit, ad quae Reges noſtri identidem respexerunt. Lex Alemannorum ait: „*Res Ecleſiae de Laicis absque charta nullus praeſumat posſidere.*„ Capitulare IV. Caroli M. Anno DCCCIII. editum cap. 8. „*volumus, vt ſi ille homo ſeruo, aut ancillae chartam in ſua praeſentia fecerit, et ille, vel illa, qui chartam libertatis habere debet, praeſentes fuerint etc.* Vt Domeſtica non praetermittam, Andreas I. Anno MLV. Priuilegium vocat „*Chartalis Teſtamentum Priuilegii.* Rex Bela in Priuilegio Monaſterii S. Martini Anno MCXXXVIII „*Super chartam praeſentem noſtrae Regalis imaginis impresſionem per Ioannem Notarium appoſuimus.* Stephanus III. in Priuilegio Fratribus Jeroſolymitanis elargito Anno MCLXVI. „*data autem haec Chartula nono Calendas Nouembris.* Bela III. in Strigonienſis Eccleſiae Priuilegio Anno MCLXXXI. „*Saul Chanadienſis electus hanc chartam adnotauit.*„ Hoc ipſum confirmat charta caritatis Caleſienſis congregationis ord. S. Benedicti apud Martenne, et Durandum in theſauro nouo Anecdotorum Tom. IV. col. 1211. „*Dominus Ct. Abbas Caleſii, et*

Fratres ſui ſcripſerunt, et ſtatuerunt An. ab Incarnatione Domini MCXLVIII. hoc Decretum: aliquibus interiectis *„et hoc Decretum Chartam Caritatis vocari conſtituerunt.„* In ſtatutis antiquis ordinis Ciſtercienſis pariter recurrit *Charta Caritatis* in eodem Theſauro Anecd. Tom. IV. col. 1296. in ſtatutis videlicet Anni MCI. *„Legatur imprimis Charta Caritatis ex integro„* imo Gregorius PP. IV. Catalogum ex materia Chartalogum vocat in epiſtola pro Aldrico Coenomanicae Vrbis Epiſcopo apud Mabill. in veteribus Analectis col. 299. inquiens: *„Veſtris fulciatur auxiliis, ſitque ab omni Sacerdotalis Chartalogi laqueo, aut oppreſſione, vel iudicio humano intactum.„* Non poſſum hic omittere teſtimonium S. Auguſtini, qui epiſtola nunc 43. alias 142. ad Glorium, et Eleuſium operum S. Auguſt. Tom. 2. mihi pag. 118. ait: *Non chartis veteribus, non Archiuis publicis, non geſtis Forenſibus, aut Eccleſiaſticis agamus.„* In certa ipſa facta ſcriptura Charta, et Chartellus vocatur, quod iam comprobauit Du Cange in Gloſſario voce *Chartellus.* Similiter idem Du Cange demonſtrat voce *papyrus,* quoduis inſtrumentum, ſcripturam quamuis fuiſſe *papyrum* appellatam.

Aliqui aſſerunt voculas illas: *in ſimplici papyro* ad Diploma irrepſiſſe vitio, et errore librarii, qui formulam tranſcribendorum Priuilegiorum ſecutus haec adiecit, ſi tamen vitium dici poteſt, quod aeui moribus receptum. Etenim in formulario Leopoldi M. Anno MDCXCVI. exarato pag. 342. haec habentur: *„Praeambulum expeditionum Cancellariaſticarum. Nos Leopoldus etc. damus pro memoria, quod Fidelis noſter Egregius Magiſter Ioannes Pényei Praeſentiae Noſtrae Regiae Proto-Notarius eandem Noſtram perſonalem veniens in praeſentiam exhibuit eidem, et praeſentauit certas quaſdam litteras alias Fidelis noſtri Spectabilis, ac Magnifici T. Iudicis Curiae noſtrae Regiae mandati praeceptorii Exhibitionales, pro parte Nobilis Dominae T. Egregii condam T. Relictae Viduae, vt Actricis, aduerſus Fidelem noſtrum Nobilem, et circumſpectum I. velut in cauſam attractum in ſimplici papyro patenter ſub ſigillo eius ſecreto authentico, manusque ſubſcriptione confectas, et emanatas, eidemque Magiſtro Proto-Notario pro debita, et finali earundem executione praeceptorie ſonantes, et directas hunc tenorem continentes:„* In opere de arte Notariatus a Francisco Nagyvári, Anno MDLXXVIII. Poſonii conſcripto, libro primo in MS. meo pag. 119. ſequentem formulam reperio: *„Nos Rudolphus etc. damus pro memoria, quod nobis feria quinta proxima poſt Feſtum T. proxime praeteritum, inſtante ſcilicet termino celebrationis Iudiciorum generalium, octaui diei Feſti Beati T. ſimiliter proxime praeteriti, ad quem videlicet terminum etc. fuerant prorogata, vna cum Fidelibus noſtris, nonnullis Dominis Praelatis, et Baronibus, Magiſtris item Protonotariis, et Regni noſtri Nobilibus, Sedis noſtrae Iudiciariae iuratis Aſſeſſoribus in eadem Sede noſtra Iudiciaria pro Tribunali conſidentibus J. pro J. Filio J. in quem, eodem quondam J. Patri ſuo demortuo, praeſens cauſa eſt condeſcenſa, cum Procuratoriis litteris in I. Figura Iudicii perſonalis praeſentiae comparen. Contra J. et J. pro quibus J. pro Nobili ſcilicet J. cum Capituli Eccleſiae J. pro reliquis vero cum litteris noſtris Procuratoriis, coram dicta Perſonali praeſentia noſtra adſtabat, quasdam litteras Fidelium noſtrorum Capituli Eccleſiae J. Reſcriptionales ſub ſigillo eiusdem Capituli in papyro clauſe confectas, tenore quarundam litterarum Sacratiſſimi Principis quondam I. Introductoriarum, et Statutoriarum cum inſerto Donatione eiusdem quondam J. verbaliter in ſe continent, dictae perſonali praeſentiae Noſtrae Iudiciarium producere curauit in conſpectum huiusmodi ſub tenore: Sereniſſimo Principi etc. Quibus exhibitis, et praeſentatis, continentiisque earundem praefatis Partium praeſentibus perlectis, et ſane intellectis, praefatus Procurator dicti A. rationem praeſcriptae Contradictoriae Inhibitionis, et non admiſſionis ſtatutionis prae-*

tacte-

tactorum Bonorum, et Iurium poſſesſionariorum dare, et asſignare poſtulant per Incattos praenotatos: Quo oudito praefatus J. pro iam fatis J. dictam noſtram Perſonalem exurgen. in praeſentiam, factis quibusdam friuolis allegotionibus, et exceptionibus, illisque per nos tonquam inanibus iure reiectis, tandem per formam exceptionis allegauit: Quod praefati J. rationem praemiſſae controdictionis, inhibitionis, et non odmisſionis ſtatutionis, et introductionis proemiſſae dare minime tenerentur, quia praefatae literoe proefati condam J. ſuper proeſcripto poſſesſionario collatione dicto quondam J. Patri iam fati A. modo praedeclarato facta, Donationales, nec non praeinsertae etiam Introductorum, et Stotutorum ex eo, quia nulla nomino Bonorum, et Iurium poſſesſionariorum donatorum, et ſtatutorum continerent, in Iudicio locum non haberent, neque ipſe A. ſe praenominatis J. inquietore poſſet, imo idem J. ab vlteriore impetitione praefati A. cauſa in praeſenti defacto obſolui, et exonerari deberet, iidemque Partium Pr. per Maieſtatem noſtram, in praemisſis Iuris aequitatem, Iuſtitiaeque ſupplementum poſtularunt elargiri. Verum quia, vti ex praemisſis rationibus, et allegotionibus praefati Procuratoris dictorum J. informabamur, praeſcriptis literis iom fati quondam J. Donationalibus, nec non Introductoriis, et Statutoriis in Iudicio nullus locus dari, ex eoque memoroti J. ob vlteriori impetitione, et aquiſitione dicti A. cauſo in praeſenti abſolui, et exonerori: imo cauſam etiam ipſam de facto ſopiri, et condescendere debere, Nobis, oc proefatis Dominis Praelatis, et Baronibus, item Mogiſtris Protonotoriis, et Regni noſtri nobilibus, Sedis ſcilicet noſtrae Iudiciariae iuratis Aſſeſſoribus, in eodem Sede Iudiciaria, in examine, et discusſione proeſentis couſae, nobiscum in Iudicio exiſtentibus cernebatur manifeſte. De quorum conſilio praematura, et ſana deliberatione, rationibusque, et cauſis ex proedeclaratis, proetactas literas iam fati quondam J. Donationales, nec non Introductorum, et Statutorum caſſori, et inualidari, memoratosque J. ab vlteriori impetitione proefoti A. cauſa in praeſenti, ex nunc, et defacto obſolui, et exonerari, ac cauſom praeſentem ſimpliciter ſopiri, et condescendi debere decreuimus, et commiſimus, decernimus, et committimus harum noſtrarum vigore, et teſtimonio literorum mediante. Datum etc.„ Habes iam eam tranſcribendarum Priuilegialium obtinuiſſe formulam, vt promiscue omnes in papyro confectae dicerentur; ſecus enim in formula adpareret monitiuncula de papyri, et pergameni discrimine litteris, vt nos vocamus, transumptionalibus inferendo.

Quid quid autem ſit de Diplomate Leopoldino, nulla ratiocinatione, euidentia facti refutari poteſt, atque euerti, quin potius hinc argumentum depromo pro adſtruenda authentia Priuilegii noſtri. Anonymus enim talismodi argumentum ſtruit: Priuilegium hoc vel in membrana exaratum eſt, vel non; ſi non eſt in membrana, ſuapte nulla eſſe poteſt illius auctoritas, quod nemo ignorat; ſi autem in membrana nunc conſcriptum oſtenditur, hoc ipſo ſuppoſititium eſt; nam Leopoldo fuit exhibitum papyraceum. Quid, amabo, aliud ſequitur ex hoc argumento, quam Priuilegium iſtud poſt tempora Leopoldi I. fuiſſe membranae ſuperinductum? Si aliquid valet argumentum Anonymi, id ſequatur neceſſum eſt; ſi autem haec concluſio non recte deducitur, nil euincit argumentum aduerſarii; de quo dubitari nequit. Vbi itaque oſtendero hoc ipſum Priuilegium aliquot ante Leopoldum ſeculis in membrana ſcriptum iam exſtitiſſe, et pro authentico habitum, euici vtique, id poſt tempora Leopoldi non fuiſſe membranae ad obtegendam fraudem inſcriptum.

Facile admittet Anonymus aliam habendam rationem librorum, ſeu codicum, ac aliam Diplomatum: et hinc facilius pro genuinis habendos codices aliquos, exiguae tamen molis, in hodierna

noſtra

Digitized by Google

noſtra charta ante ſeculum XIV. exaratos, quam Diplomata; quum in illis ſcribendis vſus papyri, ſeu chartae, vti nunc loqui amamus, ſerius inualuerit. Admittet ergo pariter ſeculo XIII. ineunte nullum in Diplomatibus papyri, ſeu chartae vſum fuiſſe; proinde quum Andreas II. hoc ipſum tam celebre Priuilegium Anno MCCXIII. non ſolum Litteris ſuis Priuilegialibus inſeruerit, ſed etiam velut authenticum confirmauerit, procul dubio illud non ex papyro, ſeu charta, verum ex membrana, ſeu pergameno corio deſcribi fecit. En Diploma ipſum, quod ex MSS. Szekelyianis deproptum hic ſubiungo.

„ *In nomine Sanctae Trinitatis, et Indiuiduae Vnitatis. Andreas* DEI *Gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriaeque Rex in perpetuum. Priuilegia Regum felicis memoriae tanto efficacius in Iure ſuo intemerata conſeruari, nec non et Regia authoritate reuocari debent, ne ingrata vetuſtate temporum, vel calumnioſa cauillatione depereant, quanto miſericordius ab eis erogata* DEO *indefeſſe ſeruientibus ex ipſo rerum argumento euidenter eſſe edocentur. Dilecti igitur, et fideles noſtri* (in Decretalibus Innocentii III. mox recitandis deſignatur litera G.) *Orcz Abbatis de Monte S. Martini in Pannonia fauorabili petitioni benigne condeſcendentes Priuilegium B. Stephani Regis glorioſae memoriae tanto clementioris affectus authoritate dignum duximus corroborare, et renouare, quanto ſupernae vitae feruentiori deſiderio ab ipſo B. Rege collatum, et confirmatum dictae Eccleſiae eſſe minus diffidens, et quanto euidentius, ſicut ipſe S. Rex in Priuilegio ſuo aſſerit, quod meritis B. Martini, et orationibus ibidem iugiter* DEO *ſeruientium quodam tempore ab inimicis ſuis adiutum efficaciter ſe fuiſſe ſenſerit, opportunitatibus vniuerſis nos adiuuari fideliter quotidie ſentimus. Vnde quia B. Rex Stephanus illam Eccleſiam ſpeciali praerogatiua dilectionis in omnibus amplexus eſt, tantae praerogationi, quam ex longa antiquitate poſſilet, derogare in aliquo minime volentes, ſed, vt Ius exigit, eundem locum, quem integro affectu ſpecialiter diligimus, ampliare ſatagentes, ſibi, quidquid eſt in authentico B. Regis, ad recidendam quamlibet calumniam impoſterum perpetuum confirmamus. Tenor autem authentici illius talis eſt:* (ipſum Diploma S. Stephani iam toties editum hic transcribere ſuperfluum exiſtimaui. Enarrato Priuilegio ſic proſequitur Andreas Rex) „*vt autem haec omnia, quae in authentico B. Regis continentur expreſſa, illibata permaneant perpetuo, et inconuulſa; praedictae Eccleſiae ſigilli noſtri charactere praeſentem paginam iuſſimus inſigniri. Datum per manus Thomae Praepoſiti Albenſis, et Hungariae Cancellarii An. Incarna. Dom. MCCXIII. Venerabili Ioanne Strigonienſi Archi-Epiſcopo, Rev. Bertoldo Colocenſi Archi-Epiſcopo, Bacsienſi, et Bodrogienſi Comite exiſtentibus*„ (reliqui honores tam Eccleſiaſtici, quam profani in apographo noſtro deſiderantur) „*Anno noſtro nono.*„

Si itaque Andreas Rex Priuilegium S. Stephani et authenticum eſſe aſſeruit, et velut authenticum ſuis inſertum Litteris confirmauit, proculdubio in membrana Id exhibitum fuit Andreae Regi; quum enim tunc chartae noſtrae hodiernæ in Diplomatibus nullus adhuc vſus fuerit, non apparet, qua ratione Andreas rem tam inſolitam videns in ſuſpicionem non ſumpſiſſet?

Facile etiam fieri potuit, vt Cancellarius Leopoldi Priuilegium originale inſpiciens, illud papyrum Ægyptiam crediderit eſſe prae membrana. Occurrere tunc potuit Cancellario Viro alioquin Eccleſiaſtico, illud Innocentii III. cap. 4. de confirmatione vtili, vel inutili „*praedicta priuilegia, quaſi iam nimia vetuſtate conſumpta, quum fuerint non in pergameno, ſed in papyro conſcripta, duximus innouanda.*„ Sed dices: cur in ſimplici papyro ait Leopoldus noſtrum Priuilegium

gium conſcriptum? ideo nimirum, quia tempore Leopoldino iam in modum libelli, et codicis ſolebant Priuilegia conſcribi, minioque, et auro depingi.

Tandem Anonymus quum adſtruat confidenter Diploma hoc ſub Rege Sigismundo ab imperito quodam falſario procuſum fuiſſe, idem hoc argumentum ſoluendum habet; autographum enim in membrana exaratum fuiſſe conſtat. Si illud itaque ſub Sigismundo conſcriptum fuit, quomodo potuit Leopoldo exhiberi in ſimplici papyro?

Alterum Anonymi argumentum petitur ex diuerſitate ſtyli, quod nimirum iam ſingulari, iam plurali numero loquens inducatur S. Rex, quam diuerſitatem ait, non facile in veteri reperiri documento, ac etiam contendit Reges noſtros ſeculo XI. et XII. a plurali abſtinuiſſe numero. Haec omnis argumentatio, quam inanis, et vana ſit, patebit ex veteribus Documentis ſeculi XI. in quibus promiſcuus ſingularis, et pluralis numeri vſus liquidus eſt, et manifeſtus. Sic in Spicilegio veterum ſcriptorum Lucae Dacheri Tom. 3. pag. 386. Richardus Marchio Romaniae in Priuilegio Refarcitionis Eccleſiae Carnotenſi Anno MXIV. factae, ab initio ferme ad finem vsque ſingulari numero vtitur, dein incipit plurali numero inquiens: „*Praedictae Eccleſiae, confiſi de immenſa DEI bonitate, et Eiusdem Matris ſuae Clementia, deſideratisſime tradimus omni conſuetudine noſtra, vel inquietatione penitus dimiſſa, vt piis eius meritis adoptemur ſempiternae haereditati. Quatenus autem haec Donatio perpetuae ſit ſtabilitati ſubnixa, Litterarum exinde notitiam ſeribere mandaui.*„ Apud eundem Dacheri, Ermengardis Regina Anno MXXV. in Priuilegio Monachis S. Andreae Viennenſis conceſſo, poſtquam per decurſum Priuilegii ſingulari numero vſa fuiſſet, ait: „*Si quis vero huic noſtrae Eleemoſynae, et noſtrae Donationi, quod futurum minime credo, contrarius, vel calumniator exſtiterit, niſi cito reſipuerit, iram omnipotentis DEI, omniumque Sanctorum incurrat. Haec vero noſtra Donatio firma, et ſtabilis permaneat per omnia futura ſecula.*„ Eodem Anno, ibidem memorato Coenobio Episcopus Iura ſcribens, inquit: „*Conſtituo, vt de obedientia etc. et ceteris huiusmodi aliquis obedientiarius in propriis vſibus deinceps quidquam habere praeſumat* (quibusdam interiectis) „*transgreſſorem inuentum huiusmodi conſtitutionis authoritate DEI, et noſtra, et S. Benedicti tam acriter iudicari decernimus, vt ceteri metum habeant.*„ Rurſus apud eundem Dacheri Henricus I. Rex Francorum Eccleſiae Carnotenſi Anno MXLVIII. immunitatem impertiens ferme ad calcem vsque numero ſingulari locutus, vbi iam praecipientis perſonam induit, numero plurali vtitur, „*vt noſtrae liberalitatis munificentia omnibus Sanctae Matri Eccleſiae fidelibus noſtris eſſet nota, ſummo ſtudio, et diligentia praecipimus exarari, ſigilli noſtri impresſione ſignari.*„ Et ſic proſequitur vsque ad finem. Summos Pontifices eundem tenuiſſe vſum promiſcuum ſingularis, et pluralis numeri, discimus ex Benedicti Papae VII. Bulla pro Monaſterio S. Hilarii Carcaſſonenſi edita apud Mabillonium in Annalibus Benedictinis Tom. IV. pag. 631. qui non multo ante finem Bullae inquit: „*Item et pro amore Rodgarii Comitis Carcaſſonae, et coniugis ipſius, nec non Raimundi dilecti Filii mei, vt illorum ſit merces in perpetuum. At vero, qui cuſtos, et obſeruator fuerit huius noſtri Apoſtolici praecepti etc.*„ Haec ſufficere poſſunt, vt Anonymus credere incipiat in veteribus documentis promiſcuum ſingularis, et pluralis numeri occurrere vſum.

Quod autem aſſerit a Regibus noſtris ſeculo XI. et XII. in genuinis documentis pluralem numerum nusquam vſurpari, id quidem falſum eſt quam quod maxime, vt enim alia exempla non adferam, illa ipſa, ad quae pro-

nachum Archi-Episcopum, ad hanc dignitatem iam euectum. Non repugnat tamen Chartuitii teſtimonio aſſerere iam tunc Dominicum ad hanc cathedram fuiſſe deſtinatum: docet enim idem iam Geyzam de Episcopatibus ſtatuendis cogitaſſe, ait enim num. 3. mihi pag. 344. „*quumque nimium eſſet ſollicitus de rebellibus domandis, et ritibus ſacrilegis deſtruendis, et Epiſcopatibus ſecundum aeſtimationem ſuam ad profectum Eccleſiae Sanctae ſtatuendis:*„ non ergo abſona prorſus coniectura eſt, aſſerere Dominicum iam tunc fuiſſe deſtinatum ad Epiſcopatum. Si Chronologiam Anonymi adoptemus, qui devictum Cuppam ait Anno M. nulla erit difficultas. Anno enim M. iam Epiſcopos fuiſſe deſigaatos palam eſt, et manifeſtum.

Argumento nono accuſat Priuilegium nostrum ob indictionem XV. falso, vti asserit Anonymus, appositam, quum Anno MI. indictio XIV. fuerit. Sed vir bone! nunquid indictio erronee expoſita ſufficit ad ſalſitatem Diplomatis evincendam? minime gentium: Secus enim bonam partem Diplomatum, et Privilegiorum a Lucio vulgatorum inter Apocrypha reiicere debebit Anonymus. Apud Mabillonium, Martene, et Durandum complura pariter occurrunt indictionis male expoſitae exempla, quae tamen ſobrii critici abiicienda haud putavere.

Haec excuſatio etſi multum valeat, non eſt tamen neceſſum ad illam confugere, nodum enim in ſcirpo quaerit, dum indictionem XV. pro XIV. appoſitam obiicit: non aduertit enim indictionem Coeſaream, quam tam Francorum Reges, quam Germanici Imperatores in ſuis exprimebant Litteris, coepiſſe a vigeſima quarta Septembris, adeoque eodem Anno MI. tam XIV. quam XV. indictionem rite deſignari potuiſſe. Videntur notae Chronologicae noſtri Diplomatis communi traditioni, S. Stephanum die 15. Auguſti coronatum fuiſſe adſerenti congruere. Quare poſt vigeſimam quartam Septembris tam indictio XV. quam annus Regni ſecundus vere omnino expoſitus fuit; congruit etiam anniuerſarium dedicationis Eccleſiae S. Martini, quod Dominica prima Octobris perpetuo recolitur, inſtituto. Si proinde errorem indictionis comprobare vult Anonymus, oſtendat oportet Diploma hoc ante dictam diem vigeſimam quartam Septembris emanaſſe.

Argumentum decimum Anonymi falſo laborat ſuppoſito, quod nimium Diploma iſtud Sigillum pendens cereum habeat; id ſi eſſet, manum a tabula remouerem, et primus ipſe ſuppoſititium proclamarem illud: vidi, et ideo ſcio eſſe Sigillum impreſſum, ſeu vt vetera Diplomata loqui amant, affixum, vel potius alligatum. Non moror autem adſertionem illorum, qui P. Innocentio Dezericzy Sigillum pendens eſſe perſcripſerunt, decepti ſunt enim in eo, quod Sigillum ob vetuſtatem tantisper a membrana diuulſum pendere videatur, dum Diploma in hanc, vel illam partem flectitur.

Anonymus noſter argumento vndecimo aduerſus verba illa Diplomatis: „*Comitatus ſupranominati decimationem de omnibus negotiis, praediis, terris, vineis, ſegetibus, victualibus, vinoque hoſpitum, quod in praediis eorum excreſceret, ne Parochiano Epiſcopo pertinere videretur, ſed magis Abbati eiusdem Monaſterii.*„ aduerſus, inquam, verba haec triplicem obmouet difficultatem. Vnam: non eſſe expreſſum, quis ſit ille Episcopus Parochianus? alteram: de negotiis non videri vnquam in Hungaria decimam perſolutam fuiſſe, neque demonſtrari poſſe, quod eo tempore vineae in Comitatu hoc plantatae fuerint. Tandem negat apud nos Parochiani E-

 piscopi

Digitized by Google

piſcopi in Diplomatibus occurrere memoriam.

Vt ad ſingula reſpondeam; prima quaeſtio de Epiſcopo Parochiano: quisnam hoc nomine intelligendus veniat, non videtur vllius eſſe momenti; Comitatus enim Simegienſis, ſemper ad Veſzprimienſem pertinebat Dioeceſim, is ergo hic intelligitur ſub nomine Parochiani Epiſcopi. Vrget argumentum Anonymus dicendo nullos adhuc Epiſcopatus in Hungaria fuiſſe conſtitutos tempore concepti voti, nullius itaque Epiſcopi laeſum fuiſſe Ius. Argumentum hoc valeret aliquid, ſi S. Stephanus in Priuilegio ſuo aſſereret, ſe tempore concepti voti etiam de aequiualenti compenſatione Eccleſiae Veſzprimienſis tribuenda cogitaſſe, verum haec compenſandi neceſſitas tunc primum ſe ſe obtulit, vbi partitis Epiſcopatibus nominatus Comitatus Dioeceſi Veſzprimienſi obtigerat, atque ideo de compenſatione hac ſermo inſtituitur iam deſignatis Epiſcopatibus. Quod autem ex Cl. Pray in Spec. Hierar. Hung. Par. I. ſubiicit, Epiſcopatus Veſzprimienſem, Quinque-Eccleſienſem, et Iaurinenſem ante Annum MIX. non eſſe fundatos, ad praeſentem quaeſtionem nihil refert; licet enim tardius Fundationales emanarint Litterae, inde non conſequitur ante hunc annum non fuiſſe conſtitutos Epiſcopatus, quum conſtet ante Romanam Aſtrici legationem iam fuiſſe ſtatutos decem Epiſcopatus, deſignatosque Antiſtites, vti mox vidimus. Fundatorum Epiſcopatuum Epochas a Fundationalibus Litteris tuto conſtitui non poſſe, ſequentia perhibent exempla: Priuilegium S. Stephani Regis pro Abbatia Pets-Varadienſi emanauit Anno MXV. quum tamen ante annos XV. poſſeſſiones, et Bona Priuilegialibus Litteris comprehenſa poſſederit idem Monaſterium, inquiente S. Rege: *„Circumſcriptio noſtrae Donationis ante noſtram Coronationem fuit aſſignata ante annos XV. priusquam fundamentum foderetur; quinto decimo vero anno a fundatione Monaſterium iam dictum eſt conſecratum.„* Idem ferme eſt de Monaſterio S. Adriani de Szala, de quo ait idem S. Rex in Diplomate ſuo incerto anno edito: *„Nos Diuino inſtinctu fundauimus Monaſterium in Inſula Zaladienſi Ordinis S. Benedicti, quod ab anno Incarnationis Domini Milleſimo decimo nono, per DEI ſubſidium ob animae noſtrae remedium pro ſtabilitate Regni noſtri ad finem perduximus.„* Patet ergo familiare fuiſſe S. Stephano tardius Regias confici iubere Litteras. Et ſane Chartuitius maniſeſtiſſimis verbis adſerit ante Romanam Legationem Aſtrici decem Epiſcopatus fuiſſe conſtitutos, adeoque procul dubio fundatos, *„poſt haec Prouincias in decem partitus Epiſcopatus: Strigonienſem Eccleſiam Metropolim, et magiſtram ceterarum fore conſtituit. Cognoſcens vero prudens Dux praedicti Aſtrici Religionem, Pontificalis ipſum Dignitatis infula decorauit, electione Canonica ſublimauit, et ei Colocenſis Epiſcopatus dignitatem contulit. Quarto poſt obitum Patris anno Diuina commonente clementia eundem Aſtricum Praeſulem, qui alio nomine Anaſtaſius dictus eſt, ad limina Sanctorum Apoſtolorum miſit, vt - - - Strigonienſem Eccleſiam in Metropolim ſuae ſubſcriptionis authoritate ſanciret, et reliquos Epiſcopatus ſua benedictione muniret.„* En Epiſcopatus iam fundatos! Rurſus Chartuitius num. 14. ſcribit: *„Ipſe vero Rex Epiſcopia, nuper incepta, tam videlicet Archi-Epiſcopalem, quam omnes Epiſcopales Eccleſias - - - regaliter diſpoſuit.„* Inquit Cl. Katona Tom. I. pag. 141. ex Chartuitio Pets-Varadienſe Coenobium inchoatum prius fuiſſe, quam Anaſtaſius ad Infulam Colocenſem proueheretur, quod tamen Diploma prius a Sancto Rege non accepit, quam Templum dedicaretur Anno Chr. MXV.

Altera hoc loco propoſita difficultas: non videri nimirum, quod de omnibus

moriae noſtrae tranſcripſit Priuilegium S. Ladislai Regis apud Nicolaum Schmidt in Episcop. Agrienſibus nouae editionis Tom. I. pag. 134. vbi ait S. Rex Ladislaus: *„Ego Rex Ladislaus Monaſterium S. Martini ſupra montem Pannoniae ſitum, prout Regia vis conceſſit, multis condonauimus opibus.„* Dein praedia recenſens inquit: *„primum praedium Pannonia eſt, vbi Monaſterium ſitum eſt.„* Recte ergo Priuilegium noſtrum Monaſterium in monte ſupra Pannoniam ſito appellat. Rex Bela Anno MCXXXVIII. dicit ſe Monaſterium S. Martini ſuper monte Pannoniae ſitum ſpecialius diligere; Geyzae Regis Diploma, quod ſuo loco dabimus, in eodem loco Pannoniam ſitam aſſerit. His congruit teſtimonium Chartuitii cap. 1. num. 7. mihi pag. 348. *iuxta fundum S. Praeſulis in loco, qui Sacer mons dicitur, vbi S. Martinus dum adhuc in Pannonia degeret, orationis ſibi locum aſſignauerat.*

Argumento ſeptimo falli adſerit Priuilegium, dum narrat Geyzam S. Stephani Genitorem Monaſterium hocce aedificare coepiſſe, quum Chartuitius id a S. Stephano conſtrui coeptum dicat: verum haec inuicem non pugnant: ille etiam conſtruere dicitur, qui opus perficit, et recte tunc dicitur coepiſſe ſtructuram Monaſterii, dum victoriam reportauit, quum id antea hoſtium incurſibus impeditus aggredi non potuerit: a morte enim Patris, ſi Chartuitium audiamus, exiguum tempus a bellicis curis, et trepidatione liberum habuit S. Rex; ait enim Chartuitius num. 6. mihi pag. 347. *„Aduerſarius totius bonitatis, inuidiae plenus, et malitiae diabolus, vt Sancti Chriſti Tyronis propoſitum diſturbaret, inteſtina bella contra eum commouit:„* paulo poſt: *„coeperunt Vrbes eius deſolare, praedia vaſtare.„* Intermittendum ergo erat opus Monaſterii, atque ideo id poſt adeptam victoriam reſumendo, recte dicitur Monaſterium ſtruere coepiſſe.

Mirari non ſufficio, quod Chartuitii authoritatem tantopere extollat, Priuilegii autem fidem eleuet, ſi enim Priuilegio, cuius et materia, et ſcripturae configuratio, ac ſtylus ipſe, Schvartio etiam teſte, alias implacabili critico, antiquitatem olet, inſuper monogrammate, et ſigillo munitum eſt, quod S. Ladislaus, Andreas II. et III. Bela IV. Magnus Leopoldus, aliique Diui Reges Hungariae, Paschalis II. Summus Pontifex, aetati S. Stephani ſat vicinus, Gregorius IX. itidem Summus Pontifex, ſeptem, et quos excedit ſeculorum reuerentia, et vſus commendat, detraxit fidem, nescio, quomodo Chartuitio his, tantisque praeſidiis deſtituto fidem deferre poſſit? non impugno authoritatem Chartuitii, quam maximi facio, plus tamen Diplomati ſeculi XI. quam authori ſeculi XII. tribuendum aſſero ſecundum regulas ſanae critices adeo, vt ex teſtimonio ſolo ſcriptoris poſterioris, Priuilegii longe anterioris authoritas infringi nequaquam poſſit. Sed bene conſtat ſibi Priuilegium cum teſtimonio Chartuitii, non tamen ſibi conſtat Anonymus. Pag. enim 32. poſtquam Chartuitio magnas tribuiſſet laudes, eum illico reiicit, et ex teſtimonio Leonis Oſtienſis refellere nititur, quaſi nunc laudatus Leo Oſtienſis contra Chartuitii teſtimonium afferret a S. Stephano Monaſterium S. Martini non niſi ſub finem vitae ſuae conſtrui coeptum fuiſſe.

Audiamus Leonem Oſtienſem, qui lib. 2. c. 68. haec habet: *„Circa hoc tempus Sanctae memoriae Stephanus Hungariae Rex, qui gente ſua ad Chriſti fidem conuerſa, multis poſt mortem virtutibus claruit, auream crucem valde pulchram S. Patri Bene-*

bus negotiis in Hungaria decima aliquando praeſtita fuerit, quomodo ab homine in Decretalibus Summorum Pontificum verſato proponi potuerit, non video, certum enim eſt ex Cap. *ad Apoſtolicae* 20. *de Decimis* perſonales in Hungaria viguiſſe decimas, imperitus autem ſit, qui neſciat nomine decimarum perſonalium venire id, quod teſte Coeleſtino III. cap. 22. „*de negotiatione, ipſa militia, ac venatione Miniſtris Eccleſiae tribuendum erat.*„ Audiat Chartuitium dicentem cap. 1. num. 7. mihi pag. 348. „*Conſtituens ex eorum facultatibus tam ſtrictas decimas dare, vt ſi cui decem liberos habere contigerit, decimam prolem Coenobio S. Martini daret.*

Porro Parochiani Epiſcopi nomen apud nos obtinuiſſe perbibet Diploma Geyzae II. anno MCLVII. editum, quod ſupra recitaui, ſeculo autem X. XI. frequens eſſe Parochiani Epiſcopi nomen docet du Cange, et apud Cl. Katona in Hiſtoria Critica Regum Hungariae Tom. I. pag. 100. Benedictus VII. aliis VI. in Epiſtola ad Ottonem II. Imperatorem de Piligrino S. Stephano coaeuo, et naſcentis Eccleſiae Hungaricae Apoſtolo.

Tandem an vites fuerint tempore editi Priuilegii in Comitatu Simegienſi, fateor me ignorare, libenter docebor ab Aduerſario, ſed etſi non exſtiterint villae, recte tamen donabantur decimae vini, quod procreari deinceps poterat, vti nunc habetur ſufficiens.

Argumento duodecimo varias rurſus mouet Anonymus quaeſtiones, prima eſt: Quaenam ſit Eccleſia S. Michaëlis, cui proſpicit S. Rex? contendit autem Veſzprimiensem Eccleſiam intelligi nequire, tum quia nondum erant Epiſcopatus in Hungaria, tum quia Eccleſia S. Michaëlis ante Annum MIX. fundata non fuit: Concludit pag. 41. hanc demonſtrationem ſequentibus: „*Quanam ratione euinci poteſt, quod ille*„ (S. Rex) „*Eccleſiae S. Michaelis iam An. MI. antequam exſtrueretur, et in Epiſcopatum conuerteretur, decimas Comitatus Simegienſis donaturus fuiſſet, vt neceſſum fuerit compenſationem pro illis offerre? vbi poteſt reperiri in Hungaria talis Parochus alicuius Eccleſiae, qui decimas in Comitatu extra Parochiam ſuam ſito haberet?*„ Altera quaeſtio Anonymi eſt, an Donatio integrae curtis pro decima Comitatu Simegienſis aequiualens compenſatio videri poſſit? denique ex Priuilegio eiusdem S. Regis Eccleſiae Veſzprimienſi An. MIX. conceſſo mendacii arguit hoc Priuilegium noſtrum, quod nimirum S. Rex poſſeſſiones Eccleſiae Veſzprimienſis recenſens curtis nusquam meminerit.

Nomine Eccleſiae S. Michaëlis deſignatam fuiſſe Veſzprimiensem Eccleſiam nemo adhuc vnus dubitauit: parabat quidem decimas has eripere Abbati S. Martini Epiſcopus Veſzprimienſis ſub Innocentio III. quas tamen idem Summus Pontifex innixus Priuilegiis Paſchalis, et S. Stephani Regis Abbati adiudicauit. „*Si* (ita inquit Innocentius III.) *authenticum praedicti Regis repertum fuerit, quale nobis reſcriptum ſub Bulla chariſsimi in Chriſto filii noſtri Vngarorum Regis illuſtris exſtitit praeſentatum*„ vti videre eſt apud Cl. Pray Hierarch. Hung. Tom. II. pag. 51. Vnde patet primo: Belam Regem miſiſſe tranſcriptum S. Stephani Priuilegii exemplar, patet ſecundo: ipſum authenticum coram delegatis Apoſtolicis iam tunc productum, et examinatum ſubſtitiſſe, quod euentus docuit, quum Abbas in vſu Decimae huius perſiſtat hodiedum, ſecus enim ex vſu Decimarum deturbatus fuiſſet. Iam ſupra monuimus compenſationem datam fuiſſe poſt deſignatos Epiſcopatus, neque dicit Priuilegium hanc tempore concepti voti promiſſam fuiſſe; monui etiam, ſerius emanaſſe Litteras fundationales, quae rebus iam plene conſtitutis editae fuerunt, prius tamen conſtitutos fuiſſe Epiſcopatus. Quare itaque Comitatum Simegienſem extra Parochiam Epiſcopi Veſzpri-

mienſis

mienſis ſitam dicat, non inuenio? neque illud tam inſolitum eſt, vt Parochus alicuius Eccleſiae extra Parochiam ſuam decimas habeat; duo huius rei adſeram exempla, vnum in Archi-Episcopo Strigonienſi, qui etiam extra ſuam Parochiam Piſetum percipiebat, quod omnino verum decimae genus erat; ac Eccleſiae Agrienſis, quae in Oppido Hatvan Dioeceſis Vacienſis decimam habet: de Archi-Episcopo Strigonienſi ita habet apud Innocentium III. forma pacis inter Strigonienſem, et Colocenſem Archi-Episcopos: „*de prouentu monetae decima pertineat ad Eccleſiam Strigonienſem, vbicunque in Regno Hungariae cudatur.*„ Vltima quaeſtio, an Donatio Curtis aequiualens decimae videri poſſit, non videtur conſiderationem mereri; quum certum ſit hanc compenſationem haud ſtricti Iuris fuiſſe, ſed merae cuiusdam aequitatis, et obſeruantiae. Iuuat hic obſeruare primo, decimas non ita ſtricto Iure competere Episcopis, vel Parochis, vt non poſſint Monaſteriis applicari; nihil ergo ſtricti Iuris in decimas illas habere potuit Episcopatus Veſzprimienſis, etiamſi iam fundatus fuiſſet tempore concepti voti, praeſertim quum S. Stephano deinde etiam auctoritatis Apoſtolicae acceſſerit robur. Aliquando tamen vacua videri poterat Eccleſia S. Michaëlis absque compenſatione; quarta enim pars fabricae Eccleſiarum deputata erat conſuetudine eius temporis, hoc ipſum allegauit teſte Paſchale II. Episcopatus Veſzprimienſis, „*petebat inſuper Episcopatus deputatam quartam Fabricae ſibi reſtitui ad Eccleſias reparandas.*„ Quartae autem huic Donatio curtis vtique aequiualere poteſt. Argumentum denique ex alio S. Stephani Priuilegio ſerius conceſſo petitum, in quo nulla ſit curtis in compenſationem decimarum datae mentio, nil probat, tum quod argumenta negatiua ſuapte infima ſint, tum quod S. Stephanus ibidem non ſuſceperit profeſſa opera omnes poſſeſſiones Eccleſiae recenſere. Conſtat quippe ex Diplomate S. Ladislai, eidem Eccleſiae conceſſo, S. Stephanum Regem donaſſe pariter praedium Kezewz, ac praedium Leán, quorum nulla in dicto Priuilegio memoria; quemadmodum autem S. Ladislaus haec praedia a S. Stephano collata commemorauit, ita curtis etiam meminit, dum ait: „*de libera villa S. Regis habet etiam terram ad vnum aratrum cum ſeruitoribus.*„ Scimus quippe curtes fuiſſe appellatas villas Regias, quod quia Du Cange demonſtrauit, neceſſum non habeo eadem repetere, praeſertim cum nomen rei congruat.

Iterum ordinem Diplomatis ſecutus in ſuum locum reiectis argumento XIII. et XIV. transſeo ad XV. quo conatur oſtendere a S. Stephano Monaſterio S. Martini eas libertates non fuiſſe conceſſas, quibus Monaſterium Caſſinenſe gaudet, et inde falſitatis arguit Priuilegium; probat id rurſus ex Leone Oſtienſi, qui aſſerit Abbates fuiſſe velut Episcopos, Monachos autem quaſi Canonicos, quae honoris praerogatiua Monaſterio S. Martini nunquam communis fuit.

Ita Anonymus; longe aliter Chartuitius cap. 1. num. 7. „*Monaſterium Poſſeſſionibus, et reditibus cunctos ſufficienter ditauit, et ipſius ſuffragio ſimile fecit Episcopis.*„ Adnotandum hic eſt in Victoris II. Bulla pro Monaſterio Caſſinenſi edita, licet in ea ampliſſimae recenſeantur praerogatiuae, huius tamen Episcopalis honoris altum eſſe ſilentium. Iurisdictionem autem quaſi Episcopalem Abbatis S. Martini, docet Decretalis Innocentii III. a Cl. Pray Hier. Hung. Tom. II. pag. 50. relata his verbis: *Clerici Abbatis interdictos, vel excommunicatos Episcopi ſtudeant euitare, ac Parochianos Eccleſiarum ad Eundem Episcopum pertinentes contra voluntatem ipſius ad Diuina officia*

ficia non recipiant, nec illis impendant Eccleſiaſtica Sacramenta.„

Maiori vi conſurgit aduerſus hoc Diploma Anonymus argumento XVI. dum oſtendere nititur libertates monaſterio S. Martini conceſſas in parte ab immunitatibus Caſſinenſis monaſterii deficere, in parte easdem longe ſuperare, quod vtrumque ſuppoſitionis ingerit ſuſpicionem. Primum quidem ait, libertates monaſterii S. Martini ab immunitatibus Caſſinenſium deficere, quod licet libera monaſterio electio admiſſa ſit, conſecratio tamen Summo Pontifici non fuerit reſeruata, quae tamen vna ex praerogatiuis Caſſinenſium eſt; viciſſim Caſſinenſium libertates minores eſſe in eo, quod ordines a quouis Epiſcopo ſuſcipiendi poteſtatem acceperint Monachi noſtri, quam Caſſinenſes nusquam habuerunt.

Niſi me omnia fallant, ſufficit, vt monaſterium S. Martini easdem libertates, quibus gaudet monaſterium Caſſinenſe, habere dicatur, ſi plerasque habet, licet vna, alteraque deſideretur, aut amplior aliqua addita fuerit; quod omnino perſpicuum eſt, vt dubitari nequeat de veritate huius aſſerti. Non poſſum autem Anonymo aſſentiri pag. 50. ſcribenti: „Si monaſterium S. Martini tales libertates acquiſiuiſſet, quales detinet monaſterium S. Benedicti in monte Caſſino, debuiſſent ſemper Monachi electum Abbatem Supremo Capiti Eccleſiae praeſentare, vt vel ab ipſo, vel ex eius delegatione ab Vngarico Epiſcopo confirmaretur, et conſecraretur.„ Falſam hanc eſſe concluſionem ſequenti veriſſima ratiocinatione comprobo: qui habet libertatem ordines accipiendi a quocunque maluerit Epiſcopo, non eſt adſtrictus eosdem vel a Summo Pontifice, vel eius Delegato ſuſcipere, cur ergo id de ordinatione Abbatis dici debeat? talem autem libertatem plus vna vice conceſſam fuiſſe tam Monachis, quam aliis diuerſi ordinis Regularibus, non negabit aduerſarius; neque dicat Abbatem Caſſinenſem a Summo Pontifice firmandum, et conſecrandum fuiſſe: gratis omnino id vrget: haec enim peculiaris praerogatiua honoris fuit, quae Abbatibus S. Martini grauiſſimo oneri fuiſſet.

Facultatem ordines a quocunque Epiſcopo ſuſcipiendi admodum late patere, et Monachis Caſſinenſibus non competiiſſe vnquam confiteor, inde tamen non ſequitur, Monachis S. Martini talem libertatem datam non fuiſſe, quin potius conſtat illam a Summis Pontificibus retractatam fuiſſe. Chriſma vero, oleum Sanctum, Conſecrationes Altarium, ſeu Baſilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Sacros ordines fuerint promouendi, Clerici Eccleſiarum, vel Capellarum ipſius monaſterii. quae ſunt in Veſzprimienſi Dioeceſi conſtitutae, a Veſzprimienſi Epiſcopo poſtulabant. Docet id Innocentius III. apud Cl. Pray loco citato, vt iam de conceſſione Priuilegii dubium eſſe nequeat; quum illius pateat retractatio *„non obſtante,* inquit, *Priuilegio Papae Clementis, qui mentionem non fecit de praedictis Praedeceſſorum ſuorum Priuilegiis, ſed de Priuilegio S. Stephani Regis, cui quantum ad hoc Capitulum per ſoepe fatos Romanos Pontifices extitit derogatum.„* Reliqua argumenta Innocentii III. horſum tranſcribere ſuperflui laboris foret.

Ad argumentum decimum ſeptimum multa compegit Anonymus argumenta, quae omnia breuiter recenſenda ſunt, vt ſingula diluam. Pag. 51. contendit ante ſeculum XI. exemptiones Religioſorum nullas fuiſſe; pag. 52. recitat S. Bernardi aduerſus exemptiones ad Eugenium IV. ſcriptam inuectiuam; dein pag. 53. ſic

Digitized by Google

ſibi doceri, quod ſiue S. Stephani, ſiue ſucceſſorum illius tempore Archi-Cancellarius reperiatur in Hungaria Diplomatibus Regiis ſubſcriptus; tandem concludit inquiens: a ſe nullum Diploma viſum eſſe, cui Archi-Epiſcopus Strigonienſis velut Vice-Cancellarius ſubſcripſerit.

Mira profecto argumentandi ratio, verum non eſſe Diploma, niſi Cancellarium eius temporis proferam. Nouit Anonymus, nouem duntaxat Diplomata S. Stephani ſupereſſe, vt adeo certum nil dici poſſit ex defectu Diplomatum, conficere tamen licet Aſtricum fuiſſe Cancellarium, quum S. Stephanus Priuilegium Monaſterii Péts-Varadienſis dederit, „*per miniſterium Domini Aſtrici Colocenſis Archi-Epiſcopi, et Pauli Abbatis praedicti monaſterii.*„ Ceterum non ſcio ſatis, an rite concludatur, nullum fuiſſe Vice-Cancellarium, ſi nullus fuit Cancellarius.

Nihil omnino negotii faceſſit, quod Anonymus Archi-Epiſcopum Strigonienſem non viderit, velut Vice-Cancellarium ſubſcriptum. Habeo ego in ſerie Cancellariorum multo labore contexta Praepoſitum Budenſem electum Strigonienſem ſub Ladiſlao Cumano, Smaragdum Praepoſitum Albenſem, et Colocenſem electum, ac Benedictum Praepoſitum Albenſem poſtulatum Colocenſem ſub Bela IV. Vice-Cancellarios; ſi Anonymus negat haec exempla exceptionem facere poſſe, aſſero ego et ſufficere, ſi enim hos poſtulatos, et electos munus Vice-Cancellarii gerere dignitatis initia admiſerunt, idipſum de Dominico Vice-Cancellario dicendum eſt; inter initia enim dignitatum verſamur, dum de anno MI. loquimur: occurrit tamen etiam Dominicus Vice-Cancellarius in Priuilegio monaſterii S. Mauritii de Bakonbél, anno MXXXVII. edito.

Anonymus negat initio ſeculi XI. munus Vice-Cancellarii viguiſſe, ego autem tum ante ſeculum XI. tum initio ſeculi huius viguiſſe certum habeo, et illico docebo ita, vt vna oſtendam, iam tum Archi-Cancellarios, ſeu, quod idem eſt, Summos Cancellarios paſſim in Regum Palatiis, et Priuilegiis occurrere. Initium facio a Carolo Simplice: in huius praecepto pro monaſterio Pſalmodienſi anno DCCCCIX. edito in annalibus Bened. Mabill. Tom. III. pag. 646. legitur: „*Erneſtus Notarius ad vicem Aſtrici Epiſcopi relegit.*„ Ibidem pag. 647. in Caroli Simplicis praecepto pro S. Germani monaſterio anno DCCCCXVII. „*Gozlinus Notarius ad vicem Sterwei Archi-Epiſcopi, Summique Cancellarii recognouit.*„ In Lotharii Regis confirmatione pro Deruenſi Monaſterio anno Chriſti DCCCCLXXX. „*Arnulfus Notarius ad vicem Adalberonis Remorum Archi-Epiſcopi recognouit.*„ In iuramento fidelitatis facto Canonicis S. Martini Turonenſis: „*Amalbertus Cancellarius ad vicem Luithberti Archi-Cancellarii recognouit, et ſubſcripſit.*„ Apud eundem Mabillonium Tom. IV. pag. 635. ibidem in Diplomate Roberti Regis pro Cameriaco „*Godfridus Monachus ſcripſit ad vicem Franconis Cancellarii* anno DCCCCXCIX.„ In Ottonis III. Diplomate: „*Herepertus Cancellarius vice Petri Cumani Epiſcopi recognouit.* Mabill. Tom. IV. pag. 638. Roberti Regis Diploma anno DCCCCVII. „*Theodoricus Leuita ad vicem Franconis Summi Cancellarii recognouit hoc praeceptum.*„ Conradi Imperatoris Diploma pro monaſterio Deus-Lauari anno MXXVIII. „*Udalricus ad vicem Arribonis Archi-Cancellarii notauit*„ Mab. Tom. IV. pag. 657.

In Diplomate Conradi Reg. anno DCCCCXCII. apud Martene, et Durandum Tom. III. pag. 380. Haimo Valentinenſis Epiſcopus legitur Archi-Cancellarius: „*Ego itaque Kerardus indignus Sacerdos praeſcripti Regis, et Reginae humillimus Capellanus iuſſus ad vicem Haimonis*

 Valen-

Valentinenſis Episcopi Archi-Cancellarii ſcripſi, et ſubſcripſi.„

Eccleſiae etiam quemadmodum Cancellarios ſuos habuerunt, ita Archi-Cancellarii Eccleſiarum, nî fallor, reperiuntur. Videor enim mihi in veteribus documentis videre, quod Archi-Diaconi Summi Eccleſiarum Cancellarii fuerint. Colligo id ex Arnulfi Remorum Archi-Episcopi litteris, quibus *Iſaac Cancellarius ad vicem Regenerti Archi-Diaconi ſubſcripſit.* In Diplomate Widrici Episcopi Cingonenſis anni DCCCCLXXX. apud Mabill. Tom. IV. pag. 630. „*Ego Ermânnus Leuita indignus ad vicem Hiraldi Archi-Cancellarii ſcripſi, et ſubſcripſi.*„ idem patet ex Gaufridi Comitis Donatione facta Eccleſiae S. Clementis de Cerdona, quibus Romaldus Archi-Diaconus nomen ſuum appoſuit, et recognouit.

Quum itaque Notarii, teſte Du Cange, et Mabillonio, munus Vice-Cancellarii obierint, ac ideo tam Vice-Cancellarii, quam Sub-Cancellarii dicti ſint, ac etiam docuerimus ſeculo X. fuiſſe ab aliis ſubſcriptas litteras Regias ad vicem Cancellarii, vel Archi-Cancellarii, patet officium, et munus Vice-Cancellarii ſeculo XI. ineunte iam obtinuiſſe in Palatiis, et Litteris Regum; Quare ſi S. Stephanum in eo etiam antiquos, et modernos imitatum Auguſtos dicamus, nil a veritate alienum dicemus. Et haec de Palatiis Regum dicta ſint.

In Eccleſia Romana Vice-Cancellarii officium antiquum eſſe liquido conſtat: In Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna art. 4. legitur: „*Mennas Lector Sedis Apoſtolicae, et Secundarius Notariorum.*„ Si Notarii Cancellariorum geſſere munus, et deinceps aſſumpſere nomen, procuIdubio hic habes antiquiſſimum Vice-Cancellarii exemplum: teſte enim Bonifacio nono apud Ughellium Bibliothecarii Apoſtolica ſcripta recognoscebant: „*Bibliothecarios Sedis Noſtrae eſſe perpetuo Apoſtolica auctoritate cenſemus, et merito, qui in Apoſtolica Eccleſia deſudatis, et in Apoſtolicis ſcriptis fideles teſtes ſemper exiſtitis.*„ *obſeruat* (ita Du Cange) „*Onuphrius Panuinus libro de rebus Lateranenſibus Vice-Cancellarium Eccleſiae Romanae eiusdem ſemper fuiſſe Bibliothecarium;*„ Fuit autem hoc munus iam an. DCCCLXVII. ſub Adriano, qui Anaſtaſium conſtituit Bibliothecarium; quanti autem viri hoc munus geſſerint, quam conſpicui fuerint, nemo ignorat.

In Palatio S. Ladislai Regis Vice-Cancellarii munus viguiſſe, elucet ex litteris eiusdem ſupra laudatis, quibus anno MLXXXII. ſubſcribit Vice-Cancellarius: „*Datum per manus Magiſtri Fabiani Vice-Cancellarii.* In ſerie Cancellariorum, quem texuit DuCange reperio ſub Philippo I. Hambaldam Vice-Cancellarium.

Licet ad praeſentem quaeſtionem parum referat, an aliquando in Palatiis Regum noſtrorum, praeſertim poſteriorum Summi Cancellarii fuerint, docebo tamen errare Anonymum, dum Summos Cancellarios Regibus noſtris denegat. In Diplomate Sigismundi anno MCCCCXV. apud R. D. Kerchelich pag. 58. occurrit Ioannes Archi-Episcopus Strigonienſis Summus Cancellarius: in arte notariatus MS. alias laudata. habentur Metales a Sigismundo Rege tranſumptae anno MCCCCXVI. „*Datum per manus Patris, et Dom. Dom. Eberhardi praemiſſa DEI, et Apoſtolicae Sedis Gratia Episcopi Zagrabienſis Aulae Noſtrae Supremi Cancellarii.*„ Apud Cl. Wagner in Analectis Scepuſien. Tom. I. pag. 276. anno MCCCCXXIV. occurrit haec clauſula: „*Datum per manus Venerabilis Viri Mathaei de Garhalocz Praepoſiti Quinque Eccleſienſis Aulae Noſtrae Summi Cancellarii.*„

Quin-

confirmauit, quod ſi deinceps derogatum fuit huic Priuilegio, id eius authentiae nil officit.

Magnas profecto gratias referant oportet Abbates Caſſinenſes Anonymo, quod pag. 69. argumento XVIII. Priuilegium in Sandaliis Miſſam celebrandi non impugnet. Securi enim riderent Anonymi argumentationes. Sed Abbates etiam S. Martini ſuauiter ridere poſſunt, dum vident, quod ad infringendum eorum Priuilegium Petri Bleſenſis verba vſum Pontificalium in Abbatibus damnantis inſtar magni alicuius momenti adfert, ſubiungens: *„quis credat S. Stephanum ſuperbae elationis amatorem, et promotorem fuiſſe?„* Si doceri poſſet, Abbates S. Martini inſignia Pontificalia ambiiſſe, prenſaſſe, elationis ſuperbae argui poſſent; id autem prorſus ridiculum, aliquem dicere ſuperbae elationis amatorem, et promotorem in eo, quod non ſibi vſurpet, ſed aliis conferat inſignia honoris; peſſime denique ſcribit S. Stephanum conceſſiſſe vſum Pontificalium Abbatibus noſtris, antequam Caſſinenſes Abbates illo gauderent Priuilegio; aliud enim diſertis verbis innuit Victor II. *„vſum quoque Sandaliarum, et Dalmaticae, quamuis iure Cardinalatus tui ab Apoſtolica Sede perceperis, a nobis tamen tibi, et loco deinceps in principalibus tantum feſtis concedimus ad honorificentiam tam Venerabilis Coenobii, et ob dilectionem, ſecundum quod praefatus Deceſſor tuo praefato conceſſit.„* Ante Victoris itaque conceſſionem iam hoc Priuilegio ornatus erat Abbas, ac ideo dicit: *ſecundum quod praefatus Deceſſor tuo praefato*, id eſt, Deceſſori *conceſſit*. Toto, vt aiunt, oſtio errat bonus Anonymus, dum exiſtimat a S. Stephano Abbati S. Martini conceſſum fuiſſe vſum Pontificalium, id eſt: Mitrae, annuli, Dalmaticae, et chirothecarum, contra quae declamat Petrus Bleſenſis; illud vnum enim ait S. Rex: *„more Epiſcopi in Sandaliis Miſſam celebret„* praepoſtera foret haec illatio: S. Rex conceſſit Abbatibus in Sandaliis Miſſam celebrare, ergo conceſſit vſum Pontificalium. Sandaliorum enim vſus tam Epiſcopis, quam Sacerdotibus communis erat, ſed forma differebant: eadem ergo in Sandaliis forma vti conceſſit Abbatibus S. Stephanus. Lib. 5. capitularium cap. 36. apud Baluzium Tom. I. mihi pag. 614. praecipitur, vt *vnusquisque Presbyter Miſſam ordine Romana cum Sandaliis celebret.* Idem ſtatuitur in capitulis Herardi Archi-Epiſcopi Turonen. cap. 105. apud eundem Baluzium Tom. I. mihi pag. 684. Albuinus lib. 2. de Diuinis officiis, *Epiſcopi, et Sacerdotis poene vnum eſt officium, at quia nomine, et honore diſcernuntur, etiam et varietate Sandaliorum, vt viſibus noſtris error auferatur: Epiſcopus habet ligaturam in ſuis Sandaliis, quam non habet Presbyter„* non video ſane, quomodo Sandaliorum Epiſcopalium vſum Abbatibus concedendo illis ambitionis argumentum praebere potuerit S. Rex.

Non exiſtimo facile quemquam commouendum eſſe ieiuno illo Anonymi argumento, Sandalia a Summo Pontifice expetenda fuiſſe, non vero a Rege: ex aliis enim S. Stephani litteris ſcimus, eundem non Sandaliorum duntaxat, ſed Mitrae etiam, et annuli vſum conceſſiſſe non vſurpatione aliqua, ſed commendatae ſibi a Sede Apoſtolica poteſtatis virtute, quod ipſe inquit in Fundatione monaſterii S. Adriani de Szala: *„Contulimus etiam eidem authoritate Apoſtolica nobis annuente:„* rurſus in fundatione monaſterii S. Mauritii Bakon-Belienſis: *„Sicut habui poteſtatem, vt vbicunque, vel in quocunque loco vellem Eccleſias, aut monaſteria conſtruerem, ita nihilominus a Romanae Sedis ſupremo Pontifice habui auctoritatem, vt quibus vellem Eccleſiis, ſeu Monaſteriis libertates, et dignitates conferrem.„* Quaeri id adhuc poſſet, cur S. Rex Ab-

 bati-

Quin duos etiam reperio Summos Cancellarios anno MCCCCLXIV. dicente Mathia Rege: „*Notum facimus etc. quod quia in aeſtate proxime praeterita, Fideles Noſtri Reuerendisſimus, Reuerendusque in Chriſto Patres, Domini Stephanus Eccleſiarum Colocenſis, et Bachienſis Archi-Epiſcopus, locique eiusdem Colocenſis Comes Perpetuus, ac Ioannes Episcopus Varadienſis Summi, et Secretarii Cancellarii Noſtri*„

Iam ſecundum ordinem Diplomatis reſpondendum eſt ad argumentum Ill. Anonymi, quod ex ſequentibus verbis poſt monogramma ſcriptis repetit: „*hae ſunt nominatae Villae in decimatione Eccleſiae ab Archi-Epiſcopo Sebaſtiano, et a Comite Ceba.*„ Vnde arguit duos contra veritatem hiſtoricam Archi-Episcopos, Dominicum nempe, et Sebaſtianum in eodem Priuilegio occurrere, adeoque quum teſte Chartuitio Sebaſtianus fuerit Archi-Episcopus, Dominicum e numero Archi-Episcoporum Strigonienſium eſſe expungendum; alterum enim anno MI. planum eſt non exſtitiſſe Archi-Episcopum praeter Strigoniensem.

Argumentum hoc planam habet reſponſionem; adſero enim additionem praefatam aliquanto eſſe poſteriorem monogrammate, non tamen multo; ſecus enim ſcripturam oporteret eſſe diuerſam; quo poſito, nulla omnino pugna Diplomatis ſecum, nulla cum Chartuitio. Hic enim ipſe Chartuitius differte adſtruit, Sebaſtianum non fuiſſe primum Archi-Episcopum Strigoniensem; clarum id fiet ex eiusdem verbis. Poſtquam enim cap. 2. narraſſet S. Regem Epiſcopatus diuiſiſſe, Antiſtites deſignaſſe, benedictionem Summi Pontificis, et coronam ſuscepiſſe, ſubdit num. 14. „*Ipſe vero Rex Episcopia nuper incepta, tam videlicet Archi-Episcopalem, quam omnes Epiſcopales Eccleſias, amplisſimam ſingulis asſignans Dioeceſim, et vnicuique ſemper praeficiens idoneum Praeſulem*„ Tò: *ſemper praeficiens* temporis perhibet intercapedinem, vt nempe obeunte vno alium ſubſtituiſſe intelligatur. Poſtquam haec de Episcopatibus conſtitutis, Episcopis nominatis, ac etiam ſubſtitutis differuiſſet, narrat Sebaſtianum eodem tempore fuiſſe Monachum in monaſterio S. Martini, quem deinceps Strigonienſi Archi-Episcopatui praefecit; en verba Chartuitii: „*eodem tempore in monaſterio S. Martini erat Monachus quidam Sebaſtianus - - - illum ergo ob vitae merita Pontificali honore dignum iudicans regendo Strigonienſi Archi-Episcopatui eum praefecit.*„ Recte itaque ait Stiltingus Bollandi continuator §. 24. num. 259. mihi pag. 210. „*Chartuitius non aſſerit de Sebaſtiano, primum fuiſſe Archi-Episcopum; ſed quum ipſius promotionem diu poſt erectionem Metropolis Strigonienſis referat, multaque alia interponat, potius inſinuat primum non fuiſſe, praeſertim quum dicat: eodem tempore in monaſterio S. Martini Monachus erat quidam Sebaſtianus nomine, hunc Rex Venerabilis miro amore coepit diligere etc. haec enim inſinuant eum ad Metropolim promotum fuiſſe, poſtquam Rex virtutes ipſius iam diuturna conuerſatione perſpectas habebat.*

Niſi haec ſufficerent, dici etiam poſſet per coniecturam, duplici nomine vnum, eundemque cenſeri Archi-Epiſcopum, prouti ex Chartuitio patet Anaſtaſium fuiſſe etiam Aſtricum appellatum. Sic apud Mabillonium in Annalibus Tom. III. pag. 656. in charta fundationis monaſterii Cantogili apud Aruernos „*Signum Raimundi Ducis Aquitaniae, cui aliud nutu DEI nomen eſt Pontii.*„ Sub Sigismundo Rege occurrit Alexander Dux Lithuaniae, aliter Vitoldus. Plura his ſimilia poſſent accumulari, niſi veritas praeualeret coniecturis. Exiſtimant aliqui Dominicum fuiſſe Legatum Sedis Apoſtolicae, his tamen aſſentiri nequeo, quum Benedictus de Vetta fuerit primus Sedis Apoſtolicae Legatus, alter autem Azo, cuius S. Rex ipſe meminit.

Addi-

Additionem Diplomati factam contuellere pergit Anonymus argumento XIV. pag. 44. et argumento XIX. pag. 72. quae vt rite intelligantur, refellique poſſint, tota additio hic recenſenda eſt: „ *hae ſunt nominatae Villae in dedicatione Eccleſiae ab Archi-Episcopo Sebaſtiano, et a Comite Ceba: Piscatores Firegh, Balvanos, Temerdi, Chemundi, Wiſescha, Kivoſiam, Murin, Curton, Wig, tertia pars tributi de Poſon in rebus ſuæ praeſentibus, ſiue futuris.* „ Audiamus obloquentem Anonymum, qui etiam nugatur pag. 44. ridicule exclamans: metuenda haec eſſe nomina, ac interrogat, quid per Piscatores Fireg, Balvanos, et ceteros intelligendum veniat? an Piscatorum, an Locorum nomina ſint? egregium certe, et Anonymo dignum aenigma! noſſe quaerit, quid nomine tributi intelligendum? an penſio Regi tribuenda? an telonium ſiccum, vel aquaticum, vel ab vſu pontis, et nauis? Totus contextus argumenti docet Anonymum haud intelligere, quid nomine tributi veniat? pag. 46. velut Extaticus interpellat amicum, quaſi ſomniaret; ratio admirationis eſt, quod in appendice Priuilegii dicatur tertia pars tributi in rebus futuris; dein dicit inſolitas eſſe in Diplomatibus Hungariae additiones huiusmodi, nec diem, nec Conſulem eius conſtare, nec Abbatem, qui impetrauit, nec Eccleſiam, quae dedicata fuerit? tandem concludit ex Belae II. Priuilegio, anno Chriſti MCXXXVII. conceſſo luculentum eſſe, quod tertiam partem tributi de Poſon monaſterium S. Martini eotum non poſſederit. His magnifice iactatis, ſub Sigismundo Rege Priuilegium confectum, et procuſum fuiſſe pronunciat.

Ad haec vnica, et certiſſima reſponſio eſt; ex his omnibus argumentis, etſi inuincibilia forent, id vnum conſequi, additionem velut inſolitam, monogrammate, ſigillo, die, et conſule deſtitutam nullius eſſe vigoris, quidquid enim alter aliquis illuc ſubiecit, Priuilegio ipſi obeſſe non poteſt, nec Abbatibus S. Martini periculum faceſſere, quum Iura, et poſſeſſiones ibi enarratas ſucceſſiuis Regum Priuilegiis teneant, et ſeculorum vſu tuti poſſideant. Sed neque ſcio, quid obſtet, cur additio S. Regi tribui poſſit? inſolitam dicis? ſi ita; quidquid ergo ſingulare, illico incredibile erit? non caret tamen exemplo additio monogrammati ſubiecta: Sic in Diplomate Eccleſiae Quinque Eccleſienſis Anno MIX. conceſſo, poſt monogramma ſubiungitur: *quos terminos, ſi quis violate praeſumpſerit, impoſterum componat centum libras auri etc.* Inter Diplomata Hungarica tale etiam occurrit, cui ex vtraque parte diuerſa Diplomata inſcripta ſunt.

Ego quidem exiſtimo additionem hanc circa Ann. Chriſti MV. factam, quum iam Archi-Episcopus Strigonienſis eſſet Sebaſtianus, et hoc nomine Eccleſiam conſecraret: non negabit Anonymus anno memorato Sebaſtianum fuiſſe Archi-Episcopum: tempore conſecrationis, tam a Regibus, quam Episcopis dotatas fuiſſe Eccleſias, qui negare audeat, omnino rudis, aut ad inſaniam vsque temerarius dici meretur. Conſecrationes autem Eccleſiarum tardius fuiſſe factas docent Fundationales monaſterii S. Mauritii ſupra laudatae: quum itaque eadem manus hanc quoque additionem adnotauerit, totumque Priuilegium S. Regis vna cum hac additiuncula a Regibus ſucceſsiuis tranſcriptum, et confirmatum fuerit, neque monogrammati ſubiecta additio aeuo S. Regis inſolita fuerit, non video, quid illa authenticitati Diplomatis obeſſe poſſit.

Vt autem Piscatorum aenigma intelligat Anonymus, recitabo partem Priuilegii S. Ladislai monaſterio S. Martini conceſſi, in quo Villae in additione

hae

hac recenſitae enarrantur, et monaſterio praeſato confirmantur: *tertium praedium eſt Himudi nomine Villae appellatum - - quintum praedium eſt Wosyán eodem modo nomine Villae appellatum, ſextum praedium eſt Weihna,* (hodie Venyö) *decimum praedium eſt, quod vocatur Firegh ſuper ripam Danubii in condescenſu ipſius fluminis in danubium - - iuxta quod praedium eſt inſula, et Usionale* (Huſionale) Tertiam partem tributi de PoſonRex Bela, ipſo Anonymo conſitente, monaſterio confirmauit. Iura ergo Iuribus congruunt, Reges Regibus conſentiunt.

Antequam finem ſcribendi faciam, ab ecſtaſi reuocandus eſt Anonymus, in quam coniecit illum libera itas additiunculae, partem tributi Poſon, etiam de rebus futuris, monaſterio donantis. Non eſt haec inſolita liberalitas. In Priuilegio S. Henrici, Petro Episcopo, et Abbati S. Michaëlis in Porcauiana anno MXV. elargito dicit apud Martene, et Durandum Tom. III. pag. 386. Sanctus Henricus: *„cum vniuerſis aliis rebus mobilibus, et immobilibus, quae nunc habere videntur, et in ſequenti Deus ibidem augere voluerit.„*

Illud adhuc ſupereſſet, vt difficultatem etiam ab alio quopiam erudito viro obmotam depellam, cui ob Monogramma quadriforme titulare Priuilegium hoc ſuſpectum eſt; quum illorum originem ad annum MXIII. reuocat. Credo ipſemet iam perſpexit infirmum hoc eſſe argumentum; quum non ſolum quadriformia Titularia Monogrammata ipſius etiam Caroli Magni habeantur apud Mabillonium, et Du Cange, ſed etiam ſucceſſiuorum Imperatorum, ac Regum: inſuper etiam obſeruet Mabillonius, quod Monogrammata quadriformia plerumque in ipſo quadro ſpeciem Y praeferant, quam litteram ſolam ait manu Regis formatam, illucque reſpicere vulgatam formulam Carolinorum Diplomatum *„manu propria ſuperſirmauimus.„* In nummis etiam Regum Syriae, teſte Theſauro Britannico, vt nîl dicam de nummis Regum Francorum, occurrunt Monogrammata quadriformia titularia.

Priuilegium Eccleſiae Nitrienſis eiusdem conditionis eſt, atque Syluestrinae litterae.

III. De Priuilegio Eccleſiae Nitrienſis non poſſumus ſimilia depromere, quod tamen in notis marginalibus ſemel, atque iterum monuimus, poterant facile errores incuria, oscitantia obrepere, ac etiam interſeri. Non poſſumus negare titulum: *Apoſtolicae Sedis gratia* prorſus inſolitum eſſe, ſi tamen Syluestrinae litterae, vti nunc habentur, interpolatae non ſunt, non videtur miris eſſe titulus, vtpote quum Thronum Hungarici Regni conſcenſuro aprobatio Sedis Apoſtolicae neceſſaria ſit, neque Episcopi haec ſuis adſcribebant litteris, niſi vbi confirmatio Electionis primae Sedi reſeruari coepit. Accedit: quod Geyza in Priuilegio Eccleſiae Nitrienſis deinceps proferendo ad Sanctorum Progenitorum ſuorum conceſſiones prouocet; niſi ergo mihi concedas, quod in notis marginalibus Synodis Regiis adiectis contendebam, quosuis Diuos Reges paſſim Sanctos vocatos, conſiteri debebis Priuilegio huic noſtro fidem eſſe tribuendam. Nunquam ergo vacuus abibo; hoc enim, vel altero modo cauſam obtinui. Vnde idipſum de Priuilegio hoc dictum exiſtimes, quod de Syluestrinis litteris ſcripſimus, nimirum Diploma hoc qualecunque ad minus alterius a Sancto Rege editi teſtimonium eſſe, et veſtigium.

Ex Priuilegio Eccleſiae Veſzprimienſis illuſtratur Priuilegium S. Martini.

IV. Eccleſiae Veſzprimienſis Priuilegium, ex MS. Cl. Patris Xyſti Schyer damus; idipſum profert Cl. Pray ex copia authentica, in anno deſignando Cl. Katona ſecuti ſumus ob rationem nimirum ab eo allatam. Quamuis ſoepius tum in notis marginalibus, tum huius recenſionis §. II. ad argumentum XII.

X Ano-

Anonymi de grauitate mulctarum aliqua differuerimus, denuo aliqua ex occaſione huius Priuilegii dicenda ſunt, in quo octo mille libras auri ſoluere iubet S. Rex, ingentem procul dubio vim auri. Atque primum diſplicet mihi, quod Peterſius octingentas ſubſtituerit, et quidem numeris arabicis; non potuit certe Peterſius errorem numeri talem ſuſpicari, quum numeri arabici longe ſerius inualuerint. Deinde ingentes mulctas omni fere aeuo non tam exactas, quam iniunctas reperio apud Cl. Petz in codice Diplomatico Hiſtorico Epiſtolari plus ſimplici vice, ne dicam innumeris vicibus. Statuitur in Donationibus et traditionibus tam priuatorum, quam Principum, vt earum violatores duplum rei traditae perſoluant. In traditione Reginharti circa annum DCCXCIV. *duplum tantum, quantum haec traditio conuenit, et inſuper vna cum diſtringente ſocio Fiſco auri libras tantas, argenti pondera tanta coactus exoluat.„* In traditione Fatonus *„inſerat partibus ipſius monaſterii, vel Fratrum ibidem conſiſtentium duplicem pecuniam. atque ſubſtantiam, et in Sacratisſimo Fiſco auri libras etc„* Anno DCCCIII. in traditione Richari Comitis *„inſerat partibus ipſius loci - - duplum tantum, quantum haec traditio continet, et inſuper eum diſtringentes ſocio Fiſco auri libras tantas, argenti pondera tanta coactus exoluat„* Anno DCCCV. in traditiune Meginrad eadem per omnia mulcta ſtatuitur. Similiter in traditione Kund-Palde, et in traditione Halbuini facta annn DCCCVII. Non abſimiliter anno DCCC VIII. in traditione Treſonis, in traditione Alprat, in traditione Phetaronis, in traditiune Oddolanti. Circa an. DCCCXIII. in precaria Richari Comitis *„inſerat partibus veſtris duplum tantum, quam haec precaria continet.*

XXXVIII.
Synodus Dalmatina in Cauſa Antibarenſis Eccleſiae.

Synodi huius acta interciderunt, velut tabula poſt naufragium, damus eius memoriam ex Thomae Archi-Diaconi hiſtoria Salonitana cap. XVI (mihi pag. 321.) neque nuda eſt habitae Synodi memoria, ſed et Sedis Antibarenſis in Metropolim euectionem refert, an aliud quidpiam actum ſit? neſcio. An non ſufficit vni Synodo Eccleſiis terminos conſtituiſſe? An volumus a quauis Synodo farraginem canonum cudi, vel reiterari? Mihi profecto perſuaſum eſt, priſcis temporibus actas fuiſſe Synodos, quin vlli edereutur canones, quum alioquin ad controuerſias dirimendas, exhortationesque depromendas ordinatae ſint Synodi. Ad noſtram collectionem optimo iure Synodum hanc pertinere ex eo planum ſit, quod in ea conſtitutus ſit Epiſcopus Crobatenſis, ſeu Croabatarum. *Regalis*, vti Archi-Diaconus inquit, *is erat Epiſcopus*. Haec Regiorum Epiſcoporum nomenclatio nequaquam noua eſt; in Concilii enim Moguntiaci iuſſu Caroli M. anno DCCCXIII. celebrati praefatione dicitur. *Almificae reuerentiae veſtrae patefacimus nos humillimi famuli, ac miniſtri veſtri Hildebaldus ſcilicet Sacri palatii Archi-Epiſcopus.* Rurſus in apologetico Ebonis Drogo vocatur Archi-Palatinus Praeſul. Regius Epiſcopus.

XXXIX.
Synodus Regia ſub Andrea I. anno Chriſti MXLVIII.

I. Hoc loco exſpectabit non nemo, vt ſic dictas Conſtitutiones Eccleſiaſticas Andreae I. adferam; verum quum illae commentum ſint Bonſinii, qua ratione Conſtitutiones Eccleſiaſticae a Peterſio editae exploduntur.

Digitized by Google

tione hic locum habere poſſint, non video. Frontem in rugas contrahis? Violatarum legum arguis? Quaenam illae? Ais tripartiti operis part. 2. tit. 14. §. 1. dicitur: vniuerſas litteras, et Priuilegia Andreae ſeruari. Nulla hic Conſtitutionum Eccleſiaſticarum mentio. Lex enim a te citata duntaxat de Priuilegiis, et Donationalibus loquitur. Aliquorum enim Regum (vti eadem lex perhibet) litterae in irritum tranſiere. Si ex eo, quod Andreae I. Priuilegia ſeruanda iubeat lex, comprobari valeret Conſtitutiones Eccleſiaſticas eſſe genuinas, quidni ſequetur Geyzam I. Stephanum II. Belam coecum leges etiam publicaſſe; horum enim etiam litterae ſeruantur. Niſi inolitam opinionem expugnare difficile foret, nullo negotio poſſent quiuis perſpicere, Conſtitutiones Eccleſiaſticas Andreae I. ex foecundo illo aliarum etiam fabularum fonte, et promptuario Bonfinio profluxiſſe. Primi enim editores Corporis Iuris Hungarici in margine fontem deſignant, dum ad Bonfinium (a) prouocant, ex quo nouas has XII. tabularum leges exſcripſerunt ne verbo quidem mutato. At vt Bonfinius quidem aſſerit ſe verba legis recitare, et hinc vtique eſt, quod in omnibus Decretis manu exaratis deſiderentur hae Conſtitutiones; ſed edita etiam, quae ante annum 1584. lucem viderunt, illis carent. Sancto Ladislao Regi me prae Bonfinio fidem habere nemo indigne feret; ait is lib. I. cap. 37. Andream cum omnibus, qui tunc erant, Epiſcopis ieiunium vouiſſe. Nulla apud Bonfinium huius Decreti memoria. Patet ergo aliud ſtatuiſſe Andream, aliud narrare Bonfinium. Cui amabo perſuadebunt Conſtitutionum harum Patroni Andream Concilium Epiſcoporum cogere potuiſſe, quum poſt illam immanem perſecutionem tres, teſte Ioanne de Turocz, ſuperfuerint Epiſcopi. (b) Id ergo vnum verum eſt, Andream Regem, dum coronaretur, praecepiſſe genti ſuae ſub poena capitalis ſententiae, vt ad veram Chriſti fidem reuerterentur, et in expiationem admiſſi criminis trium dierum ieiunium quotannis ante Feſtum Beati Petri agerent. Verba autem edicti non ſuperſunt. Pro commento itaque Bonfinii, teſtimonium vel veſtigium celebratae Synodi Regiae damus.

Peterſy reprehenditur.

II. Peterſy multis conatur oſtendere, quod Summis Principibus non liceat ferias indicere. Miram certe aſſertionem! Si de Feſtis colendis ſermo ſit, ſuperflua eſt omnis diſceptatio Peterſiana, tum quia de feriis non agitur, tum quia conſenſus Epiſcoporum diſerte exprimitur. Dum Sacerdotium, et Imperium tanta animorum concordia in vnam conſpirat ſententiam, cur lites ſerit? cur arripit vi occaſionem diſceptandi? Si de feriis, ſeu vacatione tribunalium ſermo ſit, naenias nobis narrat; quis enim vnquam dubitauit ferias, ſeu vacationes tribunalium decernere ad ſecularem pertinere poteſtatem? Quis ignorat ferias eſſe poſſe, quin feſti dies ſint iidem? Feriae apud nos ſunt omnes dies illi, qui a feſto S. Michaëlis Archangeli ad feſtum S. Martini decurrunt, numquid omnes feſti ſunt? Caput rei eſt, quod in tota hac lege neque de feriis, neque de lege, ſed de communi voto agatur. Quis tam rudis, vt ignoret in voto nuncupando, quo vniuerſum teneatur Regnum, praecipuas eſſe Regis tanquam praecellentis partes? Conſenſus Regis, et populi neceſſarius erat; cur ergo Peterſius excuſandum putauit, id quod ſuo modo actum vidit?

Quid ſit vigilia trium dierum?

III. Trium ergo dierum ieiunio praeuenire

(a) Decadis ſecundae librum ſecundum. Inchoffer aliis verbis recenſet Conſtitutiones has.

(b) *Immani illa perſecutione tanta multitudo Clericorum, et Laicorum pro Chriſti Fide Martyrium pertulit, vt eorum numerus DEO tantum, et Angelis ſit cognitus; adeo vt a tribus tantum Epiſcopis, qui in illa meſta ſtrage Chriſtianorum euaſere, coronatus fuerit* (Andreas).

uenire feſtiuitatem Sancti Petri voto ſanxerat Andreas, collaudantibus id vniuerſis, nil enim aliud ſibi vult illud: *„ſtatuit trium dierum vigiliam ad Feſtiuitatem S. Petri.„* Quis ſibi perſuadeat Hungaros ante feſtiuitatem S. Petri tres noctes egiſſe inſomnes? Aeuo enim illo, prout Honorius Auguſtodunenſis lib. 3. cap. 6. ait: *„vigiliae interdictae, ei dies ieiunii dedicati ſunt, et vigiliarum nomen retinuerunt.* Votum hoc ſub Sancto Ladislao denuo ratum habuerunt omnes, quorum intererat, neque dubito ſuper fuiſſe diu huius voti legem, et memoriam.

Exempla aliarum prouinciarum.

IV. Talium ieiuniorum feſtis ſolemnibus praemiſſorum exempla alia etiam occurrunt. Sic in legibus Eccleſiaſticis Aethelredi Regis cap. 2. *„Omnis Chriſtianus, qui aetatem habet, ieiunet tribus diebus in pane, et aqua, et herbis crudis ante feſtum S. Michaelis.„* In Concilio Salegunſtadienſi anno Chriſti MXXII. cap. I. *„vt quatuordecim dies omnes Chriſtiani ante feſtiuitatem Sancti Ioannis Baptiſtae in abſtinentia ſint carnis, et ſanguinis, niſi infirmitate impediantur„* non abſimilem praeparationem deprehendimus in homilia S. Caeſarii (quam P.P. Maurini operum S. Auguſtini Tom. XVI. ſerm. 227. mihi col. 1403. ediderunt,) ait quippe Sanctus iſte *„Quia Natale S. Ioannis Baptiſtae cum gaudio cupimus celebrare, ſicut reliquis feſtiuitatibus ſuperuenientibus, ita imminente iſta tam praeclara ſolennitate ante plures dies caſtitatem omnes cuſtodiant„* nouimus eam olim fuiſſe praecipuam ieiuniorum partem, abſtinere ab vſu coniugalis vitae, hanc enim abſtinentiam vocat caſtitatem Sanctus Caeſarius.

XL.
De Synodo Spalatenſi in Cauſa Dabralis.

Feralis ſequitur ſententia, depoſitionis nimirum in Dabralem Archi-Epiſcopum Spalatenſem a Ioanne Apoſtolicae Sedis Legato in Synodo Spalatenſi lata, quam ex Archi-Diacono cap. 15. (mihi pag. 322.) damus. Cauſam depoſitionis perſtringit Catalogus Acuthanus *„Dabralis etiam iſte fuit Spalatenſis, et fuit depoſitus, quia habuit vxorem, et filios in domo Archi-Epiſcopali„* complures illum habuiſſe proles verba Archi-Diaconi demonſtrant dicentis: *„totum Epiſcopium non niſi vagitibus paruulorum, et ancillarum tumultibus erat plenum.* Seculi XI. ea erat corruptela, prout ſuo loco vberius dicemus.

XLI.
Synodus in Cauſa Liturgiae Slauonicae.

Vnicum Decretum huius Synodi rurſus ex Thoma Archi-Diacono cap. 16. (mihi pag. 323.) damus, licet plura ibi capitula conſcripta fuiſſe perhibeat idem Archi-Diaconus, interierunt ergo, vel in obſcuro latent. Decreto hoc, quod exſtat, vſus idiomatis Slauonici proſcriptus eſt. Iterum Methodius in erroris ſuſpicionem incurrit.

XLII.
De Synodo in qua Laurentius Archi-Epiſcopus electus fuit.

Alter rurſus Legatus Apoſtolicus eodem adhuc anno MLIX. quo celebrata fuerat Synodus Nationalis, Prouincialem conuocauit, in qua Epiſcopi, qui ad Synodum venerant, Laurentium Abſarenſem Epiſcopum in Patrem, et Archi-

Archi-Epiſcopum ſuum vna voce proclamarunt. Concordis huius voluntatis teſtimonium tanquam veſtigium Synodi, ex Archi-Diacono recitamus.

Adiungimus etiam ſententiam Acuzonis Legati in cauſa Abbatis S. Chryſogoni, qua illi cellam Sancti Ioannis, aduerſus Ephroſynae donum ſuum retractantis inconſtantiam, leuitatemque adiudicauit, ex Farlati Illyrici Sacri Tomo V. pag. 45. Mirum cur hunc legatum laudatus Farlatus velit vocari Maynardum, quum ſententia Acuzonem appellet. In illo enim Concilio electus fuit Laurentius, in quo ſententia modo dicta emanauit, huic autem praefuit Acuzo, non Maynardus. Vtrumque Synodi fragmentum perhibet, quo cardine in Dalmatia, et Croatia res Eccleſiaſticae fuerint paulo ante, quam ſub ditionem Sacrae Coronae Hungaricae venerint Prouinciae illae. Non enim eadem ſunt vbique Regum iura, ſed tempora, et Prouinciae magnum ponunt diſcrimen.

XLIII.
De Epiſtolis Decretalibus Alexandri II. Papae.

Tres Epiſtolas Decretales Alexandri II. earumque fragmenta a Dominico Manſi mutuati ſumus. Vnam quidem ad Archi-Epiſcopum Diocleenſis Metropoliticum ius in Sclauoniam edocendum. Alteram Epiſcopis, et Regi Dalmatiarum de continentia Epiſcoporum, et Clericorum; tertiam qua Synodi a Maynhardo celebratae capitula in Romano Concilio confirmata ſignificantur, ex qua recenſione patet, quomodo in hac noſtra collectione locum inuenire potuerint.

XLIV.
De Synodo Dalmatina ad extinguendum Schiſma Ulfi.

In maximam conſternationem coniecit Illyricos Presbyteros iterata proſcriptio linguae Slauicae. Et ſane ſi Maynardus Legatus Apoſtolicus mala imminentia animo proſpicere potuiſſet, in re tali, quae pleno Sedis Apoſtolicae arbitrio ſuberat, tam difficilem ſemet non exhibuiſſet. Sacerdotes Slauonici moerore confecti apti erant, vt impoſtor obuius fabulam ex illis faceret. Acceſſit itaque illos teſte Thoma Archi-Diacono aduena Sacerdos Ulfus nomine, externa ſpecie virum probum mentitus; hic ſpe reuehendae linguae Slauicae Sacerdotes in Concilium cogit, ex cuius Conciliabuli decreto ipſe Romam cum litteris, et munuſculis mittitur; inde re non impetrata redux attrocem molitur fraudem. Litteris enim Apoſtolicis ad Regem, et Epiſcopos datis imponit Sacerdotibus, rem ſibi ex ſententia ceſſiſſe, ac etiam impetraſſe, vt gentis ſuae haberent Pontificem. Illi nuncio laeti ſenem rudem hominem Cededam vocatum in ſuum Epiſcopum eligunt, et Utolfo Romam ituro comitem adiungunt. Papa indignatus, quod Presbyter contra morem, et conſuetudinem Eccleſiaſticam barbatus acceſſerit, propria manu paucos pilos de barba praeſcidit, et mox more Eccleſiaſtico radi fecit. Quo facto iuſſit ipſos Papa redire, et Epiſcopos ad ſe venire. Re itaque nec tunc confecta redux Utolfus perſuadet ſeni illi, et rudi homini, Papam tantae eſſe poteſtatis, vt cuicunque aliquot pilos barbae propria ſua manu abſciderit, continuo Epiſcopus fiat. Hoc audito fatuus ſenex gaudio plenus omnia Epiſcopalia munia peragere coepit, in conſecrandis Eccleſiis, ordinandisque Clericis, aliisque Epiſcopalibus miniſteriis Diuina

Schiſma Ulfi.

na profanabat officia. Ad Schiſma itaque phantaſtici huius Pontificis abolendum celebrata eſt haec Synodus, quam ex Archi-Diacono cap. 16. (mihi pag. 324.) profero. In hac Cededa, einsque aſſeclae anathemati ſubiecti, Ulfus, ſeu Utolfus Sacerdotio exutus, verberibusque mulctatus in carcerem coniectus fraudis ſuae ſacrilegae iuſtas luit paenas.

XLV.
De Synodo aduerſus Cededam.

Nihil peruerſus imperito ſene homine, quem ſpiritus ambitionis in deuia egit. Cededa ſententia excommunicationis, qua in priori Concilio percuſſus fuit, Ulfi poenis nil exterritus Episcopalia miniſteria ſacrilego auſu pollnere perrexit eo vsque, donec diuinam in ſe concitaſſet viudictam. Poſtquam enim aggrauatoria excommunicationis ſententia repetitis vicibus ligatus fuiſſet, crepuit medius inſtar Iudae, et diffuſa ſunt omnia viscera eius in ſeceſſu, quo ſe ad exonerandum ventrem recipere coactus fuerat, dignum ſuo Epiſcopatu tumulum nactus. Terribilis huius diuinae vltionis exemplum, (qualia complura in Annalibus Eccleſiaſticis reperiuntur) vti et Syuodi aduerſus Cededam habitae teſtimonium recudi fecimus ex Tbomae Archi-Diaconi hiſtoria Salonitana, cap. 16. (mihi pag. 324.)

XLVI.
De Synodo Sibenicenſi.

Libertatem Regiam, quam Creſimirus Rex Croatiae, et Dalmatiae in Synodo, ſeu Conuentu Episcoporum Sibenicenſi Monialibus Sanctae Mariae Jadrenſibus contulit, denuo edimus ex Farlati Tom. V. pag. 47. nil dubitantes Synodum hanc ad nos pertinere, quum Sibenicenſes Episcopi membra Hierarchiae Eccleſiaſticae Hungariae fuerint, et hodiedum titulos retineamus, et honores. Occaſio Synodi huius erat aduentus Regis Sibenicum, vt Natale Domini ibi perageret. Opportunitate illa vtendum rata Cicha Monialium Praeſes, et Fundatrix Regiam hanc impetrauit libertatem, omnium Episcoporum conſenſu firmatam. Erat Cicha nobilis Matrona vidua, quae vanitatem mundi ex inopinato mariti nobiliſſimi pariter viri obitu edocta immortalem ſibi elegit ſponſum. Illi vt ſe totam dedicaret ex ſua, et filiae ſuae, quam habuit ſectatricem, dote Monaſterium aedificauit, vbi in bodiernum diem patriciae Virgines Domino famulantur, vt illud Dauid pſ. 44. impletum dicere poſſimus, „*Adducentur Regi virgines poſt eam, proximae eius afferentur tibi, afferentur in laetitia, et exultatione, et adducentur in templum Regis.*

XLVII.
De Synodo in conſecratione Eccleſiae Sanctae Mariae Jadrenſis habita.

1. Synodum occaſione conſecrationis Eccleſiae Sanctae Mariae Jadrenſis habitam poſt Lucium lib. 2. cap. 16. (mihi pag. 102.) edimus, errores, et menda, quae librariorum inſcitiae, et oſcitantiae tribuenda exiſtimamus, ſecuti ſumus fideliter, quemadmodum id ipſum fecit Farlatus Tom. V. pag. 49. Concilium hoc eotum celebratum fuiſſe, et quidem generale (quod Africani Epiſcopi plenarium vocarent, nos Nationale diceremus) docet ipſe textus in verbis: *congregatis nobis plurimae* (ſubintellige cauſae) *ventilandae, et examinandae allatae, vt moris eſt generalis Concilii.* Synodum

An conſecratio Synodo, vel Synodus conſecrationi occaſionem praebuerit?

Digitized by Google

dum hanc conſecrationi Eccleſiae Sanctae Mariae Jadrenſis occaſionem praebuiſſe autumat Farlatus, quaſi ideo conſecrata fuiſſet, quia multi Epiſcopi ad Synodum confluxerant; ego contra accidiſſe cenſeo. Frequentius enim nobis occurrunt in Annalibus Eccleſiaſticis huiusmodi Synodorum exempla, quae ex occaſione conſecrationum auguſtiori ritu celebrandarum natae fuerunt.

De excommunicatione ipſo facto incurrenda.

II. Alia quamplurima in hac Synodo ventilata, et acta fuiſſe ſupra vidimus; acta tamen alia non ſuperſunt. Cicha itaque Eccleſiae opere perfecto, eam ſolenniter initiari voluit, quod eius debebatur dignitati. Solebant autem Epiſcopi Eccleſiarum Conſecratores monaſteriis dona conferre; horum exemplis inſiſtens Andreas IV. Epiſcopus Indertinus, ac Drago Prior vna cum Clero, et populo, inſulam Syluae (quam Porphyrogenitus Selbon vocat) Baſilicae tradunt, adiecta pleniſſima immunitate, propoſita inſuper ab Epiſcopo Indertino excommunicationis ipſo facto incurrendae poena in eum, qui vel formellam caſei rapuerit. Epiſcopi vero in hac Synodo congregati donationem quidem hanc, et immunitatem confirmant, excommunicationis tamen poenam memorabili, et Epiſcoporum prudentia, grauitateque digniſſimo moderationis exemplo ita reſtrinxerunt, vt illa non ipſo facto incurreretur, ſed contumaces duntaxat illa ferireutur; neque formellae caſei, id eſt vnius libonis furtum tam enormi poenae ſubiici volebant. Immunitatem porro a cenſibus, et vectigalibus ita temperarunt, vt bono publico nullum adferret praeiudicium; quare vrgente neceſſitate Moniales quoque publicorum onerum participes eſſe voluerunt. Lucius recitata hac Synodi ſententia ſubiungit, „*apparet monaſteria non aequalem libertatem habuiſſe, et ad contributionem in communi neceſſitate obligata fuiſſe.* Nunquam Eccleſia opes ſuas denegauit ad publica mala depellenda, quae hoſpitalitatem commendat, et pauperes ali iubet.

XLVIII.
De Synodo in Canoniſatione Sancti Stephani Regis Hungariae.

I. Tres Canoniſationes Sanctorum quippe Stephani, Emerici, et Gerardi conſerto ordine ſeſe inuicem excipiunt, in Hungariae Synodis peractae, quas omnes ad vnum annum collocauimus, ne moleſta annorum disquiſitione ab aliis detineamur. Canoniſationem dum hic commemoramus, duo praemittere debemus, et quidem primo: Canoniſationem ſignificare loquendi modo ſeculis illis vſitato ſolennem corporis eleuationem. Docet nos id Epitaphium Sanctorum Kiliani, Colomani, Totnani apud Baronium ad annum Chriſti DCLXXXIX. num. 15. relatum.

Quid ſit Canoniſatio?

Septingenteſimo quinquageſimo ſecundo
A Bonifacio Bur-Kardo conſociato
Hi ſunt ſublati, rite quoque canoniſati.

Apud Bur-Kardum Monachum libro de caſibus monaſterii ſancti Galli cap. 6. dicitur de Nortperto S. Galli Abbate ipſum a Clemente II. Summo Pontifice mandatum accepiſſe „*quatenus ipſam* (Sanctam Wiboradam ab Hungaris coeſam) *praeſente Theodorico Conſtantienſi Epiſcopo canoniſaret*„ ad ipſum videtur innuere Alexandri III. Epiſtola ad Clerum Angliae de canoniſatione Sancti Eduardi Regis apud Harduinum Tom. VI. par. 2. col. 1380. dum ait: *Corpus ipſius confeſsoris ita glorificandum cenſuimus - - - ſicut eundem confeſſorem Dominus per ſuam gratiam glorificauit in coelis.* In manuſcripto Corſendokiano, quod continuatores Bol-

Digitized by Google

Bollandi Tom. V. Junii pag. 315. ediderunt, habetur de Sancto Ladislao: *anno Domini MCXCII. Sanctum eius corpus cononiſatum eſt.* Secundo: Haec corporis eleuatio pro beatificatione haberi debet, quod multis egregie docuit nunquam ſatis laudatus Benedictus XIV. in opere de beatificatione Seruorum DEI.

An quaepiam acta conſcripta in Synodo?

II. Nemo a me hic prolixa acta praeſtoletur, teſtimonio habitarum Synodorum contentos nos eſſe oportet, neque tamen illico iacturam actorum doleamus, aut iniquitatem temporis accuſemus; iure enim dici poteſt, nulla acta conſcripta fuiſſe. Sane continuatores Bollandi in Propyloeo diſſert. 20. num. 4. de Synodis Romanis inquiunt, *„eiusmodi cauſarum definitio fiebat in Synodis, quas onnue vnam, aut plures Romani Pontifices celebrari coram ſe faciebant, et quia huiusmodi Synodorum acta vix ſcribebantur, ſed vt in iis ſola viua voce decernebantur multa, ſic etiam approbata - - quorum onnunciato in Synodo Sanctitas, et miracula fuerant.* Cur ergo a nobis deſideras acta? Tota res in actione, ieiuniis, orationibus, hymnis, et miraculis tranſacta fuit. Alioquin de Hungaris dictum ſcito id, quod Malachias Roſenthal Coenobii Campililienſis Profeſſus (in libro Ferdinando III. et Proceribus exhibito, cui titulus: Actio S. ordinis Ciſtercienſis in ea monaſteria, quae ab aliis ſine legitima conceſſione ſunt occupata) ſcribit, *Hungaros malle* in *Coelis ſcribi, quam in terris ſcribere.* Nos Synodi memoriam ex MS. vita S. Stephani Mellicenſi eo libentius damus, quod teſte P. Stiltingo continuatore Bollandi in vita S. Stephani, ipſo Chartuitio antiquior ſit, adeo vt Chartuitius ex hac plura totidem verbis tranſcripſerit. Aemulamur exemplum Harduini, qui Conciliorum Tomo VI. part. I. col. 1034. vbi Concilium Romanum in cauſa Canoniſationis S. Gerardi LeucorumE piscopi adſert, paucis verbis ex Hermanno contracto depromptis expedit, et abſoluit.

Quando cauſae beatificationum Sedi Apoſtolicae reſeruatae?

III. Actum agerem, ſi poſt Benedicti XIV. immortale opus ſupralaudatum vellem oſtendere, Episcopis vsque tempora Innocentii III. plenam et liberam fuiſſe poteſtatem Seruos DEI beatificandi, neque ante ſeculum X. conſtans exemplum ſolennis Canoniſationis a quoquam Summo Pontifice factae proferri poſſe. Dixi vsque tempora Innocentii III. licet enim Alexander III. in epiſtola ſua decretali *tit.* 45. *de Reliquiis, et veneratione Sanctorum* aliud agendo dicat de quodam Priore Monachorum in ebrietate a ſuis occiſo: *„etiamſi per eum miracula plurima fierent, non liceret vobis eum pro Sancto absque auctoritate Romanae Eccleſiae publice venerori.* Id tamen non eſt tam clare, et luculenter expreſſum, atque hanc reſeruationem Sedi Apoſtolicae in cauſis beatificationum ſactam expreſſit Innocentius III. in Bulla Canoniſationis beatae Cunegundis Imperatricis, dum inquit: *„quum hoc ſublime iudicium ad eum tantum pertineat, qui eſt Beati Petri ſucceſſor, et Vicorius JESU Chriſti.„* certum pariter eſt, beatificationem, ſeu vt veteri more loquamur, Canoniſationem in Concilio Episcoporum factam fuiſſe tanto magis, quum Alexander III. in Bulla Canoniſationis S. Eduardi loco citato dicat, *quamuis negotium arduum, et ſublime non frequenter ſoleat, niſi in ſolennibus Conciliis de more concedi.*

Acta Synodi.

IV. Concilium itaque in Canoniſatione S. Stephani habitum. In eo triduanum ieiunium indixerunt Episcopi, et orationi inſtantes viſitationem ſupernae clementiae in plebem expectabant; dein cum hymnis, et canticis eleuauerunt corporis ſancti exuuias, ſuauiſſimo odore fragrantes, et maxima miraculorum gloria corruscantes, illudque in argenteam condiderunt thecam.

XLIX.

XLIX.
De Synodo in Canoniſatione S. Emerici.

In alia Synodo canoniſatus fuit S. Emericus.

I. Etſi concederemus Canoniſationem Sancti Stephani Regis ex decreto Synodi Romanae factam, id tamen de Sancto Emerico adſtrui vtique non poteſt, vtpote quum ille gentem ſuam nec praedicando, nec inſtituendo conuerterit, (de talibus enim ſit ſermo in dicta Synodo Romana) vnde nimis facilis eſt in coniectando Stiltingus, dum in ea Synodo etiam Sancti Emerici cauſam fuiſſe examinatam confidenter autumat, confidentius pronunciat. Canoniſationis, et Synodi in hac cauſa celebratae acta damus ex Surio, neque enim aliud nobis ſuppetit.

Dies habitae Synodi.

II. Nemo exiſtimet tres has Canoniſationes vna eademque die contigiſſe; Sancti enim Stephani facta eſt vigeſima Auguſti, qua die nos feſtum eius celebramus ex perpetua Eccleſiae Hungaricae conſuetudine, quum decima quinta felici obierit morte, ac ideo etiam in antiquis quibusque Breuiariis die illa commemoratio Sancti Stephani fieri ſolebat. Sancti Emerici porro Eleuatio, ſeu Canoniſatio facta eſt nonis Nouembris. In Calendario Sacramentarii Bolduenſis habetur: „*III. Non. Septembris depoſitio Sancti Henrici etc.*„ et rurſus: *Nonis Nouembris Eleuatio Henrici Ducis etc.*

Acta Synodi.

III. Sanctum Ladislaum Regem, et Epiſcopos Hungariae ad eleuationem corporis, ſiue Canoniſationem faciendam commouit miraculum ſolutarum ad eius ſepulcrum catenarum, quibus Conradus ad expiationem flagitiorum ſuorum conſtrictus fuerat. Hoc itaque miraculo, aliisque gratiis, ſignis, et prodigiis ad ſepulcrum Sancti Emerici editis excitatus Sanctus Ladislaus Epiſcopos conſulit, qui rurſus triduano ieiunio indicto Diuinam voluntatem quaerendam reſponderunt, quo expleto ſacrum corpus eleuant, Domino gloriam ſerui ſui confirmante ſequentibus ſignis.

L.
De Synodo in Canoniſatione S. Gerardi.

Tertiam denique Synodum Canoniſationis ex Arnaldo Wione damus, cuius famam in notis marginalibus tantillo prolixioribus vindicauimus; vt hic ſuperfluum ſit plura dicere.

LI
De Epiſtolis Sancti Gregorii VII.

Cur continua ſerie collocentur?

I. Epiſtolas Sancti huius, Summique Pontificis vna hac recenſione perluſtrabimus omnes, licet alia, ordine Chronologico id expoſcente, interpoſita ſint acta, exemplum Harduini, aliorumque collectorum ſecuti. Non puto autem Sancti huius viri, qui disquiſitiones noſtras ſecurus iam ridet, exiſtimationem adeo conclamatam eſſe, vt vindicari nequeat. Tentabimus itaque ab accuſationibus, quae ex his epiſtolis peti ſolent, eundem purgare in notis marginalibus.

Recenſentur.

II. Epiſtola anno Chriſti MXLIV. exarata Geyzam ob deuotionem collaudat, ſtudiumque Sedis Apoſtolicae offert.

Epiſtola ad Salomonem data anno hoc, obiurgat eundem, quod is non attento maiorum ſuorum exemplo, licet etiam ipſe Henricus Imperator deuicti Regni Hun-

Hungariae ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſerit inſignia, maluerit a Rege Teutonico, quam a Sede Apoſtolica in beneficium accipere Regnum Vngariae.

Epiſtola ad Reginam Judith anno eodem data conſolationis verba continet.

Anni eiusdem epiſtola ad Geyzam laudat eundem, addens Regnum Hungariae nulli Regi alterius Regni debere ſubiici, et ideo Salomonem in Regno, vltione diuina illum ob ſpretam Eccleſiam Matrem ſuam inſequente, perſiſtere non potuiſſe.

Alia eiusdem anni epiſtola offert Geyzae ſua ſtudia ad pacem inter ipſum, et Salomonem reformandam; obiurgans iterum Salomonem, quod a Teutonico potius Rege, quam a Sede Apoſtolica regnum accipere, et Regulus potius, quam Rex eſſe voluerit.

Anno MLXXVII. commendat Nehemiae Archi-Episcopo Strigonienſi Clericum quendam de aliquibus erratis accuſatum, et ad Sacerdotium aſpirantem. Commendat etiam eidem Archi-Episcopo, vt opera illius, et reliquorum Episcoporum Rex ſuam erga Sedem Apoſtolicam deuotionem luculentius ſignificet.

Epiſtola ad Sanctum Ladislaum anno MLXXIX. data eundem laudat, et ad conſtantiam in bene coeptis hortatur, ac etiam quosdam Comites in exilium actos commendat.

Vnde ſint deromptae?

III. Epiſtolas has ex Harduino, Baronio, Manſio damus. III. Adami Kollár fidem ſemel, atque iterum ſecuti fecimus quoque illas ex codice MS. Bibliothecae Corſinianae Romae exſcribi. Codex eſt ſignatus numero CCXLIV. cum epigraphe: *„adnotata varia ad Dominium S. R. E. eiusque iura ſpectantia„* In codice hoc ad rem noſtram ſequentia habentur: *„Item Regnum Hungariae proprium eſt ſacroſanctae Romanae Eccleſiae, prout ex pluribus documentis authenticis poteſt ſciri: vnde Beatus Gregorius Papa VII. ita ſcripſit Salamoni Regi Hungarorum, prout habetur in regeſtis dicti Domini Gregorii libro ſecundo, capite XII.* recitat deiu totam epiſtolam, cui ſubiungit: *„Item in eodem ad Geyzam Hungariae Regem C. LXIII. sic ſcribit:* ſequitur fragmentum huius epiſtolae. Mox: *Item in eodem ad eundem Capitulo LXX. inter cetera ſic incipit,„* ſequitur rurſus fragmentum epiſtolae huius. Nos in notis marginalibus variantes lectiones adnotauimus, quod etiam fecimus cum epiſtola a Baronio binis in locis recitata.

LII.
De Synodo Spalatenſi anni MLXXV.

Duo damus veſtigia huius Synodi; et quidem primo ex Illyrico Sacro Farlati Tom. III. pag. 142. ſententiam Gerardi Apoſtolicae Sedis Legati, qua aediculam Sancti Ioannis (cellam appellat Gerardus) ſitam in Inſula Selago Petro Abbati Sancti Chryſogoni vi inueſtiturae (pedo, quod manu tenuit) attribuit, et inſtabilitatem, ſeu leuitatem Corbinae foeminae opulentae, quae pium opus ſuum retractabat, compescuit.

Altero loco damus acta Synodi ex Archi-Diacono cap. XVIII. Acta alia nulla ad nos peruenerunt.

LIII.
De Synodo Spalatensi anni MLXXVI.

I. Splendidiſſimum vere Regiae pietatis monumentum proferimus ex Farlati Illyrico Sacro Tom. III. pag. 146. Syno- Occaſio Synodi.

Synodum nimirum a Sedis Apoſtolica Legatis in coronatione Regis Croatiae Demetrii alias Suinimir habitam. Spectatiſſimum, inquam, Regiae pietatis monumentum, dum fasces Imperii ante humile Piscatoris rete humiliantur, et non ſolum iam crux in capite Regum ſulget, ſed a Succeſſore Piscatoris in diademate defigitur Principum, vt nescias, cui maior obtingat honos? Regi-ne, qui corona donatur, an Sedi Apoſtolicae, a qua illam ſuſcipit Rex? Sartam tunc ſenſit Sedes Apoſtolica iacturam, quam in Henrico IV. Germaniae Rege pertulit; dum nimirum eodem tempore Rex in poteſtatem Eccleſiae ipſe venire cupiebat. Sed occaſio ipſa recensenda eſt. Mortuo Creſimiro Regi ſucceſſerat Stephanus Dux. Verum ille, vti ex inſtrumento abdicationis apud Farlatum edito adparet, corporis, et animi morbis oppreſſus, ad monaſterium S. Stephani dignitati, et honori nuncio miſſo ſe recepit. „*Ego Stephanus* (ita habet inſtrumentum abdicationis) *olim Dux illuſtris Croatarum, quum graui morbo oppreſſus conuocari iusſiſſem venerabilee Sacerdotes Regni Chrobatiae, qui grauioribus animae meae morbis medicinam adhiberent, de illorum conſilio me transferendum curaui ad monaſterium Sancti Stephani Martyris, vbi Ducis titulo, ac dignitate omni depoſita locum ſepulcro meo deſignaui*„ Stephano itaque Slavizo ſuccedere volens ducatum adiit, quo tamen haud diu potiri licuit, anno enim MLXXV. teſte ſententia Legati Apoſtolici ſuperius relata, Comes Amicus Regem Croatiae cepit, ac ſicut Clariſs. Kerchelich videtur, interfecit. Quis iſte Comes Amicus fuerit, non eſt plane certum. Farlati enim Tom. III. pag. 145. arbitratur fuiſſe Ducem Northmannorum, qui anno illo, vt ſcribit Dandalus, vaſtabant oram Dalmatiae, atque Chrobatiae, laudatus Kerchelich exiſtimat fuiſſe Ducem Narentanorum. Nolo hanc litem componere, neque huius loci eſt. Slauizone ergo e medio ſublato, Demetrius, alias Suinimir pulcherrimum coepit conſilium autore potiſſimum Laurentio Archi-Epiſcopo, vt a Summo Pontifice Regiae dignitatis nomen, ac inſignia peteret. Facile id a Gregorio VII. obtinuit, quemadmodum in Synodo hac, quam recenſemus, eadem per manus Gebizonis rite ſuscepit.

An tunc primum Regium nomen Croatiae illatum?

II. Errorem, quem lectoribus ſuis propinat modo laudatus Kerchelich in notitiis Praelim. Periodo III. pag. 116. nullatenus diſſimulare valemus. Scribit autem is loco citato „*Da'm tiam Zvonomiro datam fuiſſe, eumque conſtitutum a Papa Regem Dalmatiae. Haec proinde ſunt initia Regni Dalmatiae, quae vt diſtinctum Regnum a Croatia coepit haberi. Primus itaque Rex Dalmatiae Zvonimirus fuit, hoc eſt, quod tn ſuis Diplomatibus Zvonimirus* anno 1083. *Papae Gregorii meminerit, et factae ab eo inueſtiturae.* Omnis haec ratiocinatio nequit ſubſiſtere, refert quippe Lucius ex regeſtro Priuilegiorum monaſt. SS. Cosmae, et Damiani tabulas donationum Creſimiri anno Chriſti 1059. editas, vbi dicitur „*Regnante Creſimiro Rege Chroatorum, et Dalmatarum:* et rurſus alias, quas in ſuperioribus ad annum 1066. recenſuimus cum hoc initio: „*Ego Creſimir Rex Croatiae, et Dalmatiae;* et anni 1069. vbi Rex ſic loquitur: „*Ego Creſimir Rex Chroatarum, atque Dalmatinorum:* vt nihil dicamus de Diplomate Cenciano a nobis edito, (ſic enim appellat id Farlatus) Edidit memoratus Lucius aliud eiusdem Regis ex regeſtro Priuilegiorum Archi-Episcoporum Spalatenſium anni 1078. in quibus Rex ait: „*Ego Suinimir, qui et Demetrius, gratia Diuinitus collata ſubminiſtrante, et ſagacis vigore ſcientiae coelitus attributae cooperante, Rex totius Chroatiae, ſimulque Dalmatiae*„ Concludat hinc quiuis aequus arbiter: an Zvonimirus primus Rex fuerit

Dalmatiae a Sede Apoſtolica conſtitutus? ao diſtincta, vel potius coniuncta fuerint Regna? an ſolius Dalmatiae, et non etiam Croatiae Demetrius vltro volens acceperit inueſtituram?


Vnde deſumpta acta? III. Iuramentum, ſiue Donatiooem Demetrii cum codice Corſioiano Nro. CCXLIV. ſignato, cui titulus: *Adnotata varia ad dominium S. R. E. eiusque iura praecipue ſpectantia* conferri fecimus, et variantes ſubiunximus lectiooes. Praemittit is ſequentem adnotatiunculam:

„*Item Croatiae, et Dalmatiae Regna ad proprietatem, et ius pertinent Eccleſiae Romanae, et Rex Regnorum ipſorum debet fidelitatem facere Dno Papae, et annuatim tenetur tributum dare eidem* 200. *biſantiorum, prout haec habentur in regeſtris Dni Gregorii Papae VII. in quibus agitur de Synodo habita in Dalmatia a Legatis Domini Gregorii, ſcilicet a Gebizone, tunc monaſterii Sanctorum Bonifacii, et Alexii Abbate, et a Fovellino fori Simpernii Episcopo, et haec habentur in Archiuio Sacri Palatii Lateranenſis, in qua de regno et Rege Dalmatiae ſic legitur.*„

ACTA

Digitized by Google

I.
ACTA, ET DECRETA SYNODI SARDICENSIS CELEBRATAE ANNO CHRISTI CCCXLVII.



I.
Epiſtola Patrum Sardicenſium ad vniuerſas Eccleſias ex Fragmentis S. Hilarii. *

Incipit Exemplum Epiſtolae Synodi Sardicenſis ad vniuerſas Eccleſias.

Multa quidem, et frequenter auſi ſunt Ariani Haeretici aduerſus Seruos DEI, qui Fidem rectam, et Catholicam cuſtodiunt; adulterinam namque doctrinam inferentes, Orthodoxos perſequi tentauerunt: in tantum autem nunc exſurrexerunt contra Fidem, vt non religioſam pietatem Clementiſſimorum Imperatorum lateret. Denique gratia DEI adiuuante, etiam ipſi Clementiſſimi Imperatores congregauerunt ex diuerſis Prouinciis, et Ciuitatibus ipſam Synodum Sanctam, et in Sardicenſium Ciuitate fieri permiſerunt, vt omnis quidem diſſenſio amputetur, iniqua autem doctrina penitus expulſa, pietas ſola, quae eſt in Chriſto, *(a)* hominibus cuſtodiretur. Venerunt enim ab Oriente Epiſcopi cohortatione excitati piiſſimorum Imperatorum, maxime propter id, quod frequenter in murmuratione fuit, id eſt: de dilectiſſimis Fratribus noſtris, et Coepiſcopis Athanaſio Epiſcopo Alexandriae, et Marcello Epiſcopo Ancyro-Gallatiae. *(b)* Arbitramur autem etiam ad vos ipſos perueniſſe eorum calumnias, et aures veſtras tentaſſe eos commouere, non dubitauimus, *(c)* vt aduerſum innocentes quidem, quae dicunt credatis, ſceleratae autem haereſeos ſuae ſuſpicionem tegant. Sed non diutius haec illis facere permiſſum eſt. Eſt enim Gubernator Eccleſiarum Dominus, qui pro Eccleſiis, et pro omnibus nobis mortem ſuſtinuit, et propter eas Eccleſias aſcenſum in coelos omnibus nobis tribuit. Olim quidem ſcribentibus Euſebio,

* Ex editione Pariſina 1693. opera Monachorum Congregationis S. Mauri fragmentum II. alias I. partis. col. 1283.

(a) Graecum exemplar habere: *omnibus* monet Harduinus, quod illi meliorem reddat ſenſum.
(b) Graecum exemplar addit: *Ancyrae Galatiae*
(c) Intellige: *non dubitauimus fore, vt non credatis.*

Mario, Theodoro, Diognito, Urſacio, et Valente, *(a)* Iulio Conſacerdoti Noſtro Romanae Eccleſiae Epiſcopo aduerſum praedictos Coepiſcopos noſtros (dicimus autem Athanaſium, et Marcellum) vt ſcripſerunt ex aliis locis, vt Epiſcopi noſtri - - - *(b)* quae autem ab Euſebio facta ſunt, nihil aliud, quam falſitatis,et mendacii fuiſſe plena. Nam etſi ex eo, quo vocati ſunt a Iulio Epiſcopo cariſſimo Fratre noſtro, claruit noluiſſe eos veniſſe ex ipſis litteris, quibus eorum mendacia detecta ſunt: (veniſſent enim, ſi habuiſſent fiduciam eorum, quae geſſerunt aduerſus Coepiſcopos noſtros) licet etiam ex ipſis, quae fecerunt in iſto ſancto, et magno Concilio, manifeſtiora falſitatis ſuae commenta prodiderunt: Venerunt enim et ad Sardicenſium Ciuitatem, et videntes Athanaſium, et Marcellum, Aſclepam, et alios, timuerunt venire ad Iudicium, et non ſemel, neque iterum, ſed frequenter vocati contempſerunt inuitationem Synodi omnium noſtrorum, qui conuenimus Epiſcopi, et maxime venerabilis ſenectae Offium *(c)* qui et propter aetatem, et confeſſionem, et tanti temporis probatam fidem, qui tantum laborem id aetatis pro Eccleſiae vtilitate ſuſtinuit, vt omni reuerentia digniſſimus habeatur, expectantibus omnibus, et cohortantibus eos venire ad iudicium, vt omnia, quae de Conſacerdotibus noſtris vel dixerunt, vel ſcripſerunt, praeſentes poſſent conuincere, vocati non venerunt, ſicut praediximus, oſtendentes etiam ex his falſitatem ſuam, non ſolum commentatitiam fraudem, aut exquiſitam verſutiam, quam fecerunt, prodentes per excuſationem. Qui enim habent fiduciam probare ea, quae abſentes dicunt, haec praeſentes parati ſunt conuincere. Sed quia venire non auſi ſunt, arbitramur de cetero neminem ignorare, etiamſi illi iterum malitiam ſuam exercere voluerunt, nihil ſufficientes probare aduerſus Conſacerdotes noſtros, quos incuſant quidem abſentes, praeſentes autem ſugiunt. Fugerunt enim dilectiſſimi Fratres, non ſolum propter hos, quos falſo adpetiuerunt, verum etiam hos, qui ex diuerſis locis conuenerunt, vt eosdem multis criminibus arguerent. Ferrum enim, et vincula proferebant de exilio reuertentes viri, et rurſum ab his, qui adhuc in exilio detinentur, miſſi affines, et proximi, amici, et Fratres querelas vel eorum, qui ſuperſunt, detulerunt, vel eorum, qui in ipſis exiliis deceſſerunt, indignam iniuriam proſequuti ſunt, et quod eſt maximum, Epiſcopi aderant, quorum alter ferrum, et catenas praeferebat, quas per eos ceruicibus ſuis portauerat, alii ex eorum inſimulatione mortem ſibi intentatam teſtificabantur. In tantum enim deſperationis eruperunt, vt etiam Epiſcopos interfeciſſent quidem, niſi fugiſſent ipſorum cruentas manus. Deceſſit enim Coepiſcopus noſter beatiſſimus *(d)* Theodorus ſugiens ipſorum infeſtationem. Iuſſus eſt enim ex ipſorum inſimulatione mori. Alii autem gladiorum ſigna, plagas, et cicatrices oſtendebant: Alii ſe fame ab ipſis excruciatos querebantur. Et hoc non ignobiles teſtificabantur viri, ſed de Eccleſiis omnibus electi, propter quas huc conuenerunt, res geſtas edocebant, milites armatos, populos cum fuſtibus, Iudicum minas, falſarum litterarum ſuſpiciones. Lectae ſunt enim litterae factae a Theognito falſae aduerſum Coepiſcopos noſtros Athanaſium, et Marcellum, vt et Imperator aduerſus ipſos commoueretur. Et haec conuincebant ii, qui tunc ipſius Theo-

(a) Exemplar Theodoreti addit: *Menophanto, et Stephano.*

(b) Hunc hiatum ſupplet, et emendat Harduinus ex Graeco: *ex aliis locis Epiſcopi conteſtantes innocentiam Athanaſii Coepiſcopi noſtri.*

(c) Harduinus habet: *Oſium*, monet tamen in MS. legi: *Oſſium*, ex quo patet S. Hilarii lectionem antiquitati eſſe conformiorem, quod deinceps quoque videbimus.

(d) Theodoret. Lib. 2. c. 8. *Theodolum* vocat.

Theogniti Diacones fuerunt. Ad haec virginum nudationes, incendia Eccleſiarum, carceres aduerſus Miniſtros DEI, et haec omnia propter iniquam, atque execrabilem haereſim (a) Ariomanitarum, qui enim communioni eorum renunciabant, neceſſitate patiebantur iſta tolerare. Haec igitur conſiderantes, in anguſto ſe teneri peruidebant, erubeſcentes quidem confiteri ea, quae commiſerunt, eo quod de caetero non poſſent ea diutius occultare. Venerunt tandem in Sardicenſi Ciuitate, vt propter praeſentiam, ſuſpicionem quaſi mali actus viderentur excludere: videntes enim eos, qui a ſe fuerant falſis oppreſſi teſtimoniis, eos etiam quos vehementiſſime oppugnarunt: ex alia parte accuſatores conſcientiae, etiam ſuorum criminum proditores prae oculis habentes ſuis, venire vocati non potuerunt, maxime Conſacerdotum noſtrorum Athanaſii, Marcelli, et Aſclepis conſcientia perturbati, qui et implorabant iudicium, prouocabant accuſatores, vt eos non ſolum conuincerent de his, quae aduerſum ſe ſe falſa confinxerant, verum etiam, quae aduerſus Eccleſias impia, ac nefaria commiſerant, edocerent. Verum illi tanto terrore comprehenſi ſunt, vt fugam facerent, et per illam fugam falſitatem ſuam detegerent, ac nudarent. Tametſi non ſolum ex prioribus, ſed etiam ex iſtis malitia eorum, et falſitas oſtenderetur, vt nec exiſtimata fuga occaſionem aliquam alterius malae artis inuenire poſſent, probauimus ſecundum veritatem, et rationem ea, quae ab illis commiſſa ſunt, inquiri oportuiſſe: et inuenimus, eos etiam de his fuiſſe mendaces, et nihil aliud, quam impugnationem aduerſus Conſacerdotes noſtros exercuiſſe; Quem enim dicebant ab Athanaſio interfectum fuiſſe nomine Arſenium, habetur in numero viuorum. Vnde ex hoc etiam cetera, quae ab ipſis iactabantur, patuit eſſe plena mendacii, et falſitatis. Quod autem de calice fracto aliqua loquebantur a Machario Presbytero Athanaſii, teſtificati, qui praeſentes fuerunt ex Alexandria de eodem loco, eo quod nihil tale eſſet factum. Sed et Epiſcopi ſcribentes ex Aegypto ad Iulium Conſacerdotem noſtrum abunde aſſeuerarunt, nec ſuſpicionem huiuſmodi ibidem fuiſſe. Dicunt autem acta etiam ſe habere aduerſus ipſum: quae habent autem, abſente parte altera conſtat fuiſſe confecta: Simul tamen ipſis actis gentilis, et Catechumenus interrogatus dicebat, intus ſe fuiſſe, quando ſuperuentum fecit Macharius: interrogatus dicebat famoſiſſimum illum (b) Syrum infirmantem in Eccleſia iacuiſſe; vt ex hoc appareat ex toto myſterium non fuiſſe celebratum, eo quod Catechumeni intus fuerint, ſed male habentes (c) iacuerint.

Nam

(a) Etiam Iulius Papa in Epiſtola ex Synodo Romana ad Euſebianos data vocat *Ariomanitas*, inquiens: *Ariomanitarum haereſis ab omnibus vbique Epiſcopis conuicta, et damnata eſt.* Forte a furore, quo perciti erant Ariani, coeperunt *Ariomanitae* vocari.

(b) Intellige *Iſchyram*, quemadmodum poſteriora oſtendunt.

Infirmi iacent in Eccleſia.

(c) Illam partem diſciplinae, quod nimirum aegrotantes, et male habentes tam Catechumeni, quam etiam Chriſtiani ad morbos depellendos in Eccleſiis iacuerint, pertranſire non poſſumus, cuius hoc loco meminere Patres Sardicenſes. Hunc morem obtinuiſſe confirmat id, quod Sozomenus hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 2. pag. 28. narrat inquiens: „*Quid Aquilino nobiſcum etiamnum aetatem degenti, et in eodem foro cauſas agenti, eodem in loco* (Eccleſia) *acciderit, partim, vt ab eo audiui, partim, vt ipſe conſpicatus ſum, iam opportune commemorabo: quum enim vehemens febris, eaque paulo ardentior ex flaua bili orta eum occupaſſet, medici dedere illi bibenda medicamenta ad aluum purgandam, quod quidem euomuit; Atque ſimul cum vomitione bilis in omnes corporis partes diffuſa, cutis extremitatem coloris ſpecie ſibi ſimili tinxit. Ex quo factum eſt, vt omnem cibum, ac potum euomeret. Vbi autem longo temporis ſpatio iſtud perpeſſus fuerat, et nihil alimenti in ſtomacho conquieſcebat, de morbo curando Medici deſperare coeperunt, ac quum iam ſemimortuus eſſet, dat ſuis mandatum, vt eum in Eccleſiam deportent, affirmatque ſe ibi aut mortem obiturum, aut morbo liberatum iri. Cui in Eccleſia iacenti de nocte viſio quaedam Diuina obiecta iubet, vt cibum potione, quae ex melle, vino, et pipere pariter miſtis conficeretur, tingeret. Quae quidem potio quum eſſet calidiſſima, quamuis Medicis ex artis ratione eam conſiderantibus morbis e flaua bile contractis contraria videretur, hominem tamen morbo recreauit. Accepi porro Probianum vnum ex Satellitibus, qui Imperatorem in Palatio ſtipabant, quum dolore pedum grauiter affligeretur, in eo loco* (Eccleſia) *etiam cruciatu*

Nam et ipſe totius malitiae Syrus commentator, exſuffiſſe Athanaſium quendam de Diuinis ſcripturis librum dicebat. Ad hoc conuictus confiteri coepit, infirmatum ſe fuiſſe, quando Macharius praeſens fuit, vt ex hoc etiam falſum teſtem illum eſſe appareret. Denique falſitatis praemium eidem Syro, honorem Epiſcopatus dederunt homini, qui neque Presbyter quidem fuit. Venientes enim duo Presbyteri nunc ad Concilium, qui eo temporis cum Melitio fuerant, poſtmodum ab Alexandro Epiſcopo Alexandriae beatae memoriae viro ſuſcepti ſunt, nunc cum Athanaſio agunt, teſtati ſunt nuſquam omnino iſtum Melitii fuiſſe Presbyterum, neque omnino habuiſſe eum Melitium in eodem loco apud Mareotem Eccleſiam, nec miniſtrum, quem tamen nunc velut Epiſcopum illum ſecum adduxerunt, qui ante nec Presbyter fuit, vt nomine Epiſcopatus videantur falſitatem ſuam tegere apud audientes. Lectus autem eſt et liber, quem conſcripſit Frater, et Coepiſcopus noſter Marcellus, et inuenta eſt Euſebii, et qui cum iſtis fuerant, exquiſita malitia. Quae enim vt proponens Marcellus poſuit, haec eadem quaſi iam comprobans proferret, adſimularunt. Lecta ſunt ergo, quae ſequebantur; lecta etiam, quae antepoſita erant quaeſtioni, et recta fides eius inuenta eſt. Neque enim a Sancta Virgine Maria, ſicut ipſi confingebant, initium dabat DEO Verbo, neque finem habere Regnum eius: ſed Regnum eius ſine principio, ac ſine fine eſſe conſcripſit. Sed Aſclepius Coepiſcopus noſter acta protulit, quae confecta ſunt apud Antiochiam praeſentibus aduerſariis, et Euſebio ex Coeſarea, et ex ſententiis iudicatum Epiſcopum oſtendiſſe eſſe irreprehenſibilem. Merito ergo acciti frequenter, non auſi ſunt venire, merito fugerunt conſcientiae ſuae impulſu praecipitati. Fuga enim falſitates ſuas confirmauerunt, et credi ea fecerunt, quae praeſentes accuſatores eorum dixerunt, et oſtenderunt. Quid igitur? ſupra haec omnia etiam olim depoſitos, atque eiectos Eccleſia propter haereſim Arii non ſolum ſuſceperunt, ſed etiam in maiorem prouexerunt gradum: Diacones quidem in Presbyterium, de Presbyterio autem in Epiſcopatum, propter nihil aliud, niſi, vt impiam doctrinam dilatare, ac diſſeminare poſſent, et piam corrumperent Fidem. Sunt autem iſtorum poſt Euſebium duo Auctores etiam Theodorus ab Heraclia, Narciſſus a Neroniade Ciciliae, Stephanus ex Antiochia, Georgius Laodicea licet timens non adfuerit: de Oriente: Acacius ex Coeſarea Paleſtinae, Monophantus ex Epheſo Aſiae, Urſacius a Singiduno Moeſiae, Valens ex Murſa Pannoniae. Etenim praedicti etiam, qui ab Oriente ſecum venerunt, non permiſerunt Sanctum Concilium intrare, neque omnino in Eccleſiam DEI Sanctam accedere. Venientes enim Sardicam, per ſingula loca Synodos faciebant inter ſe, et pactiones cum interminationibus, vt omnino venientes Sardicam ad Iudicium non accederent, neque in vnum cum Sancta Synodo conuenirent, et ad id ſolum venerunt - - - *(a)* Caetum praeſentiam ſuam, qui ſtatim fugerunt. Haec enim ſcire potuimus a Conſacerdotibus noſtris Ario ſcilicet ex Paleſtina, Stephano

leuatum, et admirobili quadam, ac Diuina viſione dignatum fuiſſe. Nam quum iſte initio gentilis eſſet, poſtea tamen factus Chriſtianus, quamquam omnia alia Religionis noſtrae inſtituta probabilia putabat, ſanctam tamen crucem Salutis omnium cauſam exſtitiſſe neutiquam admittere voluit. Cui ſic animo infecto viſio Diuinitus oblata quamdam crucis effigiem, quae in Altari illius Eccleſiae ſtatui ſolet, ante oculas poſuit, declarauitque manifeſto, res quaecunque a tempore, quo Chriſtus in crucem actus erat, vel ad vtilitatem humani generis communem, vel ad priuatam quorundam, ſeu a Diuinis Angelis, ſeu a piis, et perfectis hominibus geſtae fuerint, non ſine virtute crucis Salutaris recte geſtar eſſet.„

(a) Lacunam ſupplet, et emendat Harduinus: *vt quum praeſentiam ſuam oſtendiſſent, cetum ſtatim fugerent„* Theodoretus vero ſic habet loco citato: *„ſed ſimul vt eo peruenirent, et ſe accedendo ad eam Vrbem ſuo perfunctos officio oſtenderent, quamprimum inde fugituros.*

phano de Arabia, qui cum ipſis venerunt quidem, ſed ab eorum perfidia receſſerunt. Hi enim venientes in Sanctam Synodum, violentiam quidem, quam paſſi fuerant, conquerebantur, nihil autem ab ipſis recte agi adferebant: adferentes etiam hoc, quod eſſent ibi plurimi rectae Fidei, qui prohibebantur ab ipſis venire ad nos propoſitis interminationibus. Hac igitur cauſa in vno loco omnes manere ſategerunt, et nec parum temporis, nec habere eos liberam facultatem permiſerunt. Quia ergo non oportuit conticeſcere, nec multa retinere falſitatis vincula, homicidia, pugnas, falſas epiſtolas, verberationes, nudationes virginum, exilia, euerſiones Eccleſiarum, translationes de Eccleſia ad maiores, et ante omnia contra rectam fidem inſurgentes Arianae haereſis doctrinas, ex hac cauſa chariſſimos quidem Fratres, et Coepiſcopos noſtros Athanaſium Alexandriae, et Marcellum Ancyro-Gallatiae, et Aſclepium Gazae, et eos, qui cum ipſis erant miniſtrantes DEO, innocentes, et puros pronunciamus, ſcribentes ad vnam quamque eorum Prouinciam, vt cognoſcerent ſingularum Eccleſiarum Plebes Sacerdotis ſui integritatem, et habere ſe Epiſcopum ſuum: illos autem, qui ſe eorum Eccleſiis immerſerunt luporum more, id eſt Gregorium in Alexandria, Baſilium in Ancyra, et Quintianum in Gaza neque nomen habere Epiſcopi, (a) neque communionis omnino eorum habere participatum, neque ſuſcipere ab aliquo eorum litteras, neque ad eos ſcribere. Illos autem, hoc eſt, Theodorum Narciſſum, Acacium, Stephanum, Urſacium, et Valentem, Menophantum, et Georgium, etſi timens, vt dictum eſt, non adfuit, ſed tamen quia a beatae memoriae Alexandro Epiſcopo quondam Alexandriae deiectus eſt, et quod ſit tam ille, quam etiam ceteri comprehenſi Furoris Ariani, et propter obiecta crimina, hos omnes aequali ſorte deiecit Sancta Synodus de Epiſcopatus gradu, et indicauimus non ſolum illos Epiſcopos non eſſe, ſed neque communionem quidem cum Fidelibus habere. Separantes enim Filium, et alienantes Verbum a Patre, ſeparari ab Eccleſia Catholica oportet, et alienos eſſe a nomine Chriſtiano. Sint igitur vobis anathema eo, quod auſi ſunt adulterare Verbum veritatis. Apoſtoli enim eſt praeceptum: Si quis vobis euangelizauerit, praeterquam quod accepiſtis, anathema ſit. His neminem communicare denunciamus. Nulla enim communicatio luci ad tenebras. Hos omnes longe facite. Nulla enim participatio Chriſto ad Belial. Obſeruate chariſſimi, vt neque ſcribatis ad eos, neque eorum accipiatis litteras. Curate autem etiam dilectiſſimi Fratres, et Conſacerdotes, quaſi praeſentes Spiritu huic interfueritis Synodo, omnia, quae a nobis inſtituta ſunt confirmare per litteras veſtras, vt ab omnibus Epiſcopis idem ſentire, atque vnam eſſe omnium voluntatem ex litterarum conſenſione ſit manifeſtum. Optamus, Fratres, vos in Domino bene valere.

II.

Epiſtola Synodica Patrum Sardicenſium ad Summum Pontificem Iulium. Ex Fragmentis S. Hilarii.

Incipit Exemplum Epiſtolae factae ad Julium Vrbis - - - Romae Epiſcopum - -

Quod ſemper credidimus, etiam nunc ſentimus: experientia enim probat

(a) Theodoretus loco citato addit: *neque Chriſtiani*

bat, et confirmat, quae quisque auditione audiuit. Verum eſt enim, quod beatiſſimus Magiſter Gentium Paulus Apoſtolus de ſe locutus eſt: *(a)* quanquam vtique, quia in ipſo Dominus Chriſtus habitauit, dubitari non poſſit Spiritum Sanctum per animam eius locutum, et organum corporis perſonaſſe. Et tu itaque dilectiſſime Frater, corpore ſeparatus, mente concordi, ac volutate adfuiſti, et honeſta ſuit, et neceſſaria excuſatio abſentiae, ne aut Lupi Schismatici ſurtum facerent, et raperent per inſidias, aut canes haeretici rabido furore exciti inſani oblatrarent, aut certe ſerpens diabolus blasphemiorum venenum effunderet. Hoc enim optimum, et valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, idest ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibusque prouinciis Domini referant Sacerdotes. Quoniam ergo vniuerſa, quae geſta ſunt, quae acta, quae conſtituta, et chartae continent, et viuae voces chariſſimorum Fratrum, et Compresbyterorum noſtrorum Arcydami, et Philoxeni, et chariſſimi Filii noſtri Leonis Diaconi veriſſime, et fideliter exponere poterunt, poene ſuperuacuum videatur eadem his inſerere litteris. Patuit apud omnes, qui conuenerunt ex partibus Orientis, qui ſe appellant Episcopos, quanquam ſint ex his certi auctores, quorum ſacrilegas mentes Ariana haereſis peſtifero tinxit veneno, diu tergiuerſatos propter diffidentiam ad Iudicium venire noluiſſe, tuamque, et noſtram reprehendiſſe communiouem, quae nullam habebat culpam, quia non ſolum octoginta *(b)* Episcopis teſtantibus de innocentia Athanaſii pariter credidimus, ſed et conuenti per Presbyteros tuos, et per epiſtolam ad Synodum, quae ſutura erat in Vrbe Roma, venire noluerunt: et ſatis erat iniquum, illis contemnentibus, tot Sacerdotibus teſtimonium perhibentibus, Marcello, et Athanaſio denegare ſocietatem. Tria fuerunt, quae tractanda erant. Nam et ipſi religioſiſſimi Imperatores permiſerunt, vt de integro vniuerſa discuſſa disputarentur, et ante omnia de Sancta Fide, et de integritate veritatis, quam violauerunt. Secunda, de Perſouis, quas dicebant eſſe deiectas de iniquo Iudicio, vt ſi potuiſſent probare, iuſta fieret confirmatio. Tertia vero quaeſtio, quae vere quaeſtio appellanda eſt, quod graues, et acerbas iniurias, intolerabiles etiam, et nefarias contumelias Eccleſiis feciſſent, quum raperent Episcopos, Presbyteros, Diaconos, et omnes Clericos in exilium mitterent, ad deſerta loca traducerent, fame, ſiti, nuditate, et omni egeſtate necarent: alios clauſos carcere, et ſquallore, et putore conficerent: nonnullos ferreis vinculis ita, vt ceruices eis arctiſſimis circulis ſtrangularentur: denique ex ipſis quidam vincti in eadem iniuſta defecerunt poena: quorum ambigi non poteſt martyrio glorioſam mortem exſtitiſſe, adhuc quoque audent quosdam retinere, nec vlli cauſa ſuit criminis, niſi quod repugnarent, et clamarent, quod execrarentur Arianam, et Eusebianam haereſim, et nollent habere cum talibus communionem; qui autem ſeculo ſeruire noluerunt, - - - prodeſſe, et qui ante fuerant deiecti non ſolum recepti ſunt, ſed etiam ad Clericalem dignitatem promoti, et receperunt praemium falſitatis. Quid autem de impiis, et de imperitis adolescentibus Urſacio, et Valente ſtatutum ſit, accipe beatiſſime Frater: quia manifeſtum erat hos non cesſare adulterinae doctrinae lethalia ſemina ſpargere, et quod Valens relicta Eccleſia aliam inuadere voluiſſet, eo tempore, quo ſeditionem commouit, vnus ex Fratribus noſtris, qui ſugere non potuit, viator obrutus, et conculcatus in eadem Aquileienſium Ciuitate die tertia defecit.

Cauſa

(a) Textum S. Pauli ex 2 Cor. 13. ſupplendum cenſeo: *an experimentum eius quaeritis, qui in me loquitur Chriſtus.*

(b) In Concilio Alexandrino Anni 340,

Cauſa vtique mortis Valens, qui perturbauit, qui ſollicitauit. Sed ea, quae Beatiſſimis Auguſtis ſignificauimus, quum legeritis, facile peruidebitis nihil nos praetermiſiſſe, quantum ratio patiebatur: et ne moleſta eſſet longa narratio, qui feciſſent, et commiſiſſent, inſinuauimus. Tua autem excellens prudentia diſponere debet, vt per tua ſcripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, qui in Italia ſunt Fratres noſtri, quae acta ſunt, et quae definita cognoſcant, et ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, ideſt Epiſtolia, quos iuſta ſententia degradauit. Perſeuerent autem Marcellus, Athanaſius, et Aſclepius in noſtra communione, quia obeſſe eis non poterat iniquum Iudicium, et fuga, et tergiuerſatio eorum, qui ad Iudicium omnium Epiſcoporum, qui conuenimus, venire noluerunt. Cetera, ſicuti ſuperius commemorauimus, plena relatio Fratrum, quos ſincera charitas tua miſit, vnanimitatem tuam perdocebit. Eorum autem nomina, qui pro facinoribus deiecti ſunt, ſubiicere curauimus, vt ſciret eximia grauitas tua, qui eſſent communione priuati, vti ante praelocuti ſumus. Omnes Fratres, et Coepiſcopos noſtros litteris tuis admonere digneris, ne Epiſtolia, id eſt Litteras communicatorias eorum accipiant.

Nomina Haereticorum.

Urſacius a Singiduno. *(a)*
Valens a Murſa. *(b)*
Narciſſus ab Jeropoli.
Stephanus ab Antiochia.
Acacius a Caeſarea.
Menophantus ab Epheſo.
Georgius a Laodicea.

Item: Nomina Epiſcoporum, qui Synodo Sardicensi adfuerunt, et ſubſcripſerunt iidem in Judicio.

Oſius ab Spannia Cordobenſis.
Anianus ab Spanniis de Caſtolona.
Florentinus ab Spanniis de Emerita.
Dommianus ab Spanniis de Aſturica.
Caſtus ab Spanniis de Caeſar-Auguſta.
Praetextatus ab Spaniis de Barcilona.
Maximus a Thuscia de Luca.
Baſius a Macedonia de Diocletianopoli.
Porphyrius a Macedonia de Philippis.
Marcellus a Macedonia de Ancyra Galatiae.
Euterius a Procia de Caindo.
Aſclepius a Palaeſtina de Gaza.
Moscus a Theſſalonica de Thebis.
Vincentius a Campania de Capua.
Januarius a Campania de Beneuento.
Prothogenes *(c)* ab Acacia de Sardica.
Dioscorus de Thracia.
Hymonius a Theſſalia de Oparata.
Lucius a Thracia de Cainopoli.
Lucius ab Italia de Verona.
Evagrius a Macedonia de Heraclianeo.
Dionyſius ab Achaia de Lignedon.
Julius ab Achaia de Thebe-ej tapyleos.
Athenodorus ab Achaia de Blatea.
Diodorus ab Aſia de Tenedos.
Alexander de Theſſalia de Lariſſa.
Æthius a Macedonia de Theſſalonica.
Vitalis a Dacia ripenſi de Aquis.
Paragorius a Dardania de Scupis.
Triphon ab Achaia de Maceroce.
Athanaſius ab Alexandria.
Gaudentius ab Achaia de Naiſs.
Jonam a Macedonia de Particopoli.
Alipius ab Achaia de Magari.
Macedonius ab *(d)* Ardania de Ulpianis.
Caluus ab Achaia ripenſi de Caſtra Martis.
Fortunatianus ab Italia de Aquileia.
Plotarcus ab Acacia de Patrois.
Eliodorus a Nicopoli.

(a) Siue Ciuitatem hanc Prouinciae Pannoniae, ſiue Myſiae adſcribas, ad Hierarchiam Eccleſiaſticam Hungariae ſpectabat, tantoque magis, ſi Singidunum ſit Belgradum hodiernum, cuius ſedis et nomen, et ordinem retinemus.

(b) Nunc Eſſekinum.

(c) Hic legendum monet Harduinus: *a Dacia*, et recte; ſi ſitus locorum attendatur.

(d) lege: *Dardania*.

Eutarius a Pannoniis *(a)*
Arianus ab Arabia.
Aſturus ab Palaeſtina.
Cocras ab Achaia de Aſapoſebiis.
Stercorius ab Apulia de Cannuſio.
Calepodius a Campania.
Lerenius ab Achaia de Secoro.
Martirius ab Achaia de Neapoli.
Dionyſius ab Arcadia de Elida.
Seuerus ab Italia de Ravennenſi.
Urſacius ab Italia de Brixa.
Partasius *(b)* ab Italia de Mediolano.
Marcus ab Aſia de Fiſſia.
Veriſſimus a Gallia de Lugduno.
Valens ab Achaia ripense de Scio.
Palladius a Macedonia de Dui.
Geruntius a Macedonia de Breui.
Alexander ab Achaia de Morenis.
Euthitius ab Achiaa.
Titius ab Aſia de Montonis.
Episcopi omnes numero vnus de ſexaginta. *(c)*

III.

Epiſtola Concilii Sardicenſis ad Eccleſiam Alexandrinam, ex S. Athanaſii Apologia ſecunda. *

Sancta Synodus per gratiam DEI Sardicae congregata ex Vrbe Roma, ex Hispaniis, Galliis, Italia, Africa, Sardinia, Pannoniis, Myſiis, Dacia, Norico, Tuscia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Theſſalia, Achaia, Epiro Thracia, et Rhodope, et Palaeſtina, et Arabia, et Creta, et Ægypto Presbyteris, et Diaconis, et vniuerſae Sanctae Eccleſiae DEI Alexandriae conſiſtenti, dilectis Fratribus in Domino Salutem.

Etiam antequam acciperemus litteras Veſtrae Religionis, non ignotum id nobis, ſed prorſus compertum erat, Patronos execrandae Arianorum haereſeos multa, et grauia, ſed tamen magis in exitium ſuarum animarum, quam in Eccleſiam molitos eſſe. Ea enim eorum ars, et vafricies fuit, ſemperque huius peſtiferi propoſiti fuere, vt omnes vbique Orthodoxae Fidei homines, et Catholicae Eccleſiae doctrinam a Patribus traditam ſeruantes, exagitent, et perſequantur. Quorum nonnullos falſis criminibus circumuenerunt, alios extra fines ſuos relegarunt, alios in ipſis ſuppliciis abſumpſerunt. Certe Fratris noſtri, et Co-episcopi Athanaſii innocentiam vi, et tyrannide circumuenire conati ſunt, nulla in eius Iudicio neque ſedulitate, neque Fide, neque aequitate adhibita. Iam ergo diffiſi ſuis fabulis, et vanis rumoribus, ac etiam intuentes, quaſi non poſſent de iis rebus vera documenta afferre, quum eſſent in Vrbe Sardica, non auſi ſunt in Concilio Sanctorum Episcoporum apparere. Qua ex re aequitas Iudicii Fratris, et Co-episcopi noſtri Iulii liquidiſſime apparuit: qui non temerario conſilio, ſed cum matura deliberatione ſententiam tulit; adeo vt nihil relinquatur dubii de communione Fratris noſtri Athanaſii: adduxit enim octoginta Episcopos veros teſtes pro ſe in iudicium: atque eo potiore Iure nititur, quod per dilectos Fratres noſtros presbyteros ſuos, et per litteras Euſebianos non iure, ſed vi fretos eluſerit. Quapropter omnes vndique Episcopi eius communionem ob innocentiam ipſius confirmarunt. Illud quoque veſtra charitas conſpiciat, poſt Athanaſii

(a) Hunc Sirmienſem fuiſſe Epiſcopum docet Cl. Sallagi libr. 3. de Statu Ecclesiarum Pannoniae, ac ideo *a Pannoniis* ſcriptum fuiſſe perhibet, quod Metropolita eſſet.

(b) In editione Pariſienſi opera Patrum Congregationis S. Mauri ſequentes correctiones leguntur:

Protaſius pro: *Partaſius*.
Marcus a Dacia de Sciscia, pro: *Marcus ab Aſia de Fiſſia.*
Valens a Dacia Ripenſe de Scio pro: *Valens ab Achaia ripense de Scio.*
Titius a Dacia de Montemnis, pro: *Titius ab Aſia de Montonis.*

(c) Apud Ballerinos Tom. 3. operum S. Leonis hi adduntur Episcopi Pannoniae: Aprianus de Petabione Pannoniae, Marcus Sciscenſis Sauiae.

(*) Prouti ab Harduino recitatur; in editione enim Pariſina operum S. Athanaſii a Monachis Congregationis S. Mauri, anno 1698. typis vulgata, tantisper diuerſa eſt.

ſti ad Sanctam Synodum Sardicae congregatam aduentum, Orientales litteris, mandatiſque citatos fuiſſe, vt ſe Iudicio ſiſterent; Verum illos ſua conſcientia praedamnatos, inhoneſtis tergiuerſationibus vſos ſubterfugere coepiſſe. Poſcebant enim, vt innocentem quaſi nocentem a noſtra communione ſubmoueremus; non animaduertentes, quam indecens, vel potius impoſſibile iſtud eſſet. Quin et acta in Mareote edita, nonniſi a ſceleratis, et perditiſſimis quibusdam adoleſcentibus, quibus ne minimum quidem gradum clericatus quiſquam committeret, conſtat per abſentiam alterius partis confecta eſſe. Neque enim Frater noſter Athanaſius Epiſcopus, aut Macarius Presbyter, quem accuſabant, praeſentes adfuerunt. Et alioqui illorum inquiſitio, ſeu potius inſidiatio omni probro plena erat: quum nunc Ethnici, nunc Catechumeni interrogarentur, non vt, quae ſcirent, dicerent, ſed quae ab illis didicerant, mentirentur. Nam et vobis Presbyteris curam abſentis Epiſcopi veſtri ſuſcipientibus, et volentibus intereſſe quaeſtioni, et veritatem oſtendere, et falſa redarguere, nulla veſtri ratio eſt habita: tantum autem abeſt, vt vos praeſentes eſſe voluerint, vt etiam contumelioſe eiecerint. Ex iſtis porro rebus, quamquam Sycophantiam eſſe clariſſime conſtaret, tamen dum euoluimus acta, deprehendimus ipſum ſceleratum Iſchyram apparente titulo Epiſcopi in mercedem calumniae remuneratum, ſuam Sycophantiam ſuis verbis prodere. Ipſe enim Iſchyras in monumentis actorum diſerte teſtatus eſt, ſe ea ipſa hora, qua Macarium in ſuam cellam veniſſe aiebat, aegrotum iacuiſſe; Euſebianis contra ſcribentibus: Iſchyram tum ſtetiſſe, et oblationes feciſſe, quum Macarius ſuperueniret.

Quin et illa calumnia, qua poſtmodum vſi ſunt, manifeſta apparuit, quum vociferarentur, et miſere deplangerent, caedem Athanaſium feciſſe, et Arſenium quemdam Meletianum Epiſcopum eius opera e medio ſublatum: quam rem fictitio gemitu, et falſis lachrymis deplorabant; rogabantque eius, qui viueret, quaſi qui exſtinctus eſſet, cadauer exhiberi. Sed figmenta eorum non latuerunt. Notum enim factum eſt omnibus, hominem incolumem eſſe, et inter viuos recenſeri. Verum ne ſic quidem, quum iſti ad omnia prompti, vidiſſent ſe conuictos mendacii, ipſo Arſenio ſe viuum, et minime interfectum, aut mortuum exhibente, quieſcere potuerunt; ſed nouas Sycophantias veteribus accumulantes, omnibus machinis id agebant, vt hominem iterum calumniis inuoluerent. Quid igitur dilecti? Ne ſic quidem Frater noſter Athanaſius animum deſpondit, ſed magna cum fiducia eos etiam in hac cauſa ad iudicium prouocauit, quod et nobis in voto fuit: ac proinde eos hortabamur, vt iudicio ſe ſiſterent, et ſi poſſent, hominem conuincerent. Sed, o magnam improbitatem! o ingentem ſuperbiam! vel potius (ſi verum dicendum eſt) o malam, et obnoxiam ſceleri conſcientiam! id enim ita eſſe nulli non clariſſime innotuit. Quocirca dilectiſſimi Fratres, commonitos vos cupimus, et diligenter adhortamur, vt prae omnibus Fidem Catholicae Eccleſiae retineatis. Multa certe, et grauia, et acerba perpeſſi eſtis, multas viciſſim contumelias, et iniurias ſuſtinuit Catholica Eccleſia: ſed qui perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit. Quapropter, ſi denuo auſi ſint aliquid facere contra vos, tribulatio illa vobis pro gaudio ſit; nam iſtiusmodi paſſiones pars Martyrii ſunt; (a) et iſti-

(a) Suaue tune praeſidium pro illis, qui nunc quoque propter amorem Fidei tribulationes ſubire debent! S. Hilarius contra Conſtantium ait: *Omnia ſaeuiſſima ſine inuidia glorioſarum mortium geragis, ſine martyrio perſequeris. In pace Eccleſiae ſaepe amaritudo eius amariſſima. Aduerſus abſolutos hoſtes*, (ita proſequitur ibidem S. Doctor) *Felix mihi illud certamen fuiſſet, quia nec dubium relinqueretur, quin perſecutores eſſent, qui ad negandum te poenis, ferro, et igne compellerent, neque ad teſtificandum plus tibi nos, quam mortes noſtras liceret impendere!*

iſtius modi veſtrae confeſſiones, et tormenta non carebunt mercede, quum praemia a DEO recepturi ſitis. Quapropter imprimis decertate pro ſana Fide, et pro innocentia Athanaſii veſtri Episcopi, et Comminiſtri noſtri. Nam neque nos ſilentio ſuppreſſimus, aut negleximus ea, quae ad veſtram ſecuritatem pertinebant; ſed eius rei curam praecipuam habuimus, eaque egimus, quae dilectionis ratio poſtulat. Compatimur enim Fratribus noſtris patientibus, et eorum paſſiones noſtras proprias arbitramur, et noſtras lachrymas cum veſtris commiscemus. Neque vos ſoli duntaxat paſſi estis Fratres, ſed eadem alii complures comminiſtri noſtri, quum huc veniſſent, deplorarunt.

Quamobrem preces noſtras ad religioſſimos, et amantiſſimos DEI Imperatores retulimus, vt illorum humanitas eos, qui adhuc grauiter laborant, et affliguntur, relaxari iubeat; conſtituatque, ne quis iudicum, qui rempublicam ſolum curare debent, aut Clericos iudicet, aut vlla ratione impoſterum ſub praetextu Eccleſiarum, quidpiam contra Fratres moliatur: ſed vnusquisque citra perſecutionem, aut vim, aut fraudem (prout optat, et cupit) vitam inſtituat, et cum quiete, et pace Catholicam, et Apoſtolicam Fidem ſequatur. Gregorium quidem, qui illegitime ab haereticis Episcopus conſtitutus eſt, et in veſtram Ciuitatem ab illis deductus, ab vniuerſa Sacra Synodo de Episcopatu (tametſi reuera nunquam pro Epiſcopo habitus fuerit) depoſitum eſſe, veſtram vnanimitatem ſcire volumus. Valete igitur, et recipite veſtrum Epiſcopum Athanaſium, quem ob id ipſum cum pace dimiſimus. Vnde admonemus omnes, qui vel per metum, vel per dolum circumuenti, cum Gregorio communicarunt, vt nunc noſtra admonitione hortatu, et ſuaſu reſipiscentes, deinceps ab illius nefaria communione abſtineant, et ſe ſe Eccleſiae Catholicae agglutinent.

Ceterum, quia cognouimus, et Aphthonium, et Athanaſium, Capitonis filium, et Paulum, et Plutionem Compresbyteros noſtros eandem fraudem ab Euſebianis perpeſſos eſſe, et quosdam eorum in exilium eiectos, quosdam mortis interminationes effugiſſe; hac de cauſa hoc etiam vobis ſignificare neceſſarium duximus, etiam iſtos a nobis receptos eſſe, et vt innocentes eſſe declaratos; quum non ignari ſimus, omnia ab Euſebianis contra Orthodoxos ad cohoneſtanda, quae per fraudem concinnarunt, acta eſſe. Æquum ergo fuerat, ipſum Episcopum veſtrum, comminiſtrum noſtrum Athanaſium vos, vt ſuos de iſtis rebus, vt ſuis, ac propriis, certiores facere: Sed tamen quia ipſe Sacram quoque Synodum ea vobis ad pleníus teſtimonium ſcribere voluit, ideo non ſuperſedendum putauimus, ſed ſignificare ſtuduimus, vt quemadmodum nos, ita vos quoque hos viros recipiatis, qui et ipſi etiam laudem merentur, quod ob pietatem in Chriſtum digni habiti ſint, qui ab haereticis contumeliam paterentur. Quae autem decreta ſunt a Sancta Synodo in Theodorum, Narciſſum, Stephanum, Acacium, Menophantum, Urſacium, Valentem, et Georgium anteſignanos Arianae haereſeos, qui et in vos, et in alias Eccleſias peccauerunt, ex iis, quae ſubiecta ſunt, cognoscetis: quae ideo ad vos miſimus, vt veſtra in DEVM pia religio ſuffragaretur ſententiis a nobis latis, ſimulque intelligat Eccleſiam Catholicam nequaquam diſſimulanter cum iis agere, qui ipſam offendunt.

IV. *Ca-*

IV.

Canones Sanctorum, et Beatorum Patrum, qui Sardicae conuenerunt. Ex Chriſtiano Lupo.

Canones Concilii Sardicenſis.

Canon 1.

Hoſius Vrbis Cordubae Epiſcopus dixit: non tam mala conſuetudo, quam pernicioſiſſima rerum corruptela eſt ex ipſis fundamentis penitus extirpanda, ne cui Epiſcopo liceat a parua Ciuitate in aliam migrare. Eius enim cauſae praetextus eſt manifeſtus, propter quem talia tentantur. Nullus enim Epiſcopus adhuc inueniri potuit, qui a maiori Ciuitate in minorem tranſire ſtuduerit. Vnde conſtat eos ardenti plura habendi cupiditate ſuccendi, vt magis arrogantiae feruire, vt videantur maiorem habere poteſtatem. Placetne hoc omnibus, vt eiusmodi improbitas acerbius vindicetur? Exiſtimo enim eos ne Laicorum quidem debere habere communionem. Omnes Epiſcopi dixerunt: Placet omnibus.

Canon. 2.

Hoſius Epiſcopus dixit: Si quis autem adeo inſanus, vel audax inueniatur, vt de iis videatur aliquam afferre excuſationem, afferens ſibi a Populo allatas eſſe litteras; clarum eſt potuiſſe paucos aliquos, mercede, et pretio corruptos, in Eccleſia ſeditionem mouere, vt eundem vtique poſtulent habere Epiſcopum - - omnino ergo has fraudes, et artes puniendas eſſe exiſtimo; vt nemo poſſit, qui eſt eiusmodi, ne in *(a)* fine quidem laica communione dignus haberi. An ergo haec placet ſententia? respondete. Responderunt: placent, quae dicta ſunt.

Canon 3.

Hoſius Epiſcopus dixit: Hoc quoque neceſſario eſt adiiciendum, vt nullus Epiſcoporum ex ſua Prouincia, in aliam Prouinciam, in qua ſunt Epiſcopi, tranſeat, niſi vtique a ſuis Fratribus vocetur; ne videamur dilectionis fores claudere. Hoc autem etiam ſimiliter prouidendum eſt, vt ſi in aliqua Prouincia

---

Quid ſit viaticum?

(a) Canonis huius ſententia in illos, qui aliena ſedes inuadere, et ideo proprias mutare fraudulenter conantur, lata, quaeſtionem parit an non nimii rigoris cenſuram incurrat? praeſertim quum Synodi Nicoenae Canon 13. iubeat „*generaliter omni cuilibet in exitu poſito, et poſcenti ſibi communionis gratiam tribui.*„ In hunc Canonem ſcribens nunquam ſatis laudatus Chriſtianus Lupus expedit omnem difficultatem inquiens: „*Criminis enormitas flagitabat violentam adeo medicinam.*„ Verum, pace tanti viri dixerim, infeliciter hac in parte verſatus eſt. Etenim planam euadendi viam oſtendit laudatus Canon Nicoenus, qui totus recitandus eſt, et ſic habet: „*De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc Lex antiqua, regularisque ſeruabitur ita, vt ſi quis egreditur e corpore, vltimo, et neceſſario viatico minime priuetur. Quod ſi deſperatus, et conſecutus communionem, oblationisque particeps factus iterum conualuerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodo conſequuntur generaliter omni in exitu Euchariſtiam petenti Epiſcopus dabit iuxta arbitrium ſuum.*„ Palam hic eſt viaticum ab Euchariſtiae, ſiue oblationis participatione diſtingui. Euchariſtiam non debet, ſed poteſt dare Epiſcopus iuxta arbitrium ſuum; viaticum vero, id eſt pacem, ſeu abſolutionem ſacramentalem dari iubet Canon Nicoenus „*vltimo, et neceſſario viatico minime priuetur.*„ Si viaticum ſecundum aeui noſtri vſum idem eſſet in Canone Nicoeno, ac Euchariſtiae participatio, ſecum ipſo pugnaret Canon, ſiquidem viatico minime priuandum dicat quemquam iam iam moriturum, et tamen Euchariſtiae participationem arbitrio Epiſcopi relinquat. Et ſane Synodus Arauſicana cap. 3. claris verbis id ipſum aſſerit, dum ad Canonem hunc reſpiciens diceret: *Communio, ſiue pax, aut abſolutio Sacramentalis morientis ſufficit conſolationi ſecundum definitiones Patrum, qui huiusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt.* Statuit ergo Synodus Sardicenſis Communionem, ſiue Euchariſtiam Eccleſias ſacrilege perturbantibus etiam in fine vitae denegari, non autem pacem, ſeu abſolutionem; quae poena licet grauis ſit, non aduerſatur tamen Canoni Nicoeno, qui Epiſcopos ad dandam morientibus, poenitentiae publicae obſtrictis oblationis, et Euchariſtiae participationem non adſtrinxit, ſed illorum arbitrio reliquit.

uincia Episcoporum quiſpiam aduerſus Fratrem ſuum, et Coepiſcopum negotium habeat, neuter ex alia Prouincia Episcopos cognitores euocet. Si quis autem Episcoporum in aliquo negotio condemnaudus viſus fuerit, et exiſtimet ſe non malam, ſed bonam cauſam habere, vt etiam iudicium renouetur; ſi veſtrae dilectioni videtur, Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ab iis, qui iudicauerint, ſcribatur *(a)* Iulio Romanorum Episcopo, et per propinquos Prouinciae Episcopos, ſi opus ſit, Iudicium renouetur, et cognitores ipſe praebeat. Si autem probare non poteſt cauſam eius eſſe talem, vt eam rurſus iudicari opus ſit, quae ſemel ſunt iudicata, non infirmentur.

Canon 4.

Gaudentius Episcopus dixit: Si videtur neceſſe eſſe adiici huic ſententiae, quam ſincera dilectione plenam protuliſti, vt ſi quis Episcopus fuerit depoſitus iudicio Episcoporum, qui ſunt in vicinia, et dicat rurſus ſibi defenſionis negotium competere; non prius in Cathedram alius ſubſtituatur, quam Romanus Episcopus, cauſa cognita, ſententiam tulerit.

Canon 5.

Hoſius Episcopus dixit: Placuit, vt ſi quis Episcopus delatus fuerit, et congregati eiusdem Regionis Episcopi eum gradu mouerint, et veluti appellans confugerit ad Beatiſſimum Romanae Eccleſiae Episcopum, et velit ipſum audire, et iuſtum eſſe exiſtimauerit eius rei examinationem renouari, Coepiscopis ſcribere dignabitur, qui ſunt propinqui Prouinciae, vt ipſi diligenter, et accurate ſingula perſcrutentur, et ex veritatis Fide de re ſententiam ferant. Si quis autem poſtulet ſuum negotium rurſus audiri, et ad ſuam ſupplicationem Romanorum Episcopum iudicare viſum fuerit, vt a proprio latere Presbyteros *(b)* mittat; erit in poteſtate ipſius quodcunque recte habere probauerit. Et ſi decreuerit, oportere eos mitti, qui cum Episcopis ſint iudicaturi, habentes auctoritatem eius, a quo miſſi ſunt; et hoc ponendum eſt. Si autem ſufficere putauerit ad rei cognitionem, et Episcopi ſententiam faciet, quod prudentiſſimo eius conſilio recte habere videbitur. Reſponderunt Episcopi: Quae dicta ſunt, placuerunt.

Canon 6.

Hoſius Episcopus dixit: Si contigerit in vna Prouiocia, in qua ſunt plurimi Episcopi, vnum Episcopum conuentui non intereſſe, et ille per quandam negligentiam nolit conueoire, et Episcoporum Inſtitutioni, et electioni aſſentiri, congregata autem Populi multitudo ſuadeat, et inſtet, vt fiat inſtitutio Episcopi, qui ab eis poſtulatur; oportet illum prius, qui non adfuerit, Episcopum admoneri per litteras Primatis Prouinciae, nempe Episcopi Metropolitani, quod rogat Populus ſibi Paſtorem dari; et exiſtimo recte habere hunc quoque exſpectari, vt adſit. Si autem litteris rogatus non adfuerit, ac ne reſcripſerit quidem, populi voluntati ſatisfiat. Oportet autem ex vicina quoque Prouincia accerſiri Episcopos ad Metropolitani Episcopi inſtitutionem. Non licere

(a) Clarior eſt verſio Iſidori Mercatoris, quae ſic habet: *vt ſcribatur ab his, qui examinauerunt, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in proxima Prouincia morantur, Romanorum Episcopo*. Forte in MS. codice erat *illi* poſitum, et Librarius *Iulio* ſcripſit, vti et in Graeco habetur. Tὸ: *illi* enim ponebatur quoties nomen ex temporum circumſtantiis ſupplendum erat, quaſi dicerent: *futuro pro tempore Episcopo*

(b) Adnotandum hic eſt cum Chriſtiano Lupo: Romani Episcopi poteſtatem nequaquam coarctatam, ſed ampliatam fuiſſe, vt non tantum per ſemetipſum, ſed et per vicinae Prouinciae Synodum, per datos in partibus cognitores, aut Miſſos a latere ſuo Presbyteros, poſſit appellatam cauſam retractare, quod docent ſubſequentia verba: *„erit in poteſtate ipſius quodcunque etc.*

ſicere autem ſimpliciter Epiſcopum conſtituere in aliquo pago, vel parua vrbe, cui vel vnus Presbyter ſufficit. Non neceſſe eſt enim illic Epiſcopum conſtitui, ne Epiſcopi nomen, et auctoritas vilipendatur. Sed Prouinciae (vt prius dixi) Epiſcopi debent in iis Vrbibus Epiſcopos conſtituere, vbi etiam prius Epiſcopi fuerunt. Si autem inueniatur Vrbs aliqua tam populoſa, vt ipſa Epiſcopatu digna iudicetur, accipiat. An hoc omnibus placet? Responderunt omnes: placet.

Alia Editio.

Hoſius dixit: Si contigerit in vna Prouincia, in qua fuerint plurimi Epiſcopi, vnum forte remanere Epiſcopum, ille vero per negligentiam noluerit ordinare Epiſcopum, et Populi conuenerint; Epiſcopi vicinae Prouinciae debent illum conuenire Epiſcopum, qui in eadem Prouincia moratur, et oſtendere, quod Populi ſibi petant Rectorem, et hoc iuſtum eſſe, vt et ipſe veniat, et cum eo ordinent Epiſcopum. Quod ſi conuentus litteris tacuerit, et diſſimulauerit, nihilque reſponderit, tunc ſatisfaciendum eſſe Populis, vt veniant ex viciniis Prouinciis, et ordinent Epiſcopum.

Canon 7.

Hoſius Epiſcopus dixit: Importunitas noſtra, et multa aſſiduitas, et iniuſtae *preces (a)* effecerunt, vt nos non

A' a habea-

Diſciplina intercedendi pro reis.

(*a*) Canon iſte inuitat nos, vt ſpectatiſſimum illud interceſſionis officium, quod Patres noſtri ex lega Diuina ad Epiſcopos ſpectare arbitrati ſedulo exercuerunt, diſſerendo illuſtremus. Quemadmodum S. Auguſtinus in locupletiſſimis operibus ſuis omnia, quae tractanda aſſumpſit, egregie pertractauit, ita in hac Eccleſiae diſciplina illuſtranda praeclaram poſuit operam. Hunc ergo ſequamur. In Epiſt. ad Macedonium, quae eſt epiſt. 153. alias 54. Interceſſionis officium definiens ait: „*Epiſcopi dum intercedunt, intuentur, et volunt haec bona: id eſt commendationem manſuetudinis ad conciliandam dilectionem in verbo veritatis*„ habes hic interceſſionis indolem, et fines. Indoles quippe illius erat conciliatio dilectionis; Nil enim magis deuincit animos, quam ſubſidium miſeris praeſtitum. Tam ampli autem erant interceſſionis fines, vt nullum calamitatis genus praeteriret; Ad duo tamen praecipua capita diſpeſci poſſunt, ad conciliationem dilectionis in verbo veritatis, et ad commendationem manſuetudinis. Conciliationem dilectionis in verbo veritatis praeſtabant adimplendo illud Dauidicum: *Pupillos, et viduas ſuſcipiet, et vias peccatorum diſperdet:* Diſperdebant vias peccatorum, dum interceſſione ſua eripiebant pauperem de potente, et egenum de manu fortiorum eius: et hinc cauſas Pupillorum, et viduarum agebant interceſſione ſua; hinc vtique ſtatutus eſt in Concilio Chartaginenſi V. Cap. 9. Canon, qui in Codice Eccleſiae Africanae apud Harduinum eſt LXXIV. „ *ab Imperatoribus, (viſum eſt vniuerſis) poſtulandum propter afflictionem Pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, vt defenſores eis aduerſus potentias Diuitum cum prouiſione Epiſcoporum delegentur.*„ Et recte dicitur in laudato Canone moleſtiis pauperum fatigari Eccleſiam; ait enim S. Auguſtinus epiſt. 139. alias 158. ad Marcellinum: „ *Paululum ſpatii vix datur inter aceruos occupationum, quibus nos alienae, vel cupiditates, vel neceſſitates angariatos trahunt.*„ Fatigabant Epiſcopos neceſſitates pauperum, eripiebantque ferme omne tempus illorum moleſtiae, dum non ſolum apud Iudices, et Imperatores, ſed etiam apud priuatos intercedebant Epiſcopi: audiamus pro more ſuo eleganter diſſerentem S. Auguſtinum in Epiſtola laudata ad Macedonium: „*plerumque qui aufert, amittit (ablata) ſiue alios patiendo malos, ſiue ipſe male viuendo, nec aliud habet, vnde reſtituat. Huic certe non poſſumus dicere, redde, quod abſtuliſti, niſi quum eum habere credimus, et negare; vbi quidem, ſi aliquos ſuſtinet a repetente cruciatus, dum exiſtimatur habere, quod reddat, nulla eſt iniquitas: quia etſi non eſt vnde reddat ablatam pecuniam, merito tamen, dum eam per moleſtias corporales redhibere compellitur, peccati, quo male ablata eſt, poenas luit. Sed inhumanum non eſt, etiam pro talibus intercedere, tanquam pro reis criminum, non ad hoc, vt minime reſtituantur aliena, ſed ne fruſtra homo in hominem ſaeuiat, ille praeſertim, qui remiſit culpam, et quaerit pecuniam, etſi fraudari metuit, non expetit vindicari. Denique in talibus caſibus, ſi perſuadere poterimus eos, pro quibus interuenimus, non habere, quod poſcitur, continuo nobis eorum moleſtia relaxatur*„ Eccleſiae etiam interceſſione Epiſcoporum defendebantur, vti perhibet nunc recitatae epiſtolae finis, vbi inquit S. Auguſtinus: „ *Commendo ego etiam Excellentiae Veſtrae Eccleſiam in Numidia conſtitutam, propter cuius neceſſitates Sanctus Frater, et Coepiſcopus meus Delphinus a Fratribus, et Coepiſcopis meis collaborantibus, et compericlitantibus miſſus eſt.* Commendationem manſuetudinis exhibebant, dum pro reis, ſupplicio feriendis intercedebant, *vt qui liberantur*, verba ſunt S. Auguſtini, *a temporali morte, ſic viuant, ne aeternam, vnde nunquam liberentur, incurrant. Morum porro corrigendorum nullus alius*, recte ait idem S. Doctor in epiſt. ad Macedonium, *quam in hac vita locus eſt, nam poſt hanc, quisque id habebit, quod in hac ſibimetipſi conquiſierit. Ideo compellimur humani generis caritate interuenire pro reis, ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, vt ea finita non poſſint finire ſupplicium.* „ Hinc Macedonio dubitanti, an hoc interceſſionis officium ex Religione deſcendat, ſubiungit „ *noli ergo dubitare hoc officium noſtrum ex Religione deſcendere; profecto caritatem humani gene-*

habeamus tantam gratiam et libertatem dicendi, quantam debebamus habere. Multi enim Epiſcopi non intermittunt ad caſtra accedere, et maxime Afri, qui, quemadmodum cognouimus a dilecto Fratre noſtro, et Coepiſcopo Grato,

---

ris ex Religione deſcendere, nemo ambigere poteſt, praeſertim dum ita diligitur homo, ut aeternum viuat.„ Ad idipſum probandum vtitur etiam loco citato exemplo Saluatoris noſtri „*Ipſe Dominus apud homines interceſſit, ne lapidaretur adultera, et eo modo commendauit nobis interceſſionis officium, niſi quia ille terrendo fecit, nos petendo. Ille enim Dominus, nos ſerui ſumus.*„ Ad communem, et tritam, ac nimis vulgarem obiectionem, qua etiam nunc ſanguinis humani ſiti feruentes impetunt huiusmodi interceſſores, egregie reſpondens inquit: „*Non inutiliter etiam metu Legum humana coercetur audacia, ut et tuta ſit inter improbos innocentia, et in ipſis improbis, dum formidato ſupplicio froenatur facultas, innocato DEO ſanetur voluntas; Sed huic ordinationi rerum humanarum contrariae non ſunt interceſſiones Epiſcoporum, imo vero nec cauſa, nec locus intercedendi vllus eſſet, ſi iſta non eſſent. Tanto enim ſunt intercedentium, et parcentium beneficia gratiora, quanto peccantium iuſtiora ſupplicia. Nec ob aliud, quantum ſapit, in veteri Teſtamento antiquorum temporibus Prophetarum ſeuerior Legis vindicta feruebat, niſi vt oſtenderetur recte iniquis poenas conſtitutas, et quod eis parcere noui Teſtamenti indulgentia commonemur, aut remedium ſit ſalutis, quo peccatis parcatur et noſtris, aut commendatio manſuetudinis, vt per eos, qui parcunt, veritas praedicata non tantum teneatur, verum etiam ab illis, qui parantur, diligatur.„* Alio etiam argumento, quo rurſus aliud veteris diſciplinae caput eruitur, confirmare pergit adſertionem ſuam; propugnandn nimirum idem officium interceſſinnis Sanctus Doctor ibidem ait: „His ego te ipſum cum aliis amicis tuis in Eccleſia Chartaginenſi interceſſiſſe pro Clerico, cui merito ſuccenſebat Epiſcopus, et vtique nullum ibi diſcrimen ſanguinis ſub incruenta diſciplina timebatur; nec quum id, quod vobis etiam diſplicebat, inultum eſſe velletis, tanquam delicti adprobatores vos iudicabamus, ſed tanquam humaniſſimos interceſſores audiebamus. Si ergo vobis fas eſt Eccleſiaſticam correptionem intercedendo mitigare, quomodo Epiſcopus veſtro gladio non debet intercedere, quum illa exſeratur, vt in quem exeritur, bene viuat, iſte, vt non viuat? „ Eminentis huiusmodi caritatis officium non ſolum domeſticis Fidei impendebant, ſed etiam haereticis in diſcrimen vitae incurrentibus interceſſione ſuffragabantur Epiſcopi, armatum in illos vindicem gladium Principum, et Iudicum auertebant; imo ſaeuientes etiam haereticos precibus tuebantur ſuis, ne mutuam referrent vicem. Operae pretium duxi Epiſtolam S. Auguſtini hoc in merito ad Apringium ſcriptam huc attexere, quae ſequitur hunc in modum: „Domino inſigni, et merito ſublimi, ac praeſtantiſſimo Filio Apringio „Auguſtinus: Non dubito in hac poteſtate, quam „tibi Deus homini in homines dedit, cogitare te „Diuinum iudicium, vbi et Iudices ſtabunt rationem de ſuo iudicio reddituri. Chriſtiana quippe „Fide te imbutum ſcio; vnde mihi ad Excellentiam tuam maior fiducia tribuitur non ſolum petendi, verum etiam monendi propter illum Dominum, in cuius familia nobiſcum coeleſti iure „cenſeris, in qua ſpem vitae aeternae pariter habemus, et quem pro vobis in Sacro Sanctis Myſteriis inuocamus. Proinde Domine inſignis, et „merito ſublimis, ac praeſtantiſſime Fili! Primum quaeſo, vt non videar tibi importunus irruere actibus tuis ea ſolicitudine, quam me „praecipue gerere oportet pro Eccleſia mihi credita, cuius vtilitatibus ſeruio, cui non tam praeeſſe, quam prodeſſe deſidero. Dein obſecro, vt „quod moneo, vel rogo, non dedigneris accipere, non cuncteris aquieſcere. Circumcelliones „quosdam, et Clericos Donatiſtas cura eorum, „qui diſciplinae publicae inſeruiunt, praemiſſa fama notoria ad Iudicia, Legesque perduxit: Hi „quum audirentur a Viro clariſſimo, et ſpectabili „Tribuno, et Notario Fratre tuo Filio meo Marcellino, non tormentis vngularum, atque flammarum, ſed virgarum coerciti, horrenda facinora in Fratres, et Compresbyteros meos aſe perpetrata confeſſi ſunt, quod ſcilicet vnum eorum „exceptum inſidiis trucidauerunt, alterum e domo raptum oculo effoſſo, digitoque amputato „truncauerunt. Hoc quum comperiſſem illos fuiſſe confeſſos, ideoque minime dubitarem ſub iura tuae ſecuris eſſe venturos, has ad tuam nobilitatem Litteras acceleraui, quibus deprecor te „per miſericordiam Chriſti, ſic de tua maiore, „atque certiore felicitate gaudeamus, vt eis paria non retribuantur &c. Ne ipſi, vel illi, quorum homicidium pateſactum eſt, per tuae poteſtatis ſententiam mulctentur, hoc timeo; Hoc „ne fiat Chriſtianus Iudicem rogo, et Chriſtianum „Epiſcopus moneo. De vobis quidem dixiſſe „Apoſtolum legimus, quod non ſine cauſa gladium geratis, et Miniſtri DEI ſitis, vt vindices „in eos, qui male agunt: Sed alia eſt cauſa Prouinciae; alia Eccleſiae; Illius terribiliter gerenda eſt adminiſtratio, huius clementer commendanda eſt manſuetudo. Si apud Iudicem non „Chriſtianum mihi ſermo eſſet, aliter agerem, nec „tamen etiam ſic Eccleſiae cauſam dedererem, et „quantum admittere dignaretur, iuſtarem, ne „paſſiones Seruorum DEI Catholicorum, quae „prodeſſe debebant ad exempla patientiae, inimicorum ſuorum ſanguine foedarentur, et ſi „nollet adquieſcere, inimico animo eum reſiſtere „ſuſpicarer. Nunc vero, quando apud te res agitur, alia mihi ratio eſt, alia conſultatio. Rectorem te quidem praecelſae poteſtatis videmus, „ſed etiam Filium Chriſtianae pietatis agnoſcimus. „Subdatur ſublimitas tua, ſubdatur fides tua, „cauſam tecum tracto communem, ſed tu in ea „potes, quod ego non poſſum. Confer nobiſcum „conſilium, et porrige auxilium. Diligenter actum eſt, vt inimici Eccleſiae, qui ſolent vaniloquio ſeditionis ſollicitare animos imperitos, „tanquam de perſecutione glorientes, quam ſe „perpeti iactant, horrenda facinora ſua in Catholicos Clericos perpetrata faterentur, et ſuis verbis implicarentur. Legenda ſunt geſta ad ſanandas animas, quas peſtifera perſuaſione venenauerunt. Numquid placet tibi, vt finem geſtorum, ſi cruentum iſtorum ſupplicium continebit, „legendo peruenire timeamus, vbi ponimus et „ipſam conſcientiam, ut malum pro malo, qui „paſſi ſunt, reddidiſſe videantur? Si ergo nihil aliud conſtitueretur fraenandae malitiae perditorum, extrema forte neceſſitas, vt tales occiderentur, vrgeat; Quanquam quod ad nos attinet: „ſi nihil mitius in eis fieri poſſet, mallemus eos „liberos relaxari, quam paſſiones Fratrum no-

to, ſalutaria conſilia non admittunt, ſed ita contemnunt, vt vnus homo in caſtra plurimas, et diuerſas, et quae non poſſunt iuuare Eccleſias, preces afferat, et non (vt debet fieri, et convenit) pauperibus, et laicis, vel viduis opem, et

„ſtrorum, ſuiſi eorum ſanguine vindicari: Nunc „vero, quum aliquid fieri poſſit, quo et mitis commendetur Eccleſia, et immitium cohibeatur audacia; Cur non flectas in partem prouidentiorem, leniorem que ſententiam, quod licet Iudicibus facere etiam non in cauſa Eccleſiae. „Time ergo nobiſcum Iudicium DEI Patris, et „commenda manſuetudinem Matris. Quum enim „tu facis, Eccleſia facit, propter quam facis, „et cuius filius facis. Contende bonitate cum „malis. Illi ſcelere immani membra de corpore „viuo auulſerunt, tu opera miſericordi effice, „vt illa, quae nefandis operibus exercebant, ali„cui vtili operi integra eorum membra deſeruiant. Illi non pepercerunt correctionem tibi „praedicantibus DEI ſeruis, tu parce comprehenſis, parce ductis, parce conuictis. Illi impio ferro fuderunt ſanguinem Chriſtianum, tu „ab eorum ſanguine etiam iuridicum gladium cohibe propter Chriſtum. Illi Miniſtro Eccleſiae „occiſo extorſerunt ſpatium viuendi; tu inimicis Eccleſiae viuentibus relaxa ſpatium poenitendi. Talem te oportet eſſe in cauſa Eccleſiae „Iudicem Chriſtianum petentibus, monentibus, „intercedentibus nobis. Solent homines, quando cum inimicis eorum conuictis lenius agitur, „a mitiori ſententia prouocare. Sed inimicos noſtros ita diligimus, vt niſi de tua Chriſtiana obedienti a praeſumamus, a tua ſeuera ſententia „prouocemus. Deus omnipotens Excellentiam „tuam auctiorem, feliciorem que conſeruet. Domine inſignis, et merito ſublimis, ac praeſtantiſſime Fili!„ Haec manſuetudinem Eccleſiae mirum in modum commendant. Affinia ſunt his, quae in Epiſtola ad Marcellinum nunc 139. alias 158. ſcribit: „*Poena ſane illorum, quamuis de tantis ſceleribus confeſſorum, rogo te, vt praeter ſupplicium mortis ſit, et propter conſcientiam noſtram, et propter Catholicam manſuetudinem commendandam. Ipſe enim fructus ad nos peruenit confeſſionis illorum; quia inuenit Eccleſia Catholica, vbi ſuam erga atrociſſimos inimicos ſeruet, et exhibeat lenitatem. In tanta quippe crudelitate quaecunque praeter ſanguinem vindicta proceſſerit, magna lenitas apparebit. Quod etſi modo quibusdam noſtris, illa atrocitate commotis videtur indignum, quaſi diſſolutionis, et negligentiae ſimile, Tranſactis tamen motibus animorum, qui recentioribus factis ſolent turbulentius excitari, egregie luculenta bonitas apparebit, et ob hoc magis eadem geſta legere, atque oſtendere delectabit. Domine merito inſignis, multumque cariſſime, ac deſideratiſſime Fili!*„ Simile, et quidem domeſticum exemplum habemus in S. Martini vita, apud Sulpitium Seuerum Dialogo 3tio. „Maximus Imperator (ita orditur hiſtoriam) alias ſane bonus, deprauatus conſiliis Sacerdotum, poſt Priſcilliani necem Ithacium Epiſcopum Priſcilliani accuſatorem, ceterosque „illius ſocios, quos nominari non eſt neceſſe, vi „Regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opera „illius cuiuſcunque modi hominem fuiſſe damnatum. Interea Martinus multis, grauibusque „laborantium cauſis ad Comitatum ire compulſus procellam ipſam totius tempeſtatis incurrit. „Congregati apud Treuiros Epiſcopi tenebantur, „qui quotidie communicantes Ithacio communem „ſibi cauſam fecerant. His vbi nunciatum eſt „inopinantibus adeſſe Martinum, totis animis labefacti muſſitare, et trepidare coeperunt. Et iam „pridie Imperator ex eorum ſententia decreuerat „Tribunos ſumma poteſtate armatos ad Hiſpanias „mittere, qui haereticos inquirerent, deprehenſis „vitam, et bona adimerent. Nec dubium erat, „quin innocentium etiam maximam turbam tempeſtas iſta depopulatura eſſet, paruo diſcrimine „inter hominum genera. Etenim tunc ſolis oculis iudicabatur, quum quis pallore potius, aut „veſte, quam Fide haereticus aeſtimaretur. Haec „nequaquam placitura Martino Epiſcopi ſentiebant. Sed male conſciis illa vel moleſtiſſima erat „cura, ne ſe ab eorum communione adueniens „abſtineret, non defuturis, qui tanti Viri conſtantiam praemiſſa auctoritate ſequerentur, ineunt cum Imperatore conſilium, vt miſſis obuiam Magiſterii officialibus, vrbem illam propius vetaretur accedere, niſi ſe cum pace Epiſcoporum ibi conſiſtentium adfore fateretur. Quos „ille callide fruſtratus profitetur, ſe cum pace „Chriſti eſſe venturum. Poſtremo ingreſſus nocturno tempore, adiit Eccleſiam tantum orationis gratia, poſtridie palatium petit. Praeter multas, quas euoluere longum eſſet, has principales petitiones habebat: pro Narſete Comite, et „Leucadio Praeſide, quorum ambo Gratiani partium fuerant pertinacioribus ſtudiis, quae non „eſt temporis explicare, iram victoris emeriti. „Illa praecipua cura, ne Tribuni, cum iure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur; pia enim erat „ſolicitudo Martino, vt non ſolum Chriſtianos, „qui ſub illa erant occaſione vexandi, ſed ipſos „etiam de haereſi accuſatos a gladiis furentium „militum, caedeque praecipiti liberaret. Verum „primo die, atque altero ſuſpendit hominem callidus Imperator, ſiue, vt rei pondus imponeret, „ſiue, quia nimis ſibi implacabilis erat, ſeu quia „(vt plerique tum arbitrabantur) auaritia repugnabat, ſiquidem in bona eorum inhiauerat. Fertur „enim ille Vir multis, bonisque actibus praeditus, aduerſus auaritiam parum conſuluiſſe; niſi fortaſſe Regni neceſſitate, quippe exhauſto a „ſuperioribus Principibus Reipublicae aerario, „poene ſemper in expeditione, atque procinctu „bellorum ciuilium conſtitutus facile excuſabitur, „quibuslibet occaſionibus ſubſidia Imperio parauiſſe. Interea Epiſcopi, quorum communionem „Martinus non inibat, trepidi ad Regem concurrunt, praedamnatos ſe conquerentes, actum eſſe „de ſuo omnium ſtatu, ſi Theogniſti pertinaciam, „qui eos ſolus palam ſententia lata condemnauerat, Martini armaret auctoritas. Non oportuiſſe „hominem recipi moenibus, illum iam non defenſorem haereticorum eſſe, ſed vindicem; Nihil „actum morte Priſcilliani, ſi Martinus exerceat illius vltionem. Poſtremo proſtrati cum fletu, et „lamentatione poteſtatem Regiam implorant, vt „vtatur aduerſus vnum hominem vi ſua. Nec „multum aberat, quin cogeretur Imperator Martinum cum haereticorum ſorte miſcere. Sed ille licet Epiſcopis nimio fauore eſſet obnoxius, „non erat neſcius Martinum fide, ſanctitate, et virtute cunctis praeſtare mortalibus, alia longe via „Sanctum vincere parat. Ac primo ſecreto acceſſitum blande appellat: haereticos iure damnatos more Iudiciorum publicorum potius, quam „inſectationibus Sacerdotum; non eſſe cauſſam,

Digitized by Google

auxilium ferat, ſed ſeculares dignitates, et functiones aliquibus acquirat. Haec ergo peruerſitas detrimentum non ſine offendiculo, et condemnatione nobis conciliat. Conuenientius autem exiſtimaui, vt Epiſcopus illi ſuum auxilium praebeat, cui ab aliquo vis affertur, vel ſi quae vidua iniuria afficiatur, vel ſi quis pupillus priuetur iis, quae ad ipſum pertinent. Siquidem haec nomina iuſtam habeant cauſam, et ſupplicationem. Si itaque dilecti Fratres, hoc omnibus videtur, ſtatuite nullum oportere Epiſcopum ad caſtra accedere, praeter eos, quos pius Imperator noſter ſuis litteris accerſit. Sed quia ſoepe contingit, aliquos, qui egent miſericordia, ad Eccleſiam confugere, qui propter ſua peccata vel relegatione, vel in inſulam deportatione damnati, vel quauis ſententia addicti ſunt, iis non eſſe negandum auxilium, ſed ſine cunctatione, et dubitatione iis veniam eſſe petendam. Si itaque hoc quoque placet, omnes vna quoque veſtrûm ſuffragium ferte. Reſponderunt omnes: decernatur et hoc.

Canon 8.

Hoſius Epiſcopus dixit: Hoc quoque veſtra ſolertia dixit, vt quia viſum eſt, ne aliquis Epiſcopus in condemnationem incidat, ad caſtra *(a)* veniens, ſi

---

„qua Ithacii, ceterorumque partis eius communionem putaret eſſe damnandam. Theogniſtum „odio potius, quam cauſa fecisse dicicium, eundemque tamen ſolum eſſe qui ſe a communione interim ſepararit, a reliquis nihil nouatum, „quin etiam ante paucos dies habita Synodus „Ithacium pronunciauerat culpa non teneri. „Quibus, quum Martinus parum moueretur, Rex „ira accenditur, ac ſe de conſpectu eius abripit, „et mox percuſſores bis, pro quibus Martinus „rogauerat, diriguntur. Quod vbi Martino compertum iam noctis tempore eſt, Palatium irrupit, ſpondet, ſi parceretur, ſe communicaturum, dummodo, vt et Tribuni in excidium „Eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi retraherentur, „nec mora interceſſit. Maximus indulget omnia. „Poſtridie Felicis Epiſcopi ordinatio parabatur, „ſanctiſſimi ſane Viri, et plane digni, qui meliore tempore Sacerdos fieret. Huius diei communionem Martinus iniit, ſatius aeſtimans ad „horam cedere, quam his non conſulere, quorum ceruicibus gladius imminebat. Verum tamen ſumma vi Epiſcopis nitentibus, vt communionem illam ſubſcriptione firmaret, extorqueri non potuit. Poſtero die ſe inde proripiens, quum reuertens in via moeſtus ingemiſceret, ſe vel ad horam noxiae communioni fuiſſe permixtum, haud longe a vico, cui nomen „eſt Andethanna, quae vaſtas ſolitudines ſyluarum ſecreta patiuntur, pergreſſis paululum Comitibus, ille ſubſedit, cauſam doloris, & facti, „accuſante, ac defendente in vicem cogitationes „peruoluens, adſtitit ei repente Angelus; merito, inquit. Martine compungeris; ſed aliter „exire nequiſti, repara virtutem, reſume conſtantiam, ne iam non periculum gloriae, ſed ſalutis „incurreris. Itaque ab illo tempore ſatis cauit cum „illa Ithacianae partis communione miſceri.„ Verum nihil tam Sanctum, quo non abutatur humana fragilitas, et malitia; Hinc factum eſt, quod in hanc quoque diſciplinam irrepſerint exceſſus a Canone noſtro notati, Inquiunt enim Patres Sardicenſes: „*Importunitas, videlicet multo „aſſiduitas, et iniuſtae preces.*„ Importunitatis vitium notauit in quibuſdam Macedonius ſcribens ad S. Auguſtinum Epiſt. 152. „*Officium Sacerdotii veſtri eſſe dicitis interuenire pro reis, et niſi obtineatis, offendi, quaſi quod erat officii veſtri munere reportetis.*„ Procul aberat ab hoc vitio Sanctus Auguſtinus teſte eodem Macedonio Epiſt. 154. „*Miro modo afficior ſapientia tua, et in illis, quae edidiſti, et in his, quae interueniens pro ſceleratis mittere non grauaris. Nam et illa tantum habent acuminis ſcientiae Sanctitatis, vt nihil ſupra ſit. Et hoc tantum verecundiae, vt niſi faciam, quod mandat, culpam penes me manere, non in negotio eſſe iudicem. Non enim inſtas, quod plerique homines loci iſtius faciunt, vt quodcunque ſollicitus volueris, extorqueas, ſed quod tibi a Iudice tot curis obſtricto petibile viſum fuerit, admones ſubſeruiente verecundia, quae maxime difficilium inter bonos efficacio eſt.*„ Si in iuſtis precibus verecundia, et circumſpectione opus erat, damnabiles certo erant preces, quas non caritas, ſed carnalitas, et ambitio proferebat, merito in tales conſurrexit Synodus noſtra.

(a) Caſtra, et Comitatus idem ſignificant. Canone enim priore dicitur: neminem oportere ad caſtra accedere. Hoc Canone in alia editione pro Caſtris dicitur: ad Comitatum non debere accedere Epiſcopos. Caſtra antiquitus vocata fuiſſe, vbicunque Imperatores conſedere, perhibet epiſtola Conſtantini Imperatoris ad Arium apud Socratem Hiſt. Eccl. Lib. 1. cap. 19., vbi ſcribit Imperator: „*Iam dudum tuae grauitati ſignificatum eſt, vt ad mea Caſtra venires, qua poſſes noſtro aſpectu frui.*„ Idem ad Epiſcopos Tyri ſcribens ait: „*Illa ad vos perſcribenda curaui, vt omnes, qui ad Concilium Tyri coactum conueniſtis, e veſtigio in Caſtra noſtra maturaretis.*„ Conſtantius apud eundem Socratem Lib. 2. cap. 18. Sancto Athanaſio ſeribens inquit: „*Viſum eſt unum Presbyterum ad te mittere, vt ad noſtrum Comitatum accedere maturares.*„ Cur autem caſtrorum nomen ſibi aula Regia vendicauerit, nulla alia ratio aſſignari poteſt, quam quod extra tempus hybernum in caſtris potiſſimum agerent Reges, imo Conuentus publicos ibi agerent, quod ex Capitularibus Regum Francorum, ac gentis noſtrae more euicimus In Diſſertatione de Synodis Regiis. Conſonat illud Poſſidii in vita S. Auguſtini: „*apud Mediolanum,*

Caſtra, et Comitatus.

Digitized by Google

ſi qui eorum eiusmodi, quarum ſuperius meminimus, habeant preces, per proprium Diaconum mittant. Miniſtri enim perſona non eſt inuidioſa, et quae conceſſa fuerint, citius perferri poterunt.

Editio alia.

Hoſius Episcopus dixit: Hoc quoque prouidentia veſtra tractare debet, quia decreuiſtis, ne Episcoporum improbitas nitatur, vt ad Comitatum pergaut. Quicunque ergo, quales ſuperius memorauimus, preces habuerint, vel acceperint, per Diaconum ſuum mittant; quia perſona Miniſtri inuidioſa non eſt, et quae impetrarit, celerius poterit referre.

Canon 9.

Hoſius Episcopus dixit: hoc quoque conſequens eſſe exiſtimo, vt ſi in quacunque Prouincia Episcopi ad Fratrem, et Coepiscopum ſuum mittunt preces, is, qui eſt in maiori Ciuitate, hoc eſt, in Metropoli, ipſe Miniſtrum ſuum, et preces mittat, praebens ei commendatitias quoque litteras, ſcribens videlicet per conſequentiam etiam ad Fratres, et Coepiscopos noſtros, qui ſcilicet illo tempore in locis, vel ciuitatibus agant, in quibus piiſſimus Imperator Rempublicam gubernat. Si quis autem Episcopus habet amicos in Aula Palatii, et velit aliquid, quod ſit honeſtum, et iuſtum, impetrare, ne prohibeatur per ſuum Miniſtrum et rogare, et iis mandare, vt bonum ſuum auxilium ei velint praebere. Qui autem Romam accedunt, (quemadmodum ſuperius dictum eſt) dilecto Fratri noſtro, et Coepiscopo Iulio preces, quas habent dandas, praebere debent, vt ipſe prius examinet, ſi quae earum non ſint imprudentes; et ſic ſuam opem, et curam praebens, eos ad caſtra mittat. Omnes Episcopi dixerunt: Eis placere, et eſſe conuenientiſſimum hoc conſilium.

Alia editio.

Et hoc conſequens eſſe videtur, vt de qualibet Prouincia Episcopi ad eum Fratrem, et Coepiscopum noſtrum preces mittant, qui in Metropoli conſiſtit, vt ille et Diaconum eius, et ſupplicationes deſtinet, tribuens commendatitias epiſtolas pari ratione ad Fratres, et Coepiscopos noſtros, qui in illo tempore in his Regionibus, et Vrbibus morantur, in quibus felix, et beatus Auguſtus Rempublicam gubernat.

Canon 10.

Hoſius quoque Episcopus dixit: Hoc quoque neceſſarium exiſtimo, vt cum omni cura, et diligentia examinetur, vt ſi quis diues, vel ex foro ſcholaſticus *(a)* Episcopus fieri dignus habeatur,

ubi tunc erat Imperatoris Valentiniani iunioris Comitatus.. „

(*a*) Chriſtianus Lupus in hunc Canonem ſcribens ait: „ *ſcholaſticus*, id eſt: *cauſarum Aduocatus.* „ Non exiſtimo genuinum hunc eſſe Canonis ſenſum. Tò: *Scholaſticus* non videtur cauſarum Aduocatum valere. Vt ergo genuinam vocis huius vim, et poteſtatem eruamus, conſulendus nobis eſt vſus aeui illius, de quo Amianus Marcellinus ſeculi IV. Scriptor locuples nobis erit Teſtis. De Valentiniano narrat is Lib. 26. cap. 1. mihi pag. 360. „ *Valentinianus nulla diſcordante ſententia, Numinis adſpiratione coeleſtis electus eſt: agens ſcholam Scutariorum ſecundam.* „ Ex ſchola itaque, cui praeerat, aſſumptus fuit Valentinianus ad imperium. Quis vnquam dixit Valentinianum cauſarum Aduocatum fuiſſe? Similiter de Equitio ad imperium deſtinato ait is idem: „*Obſcuris paucorum ſuſurris nomen perſtringebatur Equitii ſcholae primae Scutariorum etiam tum Tribuni.* „ Neque hunc aut Marcellinus, aut quispiam alter cauſarum Aduocatum, vel Aduocatorum Tribunum fuiſſe prodidit. Reſtat ergo, vt aliud fuerit ſcholaſticorum munus. Scholam primam, et ſecundam Scutariorum vidimus. Horum meminit etiam Lib. 22. cap. 11. pag. 260. „*Romanus, quin etiam Vincentius Scutariorum ſcholae primae, ſecundaeque Tribuni agitaſſe conuicti quaedam ſuis viribus altiora, acti ſunt in exilium.* „ Scholam Palatinorum, et Protectorum commemorat Lib. 14. cap. 7. pag. 19. Conſtantius ſcribens ad Coeſarem (Gallum) „*Blandino adiumenta paullatim illi ſubtraxit, ſollicitari ſe ſimulans, ne, uti eſt militare otium fere tumultuoſum, in eius perniciem conſpiraret, ſolisque Scholis iuſſit eſſe contentam Palatinis, et Protectorum, cum Scutariis, et Gentilibus.* „ Harum ſcholarum

Quis fuerit Scholaſticus?

beatur, non prius conſtituatur, quam Lectoris, et Diaconi, et Presbyteri miniſterium peregerit: vt in vno quoque gradu, ſi dignus exiſtimatus fuerit, ad Epiſcopatus faſtigium per progreſſionem poſſit aſcendere. Habebit autem vniuscuiusque ordinis gradus non minimi ſcilicet temporis longitudinem, per quod et Fides, et morum probitas, et conſtantia, et moderatio poſſit cognoſci; et ipſe Diuino Sacerdotio dignus exiſtimatus maximum honorem aſſequetur. Neque enim conuenit, neque ſcientia, et bona conuerſatio hoc recipit, vt temere, et leuiter ad id accedatur, vt Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus prompte, ac facile conſtituatur. Sic enim merito Neophytus exiſtimetur, quandoquidem Beatiſſimus Apoſtolus, qui fuit etiam Doctor Gentium, maxime prohibuiſſe videtur, ne celeres fierent inſtitutiones. Longiſſimi enim temporis probatio, et conuerſationem, et vnius cuiusque mores non improbabiliter exprimere poterit. Omnes dixerunt ipſis placere, et omnino non oportere ea ſubuertere.

Canon 11.

Hoſius Epiſcopus dixit: hoc quoque definire debemus, vt quando Epiſcopus ex alia Ciuitate in aliam Ciuitatem, vel ex alia Prouincia in aliam Prouinciam acceſſerit iactationis gratia, propriis laudibus magis feruiens, quam Religionis ſanctificationi, et velit longiori tempore illic agere, illius autem Ciuitatis Epiſcopus doctrinae non fuerit peritus; ne illum deſpiciat, et frequentius concionetur, ſtudens dedecore afficere, et vilipendere perſonam Epiſcopi, (hic enim praetextus ſolet turbas excitare) nec eiusmodi calliditate alienam ſedem ſibi conciliare, et attrahere ſtudeat, non dubitans ſibi traditam Eccleſiam relinquere, et in aliam tranſire. Ad hoc ergo tempus definiendum eſt. Nam Epiſcopum non recipi inhumanum, et inciuile exiſtimatum eſt. Recordemini autem Patres noſtros in tempore praeterito iudicauiſſe, vt ſi quis Laicus in aliqua Vrbe agens, tribus diebus Dominicis, in tribus hebdomadibus non conueniat, is communione moueatur. Si hoc ergo de Laicis ſtatutum eſt, non oportet, nec conuenit, ſed neque eſt vtile, Epiſcopum, ſi nullam habet grauiorem neceſſitatem, vel negotium difficilius, a ſua Eccleſia diutius abeſſe, et ſibi commiſſum Populum deſerere. *(a)* Omnes Epiſcopi dixerunt: hanc quoque ſententiam eſſe conuenientiſſimam.

Canon 12.

Hoſius Epiſcopus dixit: Quia nihil eſt praetermittendum, hoc quoque definiatur. Quidam Fratres, et Coepiſcopi in Ciuitatibus, in quibus Epiſcopi conſtituuntur, videntur valde pauca, quae ſibi ſint propria, poſſidere; in aliis autem locis magnas poſſeſſiones, ex quibus etiam poſſunt opem ferre pauperibus

ribus

munus fuiſſe militare ſatis patere exiſtimo. Etenim Valentiniani tranſito Rheno aduerſus Alemanos ad celſos montes confugientes ſuſceptum praelium narrans ait: „*Saluius, et Lupicinus, Scutarius vnus, alter e ſchola Gentilium, fragore terribili concitantes, haſtasque criſpando, quum ad rupium obiecta veniſſent.*„ Scholam quoque Palatinorum, et Protectorum militaſſe ex hactenus de Gallo Coeſare dictis planum eſt. Protectorum Scholas binas fuiſſe: vnam Equitum domeſticorum, alteram Peditum, ex Amiano Lib. 15. cap. 5. colligitur. Palatinam Scholam fuiſſe cohortem Militum, qui pro Palatio excubabant, idem docet, dum Lib. 18. cap. 5. Palatinam cohortem, et Lib. 26. cap. 6. Palatinum militem appellat. Hi ergo omnes ex illo genere militum fuiſſe videntur, quos nunc Praetorianos vocamus, nonniſi neceſſitate cogente ad arma prouolaturi, qui in ſcholas diuiſi erant, veluti militari ſuccincti cingulo in Legiones diſpeſcebantur. Tales ergo in Epiſcopos aſſumi vetat Canon noſter, niſi rite probatos, et exploratos. Recte itaque ſcripſit Photius Canonem de Forenſi, et Curiali loqui. Hos enim Scholaſticos Iure ad claſſem Curialium referre poſſumus. In eo tamen errauit Photius, quod his tantum ordinum interſtitia iniuncta dicat.

(a) „Hic Canon innouatus eſt a Synodo Trullana, Francofordienſi, ab Agathenſi etiam ad Presbyteros, et Diaconos extenſus.„ Chriſtianus Lupus in hunc Canonem.

ribus: Iis ita concedendum eſſe indico, vt ſi in ſuas poſſeſſiones venturi ſunt, et fructus ſuos collecturi, tribus diebus Dominicis, id eſt tribus ſeptimanis in ſuis poſſeſſionibus degant, et in Eccleſia, quae prope eſt, in qua Presbyter populum congregat, ne congregationis expers eſſe videatur, conueniat, et officia Diuina obeat; et ne frequentius in Ciuitate, in qua eſt Epiſcopus, adſit. Eo enim modo, et res eius propter ipſius abſentiam nihil detrimenti patientur, et arrogantiae, ac ſuperbiae crimen effugere videbitur. Omnes Epiſcopi dixerunt: Placet quoque conſtitutio.

Canon 13.

Hoſius Epiſcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat, vt ſi Diaconus, vel Presbyter, vel etiam aliquis ex Clericis ſit excommunicatus, et ad alium Epiſcopum, qui eum nouit, confugerit, ſcientem eum a proprio Epiſcopo eſſe communione motum; non oportere Epiſcopo, et Fratri ſuo iniuriam facientem, ei communionem praebere. Sin autem hoc facere auſus fuerit, ſciat, quum conuenerint Epiſcopi, ſe ipſum cauſam eſſe dicturum. Omnes Epiſcopi dixerunt: Hoc iudicium, et pacem vsque cuſtodiet, et omnium concordiam tuebitur.

Canon 14.

Hoſius Epiſcopus dixit: Quod autem me vndequaque monet, retinere non debeo. Si inueniatur quis Epiſcopus ad iram propenſus, (quod quidem ab eiusmodi homine abeſſe debet) et aduerſus Presbyterum, vel Diaconum cito commotus, eum ex Eccleſia eiicere voluerit; prouidendum eſt, ne is repente condemnetur, et communione priuetur. Omnes Epiſcopi dixerunt: Qui eiicitur, poteſtatem habeat confugiendi ad Epiſcopum Metropolis eiusdem Prouinciae: Si autem Metropolitanus abeſt, ad finitimum concurrendi, et rogandi, vt ſuum negotium accurate examinetur. Neque enim non ſunt aures praebendae iis, qui rogant. Ille quoque Epiſcopus, qui iure, vel iniuria eum expulit, aequo animo ferre debet, vt rei fiat examinatio, et vel eius confirmetur ſententia, vel corrigatur. Priusquam autem diligenter, et ex fide ſingula examinata fuerint, qui communionem non habet, non debet ante rei cognitionem ſibi communionem arrogare. Si autem Clerici aliqui conuenerint, et eius ſuperbiam, et arrogantiam viderint, quia non conuenit contumeliam, vel iniuſtam expoſtulationem pati, acerbioribus, et grauioribus verbis eum debent corrigere; vt ei, qui iubet, quae decent, inſeruiant, et obediant. Sicut enim debet Epiſcopus Miniſtris ſinceram dilectionem et affectum praebere; eodem modo, et ſubiecti debent Epiſcopis non fraudulentum miniſterium, et obſequium exhibere.

Canon 15.

Hoſius Epiſcopus dixit: Hoc quoque omnes definiamus; vt ſi quis Epiſcopus ex alia Parochia velit alienum Miniſtrum, ſine conſenſu proprii Epiſcopi in aliquo gradu conſtituere, (a) irrita, et infirma eiusmodi conſtitutio exiſtimetur. Si qui autem hoc ſibi ipſis permiſerint, a Fratribus, et Coepiſcopis et admoneri, et corrigi debent. Omnes dixerunt: Hoc quoque Decretum ſtet firmum, et immobile.

Canon 16.

Ætius Epiſcopus dixit: Non ignoratis, qualis, quantaque ſit Theſſalonicenſium Metropolis. Soepe itaque ad eam ex aliis Prouinciis Presbyteri, et Dia-

(a) Conſtituere idem eſt ac ordinare. In Concilio Carthaginenſi primo dixit Gratus de hac re diſſerens: *„haec obſeruantia pacem cuſtodit, nam et memini in Sanctiſſimo Sardicenſi Concilio ſtatutum, vt nemo alterius plebis hominem vſurpet.*

Diaconi accedunt, et breuis temporis mora non contenti permanent, et omne tempus illic agentes tranſigunt; vel vix tandem poſt plurimum tempus in ſuas Eccleſias reuerti coguntur. De iis ergo definiendum eſt: Hoſius Epiſcopus dixit: Ea decreta, quae de Epiſcopis conſtituta ſunt, ſeruentur etiam in huiusmodi perſonis.

Canon 17.

Suggerente Fratre noſtro Olympio, hoc quoque placuit, vt ſi quis Epiſcopus vim paſſus, iniuſte eiectus ſit, vel propter ſcientiam, vel propter Catholicae Eccleſiae confeſſionem, vel propter veritatis defenſionem, et fugiens periculum, innocens execrationi ſubiectus in aliam Vrbem venerit, ne prohibeatur illic tamdiu agere, donec reuertatur, vel a facta ſibi iniuria poſſit liberationem inuenire. Durum enim eſt, atque adeo grauiſſimum eum, qui iniuſtam eiectionem paſſus eſt, a nobis non ſuſcipi. Is enim debet a nobis plurima humanitate, et benignitate excipi.

Canon 18.

Gaudentius Epiſcopus dixit: Scis Frater Aetie, quod tunc, quum Epiſcopus conſtitutus es, pax deinceps viguit; ne aliquae diſſidii reliquiae remaneant, viſum eſt, vt qui a Muſaeo, et Eutychiano conſtituti ſunt, quia nulla eorum culpa inueniebatur, omnes ſuſciperentur.

Canon 19.

Hoſius Epiſcopus dixit: Meae mediocritatis haec eſt ſententia; quia quieti, et patientes eſſe debemus, et perennem in omnes habere miſericordiam, eos, qui ſemel in Clerum Eccleſiaſticum ab aliquibus Fratribus noſtris promoti ſunt, ſi nolint redire ad eas, ad quas nominati ſunt, Eccleſias, deinceps non admitti: Eutychianum autem ne Epiſcopi quidem ſibi nomen vſurpare; ſed neque Muſaeum vt Epiſcopum exiſtimari. Si autem Laicam communionem petiuerint, non oportere eis denegari. Omnes dixerunt: Placet.

Canon 20.

Gaudentius Epiſcopus dixit: Haec ſalutariter et congrue definita, et noſtrae Sacerdotum dignitati conuenienter, et quae DEO, et hominibus placuerunt, potentiam, et vires ſuas obtinere non poterunt, niſi etiam metus editas ſententias conſecutus fuerit. Ipſi enim ſcimus, ſoepe propter paucorum impudentiam, Diuinum, et imprimis venerandum Sacerdotii nomen in damnationem incurriſſe. Si quis ergo praeter ea, quae omnibus viſa ſunt, auſus fuerit, ſtudens faſtui magis, et arrogantiae ſeruire, quam DEO placere, aliquid aliud agere, ſciat iam ſe criminis reum, ac defenſioni obnoxium conſtituere, et Epiſcopatus honorem, ac dignitatem amittere. Omnes responderunt: Decet, et placet nobis haec ſententia. Porro autem hoc quoque illinc erit maxime notum, et comprobatum, ſi vnusquisque veſtrum, qui eſtis in tranſitu, ſeu canali (a) conſtituti Epiſcopi, quum viderit Epiſcopum, quaerat cauſam aduentus, et quo pergat; et ſi eum quidem in caſtra proficiſcentem inuenerit, quaerat conditiones, quae ſuperius propoſitae ſunt; et ſi euocatus veniat, ei abeunti nihil impedimenti fiat: Sin autem oſtentationis gratia, quemadmodum veſtrae dilectioni ſuperius dictum eſt, vel propter aliquorum poſtulata in caſtra feſtinat; nec litteris eius ſubſcribat, nec cum eo communicet. Omnes dixerunt: Hoc quoque decernatur.

V. Sy-

Canalis quid? (a) Canalia, ſeu Canalium eſt via publica ducens ad Comitatum, Vrbem videlicet, ſeu commorationem Regiam, in qua diſpoſiti erant equi publici, praeerantque his Magiſtratus, inter quos *Curioſi*, qui iter facientes obſeruabant, et ad Principem referebant.

V.

Synodus Sardicenſis Orthodoxa e libello Synodico Nro. XLIV.

Conſtans vero Diuiniſſimus *(a)* quum Fratrem Conſtantium Euripi *(b)* inſtar mutabilem eſſe, et Arianis gratificari animaduerteret, Synodum Sanctam Sardicam indicit, Metropolin Illyricorum *(c)* et Dacorum: vt Pauli, et Athanaſii cauſam examinarent. In ea conuenerunt Roma, ex Hiſpania, Gallia, Italia, Campania, Africa, Sardinia, Dardania, Macedonia, Theſſalia, Paeonia, Myſia, Achaia, Epiro, Thracia, Europa, Aſia, Caria, Bithynia, Helleſponto, Phrygia, Piſidia, Cappadocia, Ponto Euxino, Cilicia, Phrygia altera, Pamphylia, Lydia, Inſulis Cycladibus, Ægypto, Thebaide, Libya, Galatia, Palaeſtina, Arabia, ſeptuaginta ſex primores Epiſcopi: quibus praeerant Hoſius Corduhae Epiſcopus, Abramiaeus, et Protogenes Sardicae Archi-Epiſcopus. Haec ſanam illuſtrans doctrinam Paulum, et Athanaſium recepit, perpetuaque depoſitione notauit Gregorium Alexandriae, Quintilianum Gazae, et Ancyrae Baſilium, decernens, ne quis eis communicaret, neue a quoquam fideli Epiſcopi nominarentur, tanquam qui tyrannice ſedes ſuas occupaſſent. Theodorum vero Heracleae, et Palaeſtinae Acacium, Stephanum Antiochiae, et Syngidoni Iſaacium, Menophantem Epheſi, et Murſae Valentem abdicauit ſolum, et Ciliciae Georgium: quos poſt mortem abiecit, quum comperiſſet, eos pridem ab Alexandro Conſtantinopolis condemnat.. fuiſſe.

(a) Recole ea, quae alibi de hac Diuinitatis nomenclatione prolixe egimus, quibus hinc quoque robur accedit.

(b) *Euripus* dicitur teſte Papia *fluctuans quodlibet, eſt enim*, ita inquit, *deductio maris, vel aquarum, quod ſit ſecundum crementum, vel decrementum lunae.* Ceterum Euripus eſt mare valde tempeſtuosum prope Athenas.

(c) Ex his patet, quam merito Synodo huic locum adſignauerimus inter noſtras.

VI.

Appendix Epiſtolae Concilii Sardicenſis.

Ex *Theodoreto* lib. 2. cap. 8. Tom. III. col. 83.

Abdicamus porro, et ab Eccleſia *(d)* Catholica exterminamus eos, qui affirmant Chriſtum eſſe Deum, ſed verum Deum non eſſe; Filium, ſed verum Filium non eſſe; genitum eſſe ſimul, et ingenitum, ſic enim ſe intelligere genitum profitentur, quia ſic dixerunt: quod eſt, genitum eſt: et quia quum Chriſtus ante ſecula ſit, principium ei tribuunt, atque finem, qui non in tempore, ſed ante omne tempus generationem habet. Nuper etiam viperae duae *(e)* ex aſpide ariana prodiere, Valens, et Urſacius, qui gloriantur, et non dubitant ſe dicere Chriſtianos, qui et Verbum, et Spiritum crucifixum, vulneratum, et mortuum fuiſſe, et reſurrexiſſe, quodque haereticorum cohors contendit, diuerſas eſſe hypoſtaſes Patris, et Filii, et Spiritus Sancti pronunciant, et eas ſeparatas eſſe. Nos autem hanc percepimus, et didicimus, et hanc habemus Catholicam traditionem, et fidem, atque confeſſionem, vnam eſſe hypoſtaſim, quam ipſi haeretici Uſiam vocant, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Et ſi quaerant, quae ſit Filii hypoſtaſis, profitemur eam eſſe, quam et Patris ſolam eſſe in con-

 feſſo

(d) Ex ſupra dictis patet hanc appendicem epiſtolae ab aliquo ſuperadditam fuiſſe. *Dedicare* ait Papias *interpretatur repudiare*, mihi videtur ex his duobus: *Ab*, et *Dicare* componi, atque ideo ſonare execrationem, dicare enim eſt ſacrare, conſecrare.

(e) Vipera eſt genus nequiſſimum ſerpentis, ſolet ſignificare diabolum, vel eius miniſtros, aſpis pariter diabolum notat, et plurimum habet veneni, vnde patet, quam peruerſos eſſe cenſuerit Synodus Urſacium, et Valentem.

ſeſſo eſt. Neque vnquam Patrem ſine Filio, neque Filium ſine Patre fuiſſe, nec eſſe poſſe, quod eſt Verbum ſine Spiritu. Abſurdiſſimum eſt namque dicere aliquando Patrem non fuiſſe Patrem: et Patrem ſine Filio neque nominari, neque eſſe poſſe ipſe Filius teſtatur: Ego in Patre, et Pater in me, et: Ego, et Pater vnum ſumus, nullus noſtrum negat genitum, ſed genitum ante omnia, quae viſibilia, et inuiſibilia nuncupantur, factorem, et opificem Archangelorum, et Angelorum, et mundi, et humani generis, quoniam ita dicit: Omnium artifex ſapientia docuit me; et: omnia per ipſum facta ſunt. Nam ſemper eſſe non poterat, ſi ſumpſit exordium: iam quod ſemper eſt Verbum initium non habet: DEVS autem nunquam terminum admittit. Non dicimus Patrem Filium eſſe, nec rurſum Filium Patrem eſſe, ſed Pater Pater eſt, et Filius Patris eſt Filius. Confitemur Verbum DEI Patris eſſe, praeter quod aliud non eſt, et Verbum verum DEVM, et ſapientiam, et virtutem, verumque Filium affirmamus. Sed non ſicut ceteri filii appellantur, ita filium dicimus: quia illi aut per hunc (a) regenerationis gratia filii DEI ſunt, aut eo quod digni fiant, vt filii nominentur, non autem ob vnam ſubſtantiam, quae eſt Patris, et Filii. Confitemur item et vnigenitum, et primogenitum: ſed vnigenitum verbum, quod ſemper fuit, et eſt in Patre: primogenitum autem, propter naturam humanam. Differt tamen a communi creatura, (b) quia eſt etiam primogenitus ex mortuis. Confitemur DEVM eſſe: Confitemur vnam Patris, et Filii diuinitatem. Nec quiſquam negat Patrem Filio maiorem, non propter aliam hypoſtaſin, vel propter differentiam, ſed quia ipſum nomen Patris maius eſt, quam Filii. (c) Haec autem illorum eſt impia, et vitioſa interpretatio, qua dictum ab eo contendunt: *Ego et Pater vnum ſumus*, propter conſenſum et concordiam; (d) ſed ſtultam, et abiectam iſtorum ſententiam Catholici omnes improbauimus. Quia ſicut mortales homines ſolent, quum altercari coeperint, infenſis animis diſſidere, ac poſtea reconciliari: ſic diſſidium, ac diſſenſionem inter Patrem Omnipotentem, et Filium incidere poſſe dicunt: quod vel ſuſpicari, aut animo fingere eſt abſurdum. Nos vero et credimus, et affirmamus, et intelligimus diuinam hanc vocem: *Ego, et Pater vnum ſumus*, de vnitate ſubſtantiae; quae in Patre, et Filio vnica eſt, capiendam eſſe. Credimus etiam hunc ſemper, ac ſine initio, et ſine fine regnare cum Patre, regnumque eius nec tempus habere, quo definiatur, nec vnquam deſinere, quia quod ſemper eſt, nec vnquam coepit eſſe, nec deſinere poteſt. Credimus, et mente complectimur paracletum Spiritum Sanctum, quem nobis ipſe Dominus et promiſit, et miſit: et hunc credimus miſſum, ſed is paſſus non eſt, ſed homo, quem aſſumpſit ex Maria Virgine hominem, qui pati poſſet. Quia homo mortalis, DEVS vero immortalis. Credimus tertia die reſurrexiſſe, rexurrexit autem non DEVS in homine, ſed homo, in DEO, quem et Patri ſuo donum obtulit, quemque a peccato, et interitu liberauit. Credimus etiam opportuno, ac definito tempore omnes, et de omnibus iudicaturum. Tanta ſiquidem eorum eſt ſtultitia, et tam denſis tenebris eorum mens obcaecata, vt lucem veritatis cernere nequeant. Nou intelligunt quo ſen-

ſu

(a) Id eſt per merita huius, ac regenerationis gratiam.

(b) Intellige natura humana in Chriſto.

(c) S. Ioannes Damaſcenus de fide orthodoxa lib. 4. c. 19. (mihi) pag. 392. de his, quae de Chriſto dicuntur: „*alia ita efferuntur tanquam de eo, qui Patrem auctorem agnoſcat, vt illud: Pater maior me eſt, ab ipſo quippe habet, tum quod eſt, tum ea omnia, quae habet, quod eſt inquam per generationem, non per creationem, omnia autem habet non per conceſſionem, ſed vt ex cauſa.*

(d) Dicebant enim Ariani Patrem, et Filium vnum eſſe animorum conſenſu, quod inde refellit haec Epiſtola, quod inter Patrem, et Filium diſſenſio locum non habeat, adeoque concordia perperam aſſeratur.

ſu dictum ſit: *vt et ipſi in nobis vnum ſint.* Palam enim eſt cur vnum, quia videlicet Apoſtoli Sanctum DEI Spiritum acceperunt, et tamen ipſi Spiritus non erant, nec vllus eorum aut verbum, aut ſapientia, aut virtus, vel vnigenitus erat. *Sicut Ego*, inquit, *et tu vnum ſumus, ſic et ipſi in Nobis vnum ſint*, ſed et accurate et vox diuina diſtinxit: *In nobis* inquit *vnum ſint.* Non ait: *ſicut Nos vnum ſumus ego, et Pater:* ſed vt diſcipuli in ſemetipſis coniuncti, et copulati vnum ſint fide, et confeſſione, in gratia item, et pietate DEI Patris, et Domini, ac Seruatoris noſtri conceſſione, et charitate vnum eſſe poſſint.

VII.

Epiſtola Concilii Sardicienſis ad Episcopos Aegypti, et Lybiae. Ex Apologia Sancti Athanaſii contra Arianos, editione Congregationis S. Mauri Tom. I. pag. 159.

Sancta Synodus per DEI gratiam Sardicae congregata, iis, qui in Ægypto, et Lybia ſunt, Episcopis, et Comminiſtris dilectis Fratribus in Domino Salutem.

Etiam Veſtrae pietatis litteris nondum acceptis, non ignotum id nobis, ſed exploratum ſuit, execrandae Arianorum haereſis patronos, multa, et atrocia in exitium potius animarum ſuarum, quam in Eccleſiam machinatos eſſe. Haec enim fuit eorum ars, et vafrities, ſemperque huius lethiferi propoſiti fuere, vt omnes vbique Orthodoxos, qui Eccleſiae Catholicae doctrinam retinent, a Patribus ſibi traditam, ſedibus pellere et perſequi ſatagant. Aliis enim ſacta crimina impoſuere, alios in exilium miſere: alios in ipſis ſuppliciis conſecerunt. Certe Fratris noſtri, et Coepiscopi Athanaſii innocentiam vi, et tyrannide circumuenire conati ſunt, quapropter nulla ſedulitate, nulla fide, vel aequitate in eo iudicando ſunt vſi. Ideo diſfiſi iis, quas luſere, ſabulis, atque rumoribus, quos de illo ſparſere: imo animaduertentes ſe non vera poſſe earum rerum proferre argumenta: quum eſſent in Vrbe Sardica, noluerunt ad Synodum Sanctorum omnium Episcoporum accedere. Atque hinc aequitas iudicii Fratris, et Coepiscopi noſtri Iulii liquido apparuit, qui non temerario conſilio, ſed cum debita accuratione ſententiam tulit, adeo vt nihil ſit dubii de communione Fratris noſtri Athanaſii relictum: quippe qui octuaginta Episcopos pro ſe habuerit veraces teſtes. A quo illud quoque cum aequitate actum eſt, quod per dilectos Fratres noſtros Presbyteros ſuos, et per litteras ſuas, Euſebianos non recto iudicio, ſed vi fretos, ſapienter eluſerit. Quapropter omnes vbique Episcopi Athanaſii, vtpote innocentis communionem firmam, ſtatamque fecerunt. Illud quoque veſtra charitas animaduertat, quum ad Sanctam Synodum Sardicae congregatam veniſſet, tunc vti ſupra diximus, Orientales Episcopos, et ſcriptis litteris, et mandatis non ſcriptis, a nobis citatos, vocatosque fuiſſe, vt ſe iudicio ſiſterent; at illi ſua ſeſe damnante conſcientia, turpibus vſi tergiuerſationibus iudicium ſubterfugere coeperunt. Poſtulabant enim, vt innocentem quaſi reum a noſtra communione eiiceremus, non aduertentes, quam indecens, imo potius quam impoſſibile illud eſſet. Quin et monumenta, in Mareote edita a ſceleratiſſimis, et perditiſſimis quibusdam adolescentibus, quibus ne minimum quidem Clericatus gradum quispiam contuliſſet, vna

ſolum e partibus praeſente facta eſſe conſtabat: nam neque Frater noſter Athanaſius, neque Macarius Presbyter ab illis accuſatus, illic adfuerant. Et alioqui eorum inquiſitio, ſeu potius fraudulenta ſubiectio omni turpitudine plena erat: nam quum Ethnici, tum Catechumeni interrogabantur, non vt quae ſcirent dicerent, ſed vt quae ab illis didicerant, falſo proferrent. Siquidem et veſtrum Presbyterorum, qui abſente Epiſcopo rei curam gerebatis, ac voluiſtis quaeſtioni intereſſe, et veritatem pateſacere, mendaciaque refutare, nulla eſt habita ratio: neque enim vos adeſſe conceſſerunt, ſed contumelioſe eiecerunt. Ac licet hinc maxime eorum Sycophantia omnibus comperta ſit, attamen dum monumenta illa legereutur, deprehendimus ipſum ſceleratiſſimum Ischyram, qui vacuo Epiſcopatus nomine in mercedem Sycophantiae ſuae eſt ab illis donatus, calumniam ſuam coarguere. In iiſdem enim monumentis narrabat ipſe Iſchyras ſe, qua hora Macarium in ſuam cellam veniſſe affirmabat, aegrotum iacuiſſe: licet e contra Euſebiani ſcribere auſi ſint Iſchyram, quum Macarius ſuperuenerit, ſtetiſſe, et oblationem feciſſe.

Quin etiam qua poſt vſi ſint Sycophantia, et calumnia omnibus manifeſta eſt. Aiebant enim, et magnis clamoribus affirmabant, caedem Athanaſium perpetraſſe, et Arſenium quemdam Meletianum Epiſcopum occidiſſe, quam rem ſimulato gemitu, et falſis lachrymis deplorabant, poſtulantes viuentis corpus, quaſi is mortuus eſſet, ſibi tradi, ſed non latuit eorum vaſrities: omnibus enim compertum fuit, hominem viuere, et inter viuos numerari, et quum conſpicerent illi ad omne ſcelus prompti viri ſe mendacii conuictos: ipſe enim Arſenius viuus, ſe minime occiſum, aut mortuum eſſe palam fecit: nihilo tamen magis quieuerunt, ſed alias Sycophantias prioribus addendas quaeſiere, vt quibusuis machinis adhibitis hominem denuo calumniarentur. Quid igitur dilecti? nequaquam perterritus eſt Frater noſter Athanaſius, ſed iterum magna vſus fiducia eos in ius prouocabat. Nos quoque rogauimus, vt iudicio ſe ſiſterent, et ſi poſſent hominem conuincerent. O magnam arrogantiam! o ingentem ſuperbiam! aut potius ſi vere dicendum eſt, o malam, et crimine obnoxiam conſcientiam! quod ſane nulli non exploratum eſt.

Quocirca, dilecti Fratres monemus vos, et hortamur, vt prae omnibus rectam Eccleſiae Catholicae fidem retineatis. Multa quidem grauia, et atrocia toleraſtis, multas quoque contumelias, et iniurias ſuſtinuit Catholica Eccleſia: *ſed qui perſeuerauerit vsque finem, hic ſaluus erit.* Quare ſi quid iterum contra vos agrediantur, tribulatio illa gaudii loco vobis ſit, nam iſtiusmodi afflictiones pars ſunt Martyrii, et huiusmodi veſtrae confeſſiones, et tormenta ſua mercede non carebunt: ſed certaminis praemiis a DEO donandi eſtis. Quamobrem pro ſana fide potiſſimum decertate, nec non pro innocentia Athanaſii Epiſcopi veſtri, et Comminiſtri noſtri. Nam neque rem ſilentio praeteriuimus, neque neglegimus, quae veſtrae ſecuritati conducebant. Sed ea curauimus, ea egimus, quae charitatis ratio poſtulat. Fratrum quippe noſtrorum afflictorum vicem dolemus, et illorum afflictiones noſtras arbitramur, et noſtras lachrymas cum veſtris commiſcuimus. Neque vos duntaxat laeſi eſtis Fratres, ſed de iiſdem ipſis complures alii ex Comminiſtris noſtris, huc quum veniſſent, ſuſis lachrymis conqueſti ſunt. Quocirca haec retulimus ad piiſſimos, et DEI amantiſſimos Imperatores, rogantes eorum humanitatem, vt eos, qui adhuc vexantur, et affliguntur, dimitti iubeant, decernantque, vt ne quis Iudicum, quorum officium eſt popularia ſolum curare, Clericos iudicaret, aut vllatenus impoſterum occaſione

ſione curandarum Eccleſiarum, aduerſus Fratres quiduis moliatur. Sed vt quisque citra perſecutionem, aut vim, vel fraudem pro voto, et voluntate ſua vitam agat, ac cum quiete, et pace Catholicam, et Apoſtolicam ſectetur fidem. Porro veſtram vnanimitatem monitam volumus, Georgium, qui dicitur praeter ius, fasque ab haereticis ordinatus, et in veſtram Vrbem ab illis miſſus, Vniuerſae Sacrae Synodi iudicio damnatum, depoſitumque fuiſſe, tametſi reuera nunquam is vt Episcopus habitus ſit. Veſtrum igitur Episcopum Athanaſium redeuntem cum gaudio recipiatis, ideo enim illum cum pace dimiſimus. Vnde hortamur omnes, qui vel metu, vel quorundam dolo circumuenti cum Georgio communicarunt, vt iam moniti, et excitati, nobis morem gerentes, a deteſtanda eius communione deſiſtant, ac deinceps ſeſe Eccleſiae Catholicae coniungant. Quaenam autem a Sancta Synodo decreta ſint contra Theodorum, Narciſſum, Stephanum, Acacium, Menophantum, Urſacium, Valentem, et Georgium, Arianae haereſeos praefectos, qui et in vos, et in alias Eccleſias debachati ſunt, ex iis quae ſubiuncta ſunt, cognoscetis. Ea enim ad vos miſimus, vt veſtra pietas decretis noſtris ſuffragetur, et hinc notum ſit vobis Eccleſiam Catholicam non diſſimulanter agere cum iis, qui in ſe ſcelera perpetrarint.

II.
POENITENTIA URSACII, ET VALENTIS ANNO CHRISTI CCCXLIX.



I.

Libellus Urſacii, et Valentis Iulio Papae exhibitus, ex S. Hilarii Fragmentis col. 1297. *frag. II.*

Exemplum Epiſtolae, quam *(a)* poſt renunciationem *(b)* Orientalium, Athanasium reum non eſſe, in Vrbe Roma holographa manu Valens perſcripſit, et Urſacius ſubſcripſit.

Domino Beatiſſimo Papae Iulio Valens et Urſacius S.

Quoniam conſtat, nos antehac multa grauia de nomine Athanaſii Epi-

ſcopi

(a) De hac et ſubſequa Epiſtola ita ait S. Athanaſius: *Urſacius, et Valens ſua ſe damnante conſcientia Romam ſunt profecti, peccatumque ſuum poenitentia ducti confeſſi ſunt, ac veniam poſtularunt, Iulioque Romae veteris Episcopo, itemque nobis haec ſcripſerunt; quorum exemplaria mihi ſunt a Paulo Treuirorum Episcopo transmiſſa.* Apud S. Hilarium poſt recitatam epiſtolam ſubiungitur: *Haec epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quam haereſis Photini a Romanis damnata eſt.*

(b) *Renunciatio* hic procul dubio declarationem ſententiae ſignificat.

ſcopi litteris noſtris inſinuaſſe, atque litteris Sanctitatis Tuae conuenti, eius rei de qua ſignificauimus, non praeſtitiſſe rationem: (a) profitemur apud Sanctitatem tuam cunctis praeſentibus Presbyteris Fratribus noſtris, omnia, quae antehac ad aures veſtras peruenerunt de nomine praedicti, falſa a nobis eſſe inſinuata, atque omnibus viribus carere: atque ideo nos libentiſſime amplecti communionem praedicti Athanaſii, maxime quum Sanctitas Tua pro inſita ſibi beneuolentia, errori noſtro veniam fuerit dare dignata. Profitemur etiam, quod ſi aliquando nos Orientales voluerint, vel idem Athanaſius malo animo ad cauſam vocare, citra conſcientiam tuam non adfuturos. Haereticum vero Arium, ſed et ſatellites (b) eius, qui dicunt: erat tempus, quando non erat filius, et qui dicunt ex nihilo filium, et qui negant DEI Filium ante ſecula fuiſſe, ſicut per priorem libellum noſtrum, quem apud Mediolanum porreximus, et nunc, et ſemper anathematizaſſe, hac manu noſtra, qua ſcripſimus, profitemur: et iterum dicimus, haereſim Arianam vt ſuperius diximus, et eius autores in perpetuum damnaſſe. Et manu Urſacii: Ego Urſacius Epiſcopus huic profeſſioni noſtrae ſubſcripſi.

II.

Exemplum alterius Epiſtolae Urſacii, et Valentis ad Athanaſium eo quidem anno, ſed aliquanto tardius datae. Ex S. Hilarii fragmen. col. 1298. *Haec Epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quam haereſis Photini a Romanis damnata fuit.*

Domino (c) Fratri Athanaſio Urſacius et Valens.

Dedit ſe occaſio Fratris, et Compresbyteri noſtri Moyſetis (d) venientis ad tuam dilectionem Frater chariſſime, per quem tibi ſalutem largiſſimam dicimus ex Aquileienſium ciuitate, et optamus, vt incolumis litteras noſtras recenſeas. (e) Dederis enim fiduciam, ſi tu quoque in reſcribendo vicem nobis rependas. Sane habere nos locum tecum, et communionem Eccleſiaſticam his litteris ſcito. Diuina pietas te cuſtodiat Frater.

III.

(a) Rationem praeſtare idem eſt, ac probam, argumentum praeſtare. Hinc *rationator* olim aduocatus erat.

(b) Nouimus Conſtantium fuiſſe vocatum Satellitem Arii; licet Satellites apparitores ſint, et percuſſores a ſatisfaciendo dicti, exiſtimo tamen Satellites dici aſſeclas, nomine e ſiderum ſcientia deprompto. Ceterum *Satelles* Papiae dicitur, *qui adhaeret alteri.*

(c) Apud Athanaſium in graeco habetur: *Domino fratri Athanaſio Epiſcopo Urſacius et Valens Epiſcopi.* In Latina verſione additur: *Domino, et Fratri.*

(d) Hic Moyſes Epiſcopus fuerit, ideo Compresbyterum vocant.

(e) *Recenſere* Papiae eſt recognoſcere.

Digitized by Google

III.
SYNODVS SIRMIENSIS, AB CATHOLICIS CONTRA PHOTINVM
celebrata Anno Aerae Chriſtianae CCCXLIX, et a S. Hilario in Libro de Synodis aduerſus Arianos relata.



I.
Exemplum Fidei Sirmii ab Occidentalibus contra Photinum conſcriptae.

Credimus in vnum DEVM Patrem Omnipotentem, Creatorem, et Conditorem, ex quo omnis paternitas in coelo, et in terris nominatur. Credimus et in vnicum Filium Eius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ante omnia ſecula ex Patre natus eſt, DEVM ex DEO, Lumen ex Lumine, per quem facta ſunt omnia in coelis, et in terra' viſibilia, et inuiſibilia. Qui et eſt Verbum, et Sapientia, et Vita, et Lumen verum, qui in nouiſſimis diebus propter nos incorporatus eſt, et natus de Sancta Virgine, et crucifixus, et mortuus, et ſepultus, qui et reſurrexit ex mortuis tertia die, et aſcendit in coelum, et ſedet in dextera Patris, et venturus eſt in conſumatione ſeculi iudicare viuos, et mortuos, et reddere vnicuique ſecundum opera ſua, cuiusque Regnum ſine fine perſeuerans permanet in aeterna ſecula. Erit enim ſedens in dextera non ſolum in hoc ſeculo, verum etiam in futuro. Et in Spiritum Sanctum, id eſt Paracletum, quem promittens Apoſtolis, poſteaquam coelum aſcendit, miſit docere eos, et commonere omnia, per quem et ſanctificantur credeutium in eum ſinceriter animae. Eos autem, qui dicunt, de nullis extantibus eſt Filius, vel de alia ſubſtantia, et non ex DEO, et quod erat tempus, vel ſeculum, quando non erat, alienos ſcit Sancta, et Catholica Eccleſia. Si quis autem Patrem, et Filium duos dicit DEOS (a) anathema ſit, et ſi quis vnum dicens DEVM, Chriſtum autem DEVM ante ſecula Filium DEI obſecutum Patri in creatione omnium (b) non confitetur, anathema ſit. Et ſi quis innaſcibilem DEVM (c) vel Patrem eius de Maria natum eſſe audeat dicere, anathema ſit. Et ſi quis ſecundum praeſcientiam, vel praedeſtinationem ex Maria dicit Filium (d) eſſe, et non ante ſecu- la

(a) Haec erat calumnia Arianorum.

(b) Videtur reſpici ad illud Gen: *faciamus hominem.*

(c) Id eſt Patrem, ſiue ingenitum,

(d) Impie ludebant aliqui dicentes teſte S. Hilario, quod per praeſcientiam Patris, qui eum praedeſtinauit, vt eſſet aliquando ſcilicet gignegus, dicatur natus ex B. Virgine Maria.

la ex Patre natum apud DEVM eſſe, et per eum facta fuiſſe omnia: anathema ſit. Si quis ſubſtantiam DEI dilatari, et contrahi dicit, anathema ſit. Si quis dilatatam ſubſtantiam DEI Filium dicat facere, aut latitudinem ſubſtantiae eius, ſicuti ſibi videtur, filium nominet, anathema ſit.

Si quis inſitum, vel prolatiuum Verbum DEI Filium dicat *(a)* anathema ſit. Si quis hominum ſalutem dicit de Maria. Filium, anathema ſic. Si quis DEVM, et hominem de Maria natum dicens, DEVM innaſcibilem ſic intelligit, *(b)* anathema ſit. Si quis *Verbum caro factum eſt* audiens, verbum in carnem translatum putet, vel demutationem ſuſtinentem accepiſſe carnem dicit, anathema ſit. Si quis vnicum Filium DEI crucifixum audiens, Deitatem eius, corruptionem, vel paſſibilitatem, aut demutationem, vel diminutionem, vel interfectionem ſuſtinuiſſe dicat, anathema ſit. Si quis *faciamus hominem* non Patrem ad Filium dixiſſe, ſed ipſum ad ſemetipſum dicat DEVM locutum, anathema ſit. Si quis cum Iacobo non Filium quaſi hominem colluctatum, ſed DEVM innaſcibilem, vel Patrem eius dicat, anathema ſit. Si quis *pluit Dominus a Domino* non de Filio, et Patre intelligat, ſed ipſum a ſe dicat pluiſſe, anathema ſit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre. Si quis Dominum, et Dominum, Patrem, et Filium, quaſi Dominum a Domino intelligat, quia Dominum, et Dominum duos dicat DEOS: anathema ſit. Non enim exaequamus, vel conformamus *(c)* Filium Patri, ſed ſubiectum intelligimus. Neque enim deſcendit in Sodomam ſine Patris voluntate, neque pluit ex ſe, ſed a Domino, autoritate ſcilicet Patris, nec ſedet in dextera a ſemet ipſo, ſed audit dicentem Patrem: ſede ad dexteram meam. Si quis Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum vnam perſonam dicat, anathema ſit. Si quis, ſicut docuit nos Dominus, non alium dicat Paracletum a Filio, dixit enim: Et alterum Paracletum mittet vobis Pater, quem rogabo eum, anathema ſit. Si quis Spiritum Sanctum dicat Patrem Patris, vel Filii, anathema ſit. Si quis Patrem, et Filium, et Spiritum ſanctum tres dicat DEOS, anathema ſit. Si quis quod dictum eſt: Ego DEVS primus, et ego DEVS nouiſſi-

mus,

(a) Quid tibi velit canon iſte, docet S. Hilarius loco citato, dicebat nimirum Arius Deo Patri iſtiusmodi eſſe Verbum Filium, quemadmodum per inſitam nobis loquendi naturam verbum omne profertur in vocem.

(b) *Innaſcibilem*, id eſt ingenitum Patrem, Pater eſt enim ingenitus, Filius vnigenitus, Spiritus Sanctus procedens.

(c) Hic difficillimus locus eſt, vtpote aequalitatem Filio Dei denegans, et eius erga Patrem ſubiectionem adſtruens; excuſari tamen poteſt: Vnum enim dictum eſt ad pluralitatem Deorum excludendam: alterum proprietates perſonales conſubſtantialitatem Verbi non deſtruere docet. Sed haec ex S. Hilario libro de Synodis aduerſus haereſes efficacius explicabimus. Ait is itaque: *Et ſuperiora, et conſequentia ſuſpicionem, ſi quae eſſe in his dictis videbitur, penitus excludunt, ne diuerſitas diſſimilium Deitatum in Domino; et Domino praedicetur, et in eo non comparatur; quia duos Deos dicere impium ſit. Non autem idcirco non comparatur, vel exaequatur Filius Patri, ne Deus ipſe non eſſe credatur. Quum enim anathema ſit Chriſtum Deum denegans, non poteſt idcirco profanum videri, duos Deos cognominari, ne et Chriſtus Deus praedicetur, cum per eſſentiae naturalis proprietatem, idcirco Deus vnus eſt, qui ex innaſcibili Deo Patre, qui vnus eſt Deus, vnigenitus Filius Deus natus, non aliunde, quam ex Deo habeat eſſe, quod Deus eſt, et indifferenti ipſi, qui genitus eſt, ab eo, qui genuit, eſſentia non potuit eſſe; Nam indifferentis vnum nomen eſt naturae, et vel in eo quidem maxime non comparatur, nec coaequatur Filius Patri, dum ſubditus per obedientiae obſequelam eſt, dum pluit Dominus a Domino, ne a ſe ipse ſecundum Photinum, aut Sabellium pluerit, vt Dominus a Domino, dum ad dextram Dei tum conſedit, quum ſibi, vt conſideret, dictum ſit, dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntatem eius. qui ſe miſit, obſequitur. Sed pietatis ſubiectio non eſt eſſentiae diminutio, nec Religionis officium degenerem facit naturam: quum per id, quod vnum et innaſcibilis Pater Deus eſt, et vnigenitus Filius Dei Deus eſt, Deus tamen vnus ſit; et ſubiectio Filii doceatur, et dignitas; dum ei ipſi non niſi Filius nuncupandus ſubiicitur. Quod Dei Patris ſit, tamen ſibi ex natura ſit, nomen habens alienum, ſed eius, cuius et Filius eſt, vt ſit Patri, et obſequio ſubiectus, et nomine; ita tamen ſubiectio nominis proprietatem naturalis, atque indifferentis teſtetur eſſentiae.*

mus, et praeter me non eſt DEVS: ad deſtructionem Idolorum dictum, et eorum, qui non ſunt Dii: in deſtructionem vnici ante ſecula DEI Iudaice dictum intelligat, anathema ſit. Si quis voluntate DEI, tanquam vnum aliquem de creatura factum dicat Filium, anathema ſit. Si quis nolente Patre natum dicat Filium, anathema ſit. Non enim coactus Pater, vel naturali neceſſitate ductus quum nollet, genuit Filium: ſed mox vt voluit ſine tempore, et impaſſibiliter ex ſe eum genuit, demonſtrauit. Si quis innaſcibilem *(a)* et ſine initio dicat Filium, tanquam duo ſine principio, et duo innaſcibilia, et duo innata dicens, duos faciat DEOS, anathema ſit. Caput enim, quod eſt principium omnium, Filius, caput autem, quod eſt principium Chriſti, DEVS; ita enim ad vnum, qui eſt ſine principio omnium principium, per Filium vniuerſa referimus. Et iterum confirmantes Chriſtianiſſimi intellectum ducimus; Quoniam ſi quis Chriſtum DEVM Filium DEI ante ſecula ſubſiſtentem, et miniſtrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat, ſed ex quo de Maria natus eſt, ex eo et Chriſtum, et Filium nominatum eſſe, et initium accepiſſe, vt ſit DEVS, dicat, anathema ſit.

II.

Synodus Sirmienſis e Libello Synodico Nr. L.

Quum autem Magnentius ſeditionem mouiſſet, et beatum Conſtantem percuſſiſſet: ea re cognita Conſtantius Gallum quidem Fratrem Iuliani apoſtatae, Coeſarem deſignatum Orientis curam iuſſit gerere, ipſe autem maximo cum exercitu per Europam peragrauit, hoſtes ſubigens, et Eccleſiis turbas inferens haud paruas. Vnde et Synodum maudat haereticam in Sirmio congregari, praetextu quidem Photini Epiſcopi illius loci, qui *Homini-cultor* eſſet, et inſipiens: reuera autem contra diuinum Symbolum, et Athanaſium generoſa mente praeditum. Ea definitionem fidei expoſuit impiam, quae vetaret naturam, aut ſubſtantiam de DEO praedicari. Definitionem illam aiunt ſub Iuliano apoſtata, a Marco Arethuſio compoſitam eſſe, qui ab Arethuſiis multa perpeſſus ſit propter Dominum ſub Iuliano apoſtata. Ita carnes *(b)* *beatas* ſimul, et *miſeras* Theologus dixit Gregorius.

III.

Sirmienſis Fidei Confeſſio.

A Marco Arethuſio Epiſcopo graece conſcripta. *(c)*

Credimus in vnum DEVM Patrem Omnipotentem, Creatorem, et factorem omnium, ex quo omnis paternitas in coelo, et in terra nominatur. Et in vnigenitum eius Filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ante omnia ſecula ex Patre genitum, DEVM ex DEO, lumen de lumine, per quem omnia in coelis, et in terra facta ſunt, tam inuiſibilia, quam viſibilia: eundemque Verbum eſſe, et ſapientiam, lucem veram, et vitam, et vltimis diebus hominem factum, natumque ex Sancta Virgine, crucifixum, et mortuum, et ſepultum eſſe, et reſurrexiſſe e mortuis tertia die, et aſſumptum in coelos eſſe, ſedereque ad dexteram Patris, venturumque in conſummatione ſe-

 culi,

(a) Duo hoc loco mente retinenda ſunt, quod nimirum Pater ſit ingenitus, et Filio non aliud, niſi originem a principio adſtruamus.

(b) *Beatas* ob confeſſionem rectae fidei ſub Iuliano; *miſeras*, quia confeſſionem deinceps non tenuit, ſed impie deſeruit.

(c) De hac Socrates: *Vnam quidem Attica lingua Marcus edidit Arethuſae, ſed cum Romana lingua concordiam non habentem, neque ſermone, neque compoſitione, ſed nec ipſi graecitati conuenientem.*

culi, vt iudicet viuos, et mortuos, reddatque vnicuique ſecundum opera ſua, cuius regnum indeſinens permanebit in infinitas aetates; ſedet enim ad dexteram Patris non ſolum in hoc ſeculo, ſed in futuro. Et in Spiritum Sanctum, hoc eſt Paracletum, quem promiſſum Apoſtolis poſt ascenſum in coelos miſit, vt doceret eos, et commonefaceret omnium, per quem omnes animae, quae in eum ſinceriter credunt, ſanctificantur.

1. Eos porro qui dicunt: ex non ente, aut alio ſubſiſtente, et non DEVM ex DEO Filium extitiſſe, aut quod tempus, aut aetas fuit, quando ille non erat, alienos a ſe cenſet Sancta, et Catholica Eccleſia.

2. Iterum ergo dicimus: Si quis Patrem, et Filium duos DEOS opinetur, anathema eſto.

3. Item ſi quis dicens DEVM Chriſtum eſſe, ſed eum ante ſecula Filium DEI, et adminiſtrum Patri ad vniuerſitatis creationem non fuiſſe confiteatur, anathema eſto.

4. Si quis eum, qui ingenitus eſt, aut Patrem eius ex Maria natum auſit dicere, anathema eſto.

5. Si quis Filium ante Mariam, ſed ſecundum praecognitionem fuiſſe dicat, ac non potius ante ſecula ex DEO genitum, apud DEVM fuiſſe, et per eum omnia facta eſſe, anathema eſto.

6. Si quis ſubſtantiam DEI dilatari, aut contrahi loquatur, anathema eſto.

7. Si quis dilatatam ſubſtantiam Filium efficere dicat, aut dilatationem ſubſtantiae DEI Filium nominet, anathema eſto.

8. Si quis inſitum, et prolatitium Verbum Filium DEI dicat, anathema eſto.

9. Si quis merum hominem ex Maria natum eſſe dicat, anathema eſto.

10. Si quis haec verba: Ego ſum DEVS primus, Ego quoque poſtea, et praeter me non eſt DEVS, quae ad ſubuerſionem Idolorum dicta ſunt, ad ſubuerſionem vnigeniti ante ſecula DEI Iudaice accipiat, anathema eſto.

11. Si quis hoc dictum: Verbum caro factum eſt, audiens, Verbum in carnem mutatum eſſe opinetur, aut poſtquam conuerſionem paſſum eſſet, carnem aſſumpſiſſe dicat, anathema eſto.

12. Si quis vnigenitum Filium DEI crucifixum audiens, Deitatem eius corruptionem, paſſionem, mutationem, diminutionem, aut extinctionem ſuſtinuiſſe dicat, anathema eſto.

13. Si quis hoc dictum: „Faciamus hominem„ non Patrem ad Filium, ſed DEVM ſecum loqui affirmet, anathema eſto.

14. Si quis Abraham non Filium, ſed ingenitum DEVM, aut Patrem eius vidiſſe aſſeueret, anathema eſto.

15. Si quis cum Iacob non Filium colluctatum fuiſſe dicat, ſed ingenitum DEVM, aut Patrem eius, anathema eſto.

16. Si quis hoc dictum: „pluit Dominus ignem a Domino„ non de Patre et Filio accipiat, ſed ipſum a ſe ipſo pluiſſe dicat, anathema eſto. Pluit enim Filius Dominus a Domino Patre.

17. Si quis audiens Dominum Patrem, Dominum item Filium, eo quod Dominus ex Domino ſit, duo numina exiſtimet, anathema eſto. Non autem eiusdem ordinis Patrem, et Filium, ſed Filium Patri ſubiectum arbitramur. Neque enim ille Sodomam ſine conſilio Patris descendit, neque a ſe pluit, quum penes Patrem authoritas ſit, neque ex ſe habeat, quod ſedet ad dexteram Patris, ſed auſcultet Patri ita loquenti: ſede a dexteris meis, anathema eſto.

18. Si quis Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, vnam perſonam eſſe dicat, anathema eſto.

19. Si quis Spiritum Sanctum Paracletum nominans, ingenitum dicat DEVM, anathema eſto.

20. Si

20. Si quis, vt docuit Dominus, non alium adhuc nominet Paracletum, praeter Filium, dixit enim: et alium paracletum mittet vobis, quem ego rogabo, anathema eſto.

21. Si quis Spiritum Sanctum partem aliquam dicat Patris, aut Filii, anathema eſto.

22. Si quis Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum tres DEOS appellet, anathema eſto.

23. Si quis voluntate DEI Filium DEI ita extitiſſe dicat, vt aliquid quod conditum eſt, anathema eſto.

24. Si quis nolente Patre Filium genitum eſſe dicat, non enim Pater coactus neceſſitate Filium, quem noluit, genuit; ſed ſtatim vbi voluit, ſine tempore, et paſſione eum ex ſe genitum edidit, anathema eſto.

25. Si quis ingenitum, et ſine origine Filium nominat eo animo, vt duo ingenita, et inoriginata, et duos DEOS ſtatuere velit, anathema eſto. Caput enim, et Principium omnium Filius eſt: Caput vero, et principium Chriſti DEVS: ita enim ad vnum principium vniuerſitatis nullo initio inchoatum, per Filium pie omnia reducimus.

26. Iterumque exacte tradentes Chriſtianiſſimi ſenſum dicimus: Si quis Chriſtum DEVM Filium DEI ante ſecula, adminiſtrumque ad vniuerſitatis opificium fuiſſe negat, ſed ex quo tempore e Maria genitus eſt, Chriſtum, et Filium appellatum fuiſſe, et principium ſuae Deitatis tum accepiſſe dicat, anathema eſto, quemadmodum Paulus Samoſatenſis: vt habetur in graeco.



IV.
SYNODVS ILLYRICA,
ſeu
Sirmienſis Anno Chriſti CCCLXVIII.

I.
Epiſtola Synodica Damasi Papae ad Synodum Illyricam.

Damaſus, et ceteri Epiſcopi Romae congregati, dilectiſſimis Fratribus in Illyrico conſtitutis Epiſcopis in Domino Salutem.

Credimus Sanctam Fidem veſtram in Apoſtolorum eruditione fundatam, hanc vos tenere, et hanc Populis vniuerſis exponere, quae videlicet a conſtitutis Patrum nulla ratione diſſentit, per quos iuſtum eſt ceteros erudiri; ſed relatione Gallicanorum, et Veneto-

Digitized by Google

rum Fratrum quoſdam haereſibus fauere cognouimus. Quod malum non ſolum cauere debent Epiſcopi, ſed etiam reluctari contra ea, quae geſta ſunt imperitia, aut ſimplicitate quorundam, prauis interpraetationibus deceptorum. Variis ergo doctrinis non decet labefactari, ſed magis Patrum noſtrorum corroborari ſententiis. Auxentium ergo Mediolanenſem praecipue in hac cauſa damnatum eſſe liquet. Vnde iuſtum eſt, omnes in vniuerſo Romanorum orbe Doctores legis, ea, quae legis ſunt, ſapere, et non fidem doctrinis variis maculare. Itaque dum primum haereticorum coepiſſet nequitia pullulare, ſicut etiam nunc blaſphemia nefandorum Arianorum, tunc Patres noſtri, trecenti decem et octo Epiſcopi, habito tractatu in Vrbe Nicaena, hunc murum fortiſſimum contra arma diabolica ſtatuerunt, et hoc remedio venena mortifera ſunt depulſa; vt Pater, et Filius vnius virtutis, vniusque magnitudinis debeat credi, vniusque eſſentiae, ſiue ſubſtantiae, ſimul et Spiritus Sanctus. Aliter enim ſapientes alienos eſſe a noſtra communione indicauerunt. Quem terminum ſalutarem, adorabilemque deliberationem corrumpere quidam aliis cogitationibus, atque temerare voluerunt. Sed in ipſo principio, ab his ipſis, qui in Arimino renocare, aut retractare compellebantur, vsque ad hoc cauſa correcta eſt, vt confiterentur alia ſibi circumuentione ſubreptum; aut certe quia non intellexerunt Patrum ſententiae in Nicaea conſtitutae hoc eſſe contrarium. Neque enim praeiudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum: quando conſtat, neque Romanum Epiſcopum, cuius ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium, qui tantis annis Epiſcopatum inuiolabiliter cuſtodiuit; neque alios talibus praebuiſſe conſenſum: maxime dum (ſicuti praediximus) iſti ipſi, qui per circumuentionem declinaſſe videbantur, ipſi denuo vtentes meliori conſilio haec ſibi diſplicere teſtati ſunt. Perſpicit itaque veſtra ſalubritas, hanc ſolam Fidem, quae Nicaeae Apoſtolorum auctoritate fundata eſt, eſſe perpetua firmitate ſeruandam: et ſimul Orientales hoc facere nobiſcum, qui ſe Catholicos eſſe cognoſcunt, Occidentales etiam gloriari. Credimus autem languentes in iſto conamine, non tarde a noſtra ſeparandos eſſe communione, et ab eis Epiſcopatus nomen auferri, quatenus populi eorum liberati errore reſpirent. Nullo enim modo a deceptione poterunt corrigere populum, qui deceptionis laqueo detinentur. Concordet cum omnibus DEI Sacerdotibus etiam charitatis veſtrae ſententia, in qua vos fixos, ac firmos exiſtere indicauimus. Si ergo etiam nos vobiſcum recte credere debemus, veſtrae nos charitatis litteris laetificate reciprocis. Valete Fratres chariſſimi. Data decimo ſeptimo Kalendas Nouembris, Siricio, et Ardabure viris Clariſſimis Conſulibus. *(a)*

II.

Libellus Synodicus de Orthodoxa Fide ad Synodum Aſianam.

Epiſcopi Illyrici, Epiſcopis Eccleſiarum Dei Dioeceſeos *(b)* Aſianae, Phrygiae, Cataphrygiae, Pacatianae in Domino Salutem.

Conuenientibus nobis in vnum, et habita maxima quaeſtione de ſalutari verbo,

(a) Hi Conſules tardius additi ſunt.

(b) Inferius plura de Dioeceſibus dicemus in epiſtolam Eugenii II. peculiari quodam modo vindicauit ſibi nomen Dioeceſeos Prouincia Aſiae.

verbo, probauimus conſubſtantialem eſſe Patri Trinitatem Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Quamobrem iuſtum fuit vobis litteras deſtinare, non quibusdam argumentationibus Religionem Trinitatis ſcribentes, ſed in humilitate rogantes. Has noſtras litteras deſtinauimus per dulciſſimum Fratrem, et Conſacerdotem noſtrum Elpidium Presbyterum. In praeſentibus itaque litteris noſtris quaſi illud refertur, quod in Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti libris adſcriptum eſt; Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae. Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Et quidem ſufficiebant humilitati noſtrae, etiamſi non vobis vniuerſales litteras mitteremus propter timorem tantum, quem ibi praedicatis cunctae veſtrae Prouinciae a Patre, et Filio Spiritum Sanctum diuidentes. Quam ob rem neceſſarium habuimus ad vos deſtinare Dominum noſtrum, et Comminiſtrum Elpidium a Regio Principatu Romanorum has litteras deferentem, vt ſi forte talis eſt praedicatio veſtra, cognoſcat. Qui enim conſubſtantialem Trinitatem non praedicant, anathema ſint. Et ſi quis his communicans inuenitur, anathema ſit. His autem, qui conſubſtantialem praedicant Trinitatem, praeparata ſunt regna coelorum. Rogamus ergo vos Fratres, vt non aliud doceatis, non aliud innouetis, ſed conſubſtantialem ſemper, et vbique praedicantes Trinitatem, poſſidebitis Regnum DEI.

Ob hoc ſcribentes, et communicantes has litteras deſtinauimus. De Epiſcopis autem conſtituendis, vel Comminiſtris iam conſtitutis, ſi permanſerint vsque ad finem ſani, bene: alioquin ex ipſo Presbyterio repellantur. Similiter Presbyteros, atque Diaconos in Sacerdotali ordine definiuimus, vt ſint irreprehenſibiles vndique, et a Curia (a) et ab officio militari. Propterea ergo hoc noluimus pluribus verbis ſcribere eo, quod miſerimus vnum ex omnibus Dominum noſtrum, et Comminiſtrum Elpidium, ſtudioſe praedicationem veſtram cogniturum, an ita ſe habeat, ſicut audiuimus a Domino noſtro, et Conſacerdote Euſtathio. Poſthac licet in errore fueritis, deponentes veterem hominem, induimini nouo. Nam et ipſe Frater, et Comminiſter Elpidius docebit vos veram praedicare fidem, quia Sancta Trinitas conſubſtantialis DEO, et Patri, et Filio, cum Spiritu Sancto ſanctificata, glorificata, manifeſtata eſt. Pater in Filio, Filius in Patre cum Sancto Spiritu in ſecula. Hoc itaque declarato aperte poterimus Sanctam Trinitatem confiteri conſubſtantialem eſſe, ſecundum fidem olim in Nicaea expoſitam, quam Patres confirmauerunt. Qua fide praedicata, poterimus erroneum daemonem declinare. Quo extincto pacificos nosmetipſos litteris degentes in pace ſalutabimus. Scripſimus itaque vobis, vt noueritis Arianos eſſe condemnatos, volentes confiteri, ex Patris ſubſtantia Filium, et Spiritum Sanctum. Quorum nomina ſunt ſubiecta: Polychronius, Telemachus, Fauſtus, Aſclepiades, Amantivs, Cleopater. Haec ergo ita ſe habent in gloria Patris, et Filii, et Spiritus Sancti in ſecula ſeculorum Amen. Valere vos optamus Patri, et Filio Saluatori Chriſto cum Sancto Spiritu multis annorum curriculis.

 III.

(a) Reprehenſibiles videbantur a Curia et Militia, quum tales ad Epiſcopatum cito aſſumi Eccleſiaſtica vetaret conſuetudo. Vide, quae diximus in Recenſione.

III.

Sacrum Valentis et Valentiniani Imperatorum Edictum pro Concilio Illyrico.

Imperatores Max. ſemper Auguſt. Victores Auguſt. Valentinianus, Valens, et Gratianus, Epiſcopis Dioeceſeos Aſiae, Phrygiae, Cataphrygiae, Pacatianae in Domino Salutem.

Vbi frequenti in Concilio in Illyrico coacto multum in vtramque partem de ſalutari DEI verbo diſceptatum erat, Beatiſſimi Epiſcopi, Trinitatem conſubſtantialem eſſe, hoc eſt: Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, certis rationibus oſtenderunt. A qua fide ne digitum quidem, vt aiunt, deflectentes, debito cultu Religionem praepotentis Regis proſequuntur. Quam etiam noſtra Celſitudo paſſim praedicari mandauit. Attamen non eſt haec cauſa, cur quidam dicant ſe Religionem ſequi Imperatoris, qui hunc mundum gubernat, neglecto ſcilicet illius mandato, qui nobis de ſalute noſtra praecepta dat. Eſt enim praeceptum Euangelii DEI noſtri, qui hanc habet, velut ratam, definitamque ſententiam: Reddite quae ſunt Coeſaris, Coeſari, et quae ſunt DEI, DEO. Quid ergo vos dicitis Epiſcopi, et Verbi ſalutaris Antiſtites? Quod ſi vos eadem decernitis, tum certo vos mutuo ipſi complectimini; et Imperatoria Celſitudine nolite abuti. Nolite perſequi veros DEI Miniſtros, quorum precibus et bella ſedantur in terra, et incurſiones Angelorum, qui a DEO deſciuerunt, arcentur. Qui etiam orando peſtiferos daemones repellere nituntur: qui vectigalia, vti leges poſtulant, penſitare non recuſant: qui poteſtati Imperatoriae non refragantur: ſed ſancte, et ſincere tum mandatum praepotentis Regis DEI obſeruant, tum noſtris legibus obſequuntur. At conſtat vos obſtinate his rebus reſtitiſſe. Nos patientia ſemper a principio vſque ad finem vſi ſumus. Vos contra animi veſtri impotentiae obſecuti eſtis: ſed nos a veſtra culpa volumus eſſe vacui, et puri, non aliter atque Pilatus, qui, quum de Chriſto iam tum inter nos vitam agente haberetur quaeſtio, noluit eum interficere: et rogatus a Iudaeis, vt cruci affigeretur, ſe conuertere ad Orientem, petere aquam manibus, easque lauare coepit, ſimul haec locutus: Innocens ſum a ſauguine Iuſti huius. Ob quam cauſam noſtra Celſitudo ſemper iſtud imperauit, ne quis perſequatur, ne quis quem ſubmergat, vocetue in inuidiam Chriſti agricolas, neue procuratores Summi Regis exagitet, ne regnantibus nunc nobis nihil hinc emolumenti conſecuti, poſtea vna cum ſceleris exhortatore in ea, quae teſtamenti ipſius ſunt damna, incurratis, id, quod in Zachariae ſanguine eueniebat. Nam funeſti illi perinde, ac peſtifer daemon, qui caedis illis ſocius erat, mortis ſupplicio traditi, adueniente coelitus Rege noſtro Ieſu Chriſto disrupti perierunt.

Iſtud mandatum dedimus praeſentibus, audientibusque ea, quae facta ſunt, Amegetio, Coronio, Damaſco, Lampone, et Brinteſio. Porro ipſa acta ad vos miſimus, vt intelligatis, quae hoc praeclarum Concilium decreuerit. Nam his litteris attexuimus Decreta Concilii, quae ſummatim complectuntur iſta: Sententiam magni, et Orthodoxi Concilii Nicaeni ſequentes confitemur Filium Patri conſubſtantialem eſſe. Neque certe ita intelligimus conſubſtantialem, vti quidam olim exponebant, qui non ſincere

cere, et ex animo Concilio Nicaeno ſubſcripſerunt: neque vt alii, qui hoc tempore illos appellant Patres, et vim huius Verbi conſubſtantialis tollunt, ſequunturque opinionem eorum, qui tradiderunt per hanc vocem: *Conſubſtantialem* nihil aliud ſignificari, quam ſimilem: per quam Filius nulli creaturae, per ſeipſum conditae, ſed ſoli Patri ſimilis oſtenditur. Qui iſta tradunt, Filium DEI nihil aliud, quam creaturam eximiam eſſe impie plane definiunt. Nos autem non aliter ſentimus, atque duo Concilia, quorum alterum iam Romae, alterum habetur in Gallia, nimirum vnam eandemque eſſentiam eſſe Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, in tribus perſonis, hoc eſt in tribus perfectis, vt Graeci loquuntur, ὑποστάσεσι. Confitemur item, vt eſt in Fidei formula Nicaeae edita, conſubſtantialem DEI Patris Filium carnem ſumpſiſſe ex Sancta Virgine, inter homines habitaſſe, impleuiſſe omnem pro nobis oeconomiam, naſcendo, patiendo, reſurgendo, et in coelos aſcendendo: venturum quoque denuo, vt in die iudicii, prout quisque ſe geſſit in vita, reddat cuique, carni vniuerſae viſum fore, Diuinam ſuam demonſtraturum potentiam, DEVM carne indutum, non hominem indutum Diuinitate. Illis autem, qui contraria ſentiunt, anathema denuntiamus. Pari ratione his, qui non ingenue dicunt anathema ei, qui aſſerit Filium non ante fuiſſe, quam naſceretur, ſed tradit eum vi, et facultate prius in Patre fuiſſe, quam reipſa genitus eſſet, anathema denuntiamus. Nam iſtud dici poteſt de omnibus creaturis, quae non ſemper cum DEO ſunt, ſicut Filius ſemper cum Patre eſt, aeterna generatione genitus.

IV.

Epiſtola Epiſcoporum Italiae gratulatoria ad Epiſcopos Illyrici.

Dilectiſſimis Fratribus per Illyricum Fidem Paternam retinentibus, Epiſcopi Italiae in Domino aeternam Salutem.

Diuini muneris gratia, vt ſecundum Apoſtolum omnes vnum ſapere, omnes vnum confiteri coeperimus, et quantum ad Italiam quidem pertinet, quum Fidei Paternae, hoc eſt apud Nicaeam ſcriptae ſe reddidit, fraudem, quam paſſa eſt, apud Ariminum recognoſcens; In Illyricum etiam DEVM clementi nutu reſpexiſſe gaudemus, et conſortio infidelitatis, quo grauabatur abiecto, ea, quae ſunt rectae ſententiae, probare coepiſſe, gratulamur. Noſtram igitur, dilectiſſimi Fratres, vnam eandemque accipite firmam ſubſcriptione ſententiam. Nicaeni tractatus aduerſus Arium, Sabelliumque, cuius Photinus partiaria haereditate damnatur, decreta ſeruamus. Ariminenſis Concilii ſtatuta quorundam tergiuerſatione corrupta, conſenſu omnium Prouinciarum, iure reſcindimus, quarum etiam exemplaria transmittenda cenſuimus, vt nec in fide retinenda, nec in confutando Ariminenſi Concilio aliqua videretur diſſenſio. Quicunque igitur noſtrae vnanimitatis optat habere conſortium, quicunque indiuiduam pacem nobiſcum habere deſiderat, quae ſunt noſtrae ſententiae comprobare feſtinet, et Fidei nobis memoratae ſubſcriptionem, et reſciſſionem Ariminenſis Concilii ſine ambiguitate mittendo. Id certe petimus, quod complurium harum Prouinciarum porrigimus ipſi conſenſum. Auctores autem

tem

tem haereſis Arianae, vel Aetianae, Valentem, et Urſacium, ceteroſque eorundem conſortes, non nunc eſſe, quod manifeſtari apud Illyricum coeperunt, ſed olim condemnaſſe manifeſtum eſt.

V.

Eadem Synodus Illyricana Orthodoxa ex Libello Synodico Nro. LXIX.

Valentinianus igitur magnus ex praecipuis Orthodoxae fidei propugnatoribus, Diuinam, et Sanctam in Illyrico iubet fieri Synodum. Quae Nicaenam quidem fidem pulchre confirmauit, Polychronium autem, Telemachum, Fauſtum, Aſclepiadem, Cleopatrum, et Amantium anathemate notauit: ſuumque tomum *(a)* Arianis in Aſia, Caria, et Phrygia Epiſcopis miſit, vt et Chriſti amans Imperator ſuum ſimiliter Edictum.

V.
EPISTOLA SYNODI ROMANAE
Anno Chriſti CCCLXXII. Manſi Tom. III. col. 455.



Epiſcopi ad Sanctum Concilium Romae conuocati, Damaſus, Valerianus, et ceteri, dilectis Fratribus Epiſcopis, qui ſunt in Illyrico, in Domino Salutem.

Etſi nobis pro certo perſuaſum eſt Sacerdotes DEI Sanctiſſimi, vos Sacroſanctam fidem noſtram, quae doctrina Apoſtolorum fundata eſt, firme retinere, eamque populo praedicare, quae certe a Decretis Patrum, a quibus par eſt reliquos erudiri, nulla ex parte diſcrepat: tamen ſignificatum eſt nobis, a Fratribus, qui in Gallia, et in agro Venetorum habitant, nonnullos ad haereſim amplexandam omni ſtudio incumbere.

Quod

Tomus quid eſt? *(a)* Quid ſit tomus, percontaris? eſt epiſtola Synodica de fide, vel decretalis Papae in materia fidei. Vigilius Papa epiſt. 5. ait: *Sed et epiſtolam praedicti beatae memoriae Leonis ad Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quae et tomus appellatur, per omnia veneramur.* Ephſrem Patriarcha Antiochenus in Bibliotheca Photii: „Sed adhuc vide haereſum impudentiam, reprehendunt enim Leonem Pontificem, qui epiſtolam ſuam tomum vocauerat, neſcientes, quomodo S. Cyrillus, et ſtrenuus Athanſius, aliorumque Patrum coetus pios libros tomos vocent.„

Quod quidem malum ne exiſtat, non modo praecauere debent Epiſcopi; verum etiam quicunque errores, vel quorundam inſcitia, vel ſimplicitate eorum, qui perſuaſas interpretationes ſecuti ſunt, in Ecclesiam inuecti videntur, his ſe opponere, concilioque prouidere, ne deinceps in varias, discrepantesque doctrinas denuo prolabantur imperiti, ſed quoties diſſentientes opiniones ipſorum auribus inculcatae fuerint, firme Patrum ſententiis adhaerescant.

Hac de cauſa a noſtris deciſum eſt, vt Auxentius nominatim condemnetur. Quare omnes legis Diuinae Doctores, qui ditioni Romanae ſubiiciuntur, ea quae legis ſunt ſapere, et fidem variis doctrinis nequaquam contaminare debent. Etenim vbi primum vitioſa Arianorum doctrina, et blasphemia vigere inciperet, quae etiam hoc tempore latiſſime ſerpit, trecenti decem et octo Epiſcopi, Patres noſtri, habito Nicaeae Concilio, hoc muro ad arma diaboli arcenda fidem noſtram cinxere, et hoc antidoto venena depulere mortifera, ſic, vt crederetur vnam eſſe Patris, et Filii ſubſtantiam, vnam Deitatem, virtutem vnam, vnam potentiam, vnam figuram, quin etiam Spiritum Sanctum vnam eandemque cum illis ſubſtantiam habere, et ſubſiſtentiam: Eum autem qui aliter ſentiret, a noſtra communione iudicarunt alienum. Quam ſalutarem deciſionem, et decretum plane venerandum nonnulli poſtea aliis nouis decretis violare labefactareque ſtuduerunt.

At vero initio, quod peccatum erat ab illis, Arimini formulam fidei Concilii Nicaeni nouare, retractareue coacti ſunt, aliqua ex parte propterea ſarciebatur, quod ſe disputatione alio tempore habita, fatebantur a veritate abductos, quodque ſuam fidei formulam nequaquam ſententiae Nicaeni Concilii aduerſari cogitabant. Siquidem numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini in vnum congregati, praeiudicii vim habere non debet: praeſertim quum formula illa compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cuius ſententia prae ceteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Epiſcopatum integre geſſerat, neque aliis eidem conſentientibus: quumque etiam (quod eſt omnium maximum) illi ipſi, vti ante diximus, qui in fraudem illecti a veritate defeciſſe viſi ſunt, et poſt ad meliorem mentem denuo traducti, plane teſtentur, hanc formulam ſibi magnopere diſplicere.

Itaque veſtra integritas manifeſto videt, hanc fidem ſolam, quae auctoritate Apoſtolica Nicaeae ſtabilita eſt, firme perpetuo retinendam eſſe. Atque de hac ipſa fide tum Epiſcopos Orientis, qui ſe de Catholica Eccleſia eſſe profitentur, tum Occidentis etiam Epiſcopos nobiscum vna gloriari conſtat. Porro autem pro certo credimus, eos qui alia opinione tenentur irretiti, propter ſuum conatum breui fore a noſtra ſegregatos communione, et nomine Epiſcoporum priuatos, vt tandem populo errore ipſorum liberato, detur reſpirandi locus. Nam multitudinis error tamdiu nullo modo corrigi poteſt, quamdiu Epiſcopi eodem tenentur implicati. Quocirca facite, vt veſtrae reuerentiae iudicium cum omnium DEI Sacerdotum iudicio, cui vos firme, et conſtanter adhaerere credimus, omnino conſentiat. Quod ſi fiat, eandem vobiscum rectam credendi viam nos quoque debemus inſiſtere. Veſtra charitas quaeſo ad nos reſcribat, vt inde laetitiam capiamus, Valete Fratres honoratiſſimi.

VI.

VI.
EPISTOLA SIRICII PAPAE AD EPISCOPOS Illyrici *(a)* quam edidit Lucas Holſteinus Tom III. col. 674.

Dilectiſſimis Fratribus Aniſio, et ceteris Epiſcopis per Illyricum conſtitutis Siricius.

Accepi litteras veſtras de Bonoſo Epiſcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modeſtia noſtram ſententiam ſciſcitari voluiſtis. Sed quum huiusmodi fuerit Concilii Capuenſis iudicium, vt finitimi Bonoſo, atque eius accuſatoribus iudices tribuerentur, et praecipue Macedones, qui cum Epiſcopo Theſſalonicenſi de eius factis vel cognoſcerent, aduertimus, quod nobis iudicandi forma competere poſſet. Nam ſi integra eſſet hodie Syuodus, recte de iis, quae comprehendit veſtrorum ſcriptorum ſeries, decerneremus. Veſtrum eſt igitur, qui hoc recepiſtis indicium, ſententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi, vel accuſatoribus, vel accuſato copiam dare. Vicem enim Synodi recepiſtis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique quum Bonoſus Epiſcopus poſt iudicium veſtrum miſiſſet ad Fratrem noſtrum Ambroſium, qui eius ſententiam conſuleret, interdictum ſibi Eccleſiam irrumpere, atque ingredi; reſponſum eſt ei, quod nihil temerandum foret, ſed omnia modeſte, patienter, ordine gerenda, neque contra ſententiam veſtram tentandum aliquid, vt quod videretur vobis iuſtitiae conuenire, ſtatueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum eſt, vt ii iudicent, quibus iudicandi facultas eſt data. Vos enim totius, vt ſcripſimus, Synodi vice decernitis; nos quaſi ex Synodi auctoritate iudicare non conuenit. Sane non poſſumus negare, de Mariae filiis iure reprehenſum, meritoque veſtram ſanctitatem abhorruiſſe, quod ex eodem vtero Virginali, ex quo ſecundum carnem Chriſtus natus eſt, alius partus effuſus ſit; neque enim elegiſſet Dominus Ieſus naſci per Virginem, ſi eam iudicaſſet tam incontinentem fore, vt illud genitale Dominici corporis, illam aulam Regis aeterni, concubitus humani ſeminis coinquinaret. Qui enim hoc adſtruit, nihil aliud niſi perfidiam Iudaeorum adſtruit, qui dicunt eum non potuiſſe naſci ex Virgine. Nam ſi hanc accipiant a Sacerdotibus auctoritatem, et videatur Maria partus fudiſſe plurimos, maiori ſtudio veritatem fidei expugnare contendent. Et vbi eſt illud, quod ſcriptum eſt, dicente Domino ad Matrem de Ioanne Euangeliſta: *Mulier ecce filius tuus:* et rurſus ad Ioannem de Maria: *Ecce Mater tua?* Quid ſibi iſtud vult, quod quum in cruce Dominus poſitus peccatum mundi tolleret, pronunciauit etiam de integritate materna? aut quid aliud dicitur, niſi vt claudat ſua ora perfidia? obmutescat, ne Matrem Domini aliquo audeat temerare conuitio? Teſtis eſt ergo idem arbiter, idem Materni pudoris aſſertor, quod deſponſata fuerit Viro tantummodo Ioſeph, nulla tamen coniugalis coitus conſuetudine tori iura cognouerit. Neque enim eam ſuſcepturam ex Ioſeph filios a viri conſortio ſeparare voluiſſet. Sed ſi hoc parum eſt, addidit teſtimonium

Euan-

(a) Bonoſus, aduerſus quem iudicium habendum fuerat, Epiſcopus Sardicenſis erat, de quo Marius Mercator: *Ebionem Philoſophum ſecutus Marcellus Galata eſt, Photinus quoque, et vltimis temporibus Sardicenſis Bonoſus.*

Euangeliſta dicens: quod ſuſcepit eam diſcipulus in ſua. Numquid ergo diuortium fecit? numquid a viro abduxit, atque abſtulit? Ergo qui hoc legit in Euangelio, quomodo quaſi naufragus titubat, et fluctuat? Hoc ergo teſtamentum Filii eſt de Matris integritate; haec Mariae locuples integri pudoris haereditas; hic totius finis conſummationis. Denique hoc dixit, et emiſit Spiritum conſummans omne myſterium bono fine pietatis. Legimus etiam, et omnia percurrimus vel de eo, quod Fratri noſtro, et Coepiſcopo Baſſo in conſortium regendae Eccleſiae datus eſt ſenecio, vel de ceteris vnde veſtrae normam expectamus ſententiae.

VII.

S. MARTINI PROFESSIO FIDEI CAtholicae de Trinitate Tom. III. col. 676.



Clemens Trinitas eſt vna Diuinitas. Vt autem per Sacramentum cognoſcatur, vnitas eſt ab eo, qui eſt et SpiritusSanctus, a quo, qui eſt et vnigenitus: ſic exiſtens Diuinae naturae lucis Spiritus a ſe ſe per naturam, per ſubſtantiam Maieſtatis, poteſtatis, virtutis Diuinae lucis, vnus in duobus, et vterque in idipſum. Pater in Filio, Filius in Patre, vterque in Spiritu Sancto. Sic tribus perſonis confitemur corpus praeſcientiae, quod ſuper omnia cuncta concludit. In hoc myſterium ergo credimus, eſſe ex nullis extantibus cuncta orta. Quod myſterium mens humana concipere non poteſt, nec oratoria lingua enarrare, neque diffuſi ſermonis bibliothecarum volumina, ſi totum mundum libri repleant, Diuina ſcientia non poſſit inenarrabilis enarrari: qui eſt indicibilis, nullo modo poſſit deſcribi, neque concludi, aut verbum, aut ſubſtantia propria Diuinitatis ſuae, qui eſt fons Diuinae lucis, ſubſtantiae ſuae natura. Sileat lingua oratoria, quia deficit ſermo de indicibili. Quum conſummauerit mens humana de Diuina Maieſtate dicere, tunc incipit. Quanta ſit autem Diuina Clementia, nemo ſcit, niſi qui genuit: et nemo comperit ſecreta Patris, niſi is, qui per naturam nascendi initium amiſit. Omnis ergo manſuetudo, et modeſtia peritorum conuertatur ad Prophetam: de dominica auctoritate praeſumat dicendo: credidi propter quod locutus ſum. Quod autem per myſterium ſimplex ſit profeſſio, vt fundamentum Eccleſiae ſolidata Apoſtolica auctoritate praedeſtinatio ſequens praeſumat, dicens: de cetero nemo mihi moleſtus ſit, ego credo in Chriſtum, et hunc crucifixum: quia quum confitemur filium hominis, confitemur et Spiritum Sanctum:

ctum: quia e Spiritu Sancto, et Maria Virgine Mediator naſcitur. Quum confitemur primogenitum, neceſſe eſt de vnigenito, qui teſtimonium dicat, vnum et ſolum ſine origine eſſe in tertiam perſonam. Patrem confitetur exiſtentis Diuinae naturae, lucis, ſpiritus, vt dixi, qui ſecundum naturam, vt ſupra dixi, eſt vnus in duobus, et vterque in idipſum, Pater in Filio, Filius in Patre, Pater, et Filius in Spiritu Sancto, vnum in Sancta Eccleſia, nunc, et immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

VIII.
EPISTOLA ZOZIMI PAPAE.

I.
Ad Heſychium Salonitanum Epiſcopum Anno Chriſti CCCCXVIII.

1. Quod Monachi, vel Laici, niſi per gradus Eccleſiaſticos, non debent ad ſummum Sacerdotium peruenire.

2. Quod ſi quis interdicta deſpexerit, gradus ſui periculo ſubiacebit.

3. Quae in ſingulis Clericorum gradibus tempora ſunt praefixa.

Zoſimus Epiſcopus Vrbis Romae Heſychio Epiſcopo Salonitano.

I.

Exigit Dilectio tua praeceptum Apoſtolicae Sedis, in quo Patrum decreta conſentiunt, et ſignificas, non nullos ex Monachorum populari coetu, quorum ſolitudo quauis frequentia maior eſt, ſed et Laicos ad Sacerdotium (a) feſtinare. Hoc autem ſpecialiter, et ſub Praedeceſſoribus noſtris, et nuper a nobis interdictum conſtat litteris ad Gallias, Hiſpaniasque transmiſſis, in quibus regionibus familiaris eſt iſta praeſumptio, quamuis nec Africa ſuper hac admonitione noſtra habeatur aliena, ne quis penitus contra Patrum praecepta, qui Eccleſiaſticis principiis imbutus per ordinem non fuiſſet, et temporis approbatione diuinis ſtipendiis eruditus, nequaquam ad ſummum Eccleſiae Sacerdotium aſpirare praeſumeret, et non ſolum in eo ambitio inefficax haberetur, verum etiam in ordinatores eius, vt carerent eo ordine, quem ſine ordine contra praecepta Patrum crediderant praeſumendum. Vnde miramur ad Dilectionem tuam ſtatuta Apoſtolicae Sedis non fuiſſe perlata. (b) Laudamus igitur conſtantiam propoſiti tui Frater chariſſime, nec aliud de Pontificii tui veteri cenſura (c) auctoritatis genus expectandum fuit,

(a) Sacerdotium hoc loco notat miniſterium Epiſcopale, hoc enim ſeculo Sacerdotum nomine veniebant paſſim Epiſcopi, et contextus docet de Pontificali dignitate ſermonem eſſe. Ea, quae ſeculi quinti nobis ſuperſunt, ſat ſuperque perhibent, vitium id ſeculi fuiſſe, vt intempeſtiuis electionibus Laici depoſcerentur in Epiſcopos, et feſtinatis ordinationibus hodie ſacrorum Princeps eſſet, qui nudius tertius Laicorum cenſebatur numero.

(b) Hinc quoque apparet vera nos dixiſſe de Summorum Pontificum decretalibus epiſtolis, quod licet ad particulares exaratae eſſent Eccleſias, ad reliquas nihilominus pari mitterentur ratione.

(c) Magis mihi probatur lectio Dionyſii Exigui, qui legit: *de Pontificii tui cenſura veteris auctoritatis genus expectandum fuit.* Cenſura iam iudicium, iam morum ſeueritatem, et diſciplinae obſeruantiam notabat, vtrumuis placet. Senſus itaque eſt, ab exacta obſeruantia diſciplinae, quae in tuo fulget Pontificatu, nil aliud expectandum, quam vt iuxta veterum Canonum auctoritatem ambitionibus obſiſteres,

Digitized by Google

fuit, quam vt talibus ambitionibus, pro praeceptis Patrum, in procinctu fidei conſtitutus occurreres. Igitur ſi quid auctoritati tuae (quod nos non opinamur) aeſtimas defuiſſe, ſupplemus: obſiſtite talibus ordinationibus, obſiſtite ſuperbiae, et arrogantiae venienti. Tecum faciunt praecepta Patrum, tecum Apoſtolicae Sedis auctoritas. Si enim officia ſecularia principem locum non veſtibulum actionis ingreſſis, temporibus deferunt: quis ille tam arrogans, tam impudens inuenitur, vt in coeleſti militia, quae propenſius ponderanda eſt, et ſicut aurum repititis ignibus exploranda, ſtatim dux eſſe deſideret, quam tyro ante non fuerit, et prius velit docere, quam diſcere? aſſueſcat in Domini caſtris, in Lectorum primitus gradu Diuini rudimenta ſeruitii: nec illi vile ſit Exorciſtam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri: nec hoc ſaltu, ſed ſtatutis maiorum ordinatione temporibus. Iam vero ad Presbyterii faſtigium talis accedat, vt et nomen aetas impleat, et meritum probitatis ſtipendia ante acta teſtentur. Iure inde Summi Pontificis locum ſperare debebit. Facit hoc nimia remiſſio Conſacerdotum noſtrorum, qui pompam multitudinis quaerunt, et putant ex hac turba aliquid ſibi dignitatis aquiri. Hinc paſſim numeroſa popularitas etiam his locis, vbi ſolitudo eſt, talium reperitur, dum Parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud praeſtare non poſſunt, diuinos ordines largiuntur. Quod oportet diſtincti ſemper eſſe iudicii, rarum eſt enim omne, quod magnum eſt.

II.

Proinde nos, ne quid meritis Dilectionis tuae derogaremus, ad te potiſſimum ſcripta direximus, quae in omnium Fratrum, et Coepiſcoporum noſtrorum facies ire notitiam; non tantum eorum, qui in ea Prouincia ſunt, ſed etiam qui vicinis Dilectioni tuae Prouinciis adiunguntur. Sciet, (quiſquis hoc propoſita Patrum, et Apoſtolicae Sedis auctoritate neglexerit) a nobis diſtrictius vindicandum, vt loci ſui minime dubitet ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones impune poſſe tentari. Contumeliae enim ſtudio fit, quidquid interdictum toties vſurpatur.

III.

Haec autem in ſingulis gradibus obſeruanda ſunt tempora: Si ab infantia (a) Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, inter Lectores vsquead viceſimum aetatis annum continuata obſeruatione perduret. Si maior iam, et grandaeuus acceſſerit, ita tamen vt poſt baptiſmum ſtatim ſe Diuinae militiae deſideret mancipari, ſiue inter Lectores, ſiue inter Exorciſtas, quinquennio teneatur, exinde Acolythus, vel Subdiaconus quatuor annis: et ſic ad benedictionem Diaconatus (ſi meretur) accedat, in quo ordine quinque annis, ſi inculpate ſe geſſerit, haerere debebit. Ex inde ſuffragantibus ſtipendiis, per tot gradus datis propriae fidei documentis Presbyterii Sacerdotium promereri. De quo loco (ſi eo illum exactior ad bonos mores vita perduxerit) Summum Pontificatum ſperare debebit, hac tamen lege ſeruata, vt neque bigamus, neque poenitens, neque viduae maritus ad hos gradus admitti poſſit. Sane vt etiam defenſores (b) Eccleſiae, qui ex Laicis fiunt, ſupra dicta obſeruatione teneantur, ſi meruerint eſſe in ordine clericatus.

(a) Iam tunc ergo pueri ab Epiſcopis educabantur Clero deputati, de quorum in ſeminario inſtitutione deincepa Synodus Tridentina prouidit.

Officia Defenſorum.

(b) Officii conditionem nomen ipſum demonſtrat. Officium defenſorum, ſicut Eccleſiae ſoepenumero vtilitam praeſtitit, ſic Epiſcopis graues obtulit moleſtias; quod ex epiſtolis S. Gregorii Papae patet. De his Papias: *Defenſores a Romanis Pontificibus conſtituti ſunt Epiſcoporum adiutores, quibus honores inter Clericos concedimus.* In Tranſiluania ſucceſſiſſe videntur Curatores Eccleſiarum.

tus. Data octauo Kalendas Martias, Honorio XII. et Theodoſio VIII. Auguſtis Conſulibus.

II.

Eiusdem Epiſtolae excerptum Tom. IV. col. 349.

Si non fuerit doctus ſcripturas, non fiat Episcopus.

Qui ordinauerit non doctum Episcopum, deponatur.

Si de infantia tonſus fuerit XX. annorum promoueatur.

Lector, Exorciſta intra V. annos, Acolythus, et Subdiaconus III. ſint; Diaconus V. annos.

Ordo clerici: Lector, Exorciſta, Acolythus, Sub-Diaconus, Presbyter, Episcopus.

Bigamus, vel poenitens in Clero non recipiatur.

IX.

EPISTOLA COELESTINI PAPAE ad Episcopos Illyricos.

Dilectiſſimis Fratribus: Perigeni, Dynato, Baſilio, Sapio, Paulo, Aeternali, Sabatio, Iuliano, et Senecioni, Episcopis per Illyricum Coeleſtinus.

Inter ceteras curas, et diuerſa negotia, quae ad nos ex cunctis veniunt ſemper Eccleſiis, propenſiorem nos etiam veſtri ſolicitudinem gerere, et ex Decretorum noſtrorum ſanctione diſcetis, et ipſarum qualitate cauſarum poteritis aduertere. Nunc tamen Dyrrachenae *(a)* Prouinciae cauſa nos monuit, vbi quorundam accuſantium factione Frater, et Coepiscopus noſter Felix, ſi non noſtra interueniſſet diligentia, fuisſet oppreſſus. Nec noua haec Sedi Apoſtolicae cura de vobis eſt; ſtatutum noſtris ſoepius exprimentium hoc, quod nos agimus, Theſſalonicenſi Eccleſiae ſemper eſſe commiſſum, vt vobis vigilanter intendat. Facile disciplinae ſubdi ſe patitur, qui ipſam, vt condecet, amplectitur disciplinam. Ita enim ordinatio cuncta ſe habet, vt maioribus ea, quae ſub his eſſe docentur, obediant, et in hoc gradu regularum cuncta vertuntur. Nosque praecipue circa omnes cura conſtringimur, quibus neceſſitatem de omnibus tractandi Chriſtus in Sancto Petro Apoſtolo, quum illi claues aperiendi, claudendique daret, indulſit; et inter Apo-

(a) Quae haec Dyrrachena Prouincia, cuius Episcopum Felicem accuſatum commemorat? inter Eccleſiaſticas Prouincias nulla huius nominis occurrit. Nil ergo hic aliud dici poteſt, quam per Dyrrachenam Prouinciam Epirum nouam intelligi, cuius Metropolis erat Dyrrachium. In ipſo enim limine Concilii Chalcedonenſis dicitur: „Lucas Dyrrachii Metropolis nouae Epiri Episcopus.„ A Metropoli itaque Prouinciam appellauit Pontifex. Et ſane vniuerſae Prouinciae cauſa erat Metropolitae accuſatio; et ſcimus Primatum Theſſalonicenſem talem fuiſſe, vt huius Metropolitia conſtaret honos ſaluus, et incolumis. Hinc quoque intelligimus, quantum aduerſus iniquas accuſationes, et oppreſſiones ſubſidium fuerit miſeris, appellare poſſe ad Romanam Sedem, cui derelictus eſt pauper, vt Orphano ſit adiutor, et eripiat pauperem de potente, et inopem de manu fortiorum eius.

Apoſtolos ſuos, non qui altero eſſet inferior, ſed eum maxime, qui eſſet primus, elegit. Dominentur nobis regulae, non regulis dominemur. Simus ſubiecti, quum Canonum praecepta ſeruamus. Sunt culpae aliquantae non leues, quae illis innatae Prouinciis ad nos, quum ſimus longius, non poſſunt peruenire; aut iam ſemotis omnibus, non ita, vt ſunt acta interpoſito temporis ſpatio perferuntur; quas omnes nos interceſſione Fratris, et Coepiſcopi noſtri Ruffi, cuius experientiam conprobatam eſſe in cauſis omnibus, et vitae actibus liquet, volumus reſeruari, cui vicem noſtram per veſtram Prouinciam noueritis eſſe commiſſam, ita vt ad eum Fratres chariſſimi, quidquid de cauſis agitur, referatur, ſine cuius conſilio nullus ordinetur, nullus vſurpet eodem inconſcio commiſſam illi prouinciam; colligere, niſi cum eius voluntate, Epiſcopos non praeſumat: per eum etiam ad nos, ſi quid eſt, referatur. Sed hac praeceptione cognoſcent et eum, qui refragandum noſtrae auctoritati, vel illius crediderit iuſſioni, a Fraternitatis coetu quum ipſe ſe ſeparet, ſegregandum.

X.
EPISTOLA XYSTI PAPAE.
ad
Synodum Illyricam.
Anno Chriſti CCCCXXXVII.

Dilectiſſimis Fratribus, Vniuerſis Epiſcopis per Illyricum conſiſtentibus Xyſtus.

Doctor Gentium, vas electionis, Religionis noſtrae firmiſſimum fundamentum epiſtolis omnibus, quas ad ſingularum Ciuitatum ſcribit Eccleſias, de ſua in Domino gratulatione teſtatur; quod cum his plena mentis ſuae fiducia colloquatur, quos legis praeceptis parere videat, et in DEI noſtri timore verſari. Si tanto igitur Apoſtolo, tam docto, quam ſancto eſt mentis hilaritas, quod tantos pariter, quos vidit et his, ad quos ſcribit, et Religioni proficere, vnis appellet epiſtolis, quanto nobis gaudio exiſtimatis eſſe, quoniam in commune ſanctitatis veſtrae datur nobis appellare Concilium, et ſermonem noſtrum affectionis piae circa vos teſtimonia continentem, cum veſtra ſanctitate coniungere. Ille enim ſingulas, vt diximus, epiſtolis ſuis viſitat Eccleſias; nos tot pariter credimus Eccleſias noſtris appellare nos litteris, quot eſtis, qui ad Sanctam Synodum conueniſtis. Illi eſt ſermo cum rudibus, atque diſcipulis; nobis ſermo cum collegis, et doctis. Et vt a beatiſſimi Pauli, cuius maxime praeceptis obedire vos conuenit, non recedamus exemplo, non vobis graue ſit de his, quae ad noſtram notitiam perueniunt, vt ſeruetur diſciplina Eccleſiaſtica, commoneri, ac ſi praeſentes. Ergo vobiſcum, quod ad regularum, Canonumque cuſtodiam proficere nouimus, pro ſollicitudine noſtra conferimus Sequeſtro *(a)* Filio noſtro Artemio Presbytero

(a) Id eſt: Mandatore, confectore negotiorum. Hoc modo haec vox vſurpatur a M. Tullio Cicerone 4. Verre. 44: „*Is eſt C. Clodius, qui in Sicuita ſequeſter, iſtius interpres, confector negotiorum, prope Collega Timarchidi numerabatur.*

bytero, cuius nobis efficacia in agendo pariter, et moderatio placuit, et amor: vt traditus trames a Patribus firmis veſtrae dilectionis veſtigiis teneatur, et ea, quae a nobis propter quietem Eccleſiarum ſunt cuſtodita, ſeruentur. Illyricanae omnes Eccleſiae, vt a deceſſoribus noſtris accepimus, et nos quoque fecimus ad curam pertinent Theſſalonicenſis Antiſtitis, vt ſua ſollicitudine, ſi quae inter Fratres naſcantur, vt aſſolent, actiones diſtinguat, atque definiat, et ad eum quidquid a ſingulis Sacerdotibus agitur, referatur. Sit Concilium, quoties cauſae fuerint, quoties ille pro neceſſitatum emergentium ratione decreuerit, vt merito Sedes Apoſtolica relatione eius inſtructa, quae fuerint acta, confirmet. Euocatus veſtrum venire nemo contemnat, nec Congregationi Sanctae, ad quam debet feſtinare, ſe deneget. Excuſatio per contumaciam non requiratur; vt nobis pariter *(a)* conuenientibus poſſit in commune conſtitui, quod Eccleſiarum ſeruet quietem, et populos teneat ad ſalutem. Nec his vos Fratres chariſſimi conſtitutis, quae praeter noſtra praecepta Orientalis Synodus *(b)* decer-

(a) Id eſt: Vnaniiniter, vnanimitas enim paritatem adfert.

Synodi Epheſinae de Sede Conſtantinopolitana conſtitutum, hactenus parum notum.

(b) Epiſtola haec non ſolum ad Regionis, et telluris, quam, incolimus, hiſtoriam illuſtrandam vtilis eſt, ſed et etiam inde erui poſſe putamus, quae ad Vniuerſalem Eccleſiae hiſtoriam pertinent, et non paſſim ab omnibus, at forte a nemine adhuc obſeruata videmus. Ex epiſtola quippe hac intelligimus in Synodo Epheſina ſtatutum fuiſſe aliquid de honore, et praerogatiua ſedis Conſtantinopolitanae, quod tamen ipſum etiam Chriſtianum Lupum, praeclariſſimum illum Commentatorem latuit. Refert quidem is Diſſertatione de Concilio Epheſino Cap. 7. ex S.Leone Papa definitionem eiusdem Concilii, intuitu Patriarchae Hieroſolymitani, iurisdictionem ſuam in tres Palaeſtinas extendi cupientis, a Sede Apoſtolica reprobatam. Narrat etiam Decretum de Meſſalianis a Romano Pontifice non fuiſſe admiſſum. De honore autem Sedis Conſtantinopolitanae in Synodo Epheſina actum fuiſſe aliquid ignoraremus, niſi Epiſtola haec Xyſti Papae id diſſertis verbis adſtrueret, dum ait: „*nec his vos Fratres chariſſimi conſtitutis, quae praeter noſtra praecepta Orientalis Synodus decernere voluit, credatis teneri, praeter id, quod de fide nobis conſentientibus iudicauit.*„ Exiſtimauit quidem Claudius Fleury ad annum Chriſti CCCCXXXVII. Tom. VI. pag. 307. his verbis deſignari Canonem III. Concilii Conſtantinopolitani Anno CCCLXXXI. acti, vbi locus ſecundus Epiſcopo Conſtantinopolitano deſignatur, ſed errat vehementer; De illa enim Synodo Orientali ſermonem fieri certum eſt, cui Xyſtus aſſenſum praebuit de fide iudicanti, eam confirmando: ſcimus S. Coeleſtinum Papam non multo poſt Concilium Epheſinum ex hac vita deceſſiſſe, dum Ioannes Antiochenus, et alii adhuc a Synodi diſſiderent ſententia, cui vbi ſucceſſiſſet Xyſtus, ipſe quodammodo terminauit Synodum Epheſinam, Ioannem Antiochenum, ac reliquos ad vnitatem reducendo. Manifeſtum id fit ex illius ad Cyrillum epiſtola apud Harduinum in coll. Concil. Tom: I. col. 1710, „*per Sanctos Conſacerdotes noſtros Hermogenem, et Campetium adſiſtentes noſtrae ordinationi, has litteras viſum eſt mittere ad religionem tuam, quales vtique ad Sanctam Synodum miſimus de ſectatoribus Neſtorii. Fateor igitur, valde laetati ſumus, quia contigit nobis, per vnam eandemque opportunitatem, quae fidei ſunt, quaeque ad nos pertinent communicare.* De illa proinde Synodo loquitur epiſtola noſtra, quam confirmauit, cui ſub ipſis ordinationis ſuae auſpiciis aſſenſum praeſtitit, et quae ipſo conſentiente de fide iudicauit. Synodo autem Conſtantinopolitanae ille aſſenſum non praebuit, vtpote iam dudum receptae; Synodus Conſtantinopolitana ipſo conſentiente de fide iudicaſſe dici non poteſt, vtpote pridem ante ipſius ordinationem terminata; conſequens ergo eſt in Concilio Epheſino actum fuiſſe de honore iunioris Romae. Et haec ſunt illa conſtituta orientalis Synodi, quibus Illyrici Epiſcopos non teneri pronunciat. Habemus proinde pro aſſertione noſtra locupletiſſimum teſtem Xyſtum Papam; Neque mouere quenquam debet in actis Concilii Epheſini huiusmodi Canonem non reperiri. Quae enim S. Leo de Hieroſolymitani Patriarchae in tres Palaeſtinas iurisdictione commemorat, pariter non inueniuntur in actis Concilii Epheſini: dubium tamen eſſe non poteſt, actum id fuiſſe in concilio memorato. Et ſane ſemper Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum ſtudia eo tendebant, vt Sedis ſuae proueherent honorem, proferrent iurisdictionem adeo, vt ipſe etiam S. Ignatius huic ampliandae incubuerit. Habemus quoque legem Theodoſii A: C: CCCCXXI. latam, quae Conſtantinopolitani Epiſcopi in Illyricum adſerebat iurisdictionem. Quod ipſum ex nouella Iuſtiniani Imperatoris centeſima trigeſima prima cap. 3. patet, qui dum primae Iuſtinianae, ſeu Achridae Epiſcopo auctoritatem in Illyricum tribuit, eum etiam vices Sedis Apoſtolicae agere iuſſit inquiens: „*in ſubiectis ſibi Prouinciis locum obtinere Sedis Apoſtolicae Romae ſecundum ea, quae definita fuerunt a Sanctiſſimo Papa Vigilio.*„ Adeo verum eſt Conſtantinopolitanos Epiſcopos ſemper iurisdictionis in regionem noſtram exercendae auidos fuiſſe, vt toties repreſſi ſub Uladislao II. Rege rurſus in Marmatia Conſtantinopolitani Patriarchae iurisdictionem exercere tentauerint, ac ideo eius temporis Patriarcha ibi monaſterium ſua erigere auctoritate non dubitauerit, vti ex ſubnexo documento patet: „*Uladislaus Dei gratia Rex Hungariae, et Bohemiae etc. Memoriae commendamus tenore praeſentium ſignificantes quibus expedit vniuerſis; quod venerabilis, et Religioſus Hilarius Prior Clauſtri, ſiue monaſterii Eccleſiae Beati Michaelis Arch-angeli in Maramarußio fundati graecae fidei Profeſſor, noſtrae Maieſtatis accedens in praeſentiam exhibuit, et praeſen-*

Molimina Patriarchae Conſtantinopolitani ad ſubiugandam Hungariam.

Digitized by Google

decernere voluit, credatis teneri praeter id quidem, quod de fide nobis conſentientibus iudicauit. A Canonum praeceptis veſtrum nemo diſcedat, nec ab his deuiet, quae iuxta regularum ordinem frequens ad vos directa Sedis Apoſtolicae decreuit auctoritas. Si quid forſitan aut inter Fratres motum fuerit, aut Fratri cuipiam aliqua actio, qua pulſetur illata, aut illic Fratre, et Coepiſcopo noſtro Anaſtaſio Iudice, eueniens negotium terminetur, qui vices Apoſtolicae Sedis agere, vt beatae memoriae Rufus deceſſor ipſius, ex noſtra volun-

tauit nobis quasdam litteras Priuilegiales Reuerendiſſimi Patris quondam Antonii, Ciuitatis Conſtantinopolitanae Nouae Romae, ac totius orbis Patriarchae in Pargameno graecis litteris exaratas, ſigilloque ſuo plumbeo in pendenti conſignatas. Et cum hoc etiam earundem litterarum exemplum verbotenus in latinum traditum, de, et ſuper nonnullis indultis, iuribusque, et libertatibus eidem Eccleſiae S. Michaelis, per eundem conceſſis, inferius in tenore eiusdem exempli denotatis, et ſpecificatis, ſupplicans Maieſtati, vt litteras huiusmodi Patriarchales, ac omnia in iisdem contenta, ratas, gratas, et accepta habere, ac pro eodem Fratre, ſuisque ſucceſſoribus vniuerſis, Eccleſiaeque praenotatae innouanter, perpetuo valituras gratioſe dignaremur confirmare. Quarum quidem litterarum, et earundem exempli tenor ſequitur in haec verba: „Antonius Dei gratia Ciuitatis Conſtantinopolitanae nouae Romae, ac „totius Orbis Patriarcha, bene, beateque progeniti, et in Deo honorati, bonique Chriſtiani humilitati noſtrae, ſecundum confirmationem Sancti Spiritus, Dilecti filii, et generoſi Vajvodae „Balicza, et Dragmeſter, qui habet Eccleſiam, „ſiue monaſterium perpetuum in Maromurios in „nomine S. Michaelis Arch-angeli fundatum, „qui venerunt ad nos, et humilitati noſtrae in „felici, et vrgente Imperii Conſtantinopolitani ſenatu ſupplicarunt, ac in beatitudine obedientiam, quam debuerunt pro conſuetudine Chriſtianae Religiuuis praeſtiterunt, humilitatique omni, „ac Eccleſiae eorum haereditatem de propriis bonis, et bene acquiſitis, Eccleſiam videlicet in nomine S. Michaelis Arch-angeli fundatam donarunt, ac obtulerunt, ita quod ad Eccleſiam humilitatis noſtrae reſpectum habeat, eidemque obediat. Nos autem videntes iuſtum eorum deſiderium, ac integram fidem conſiderantes, donationem eiusmodi gratam accepimus, voluntatique eorum condeſcendimus, ac Dragmeſter veluti humilitatis noſtrae filium noſtra auctoritate, „qua fungimur, benediximus Patriarchali. Itaque, „quem Deus eliget in dicto monaſterio Priorem, „quod talis etiam habeat noſtram benedictionem, „qua valeat omnes Eccleſias, quae ſunt in pertinentia praedicti monaſterii, conſecrare; Ad „haec ſi quis noſtrorum ſubditorum ArchiEpiſcopus, aut Epiſcopus in dicto Monaſterio, „aut pertinentiis eius inuenietur, quod eiusmodi dicto Priori eſſet in adiutorium, velut hae „humilitatis noſtrae litterae oſtendunt, ſigillo noſtrae Eccleſiae munitae; Quia nos Eccleſiam iſtam ex ſincero corde, ac cum magno honure in „noſtram protectionem ſuſcepimus, ac pro ſalute Chriſtianitatis, et concedimus eiusmodi Priori, ac donamus authoritatem ſuper omnes prouentus dicti monaſterii, ac pertinentias, quae „hic infra inferuntur, velut Zylágsák, Megyesallya, Ugncsa. Perſova, Czichó, Bolvanus, Almazas, et omnibus his nominatis Pachomius „Prior, et Abbas plenariam authoritatem habeat „ac reſpectum ad omnes Sacerdotes, et ad alios „omnes homines io dicto monaſterio, ac eiusdem „pertinentiis exiſtentes, ita vt eos ad bona opera „inducat, et erudiat animae, et corporis, et habeat iudicare omnes cauſas, ad Sedem Eccleſiaſticam ſpectaotes in dicto monaſterio, et pertinentiis eiusdem. Et qui omnes Eccleſias, in „pertinentiis dicti monaſterii, ac omnes earundem, „et dicti monaſterii prouentus, ac Sacerdotes ſub „poteſtate ſua habeat, et Matribus: et quod in „omnibus Diuinis officiis pro ſuo Patriarcha faciet „commemorationem: Quamobrem vobis has litteras noſtras dedi, et quod ſi mori, vt omnes „mortales ſumus, contigerit, omnes fratres ſpirituales tunc, et Balicza, ac Dragmeſter cum omnibus hominibus paruis, et magnis, in dictis „pertinentiis reſidentibus, et congregatis aperte vt iſta congregatio, Priorem eligant noſtra auctoritate, et benedictione. Qui ita electus omnimodam poteſtatem ſuper omnes prouentus „Abbatiae praedictae eodem pacto, ſicut Praedeceſſor ſuus a nobis ad hoorem S. Michaelis „Arch-angeli habeat, conceſſimus, et pro maiore fide, et veritate, ac confirmatione loci ſancti has noſtras litteras dedimus. Et hae ſcriptae „ſunt XIV. die menſis Auguſti, nono, in quo „ſcribebatur Millenarii VI. etc. CCCCCCCC. A: „C: LXXXX. nono„ *Nos itaque huiusmodi ſupplicatione memorati Fratris Hilarii exaudita, et clementer admiſſa, praeſcriptas litteras dicti Patriarchae non abraſas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte vitiatas conſpeximus, patentibus litteris noſtris ſimiliter Priuilegialibus earundem exemplum de verbo ad verbum inſeri, et inſcribi facientes, eas, et omnia in eis contenta eatenus, quatenus eadem rite, et legitime exiſtunt emanata, viribusque earum veritas ſuffragatur, acceptamus, approbamus, et ratificamus, ac pro eodem Clauſtro S. Michaelis Arch-angeli, et conſequenter praefato Fratre Hilaria, ſuisque ſucceſſoribus vniuerſis innouantes perpetuo valituras confirmamus, ita tamen, quod ipſe Frater Hilarius Prior, et ſui ſucceſſores Epiſcopo de Munkáts ſui ordinis reuerentiam, Archi-Epiſcopo vero de Tranſalpinâ, modernis, et futuris veluti ſuperioribus ſuis debitam ſubiectionem, et obedientiam praeſtare debeant, et teneantur. Harum noſtrarum, quibus ſecretum ſigillum noſtrum, quo vt Rex Hungariae vtimur, eſt appenſum, vigore, et teſtimonio litterarum mediante. Datum Caſſouiae per manus Reuerendi in Chriſto Patris Domini Thomae Epiſcopi Eccleſiae Jaurinenſis, et poſtulati Agrienſis, Aulae noſtrae Summi, et Secretarii Cancellarii, ac Fidelis noſtri Dilecti, quarta decima die menſis Maii, Anno Domini milleſimo, quadringenteſima nonageſimo quarto; Regnorum noſtrorum Hungariae anno quarto, Bohemiae vero vigeſimo quarto.*

voluntate cognoſcitur; aut ad nos, ſi illic finiri non potuerit, eodem tamen ſuis litteris cauſam omnem, quae vertitur proſequente, veniat examen. Nullum corpus eſt, quod capite non regatur. Eſtis quidem membra, vt nouimus ſancta, ſed veſtrum caput reſpicere, et honorare vos condecet, quoniam honor capitis ad ſpem totius proficit ſanctitatis, et ſuum corpus ſollicitis tuetur oculis, quod ſibi aptum, et dignius videatur ad vnam quamque rem officiis conuenire. Sed vt omne corpus capite regitur, ita ipſum caput, niſi ſuo corpore ſuſtentetur, firmitatem, et vigorem ſuum perdit, et non tenet, quam habuerat dignitatem. Eſtote igitur, vt eſſe conuenit Domini Sacerdotes, Eccleſiarum Praeſules, Religionis noſtrae Doctores. Reſeruate Fratri, et Coepiſcopo noſtro reuerentiam, quam debetis, et inter vos pacem, et concordiam cuſtodite. Sit in vobis, vt eſſe credimus, cor vnum, et anima vna. Nec credatis vobis minui quidquid reuerentiae illius, ad quem et Maiores noſtri, et nos Illyricanas Eccleſias iuxta morem traditum voluimus pertinere, a veſtra Dilectione, et ſeruari volumus, et deferri. Data XV. Kal. Januarias Aetio iterum, et Segisuulto Conſulibus.

XI.
EPISTOLAE S. LEONIS MAGNI.

I.
Ad Anaſtasium Theſſalonicenſem Epiſcopum.

Synopſis.

1. Vt bonus Paſtor ad ſollicitudinem Coepiſcoporum litteris compelli amat.

2. Vices ſuas per Illyricum Anaſtaſio committit, Siricii ſecutus exemplum.

3. Canonum obſeruantiam, praeſertim in ordinationibus, commendat: a quibus arceantur bigami, et viduarum mariti.

4. A Metropolitano comprouinciales Epiſcopi conſcio Exarcho ordinentur, Metropolitani ab ipſo Exarcho.

5. Vt omnes conueniant ad Synodos; harum vtilitas, et auctoritas.

6. Tam Presbyteros, et Diaconos, quam Sacerdotes, non niſi diebus Dominicis eſſe conſecrandos.

Dilectiſſimo Fratri Anaſtaſio Leo.

Omnium quidem litteras Sacerdotum grato nos relegere animo, fraterni Collegii charitas facit, quum per Spiritualem gratiam, tanquam praeſentes amplectimur, quibus ſermone epiſtolis mutuo commeantibus ſociamur. Sed maior in his videtur eſſe affectio in quibus de ſtatu Eccleſiarum certiores effecti, ad exercendae ſollicitudinis vigilantiam officii noſtri conſideratione compellimur: vt in ſpeculis, quemadmodum Dominus voluit, conſtituti, et pro voto noſtro currentibus rebus noſtrum commodemus aſſenſum, et ea quae deprauari aliqua vſurpatione perſpicimus, adhibitae coercitionis remediis corrigamus: ſperantes iacti ſeminis reſponſurum nobis vberem fructum, ſi non ſinamus creſcere, quae in meſſis detrimenta dominicae coeperint pullulare.

Poſtquam itaque nobis petitio tuae Dile-

Dilectionis innotuit per Filium noſtrum Nicolaum Presbyterum, vt tibi quoque a nobis, ſicut deceſſoribus tuis, per Illyricum cum noſtra vice propter cuſtodiam regularum auctoritas praeſtaretur, praebentes aſſenſum noſtra adhortatione compellimus, vt nulla diſſimulatio, negligentia nulla proueniat circa Eccleſiarum regimen per Illyricum poſitarum, quas Dilectioni tuae vice noſtra committimus beatae recordationis Siricii exemplum ſecuti, qui ſanctae memoriae Anyſio praedeceſſori tuo bene de Apoſtolica Sede tunc merito, et rebus poſt ſequentibus approbato, certa tunc primum ratione commiſit: vt per illam prouinciam poſitis, quas ad diſciplinam teneri voluit, Eccleſiis ſubueniret. Glorioſa inſtantius exempla ſequenda ſunt, vt quorum priuilegiis vti cupimus, eorum nos ſimiles in omnibus approbemus. Imitatorem te tam praedeceſſoris tui, quam deceſſoris *(a)* qui pari modo hoc et meruiſſe, et egiſſe cognoſcitur, eſſe volumus: vt de profectu Eccleſiarum, quas tibi vice noſtra committimus, gaudeamus. Vt enim bene agenti, et quae Sacerdotali auctoritati conueniunt, ſolertius exequenti ad honorem proficit res tributa; ita huic oneri eſſe cognoſcitur, qui commiſſa ſibi poteſtate, qua debet moderatione non vtitur.

Credita itaque Tibi, Frater chariſſime! gubernacula peruigil tene, et mentis tuae oculos per omnia, quae curae tuae videas iniuncta, circumfer; in mercedem tuam profutura cuſtodiens, et his, qui diſciplinam canonum labefactare nituntur, obſiſtens. Diuinae legis ſanctio veneranda, et Canonum ſpecialius decreta ſeruentur. Per commiſſas tibi Prouincias tales Domino Sacerdotes, quibus ſola vitae, et Clericalis ordinis ſuffragantur merita, conſecrentur. Nihil gratiae perſonali, nihil ambitioni, nihil redemtis permittas licere ſuffragiis. Examinentur diligentius, et per longum vitae tramitem diſciplinis Eccleſiaſticis, qui ordinandi fuerint, imbuantur. Si tamen illis omnia, quae a Sanctis Patribus ſunt conſtituta, conueniant, et quae beatum Apoſtolum Paulum de talibus legimus praecepiſſe, cuſtodierint, vt vnius vxoris vir ſit, et hanc virginem, vt auctoritas diuinae legis cauet, acceperit. Quod ita ſolicitius volumus cuſtodiri, vt omnibus excuſationibus locum adimamus: ne ſe quiſquam credat poſſe ad Sacerdotium peruenire, qui vxorem, antequam Chriſti gratiam conſequeretur, accepit, qua deficiente alteram poſt baptiſmum coniunxerit ſibi. Quum negari vxor illa non poſſit, nec prioris coniugii numerus aboleri; et eorum ita ſit Pater filiorum, quos ante baptiſmum ex illa ſuſceperit, quemadmodum et illorum ſit, quos ex altera poſt baptiſmum noſcitur ſuſcepiſſe. Sicut enim peccata, et quae illicita eſſe noſcuntur, per lauacrum baptiſmatis abolentur; ita quae ſunt legis praecepto conceſſa, vel licita non delentur.

Nullus te inconſulto, per illas Eccleſias ordinetur Antiſtes: ita enim fiet, vt ſint de eligendis matura iudicia, dum tuae dilectionis examinatio formidetur: Quisquis vero a Metropolitanis Epiſcopus contra noſtram praeceptionem, praeter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam apud nos ſtatus ſui nouerit eſſe firmitatem, eosque vſurpationis ſuae rationem, qui hoc praeſumpſerint, reddituros. Singulis autem Metropolitanis, ſicut poteſtas iſta committitur, vt in ſuis Prouinciis ius habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos a te volumus ordi-

(a) Deceſſoris nomine is vocatur, cui immediate ſucceditur, Praedeceſſor vero alter ab illo. In caſu noſtro Anaſtaſii deceſſor erat Ruſus; Praedeceſſor Anyſius, eodem vero modo ſe habet iſthaec nomenclatio atque aui, et abaui.

nari, maturo tamen, et decocto iudicio. Quamuis enim omnes Antiſtites probatos, et DEO placitos deceat conſecrari, hos tamen praecellere volumus, quos praefuturos his, qui ad ſe pertinent, Conſacerdotibus nouerimus. Quod Dilectionem tuam ſollicitius agere praemonemus, et cautius, vt illud Apoſtolicum cuſtodire, quod ſcriptum eſt, approberis: *Manus cito nemini impoſueris.* Ad Synodum, quisquis fratrum fuerit euocatus, occurrat, nec ſanctae congregationi ſe deneget: in qua maxime conſtituendum nouerit, quod ad diſciplinam poterit Eccleſiaſticam pertinere. Melius enim omnis culpa vitabitur, ſi inter Sacerdotes Domini Collatio frequentius habeatur: et emendationi pariter, et charitati plurimum praeſtat adunata ſocietas. Illic ſi quae cauſae natae fuerint, praeſtante Domino ita poterunt terminari, vt contentio nulla reſideat; ſe ſola inter fratres charitas coaleſcat. Si qua vero cauſa maior euenerit, quae a tua fraternitate praeſidente illic non potuerit definiri, relatio tua miſſa nos conſulat: vt reuelante Domino, cuius miſericordiae profitemur eſſe, quod poſſumus, quod ipſe nobis aſpirauerit, reſcribamus: vt cognitioni noſtrae pro traditione veteris inſtituti, et debita Apoſtolicae Sedis reuerentia, noſtro examine vindicemus: vt enim auctoritatem tuam vice noſtra te exercere volumus, ita nobis quae illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiſerit, reſeruamus.

Haec itaque in omnium fratrum facies notitiam peruenire, vt nullus deinceps per ignorationem in obſeruandis his, quae praecepimus, excuſandi ſe reperiat facultatem. Ad ipſos etiam Metropolitanos ſingularum Prouinciarum noſtra, quibus eos moneremus, ſcripta direximus: vt nouerint Apoſtolicis obediendum eſſe ſententiis: et tunc ſe nobis parere, quum fraternitati tuae ex noſtra delegatione coeperint, ſecundum ea, quae ſcripſimus, obedire. Cognouimus ſane, quod non potuimus ſilentio praeterire, a quibusdam fratribus ſolos Epiſcopos tantum diebus Dominicis ordinari; Presbyteros (a) vero, et Diaconos, circa quos par conſecratio fieri debet, paſſim quolibet die dignitatem officii Sacerdotalis accipere, quod contra Canones, et Traditionem Patrum vſurpatio corrigenda committit, quum mos, quibus eſt traditus, circa omnes ſacros ordines debeat omnimodis cuſtodiri: ita, vt per longa temporum curricula, qui Sacerdos, vel Leuita ordinandus eſt, per omnes Clericalis officii ordines prouehatur: vt diuturno diſcat tempore, cuius et Doctor ipſe futurus eſt. Data pridie Idus Januarias Theodoſio XVIII. et Albino Coſs.

II.

Ad Epiſcopos per Illyrici Prouinciam Conſtitutos.

Synopſis.

1. Gratulatur Illyrici Metropolitanus, ſe ſubiicientibus auctoritati datae Anaſtaſio, in maioribus praeſertim cauſis.

2. Vt vocati ad Concilium ab Anaſtaſio, venire non renuant, hortatur.

3. Vt nemo ſine conſenſu plebis ordinetur Epiſcopus.

4. Vt nullus Epiſcopus alterius inuiti Clericum ſibi vindicet.

Di-

(a) Sabbatho quatuor temporum legitime fiunt ordinationes, quia ſequenti diei tribuuntur, ſicut etiam officium Sabbathi Sancti. Concil. Claromontanum anni MXCV. can. 24. „*Ne fiant ordinationes, niſi quatuor temporibus certis; et Sabbatho mediante quadrageſimo, et tunc protrahatur ieiunium vsque ad vesperas, et ſi fieri poteſt vsque ad craſtinum, vt magis appareant in Dominico die ordines fieri*„ can. 26. „*vt in Sabbatho Sancto ieiunium protrahatur circa noctem.*

Dilectiſſimis Fratribus Senecioni, Caroſo, Theodulo, Lucae, Antiocho, et Vigilantio Metropolitanis per Illyrici Prouincias conſtitutis LEO.

Grato animo epiſtolas noſtras a Veſtra Dilectione ſuſceptas, recurrentis paginae ſermo teſtatus eſt, quas nos pro Eccleſiarum ſtatu, et parte ſolliciti, ne quid nouella praeſumptio erroris efferret, noſcimur direxiſſe. Volentes a Sacerdotibus Domini cuſtodiri, quae Sedis Apoſtolicae auctoritas crebro conſtituit, ſcilicet vt per Illyricum Eccleſiae conſtitutae ad curam Fratris, et Coepiſcopi noſtri Anaſtaſii Theſſalonicenſis vrbis Antiſtitis pertinerent. Vt ſi quae maiores inter Epiſcopos cauſae ſunt, quae in Prouinciis ſuis nequeant terminari, ad eius notitiam referantur, et eodem arbitro ſub diuini timore iudicii componantur. Seruetur hic ordo Sacerdotali concordiae profuturus, vt Eccleſiae Domini concordi, quemadmodum cupimus, conſilio conſtruantur, et nullum inſidiante diabolo aditum poſſit praebere diſſenſio, per quam valeat diſſipare, quae nos magno ſtudio habita cupimus moderatione connectere.

Inuitati Fratres in cauſis maximis, et quae intra Prouincias ſuas finiri nequeant, terminandis, ſi nulla graui neceſſitate retinentur, fraternum ſtudium pro Eccleſiae vtilitate non denegent: maxime quum moderatio noſtra prouiderit, vt non frequens, neque pro leuibus cauſis conueniendi neceſſitas indicatur: et binos, ternosue Epiſcopos de ſingulis Prouinciis adeſſe ſufficiat, vt leue fiat paucis, quod multis eſſet onerosum, atque ita efficiatur ſtudio charitatis, vt Sacerdotalis tractatus ea, quae ad diſciplinam poſſint Eccleſiaſticam pertinere, Sancto ſibi Spiritu reuelante conſtituat; id enim nos volentes quorundam inobedientiam iuſta coercitione corrigere, veſtra nouerit Dilectio definiiſſe, vt quisquis ſuperbo animo, quum nulla corporis, vel cauſae fuerit neceſſitate detentus, Fraternum ſoepius voluerit vitare conuentum, ſe ſciat eſſe iudicandum. *(a)*

Et quia memorati Fratris noſtri ſollicita relatione cognouimus Achaiae Prouinciae Metropolitanum illicitas, et conſtitutis Patrum, noſtrisque auctoritatibus interdictas ordinationes ſoepe celebraſſe, illudque ſuis auſibus addidiſſe, vt Theſpienſibus inuitis, et repugnantibus incognitum, et ante non viſum Epiſcopum conſecraret; nulli prorſus Metropolitano hoc licere permittimus, vt ſuo tantum arbitrio, ſine Cleri, et plebis aſſenſu quemquam ordinet Sacerdotem; ſed eum Eccleſiae DEI praeficiat, quem totius ciuitatis conſenſus elegerit. Vt itaque nos deſides non ſumus in monendo, quae cuſtodiri debeant, quaeque vitari, ita in exequendis illis, atque ſeruandis neminem patimur eſſe negligentem: quum cuſtodientem talia laus digniſſima comitetur, et fructus, vt ſperamus, a Domino vberior obſequatur; deuium vero, et Apoſtolicae conſtitutionis oblitum, obnoxium habitura ſit et Eccleſiaſtica, et Diuina cenſura.

Illud quoque pari obſeruantia ad Sacerdotalis concordiae vinculum ab omnibus volumus cuſtodiri, vt nullus Epiſcopus alterius Epiſcopi Clericum ſibi audeat vindicare, ſine illius, ad quem pertinet, ceſſione, quam tamen euidentia ſcripta contineant: quoniam et hoc Canonum definiuit auctoritas, et ipſa ſeruan-

(a) Spiritu confundantur, oportet, Theologi illi, qui Conciliis Prouincialibus vix aliquid deferunt, nullam eorum rationem habentes.

ſeruandae vnitatis ratio docet, ne omnis ordo Eccleſiaſticus per hanc licentiam efficiatur inſtabilis.

Altius itaque Fratres chariſſimi, quae a nobis pio mentis affectu decerni perſpicitis, in pectora veſtra deſcendant: vt nos, qui ſollicite cupimus *ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis*, praeceptionis noſtrae fructum percipiamus, et veſtrae Dilectionis operibus gratulemur; volumus enim tam veſtrum eſſe, quam noſtrum eſt, vt per charitatis gratiam conſtituatur, quod nulla inſidiantis diaboli arte violetur. Plenius vero obſeruare debent, quae caueri ad ipſum Fratrem, et Coepiſcopum noſtrum Anaſtaſium ſcripſimus, eaque in veſtram notitiam litteris ipſius volumus peruenire: a quibus Fraternitatem veſtram nolumus deuiare, vt charitatem Dominicam cuſtodita Patrum ſanctione ſeruemus. Data octauo Idus Januarias Aetio III. et Symancho viris clariſſimis Conſulibus. *(a)*

III.

Ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum.

Quanta Fraternitati tuae a beatiſſimi Petri Apoſtoli auctoritate ſint commiſſa, et qualia etiam noſtro tibi fauore ſint credita, ſi vera ratione perſpiceres, et iuſto examine ponderares, multum poſſemus de iniunctae tibi ſollicitudinis deuotione gaudere.

Cap. I.
De Vicariatu Theſſalonicenſi, et cauſa Attici Nicopolitani Epiſcopi.

Quoniam ſicut Praedeceſſores mei praeceſſoribus tuis, ita etiam ego, Dilectioni tuae, priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui: vt curam, quam vniuerſis Eccleſiis principaliter ex Diuina inſtitutione debemus, imitator noſtrae manſuetudinis *(b)* adiuuares, et longinquis a nobis Prouinciis praeſentiam quodammodo noſtrae viſitationis impenderes: Siquidem continenti, opportunoque proſpectu promptum tibi eſſet agnoſcere, quid in quibusque rebus vel tuo ſtudio componeres, vel noſtro iudicio conſeruares. Nam quum maiora negotia, et difficiliores cauſarum exitus liberum tibi eſſet ſub noſtrae ſententiae expectatione ſuspendere, nec ratio tibi, nec neceſſitas fuit, in id, quod menſuram tuam excederet, deuiandi. Abundant enim apud te monitorum ſcripta noſtrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter inſtruximus: vt commendatas tibi Chriſti Eccleſias, per exhortationem charitatis ad ſalubritatem obedientiae prouocares. Quia etſi plerumque exiſtant inter negligentes, vel deſides Fratres, quae oporteat maiore auctoritate curari; ſic tamen eſt adhibenda correptio, vt ſemper ſit ſalua dilectio. Vnde et beatus Apoſtolus Paulus ad Eccleſiaſticum regimen Timotheum imbuens dicit: *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt Patrem; iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt ſorores in omni caſtitate.* Quae moderatio quibuscunque inferioribus membris ex Apoſtolica

---

(a) Conſulibus, id eſt: anno Chriſti: CCCCXLVI.

(b) Eccleſiaſtici Principis haec vox eſt, quum Principes ſeculi dicere ſoleant: *Clementiae noſtrae.* Et digna ſane Eccleſiaſtico Principe vox, doctrinae Saluatoris conſona. Hunnericum Vandalorum Regem in decreto, quo omnes Africanarum Prouinciarum Epiſcopos Catholicos in exilium miſit, inuenio vſum voce manſuetudinis, dum de ſe loqueretur, quam merito? res ipſa clamat.

Digitized by Google

lica inſtitutione debetur, quanto magis Fratribus, et Coepiſcopis noſtris ſine offenſione reddenda eſt? vt licet nonnunquam accidant, quae in Sacerdotalibus ſunt reprehendenda perſonis, plus tamen erga corrigendas agat beneuolentia, quam ſeueritas; plus cohortatio, quam commotio, plus charitas, quam poteſtas. Sed ab his, qui *quae ſua ſunt, quaerunt, non quae Ieſu Chriſti*, facile ab hac lege diſceditur, et dum dominari magis, quam conſulere ſubditis placet, honor inflat ſuperbiam, et quod prouiſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam: quod vt neceſſe habeamus ita dicere, non de paruo animi dolore procedit. Me ipſum enim quodamodo in culpam trahi ſentio, quum Te a traditis tibi regulis immodice diſceſſiſſe cognoſco. Qui ſi tuae exiſtimationis parum diligens eras, meae ſaltem famae parcere debuiſti: ne quae tuo tantum facta ſunt animo, noſtro viderentur geſta iudicio. Relegat Fraternitas tua noſtras paginas, omniaque ad tuos emiſſa Maiores Apoſtolicae Sedis Praeſulum ſcripta percurrat, et vel a me, vel a praeceſſoribus meis inueniet ordinatum, quod a te cognouimus eſſe praeſumptum. Venit namque ad nos cum Epiſcopis Prouinciae ſuae Frater noſter Atticus, veteris Epiri Metropolitanus Antiſtes, et de indigniſſima afflictione, quam pertulit, lachrymabili actione conqueſtus eſt coram adſtantibus Diaconibus (a) tuis, qui querelis flebilibus, nihil contra referendo, ea quae nobis ingerebantur, fide non carere monſtrabant; legebatur quoque in litteris tuis, quodque conſenſum ſuum etiam ſcripturae profeſſione ſignaſſet, vt de illo non arbitrii, et ſpontaneae deuotionis fuiſſe, quod venerat, quodque chartulam de obedientiae ſponſione conſcripſerat, in cuius tamen chartulae mentione ſignum prodebatur iniuriae. Non enim neceſſari umſuer ... vt obligaretur ſcripto, qui obedientiam ſuam ipſo iam voluntarii adventus probabat officio. Vnde deplorationibus ſupra dicti, haec verba epiſtolae tuae teſtimonium praebuerunt, et per hoc, quod non eſt tacitum, nudatum eſt illud, quod ſilentio fuerat adopertum; aditam ſcilicet Illyrici Praefecturam, et ſublimiſſimam inter mundanos apices poteſtatem in exhibitionem (b) inſontis Antiſtitis incitatam: vt miſſa executione terribili, quae omnia ſibi officia publica ad effectum praeceptionis adiungeret, in Sacris Eccleſiae adytis, nullo vel falſo inſimulatus crimine, extraheretur Sacerdos, cui non ob moleſtiam aegritudinis, non ob ſoeuitiam hyemis dareutur induciae, ſed iter aſperum, et periculis plenum, per inuias niues agere cogeretur. Quod tanti laboris, tantique diſcriminis fuit, vt ex his, qui Epiſcopum comitati ſunt, quidam defeciſſe dicantur.

Multum ſtupeo Frater chariſſime, ſed et plurimum doleo, quod in eum, de quo nihil amplius indicaueras, quam quod euocatus differret, et excuſationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter, et tam vehementer potueris commoueri: praeſertim, quum etiam ſi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerit, quid ad tua conſulta reſcriberem. Sed vt video, bene de moribus meis exiſtimaſti, et quam ciuilia pro conſeruanda Sacerdotali concordia reſponſurus eſſem, veriſſime praeuidiſti: et ideo motus tuos exequi ſine diſſimulatione properaſti, ne quum moderationis noſtrae aliud diſponentia ſcripta ſumſiſſes, faciendi id, quod factum eſt, licentiam non haberes. An forte aliquod tibi facinus innotuerat, et Metropolitanum Epiſcopum noui apud te criminis pondus vrgebat. At

Disconi Epiſcoporum legati.

(a) Diaconos ſoepe legimus Romae adfuiſſe, quos ad legationes Eccleſiarum deſtinatos Africanorum Conciliorum perhibent ſancita.

(b) *Exhibitio* quidem *praeſtationem*, *tributum* notare ſolet; at hic idem videtur eſſe, ac *ſiſtere*, *ſtatuere*, de violenta enim adductione agi docet contextus.

At hoc quidem alienum ab illo eſſe, etiam tu nihil illi obiiciendo confirmas. Sed etiam ſi quid graue, intolerandumque committeret, noſtra erat expectanda cenſura: vt nihil prius ipſe decerneres. Vices enim noſtras ita tuae credidimus charitati, vt in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Vnde ſicut multum nos ea, quae a te pie ſunt curata, laetificant, ita nimium ea, quae perperam ſunt geſta, contriſtant. Et neceſſe eſt poſt multarum experimenta cauſarum ſolicitius proſpici, et diligentius praecaueri: quatenus per ſpiritum charitatis, et pacis, omnis materia ſcandalorum de Eccleſiis Domini, quas tibi commendauimus, auferatur: praeeminente quidem in illis Prouinciis Epiſcopatus tui faſtigio, ſed amputato totius vſurpationis exceſſu.

IV.

Ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem.

Synopſis.

1. Quod pſeudo Synodo non interfuerit, gratulatur.

2. Monet, vt fidem ſeruet, Flauiano adhaereat, Fratres confirmet.

Leo Epiſcopus Vrbis Romae, Dilectiſſimo Fratri Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi.

Quantum relatione Hilarii Diaconi noſtri cognouimus, magnum facinus Alexandrino Epiſcopo auctore, vel executore commiſſum eſt: vt dum in Fratrem noſtrum Flauianum veteres aemulationes, et odia priuata deſaeuiunt, nec innocentiae probatiſſimi Sacerdotis, nec Chriſtianae fidei parceretur. Vnde multum Dilectioni tuae congratulamur, quod te ad illam Synodum ire cupientem, opportunis obſtaculis manus Diuina detinuit: ne abſtenturus procul dubio a tanto ſcelere, indignis iniuriis ſubiaceres, et furori impio, militibus, quantum didicimus, armisque ſuffulto contraire non poſſes. Quia ergo prorupit in apertum perfidia, quae latebat, et in nefandiſſimam haereſim vnius imperitiſſimi ſenis aſſeclae tranſierunt, tempus probationis noſtrae debemus agnoſcere, et contra impetus aduerſantium munitionibus coeleſtibus freti, incommutabilis animi conſtantiam praeparare. Scimus Frater chariſſime! quia Sacramento magnae pietatis ſuae aderit Diuina protectio. Si quid igitur Fraternitati tuae de impiis conſtitutionibus fuerit ingeſtum, proteſtamur (a) pariter, ac monemus, ne vel in damnationem Fratris inſontis, vel in receptionem nefarii dogmatis conſenſum tui cordis immiſceas. Maior eſt enim, qui in nobis eſt, quam qui aduerſus nos. Annitere potius, quantum te ipſe naturae noſtrae ſusceptor, et glorificator adiuuerit, vt omnium Fratrum noſtrorum corda confirmes. Nobis enim ab Euangelio generationis, et mortis, ac reſurrectionis Domini Ieſu Chriſti nullatenus recedentibus definitiſſimum eſt, in noſtrae communionis numero non futuros eos, qui conantur antiqua Catholicae fidei fundamenta conuellere. Data tertio Idus Octobris. Aſturio, et Protogene viris Clariſſimis Coſſ.

V. Ad

(a) Proteſtari eſt conteſtato denuntiare, conteſtari.

V.

Ad Euxitheum Epiſcopum, Theſſalonicenſem, et a pari ad Iuuenalem Ieroſolymitanum, Petrum Corinthium, et Lucam Dyrrachenum.

Synopſis.

Hortatur vt ſceleratis auſibus Eutychianorum, qui Proterium Alex. Epiſc. occiderunt, ſtrenue reſiſtant, nec patiantur Synodum alteram congregari; ſed ſua Chalcedonenſi firmitas aſſeratur.

Leo Euxitheo Theſſalonicenſi Episcopo.

Cognitis, quae apud Alexandriam Eutychianorum furore commiſſa ſunt, quaeque Fraternitati veſtrae comperta eſſe non dubito, pro ea ſollicitudine, quam omnibus Eccleſiis debeo, haec ſcripta direxi, quibus Dilectionem veſtram credidi commonendam, vt ſceleratis auſibus ſancta conſtantia reſiſtatis, ne in quoquam noſtrum communis fides aut trepida inueniatur, aut tepida: quum propitio Domino, qui Eccleſiam ſuam in quacunque tribulatione non deſerit, tam religioſum, tamque catholicum animum piiſſimi Imperatoris habeamus, vt non aliud de illo credendum ſit, quam probauimus de Auguſtae memoriae Martiano: Siquidem etiam adhuc noſtra actione ceſſante ita fideliſſimus Imperator parricidale crimen horruerit, vt nullus aditum haereticorum conceſſerit actioni; qui poſt immanitatem facinoris perpetrati, hoc ſibi poſſibile eſſe credebant, vt Sanctae Chalcedonenſis Synodi definitionibus reſolutis, in alios tractatus vocaretur Epiſcopale iudicium. Quod quia Frater chariſſime abrupte *(a)* inimicum eſt fidei Chriſtianae, et non ob aliud tanta i[illegible]cate depoſcitur, niſi vt praedicatio Euangelii, et Dominicae Incarnationis myſterium ſubruatur; obſecro Dilectionem veſtram, vt a Chalcedonenſis Synodi definitionibus in nullo animos relaxetis, et quae ex diuina ſunt inſpiratione compoſita, nulla patiamini nouitate temerari. Certus enim ſum, quod clementiſſimus Imperator, et vir magnificus Patritius cum omni coetu illuſtrium poteſtatum *(b)* nihil in perturbationem Eccleſiae patientur haereticos obtinere, ſi paſtorales animos in nullo viderint fluctuare. Vt autem haec adhortatio ad omnium Fratrum, et Coepiſcoporum noſtrorum per Illyricum poſſit notitiam peruenire, diligentiae veſtrae cura proſpiciat: quia quod ſoepe dicendum eſt, tota religio Chriſtiana turbatur, ſi quidquam de his, quae apud Chalcedonam ſunt ſtatuta, cancellatur. Datum Kalendis Septembris Conſtantino, et Rufo Conſulibus.

VI. *Ad*

(a) *Abrupte*, ſeu vt verius legendum foret *abrupte* inimicum eſt, quod ad deſtructionem, ſeu abruptionem tendit, abruptio enim, ſeu abrumptio eſt apud du Cange euerſio, totalis proſtratio domus. Ceterum apud Tertullianum *de corona militis*, abruptus homo dicitur homo intractabilis, praefractus; intractabiliter itaque, et praefracte inimicum dicit.

(b) Illuſtres poteſtates erant Praefecti Praetorio, Praefecti vrbis, Magiſtri militum.

VI.

Ad Metropolitanos Illyricos.

Dilectiſſimis Fratribus Epiſcopis Metropolitanis per Illyricum conſtitutis Leo.

Omnis admonitio Salutaris, quam Domino credimus aſpirante contingere, in mercedem proficit monentis, et moniti. Et ideo hoc nos libenter arripimus; quoniam placere DEO noſtro non ſolum noſtris, ſed omnium Fratrum, Conſacerdotumque noſtrorum actibus feſtinamus. In noſtram enim recurrit gratiam, ſi Eccleſiae ſic regantur, vt nullus querimoniis aditus referetur. Sit itaque Dilectioni veſtrae Fratres chariſſimi dulcis, et iucunda praeceptio, quam de Sedis Apoſtolicae auctoritate ſeruata charitatis gratia manare noſcatis. Nec vobis aliquid iuris credatis imminui, ſi tam praeſentibus, quam futuris rebus videatis, ne illicitis praeſumptionibus referetur aditus, praecaueri. Cautius eſt enim vſurpationibus, antequam tententur obſiſtere, quam quae vſurpata fuerint, vindicare. Et quia per omnes Eccleſias cura noſtra diſtenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui Apoſtolicae dignitatis beatiſſimo Apoſtolo Petro primatum fidei ſuae remuneratione commiſit, vniuerſalem Eccleſiam in fundamenti ipſius ſoliditate conſtituens, neceſſitatem ſollicitudinis, quam habemus, cum his, qui nobis collegii charitate iuncti ſunt, ſociamus. Vicem itaque noſtram Fratri, et Coepiſcopo noſtro Anaſtaſio, ſecuti eorum, exemplum, quorum nobis recordatio eſt veneranda; commiſimus, vt ſit in ſpeculis; ne quid illicitum a quoquam praeſumatur, iniunximus, cui in his, quae ad Eccleſiaſticam pertinent diſciplinam, vt Dilectio veſtra pareat, admonemus. Non enim tam illi obtemperabitur, quam nobis, qui hoc illi pro noſtra ſollicitudine per illas Prouincias cognoſcimur commiſiſſe. Volumus enim tales fieri Domini Sacerdotes, quibus cuncta conueniant, quae ſunt Eccleſiaſticis Canonibus diffinita, vt Epiſcopi, Presbyteri, atque Diaconi, vnius vxoris viri ſint, ſecundum beati Apoſtoli ſententiam, et hanc ſecundum Legis praecepta virginem accipiant, non viduam, non repudiatam, ſicut Legis ſcriptura teſtatur. Nec ſe quiſquam aeſtimet poſſe ad Sacerdotium peruenire, qui ante Baptiſmum deficiente, quam habebat vxore, alteram rurſum poſtquam per gratiam baptiſmatis eſt renouatus, acceperit, quum in baptiſmate peccata deleantur, non vxorum numerus abrogetur. Adeo autem in excuſationem ſui hoc obtendere non poterit, vt eorum ſe Patrem filiorum, quos ante baptiſmum ſuſceperit, negare non poſſit. Neque enim vxor, quae ex legis praecepto ſubditur, inter peccata, quae abluuntur baptiſmate, poterit numerari. Ad Synodum quicunque fuerit euocatus occurrat, nec congregationi ſe deneget, in qua ad DEVM pertinentes cauſas nouerit eſſe tractandas. Quidquid cauſarum, vt aſſolet, inter Sacerdotes euenerit, eius, cui vicem noſtram commiſimus examini referuetur, vt illo ſub DEI timore Praeſide omnis ambiguitas finiatur. Nihil in eius, aut noſtram contra haec, quae conſtituimus, praeſumatur iniuriam. Eius nobis relatione, ſi quid ad referendum fuerit, innoteſcat. Ita enim vos ad illum pertinere volumus, vt ad vos Prouinciarum veſtrarum pertinent Sacerdotes. Qui ergo iure ſibi debito vti cupiunt, Apoſtolicae Sedis auctoritate conceſſa

per

per ſuam contumaciam imminuere non nitantur. Vt vero veſtrae Dilectioni Prouinciae ſuae ordinatio permittitur Sacerdotum; ita Fratrem, et Coepiſcopum noſtrum Anaſtaſium de ordinando Antiſtite, volumus, conſulatis, cui Metropolitani Epiſcopi conſecrationem ſtatuimus reſeruari; vt eo inquiſitore, atque cuſtode, quum certus licentiae modus imponitur, Eccleſiaſticae diſciplinae in omnibus ordo ſeruetur. Ipſum vero ſecundum definita Canonum hoc veſtra Dilectio noſtris epiſtolis admonitum eſſe cognoſcat, vt de ſtatu Eccleſiarum veſtrarum certiores ſubinde ſua relatione nos faciat: Sciturus ſibi a nobis imputandum, ſi quid de his, quae ſtatuimus, a quoquam fuerit temeratum. Si quae vero cauſae grauiores, vel appellationes emerſerint, eas ſub ipſius relatione ad nos mitti debere decreuimus, vt noſtra ſecundum Eccleſiaſticum morem ſententia finiantur. Haec vero, quae per Filium meum Nicolaum Presbyterum ſcripta direximus, recurrentibus litteris, vt vos eadem ſciamus accepiſſe, reſcribite. Data pridie Idus Januarias Theodoſio XVIII. et Albino Coſs.

XII.

EPISTOLA EPISCOPORVM DARDANIAE ad Leonem Imperatorem, pro Synodo Chalcedonenſi, et aduerſus ordinationem Timothei

Anno Chriſti CCCCLVII.

Domino piiſſimo, et inuictiſſimo, atque Chriſtianiſſimo, perpetuo Auguſto Imperatori Leoni, Urſilius, Dalmatius, Maximus Epiſcopi Veſtrae Dardaniae.

Et agnouimus, et inuenimus in electione Imperii veſtri Saluatoris DEI iudicium, et quia virtute ſua cunctas Regno veſtro ſubdidit barbaras Nationes, et per vos eius pietas firma, inuiolabiliſque conſiſtit, et vt nemo praeſumat apud pium Imperatorem aliquid iniquum petulantia ſcelerata ſuggerere; quia ſicut in ſua pace omnia Diuina conſiſtunt, ita nihil Sacramentorum DEI per Fidem tranquillitatis veſtrae humana varietate imitatur. Quid enim ita praeceps eſt, aut ſic impium poterit iudicari, quam credere pietatem fidei terminis Apoſtolicis communitam, innumerabilibus Sacerdotibus, omnibus Sanctarum ſcripturarum teſtimoniis roboratam, nec non et Decretis Nicaeni, Chalcedouenſiſque Concilii iudicio confirmatam, inanibus, et profanis praeſumptionibus poſſe violari, dum ad omnem perfectionem Catholicae Fidei ſapientiſſimi Salamonis doctrina ſufficiat? Ait enim: „ſentite de Domino in bonitate, et in ſimplicitate cordis quaerite eum.„ Quid ergo peſſima calliditate nequitia faciet, cui vltra bonitatem nequaquam licet excedere? Sed ſicut oſtenderunt Litterae meae humilitati directae, haec Timotheus reſpuiſſe dignoſcitur, qui Epiſcopatum ambiens, Epiſcopi morte percepit. Quapropter aliorum ſcelus eius ruina factum eſt, et in Fraterno Concilio non vocatur, quando Fratris neca-

necator eſſe cognoſcitur, vtique a reuerendae memoriae Proterio, quantum ad fidem eius, in nullo laeſus, cuius tali morte hic ordinatus, veſtrae tranquillitatis indicio nullum poterit eius gradus habere robur. Igitur Religio veſtrae pietati commiſſa ab aeterno DEO Inuictiſſime Principum, conſeruetur: Eius clementia imperium, quod vobis collatum eſt, in omni gloria longa aetate muniatur. Et ſicut veſtra manſuetudo Diuina propitiatione continuis temporibus cuſtodiatur, ſic et Sacra Myſteria nullorum ſceleſtis praeſumptionibus vulnerentur, ſed pietatis veſtrae laboribus pax mundo collata in ſua ſoliditate intransgreſſibili pietate ſeruetur.

Urſilius Epiſcopus Dardaniae. *(a)* Incolumem tranquillitatem tuam pro pace mundi, et Catbolicis Eccleſiis multis annis virtus aeterna cuſtodiat Domine piiſſime, et inuictiſſime, perpetue Auguſte.

Dalmatius Epiſcopus Neutinae *(b)* ſimiliter. Maximus Epiſcopus Diocletianenſis *(c)* ſimiliter.

XIII.

EPISTOLA S. THEOTIMI EPISCOPI SCYthiae ad Leonem Imperatorem, Pro Synodo Chalcedonenſi, et aduerſus ordinationem Timothei, A: Ch: CCCCLVII.

Domino piiſſimo, et Chriſtianiſſimo Imperatori noſtro Leoni humilis *(d)* Scythiae Regionis Epiſcopus.

Decet tuam pietatem Venerabilis Imperator Auguſte, Eccleſiarum tranquillitate gaudere, et tribulationes populi conturbati, et tempeſtates tranquilliſſimis veſtris allocutionibus ad pacis iura transferre. Propterea ſiquidem vos DEVS coelitus Diuino nutu ſuo muniuit, vt ea quidem, quae ſana ſunt, imperiali poteſtate integra ſemper, ſaluaque cuſtodiatis, quae vero vexata ſunt, atque corrupta, veſtrae pietatis medicina curetis. Nihil itaque DEO amabilius eſt, nihil acceptius, quam vt illa

vos

(a) Legendum foret: Urſicinina, vti habet conſiguatio Epiſcoporum, ad quos circulares Leonis Imperatoris miſſae fuerant, ex qua etiam diſcimus Scupienſem fuiſſe Epiſcopum, quum legatur in dicta conſignatione: *Urſicino Epiſcopo Scupienſi.* Actioni quoque ſextae Chalcedonenſis Concilii ſubſcribit: *Petrus Epiſcopus Ciuitatis Dardanorum*, et recte: erat enim Metropolis, ſicut dein Bulgariae euaſit Metropolis. Ciuitas haec, quae Scopia, ſeu Scupi, aut Uscopia audit, ſita eſt ad extremitatem meridionalem Seruiae. Emendandus tamen eſt Holſteinius in animaduerſionibus ad Geographiam Sacram Caroli a S. Paulo, vult enim is (pag. 202.) Paulum Dardaniae Metropolitam, qui Concilio Epheſino ſubſcripſit, fuiſſe Scopienſem, perperam id aſſeritur, Paulus enim iſte ſcribitur: *Lydiae Dardanorum Epiſcopus*, hic enim nequaquam Dardaniae fuit Epiſcopus, ſed Dardani, quae erat Ciuitas Helleſponti.

(b) Recta monet Carolus a S. Paulo in Geographia Sacra, (mihi pag. 233.) legendum eſſe *Neſſynae Ciuitatis*, haec eſt Naeſus, aut Naiſſus, hodie Niſa, vel Niſſ, Ciuitas Seruiae.

(c) Corrigendus Carolus a S. Paulo, qui Diocleam cum Diocletianopoli confundit, haec enim Macedoniae, illa Dardaniae Ciuitas fuit, nunc cum Antibarenſi coniuncta.

(d) In Concilio Chalcedonenſi act. 6. Petrus, et alii etiam, praeſertim Illyrici Orientalis ſubſcribunt: „*minimus Epiſcopus Ciuitatis Dardaniae.*„ In hoc eodem codice Encyclico, ſiue Act. 3. Concilii Chalcedonenſis; vnde haec epiſtolam deſcripſimus, dicit: *Sebaſtianus humilis*, et Epiſcopi ſe vocant minimos, et peccatores.

vos ſapiatis, quae a DEI Patris Sapientia didiciſtis, et illa doceatis, quae ab ipſis Fidei veſtrae incunabulis ſaluberrime eſtis eruditi. Et quoniam ſacratiſſimis veſtris ſyllabis admonuiſtis, vt quae ſapimus de Sancto Chalcedonenſi Concilio, noſtris litteris referamus ad veſtrae notitiam pietatis, cognoſcat veſtra ſerenitas, quoniam nihil amplius, nihil minus, quam, quae in Epheſino Concilio a Sanctis Patribus integre, atque perfecte definita ſunt, credimus, aut conſentimus. Neque aliud nos vltra ſapere, quam ea, quae tantorum Patrum termino S. Spiritus erudiuit. Vnde manifeſtiſſime Imperator, et ego, et omnis Eccleſia DEI ſic ſapimus, et in conſenſu noſtro Sanctorum Patrum definitiones Fide, et deuota confeſſioue firmamus. De Timotheo vero ſic ſapimus, quoniam ſecundum virtutem precum adhuc viuo exiſtente Epiſcopo, im-

Prouincia Scythiae.

vltimus Epiſcopus poſt Deum Domino totius orbis, etc. Leoni Imperatori ſalutem. In Concilio Tarraconenſi, anno DLIV. celebrato Egauenſis Epiſcopus: *minimus Sacerdotum, Conſtitutionem Sanctorum Canonum ſubſcripſi, Sanctae Eccleſiae Egauenſis Miniſter.* „ Peculiare prorſus humilitatis exemplum reliquerunt nobis complures Epiſcopi in Concilio Nicaeno II. ſubſcripti, qui ſe ſe peccatores profeſſi ſunt: „*Elias peccator Epiſcopus Cretae. Taurutius peccator Epiſcopus Chalcedonis. Daniel peccator Epiſcopus Amaſiae.*„ Vt nihil dicam de Presbyteris, et Diaconis, ac Monachis, ex quibus vnus: *Ioannes miſer, et peccator Caula Monachus locum faciens Procopii Reuerendiſſimi Epiſcopi.*„ Plerique autem Epiſcopi indignos ſe aſſerunt. Carpentoratenſis Patres A: C: 527. ferme omnes Sedis, et Dignitatis ſuae memoria praetermiſſa, ſubſcripſerunt hac ratione: *Proſper peccator conſenſi, et ſubſcripſi.*„ In Concilio Turonenſi II. A: C: 567. vnico dempto, omnes ſe ſubſcribunt peccatoris nomine, tanquam cognomine vſi. Nil mireris, ſi ſe Epiſcopus Scythiae *humilem* ſubſcribit, dum ſe alii *peccatores* eſſe profiteotur. Ad haec ſe Prouinciae Scythiae Epiſcopum profitetur; erat enim Metropolis Autocephala. Et hinc factum eſt, quod Leo Imperator ad ipſum etiam tanquam Metropolitam litteras dederit. In notitia Graeca Patriarchatus Conſtantinopolitani, et in codice vetuſto, et vaticano apud Carolum a S. Paulo in parergo pag. 8. longus habetur catalogus Autocephalorum Archi-Epiſcoporum, vbi numero ſecundo *Eparchia Scbythiae a Tomis* occurrit. Sozomenus lib. 7. cap. 19. vnam Scythiae Epiſcopalem Sedem commemorat dicens: „*per Scythiam quum ſint Ciuitates multae, vnum duntaxat hae omnes Epiſcopum habent.*„ Haec autem de Tomitano intelligenda eſſe patet ex eodem Sozomeno lib. 6. cap. 20. dum Bretannionis Epiſcopi Tomitani celeberrimam mentionem facit. *Multas quidem (Scythia) habet Vrbes, Pagos, et Caſtella, ſed Principatum obtinet Tomis, quae eſt Vrbs magna, et opulenta, prope mare poſita ad laeuam, quum quis ad Pontum Euxinum nauigat. Vetus conſuetudo eſt, quae ibi etiamnum ſeruatur, vt vnus Epiſcopus totius illius Regionis Eccleſiis praeſit.*„ Sed difficultatem parit, quod inter Epiſcopos Moeſiae ſecundae ad Leonem Imperatorem pro Concilio Chalcedonenſi ſcribentes reperiatur ſubſcriptus: *Dizza Epiſcopus Ciuitatis Odiſſae Schythiae;* ac Concilio Sardicenſi ſubſcribat: „*Valens a Dacia Ripenſi Scythopolitanus;* et in Concilio Conſtantinopolitano in calce ſubſcribentium Epiſcoporum haec leguntur: „*Prouinciae Scythiae Geroutius* (alias Terentius) *Tomenſis. Doterius Merſonitanus. Sebaſtianus Anchialenſis.*„ His ita ſtantibus, quomodo poteſt Theotimus Scythiae eſſe Epiſcopus? quomodo Autocephalus? Verum euaneſcit omnis difficultas, ſi attendatur in epiſtola Epiſcoporum Moeſiae ſecundae errorem cubare. quis enim neſcit aliam eſſe Scythiam, aliam eſſe Moeſiam, et tamen Dizzas, ſiue Diſtas Epiſcopus Scythiae, inter Epiſcopos Moeſiae ſuum apponit nomen. Odeſſum, ſiue Odeſſam eſſe ciuitatem Moeſiae omnis perhibent vetera, et noua monumenta. In ſubſcriptione Concilii Sardicenſis pariter nomenclationum confuſionem latere certum eſt. Scythopolis enim, pro Iscopolis per negligentiam Librariorum ſcriptum eſſe contendo. Notam Lucae Holſteinii ad Carolum a S. Paulo pag. 202. appoſitam hic preferre debeo actis: „*Iscus Daciae Ripenſis Hierodis Valens de Isco Sardicen. ſubſcripſit, qui et Iscopolitanus.*„ Tandem in ordine ad Concilium Conſtantinopolitanum primum tanta videtur Carolus a S. Paulo in Geographia Sacra difficultate inuolutus fuiſſe, vt quamuis antea ex Sozomeno vnum Scythiae Epiſcopum fuiſſe recte docuiſſet, deinceps tamen in Patriarchatu Conſtantinopolitano pag. 225. immemor verborum ſuorum, tres in Scythia Sedes Epiſcopales recenſeat, non iam Concilium Conſtantinopolitanum, ſed notitiam antiquam Graecam ſecutus. Verum nihil ex actis Concilii contra epiſtolam noſtram deduci poteſt. Etenim verba illa: *Prouinciae Scythiae*, non ad omnes Epiſcopos ſubnexos pertinere certum eſt. Anchialus, cuius Epiſcopus etiam inter reliquos occurrit, pertinet ad Prouinciam Hemimontis, non autem ad Prouinciam Scythiae. Cherſoneſus pariter eſt in Prouincia Europae quaerenda. Dubitare ergo quis poterit, verba illa: *Prouinciae Scythiae* ad ſolum Epiſcopum Tomitanum referenda eſſe. Porro in Graecis notitiis antiqua inter Autocephalos Archi-Epiſcopos ponitur Nro 2. *Prouincia Scythiae a Tomis.* Si quis primo obtutu inſpiciat ea, quae Carolus a S. Paulo de Tomenſi Ciuitate ſcribit, in errorem induci poteſt grauiſſimum. Ait enim pag. 204. *Tomi, vulgo Temeswar Metropolis Scythiae.* Facile enim aliquis exiſtimare poſſet Temesvarinum noſtrum deſignari. Verum ſitus Tomenſis Ciuitatis, ex Sozomeno ſupra deſcriptus non admittit nos tale aliquid dicere. Prope enim Mare poſita eſt haec Vrbs, quum Temesvarinum multum abſit, niſi forte mare tantopere receſſiſſe dicas.

prudenti intentione ab excommunicatis eſt ordinatus, exordinatum, et excommunicatum Eccleſiaſtica regula! eum eſſe decernit, atque manus impoſitionem illorum Epiſcoporum, in Sancta Eccleſia non permittit quamdam habere virtutem, qui Chriſti fidem violantes, ordinationem impoſitam ſibimet amiſerunt. Nunc igitur noſtrae confeſſionis verbum facientes, ſaluberrimis veſtris auribus manifeſtum depoſcimus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt veſtrum Imperium Catholicae Fidei robore confortatum, et crucis virtute munitum, ab omni ſuſpectione bellorum intactum ſemper cuſtodire dignetur. Optamus veſtram tranquillitatem Dinina prouidentia ſemper incolumem, et Coronam Imperii veſtri intemeratam, et impollutam, multis annis nobis Diuinitus donare dignetur Domine Sacratiſſime, et Venerabilis Imperator.

XIV.
EPISTOLAE GELASII PAPAE.

I.
Ad Epiſcopos Dardaniae.

Gelaſius Epiſcopus Vrbis Romae ad Dardanos. *(a)*

Valde mirati ſumus, quod veſtra Dilectio, quaſi nouam, veluti difficilem quaeſtionem, et adhuc tanquam inauditum quidpiam noſſe deſiderat, quod Eutychianae peſtilentiae communicatores, non habentes, quod pro ſuae perditionis obſtinatione reſpondeant, frequenti iam ratione conuicti, miſera contentione ſubmurmurant: non quia ſit alicuius momenti, quod garriunt, ſed quia non inueniunt penitus, quod loquantur. Vbi magis eos, qui Catholicis ſenſibus inſtituti ſunt, adhuc haerere miramur, quam illos, qui a veritate exciderunt, et ab antiqua Eccleſiae traditione ſunt deuii, profanasque vocum nouitates, et ineptias caducae peruerſitatis obtendunt: quibus eos veſtra Dilectio retulit iactitare, ideo Acacium non putare iure damnatum, quod non ſpeciali Synodo videatur fuiſſe deiectus, et inſuper dementiam ſuae vanitatis accumulant, pueriliter adiicientes, praecipue Pontificem Regiae Ciuitatis. Quapropter ſtultitiam reſpuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipſis beatis Apoſtolis, et conſiderare prudenter, quoniam Patres noſtri Catholici, doctique Pontifices in vnaquaque haereſi, quolibet tempore ſuſcitata, quidquid pro veritate, pro communione Catholica, atque Apoſtolica, ſecundum ſcripturarum tramitem, praedicationemque maiorum facta ſemel congregatione ſanxerunt, inconuulſum voluerunt deinceps, firmumque conſtare, nec in eadem cauſa denuo, quae praefixa fuerant, retractari qualibet recenti praeſumptione permiſerunt: Sapientiſſime praeuidentes, quoniam ſi Decreta ſalubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra ſingulos quosque prorſus errores ſtabile perſiſteret Eccleſiae conſtitutum, ac ſemper iisdem furoribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur.

(a) In Collectione Auellana apud Fratres Ballerinos de antiquis coll. cap. 12. hanc epigraphen habet, *Gelaſius Dardaniae Epiſcopis, ſicut etiam cunctis Fratribus per Dalmatiam conſtitutis.*

retur. Nam ſi limitibus etiam praefixis poſitarum ſemel Synodalium regularum non ceſſant eliſae peſtes, reſumptis certaminibus contra fundamentum ſe ſe veritatis attollere, et ſimplicia quaequae corda percurrere, quid fieret, ſi ſubinde fas eſſet perfidis inire Concilium? quum quamlibet illa manifeſta ſit veritas, nunquam deſit, quod pernicioſa depromat et falſitas, tametſi ratione, vel auctoritate deficiens, ſola tamen contentione non cedens. Quae maiores noſtri diuina inſpiratione cernentes, neceſſarie praecauerunt, vt quae contra vnam quamque haereſim coacta Synodus pro fide, communione, et veritate Catholica, atque Apoſtolica promulgaſſet, non ſinerent poſt haec nouis retractationibus mutilari: ne prauis occaſio praeberetur, quae medicinaliter fuerant ſtatuta, pulſandi: ſed auctore cuiuslibet inſaniae, ac pariter errore damnato, ſufficere iudicarunt, vt quisquis aliquando huius erroris communicator exiſteret, principali ſententia damnationis eius eſſet obſtrictus: quoniam manifeſte quilibet vel profeſſione ſua, vel communione poſſet agnosci. Et vt priora taceamus, quae diligens inquiſitor facile poterit veſtigare, Sabellium damnauit Synodus: nec vt ſectatores eius poſtea damnarentur, neceſſe fuit ſingulas viritim Synodos celebrari; ſed pro tenore conſtitutionis antiquae cunctos, qui vel prauitatis illius, vel communionis exſtitere participes, vniuerſalis Eccleſia duxit eſſe refutandos. Sic propter blaſphemias Arii forma Fidei, communionisque Catholicae, Nicaeno prolata conuentu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc peſtem, ſiue conſenſu, ſiue communione deciderit, ſine retractatione concluſit. Sic Eunomium, Macedonium, Neſtorium, Synodus ſemel geſta condemnans, vlterius ad noua Concilia venire non ſiuit: ſed vniuerſos quocunque modo in haec conſortia recidentes, tradito ſibi limite Synodali, refutauit Eccleſia; nec vnquam recte ceſſiſſe manifeſtum eſt, qualibet neceſſitate cogente, nouis auſibus, quae fuerant ſalubriter conſtituta, temeraſſe. Propterea tempeſtate quoque perſecutionis Arianae plurimi Catholici Sacerdotes de exiliis, pace reddita reſpirantes, ſic cum Catholicis nihilominus Fratribus Eccleſias compoſuere turbatas; vt non tamen illius Synodi Nicaenae, quidquid de Fide, et communione Catholica, et Apoſtolica definierat, immutarent, nec noua quemquam prolapſum damnatione percellerent: ſed illius tenore decreti, niſi reſipuiſſent, cenſerent eſſe damnatos. Quibus conuenienter, vt dictum eſt, ex paterna traditione perpenſis; confidimus, quod nullus iam veraciter Chriſtianus ignoret, vniuscuiusque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiae probauit aſſenſus, non aliquam magis exequi Sedem prae ceteris oportere, quam primam: quae et vnam quamque Synodum ſua auctoritate confirmat, et continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente et tenuit ſemper, et retinet. Haec dum Acacium certis comperiſſet indiciis a communione Catholica deuiaſſe, diutius iſta non credens; quippe quem nouerat executorem ſoepe neceſſariae diſpoſitionis ſuae contra haereticos exſtitiſſe, per triennium fere litteris deſtinatis eundem monere non deſtitit; ſicut per diuerſos miſſa frequenter ſcripta teſtantur. Quibus ille quum indebito ſilentio diu non reſpondere proponeret, Episcopalis quoque directa legatio eſt; ac nihilominus pagina deſtinata, quae praemoneret eum ſuorum ante meminiſſe geſtorum, et quae primitus pro Fide Catholica deſudaſſet, oportere reſpicere. Conteſtans, et blandiendo pariter, et minando, ne ſe a corpore Catholicae vnitatis abſcinderet; ſimulque quoniam hunc Ioannes ſecundae

Se-

Sedis Antiſtes grauibus pulſaret obiectis, ad primae Sedis audientiam cohortatus eſt, vel venire debere, vel mittere. Licet enim Synodus iteranda non eſſet, tamen congrueret, vt cuiuslibet ciuitatis Episcopus primae Sedis iudicium non vitaret, ad quod conuenerat ſecundae Sedis Antiſtes, qui niſi a prima Sede non poſſet audiri; praecipue qui praeiudicatis animis nulla Synodo a Graecis fuiſſet excluſus, etiam apud eos cauſam ſuam nec poſſet omnino dicere, nec deberet: quia ab inferioribus Episcopis potior, niſi a prima Sede, ſicut dictum eſt, vel discuti potuiſſet; vel ſi iſta ratio poſtulaſſet, addici etiam cunctis Orientalibus Episcopis cum ipſo Acacio in Petri communionem recidentibus: quum ſecundae Sedis Episcopus Catholicus ab externae communionis hominibus eſſet nullatenus iudicandus. Sed Acacius non ſolum deſpexit ſatisfacere poſtulatis, verum etiam ipſam legationem Sedis Apoſtolicae blandimentis, praemiis, periuriisque deceptam, quibus ei cum Imperatore promiſit integram Praeſulis Apoſtolici cauſam de omnibus eſſe ſeruandam, Petri communione pollutam redire perfecit; in tantum Sedis Apoſtolicae despiciens poteſtatem, vt non ſolum eius auctoritati non cederet, ſed etiam potius in conſortium communionis externae per Legatos ſuos niteretur abducere; ſineretque Apoſtolicae Sedis neceſſitas, eos ipſos, quos direxerat Sacerdotes, honore pariter, et communione priuare, ne tali contagione videretur infecta: ſatisque monſtraret non ſe Acacii ſpecialiter odiſſe perſonam, ſed reſpuere foedera perditorum, quae etiam in ſuis Pontificibus deteſtata conuenienter horreret. Nihilominus autem litteris ſuis Acacius indicarat, et in Alexandrini Petri ſe communionem, quem expetita Sedis Apoſtolicae auctoritate executor ipſe quoque damnauerat, ſine eiusdem Apoſtolicae Sedis conſultatione promptiſſime recidiſſe; et accuſationem Ioannis, laudesque Petri proprio ſermone deferre: de quibus ſi vtique confidebat, magis vel venire, vel mittere debuiſſet; vt et praeſentem de mendaciis, quae dicebat, poſſet confutare Ioannem, et praeconia Petri, quae digeſſerat, rationabiliter allegaret. Quod quum minime fecerit, ſatis euidenter oſtendit nec Ioannem ſe poſſe conuincere, nec legitime receptum Petrum habere fiduciam perdocendi: ſolumque ſibi monſtrauit ineſſe propoſitum lacerandi Catholicos, haereticosque laudandi; ſe ſeque eorum potius, quos laudabat, docuit eſſe participem, quam Catholicorum, quos nitebatur decolorare, conſortem: tulitque de ſe ipſe iudicium, quum damnati hominis communione pollutus, damnationis eius factus eſt particeps. Ita et Sedes Apoſtolica, quod ad neceſſariam diligentiam reſpiceret, nihil omiſit, et Acacius ſecundum formam Synodi Chalcedonenſis, qua error, cui communicauit, eliſus eſt, ſicut de haeretico homine ſcriptum eſt, ſuo iudicio condemnatus apparuit, iuſteque Sedes Apoſtolica, quae vtique ſe Alexandrinum Petrum damnaſſe, non etiam ſoluiſſe memorat, ne per Acacii priſtinam communionem Petri quoque collegium, cui Acacius communicauerat, incideret, ipſum competenter Acacium a ſua communione ſubmouit. Quapropter vtrum errori, vel praeuaricationi communicauerit Acacius, quid opus erat noua discuſſione cognoſcere; quum iam litteris ſuis eſſet ipſe confeſſus: ac ſicut ſcriptum eſt: *ore tuo iuſtificaberis, et ore tuo condemnaberis*, verborum ſuorum vinculis, et reus teneretur, et iure plectendus. Cur ipſe in noua cauſa, quam Synodus nulla praeceſſerat, Ioannem, quem ſuis litteris impetebat, qualemcunque ſecundae Sedis Episcopum, in primae Sedis beati Petri Apoſtoli iudicio confutare deſpexit, et vt cauſam diceret, ſeu per ſe, ſeu per alium, vel venire, vel deſti-

deſtinare contempſit: indignum habens cuiuslibet *(a)* Ciuitatis Antiſtes ad primae Sedis venire iudicium, ad quod ſecundae Sedis cerneret veniſſe Pontificem, quod Anatolius Conſtantinopolitanae vrbis Episcopus miſſis Legationibus pro ſua perſona feciſſe monſtratur? Ecce etiam in hac parte vocem non habent conquerentes: ecce inquam ad legitimum eſt vocatus examen, vbi vel ſuas partes iuſtis allegationibus defenſaret. Si ille Apoſtolicae Sedis reſugit examen in Ioannis Catholici Pontificis negotio veſtigando, quemadmodum Sedes Apoſtolica de receptione Petri haeretici ſua auctoritate reſoluti, Acacii fuerat ſecutura iudicium? An Sedem Apoſtolicam congruebat paroeciae Heracliensis *(b)* Eccleſiae, id eſt Conſtantinopolitani Pontificis, vel quorumlibet aliorum, qui cum eodem, vel propter eum fuerant congregandi, iudicium praeſtolari; quum Apoſtolicam eiusdem primae Sedis audientiam Conſtantinopolitanus Episcopus declinaret? qui vtique etiamſi Metropolitani eſſet iure ſuffultus, etiamſi inter Sedes haberet locum; primae tamen Sedis cognitionem fas non habuit reſutandi; ad quam ſecundum Canones, appellante ſecundae Sedis Antiſtite, vocabatur ad noſtrorum cauſam. Hoc ipſo ſatis oſtendit reum ſe eſſe confeſſum, qui ad legitimum Iudicium poſtulatus adeſſe contempſit; nec poterat vltra differri, ne, ſicut dictum eſt, antiqua illius communione durante, quum ſe ſe iam ſociaſſet externae, Sedes quoque Apoſtolica per eum pollueretur contagiis perfidorum; dignumque eſſet vel praeuaricatorem, vel contemptorem iudicii competentis, manifeſtiſſime ſcilicet de ſuo negotio desperantem, a Catholica, atque Apoſtolica integritate, et communione ſecludi. Huic ſi examinatio quaeritur, iam iudicio non erat opus; poſteaquam et litteris ſuis ipſe confeſſus eſt, et ad legitimum Iudicium vocatus adire pertimuit. Si auctoritatis pondus inquiritur, Chalcedonenſis Synodi tenor cum Apoſtolica Sede conſentiens, et illius diffinitionis executio; reperitur condemnati illic erroris communicator effectus: praefixae nihilominus ibidem particeps damnationis apparuit; quoniam idem ipſe error, qui ſemel eſt cum ſuo auctore damnatus, in participe quolibet communionis effecto, et execrationem ſui geſtat, et poenam. Hoc tenore etiam Timotheus Ælurus, atque ipſe Alexandrinus Petrus, qui ſecundam certe Sedem quoquomodo tenuiſſe videbantur, non repetita Synodo, ſed auctoritate tantummodo Sedis Apoſtolicae, ipſo quoque Acacio poſtulante, vel exequente, probatur eſſe damnatus. Nunc autem ipſi doceant legitime Petrum fuiſſe purgatum, et ab omni haereticorum contagione rite discretum, quum ei communicauit Acacius, ſi eius communicatorem putant Acacium aliquatenus excuſandum: aut ſi quod magis eſt verum, conuenienter, atque legitime Petrum probare non potuerunt expiatum; propter quod etiam ad Apoſtolicae Sedis Iudicium Acacius vel venire, vel deſtinare non auſus eſt; reſtat, vt in eius communicatione fuerit, et qui ei communicauit, infectus. Non reticemus autem, quod cuncta per mundum *(c)* nouit Eccleſia; quoniam quorumlibet ſententiis ligata Ponti-

(a) Ideſt: nulla dignitate conſpicuae.

(b) Eorſum enim pertinebat Conſtantinopolis, antequam Metropoliticam primum, dein Patriarchalem, et ſecundae Sedis honorem inuaderent Conſtantinopolitani Antiſtites.

(c) Magnum ſemper habitum fuit argumentum, ad totius orbis prouocaſſe teſtimonium, praeſertim quum facile poſſet refelli. Confidentia haec Gelaſii Papae maximum praebet teſtimonium, eam per vniuerſam Eccleſiam inualuiſſe credulitatem, et Sedis Apoſtolicae, ſeu Cathedrae primae exiſtimationem, quam palam, publice, et manifeſte iactabat Gelaſius, et quidem aduerſus eos, cum quibus ipſi lis intercedebat. Aduerſus tales ergo, qui ad euincendam cauſam depreſſuri erant intempeſtiuum Gelaſii tumorem. Quis, amabo, arguit Gelaſium? quis temerariae confidentiae conuicit? nullus profecto, aut certe, ſiquid habent tale aduerſarii, cur id non proferunt?

Pontificum, Sedes beati Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi: vtpote quod de omni Eccleſia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus. Quapropter quum ſatis conſtet Acacium nullum habuiſſe pontificium, ſententia Sedis Apoſtolicae damnatum ſine vlla eius notione ſoluendi; dicant certe, qua Synodo hoc ille praeſumpſerit, quod nec ſic quidem abſque Apoſtolica Sede fas haberet efficere. Cuius Sedis Epiſcopus? cuius Metropolitanae ciuitatis Antiſtes? nonne Paroeciae Heraclienſis Eccleſiae? Si illi certe licuit ſine Synodo ſententiam Apoſtolicae Sedis abrumpere, nulla eius conſultatione quaeſita, itane vero non licuit primae Sedi Chalcedonenſis Synodi conſtituta, ſicut decuit, exequendi, huiusmodi praeuaricatorem ſua auctoritate detrudere? Sed nec illa praeterimus, quod Apoſtolica Sedes frequenter, vt dictum eſt, more maiorum, etiam ſine vlla Synodo praecedente, et abſoluendi, quos Synodus inique damnauerat, et damnandi nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae memoriae quippe Athanaſium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apoſtolica, quia damnationi Graecorum non conſenſit, abſoluit. Sanctae memoriae nihilo minus Ioannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Praeſulum certe damnauerat, quem ſimili modo Sedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſoluit: itemque Sanctae memoriae Flauianum, Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam ſola Sedes Apoſtolica non conſenſit, abſoluit: potiusque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum ſecundae Sedis Praeſulem ſua auctoritate damnauit: et impiam Synodum non conſentiendo ſubmouit: ac pro veritate, vt Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decreuit, in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Epheſino, veniam poſcentibus, ſola conceſſit: et in ſua perfidia permanentes, nihilo minus ſua auctoritate proſtrauit, quam congregatio, quae illic pro veritate reparanda collecta fuerat, eſt ſecuta; quoniam ſicut id, quod prima Sedes non probauerat, (a) conſtare non potuit; ſic, quod illa cenſuit iudicandum,

Eccle-

Auctoritas Papae ſupra Concilium.

(a) Eadem confidentia ſuperioritatem ſuam ſupra Concilium abſque ambagibus ediſſerit. Alibi recitauimus verba Synodi Nicaenae, et Sardicenſis, quae aſſertioni Gelaſianae plene conſonant. Similia prorſus habemus in Relatione Concilii Chalcedonenſis ad Leonem Papam. Indicant enim Patres, qua ſpe freti definitiones ſuas ad illum referant: „*ſcientes, quia et Sanctitas veſtra addiſcens,* (id eſt intelligens) *et probatura, et confirmatura eſt eadem.*„ Tandem ſic concludunt relationem ſuam: „*Omnem vobis geſtorum vim intimauimus. Ad comprobationem noſtrae ſinceritatis, et ad eorum, quae e nobis geſta ſunt, firmitatem, et conſonantiam.*„ Si itaque firmitatem definitionum ſuarum a Sede Apoſtolica mutuari neceſſarium crediderant Patres Chalcedonenſes, procul dubio aliquid illis ad robur deeſſe exiſtimarunt, atque ideo confirmationem earundem exorarunt, vt fieret irretractabile, quod firmae illius petrae ſoliditate eſſet firmatum. Haud degeneri voce vſum eſt Concilium Oecumenicum ſextum, id eſt: Conſtantinopolitanum tertium. In epiſtola itaque ad Agathonem Papam dicunt Patres: „*Orthodoxae autem Fidei ſplendidam lucem vobiscum clare praedicauimus, quam vt iterum per honorabilia veſtra reſcripta confirmetis, veſtram oramus Paternam Sanctitatem.*„ Si ſupremo Iure Concilio non praecellit S. Petri ſucceſſor, Epiſcoporum vertex, cur ergo confirmari orant, ſi ſecus etiam valere poteſt, quidquid ſtatuere voluerunt? Merito dicebant haec Patres Conſtantinopolitani: teſte enim Concilio Chalcedonenſi, in relatione praedicta: *vocis beati Petri omnibus conſtitutus interpres eius fidei beatificationem ſuper omnes adducit* Papa. Vanum ergo eſt de Iudicio Sedis Apoſtolicae dubitare, quum ipſa totius Eccleſiae definitio inde ſuam expetat, et axſpectet firmitatem. Tanti ſane ſemper habebatur ab Epiſcopis doctiſſimis, et praeclariſſimis Sedis Apoſtolicae effatum, vt illo tanquam firmiſſimo fundamento, velut validiſſimo, et irrefragabili argumento vterentur, et pugnarent aduerſus exſurgentes haereſes. Erexit caput ſuum Pelagius, et naturae vires iactabat temere, ac impie. Quo argumento eius refutabatur ſuperbia ab Epiſcopis Africanis? nullo alio, quam Vicarii Chriſti, irreformabili effato. In epiſtola, nomine quinque Epiſcoporum ad Innocentium I. data ait S. Auguſtinus, ſplendidiſſimum Praeſulum lumen de Pelagio. „*Poſtquam amici eius hunc librum, non modo Epiſcoporum Catholicorum, ſed praeſertim tuae Sanctitatis auctoritate - - - - anathematizatum viderint, non putamus ipſos vltra obloqui auſuros.*„

Eccleſia tota ſuſcepit. Vbi etiam conſequenter oſtenditur, quia male geſta Synodus, id eſt contra Scripturas Sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Eccleſiaſticas regulas, quam tota merito Eccleſia non recepit, et praecipue Sedes Apoſtolica non probauit, per bene geſtam Synodum, id eſt ſecundum ſcripturas, ſecundum traditionem Patrum, ſecundum Eccleſiaſticas regulas, pro Fide Catholica, et communione prolatam, quam cuncta recepit Eccleſia, quam maxime Sedes Apoſtolica comprobauit, et debuerit, et potuerit immutari: bene vero geſtam Synodum iuxta ſupradictum modum, noua Synodo nullatenus immutandam. Proinde, ſi Eutycheni fatentur haereticum, male geſtam apud Epheſum Synodum, qua eſt receptus, pariter fatebuntur; et perbene geſtam Synodum Chalcedonenſem, quod Eutyches, vel cum eo ſentientes talia, ſunt reiecti, velint, nolintque, conſentient; atque ideo bene geſtam Synodum nouis exagitationibus refricari non licuiſſe cognoſcant. Qui ſi forſitan dixerint, eo tenore Epheſinam quoque Synodum non licuiſſe mutari; rurſus haec eadem, quae ſupra deprompſimus, planius repetita perpendantur: id eſt, quia contra fidem, contra veritatem, communionemque Catholicam, vereque Chriſtianam, non recte geſta Synodus legitima Synodo, pro fide, veritate, communioneque Catholica, vereque Chriſtiana, modis omnibus ſecludenda eſt, et iniuſta Synodus iuſta Synodo ſubmouenda: pro fide autem, et veritate, et communione Catholica, bona Synodus, vereque Chriſtiana ſemel acta, nulla nec poteſt, nec debet nouae Synodi iteratione conuelli, ſed ſecundum bene geſtam Synodum, recteque praefixam, ſi quis ab eius tramite deuiarit, conſequenter, ac ſufficienter eius diffinitione plectendus, meritoque illius ſubiacet conſtitutis. Nec opus eſt per ſingulos quosque deuiantes, iureque plectendos, nouas rurſus Synodos introduci; quum ex illius tramite, quae auctorem cum errore damnauit, quisquis quolibet modo, quolibet titulo complex eiusdem fuerit factus erroris, aut eius ſe contagione polluerit, competenter, et particeps eiusdem damnationis exiſtat, eiusque poena puniatur obſtrictus, cuius maluit inire conſortium. Quaero ergo ab his, quid de Eutyche ſentiant: fuiſſene haereticum, an aſſerunt non fuiſſe? ſi non fuiſſe contendunt, quid ambagibus agunt, quid circuitionibus, praeſtigiisque ſe contegunt? Palam ſe Eutychianos eſſe pronuncient, vt in eius ſacrilego furore conuicti veritatis molibus obruantur: aperteque cognoſcant, non ſolum haec ipſa peſtis Eutychiana, quantum Chriſtiano dogmati probetur inimica; ſed quantas alias haereſes, easque grauiſſimas in ſua prauitate contineat: vt in quibus foueis volutentur, et in quod praecipitium, barathrumque mergantur, intelligant. Simul autem ſi Eutychem

Definitione Fidei obtenta aiebat idem: „*Finita eſt cauſa, vtinam finiatur et error.*„ Mercator anno Chriſti CCCCXXIX. in libello contra Pelagianos, quem Eccleſiae Conſtantinopolitanae inſcripſit de Pelagianis ait: „*Multi, qui Iulianum ſequebantur, ipſo derelicto, Pelagium damnauerunt, Sedique Apoſtolicae ſe ſubmiſerunt.*„ Poteſtne dubitari de fonte, vnde tam limpidi rivi ſalutaria doctrinae profluunt? Mira profecto, et paradoxa illorum aſſertio mihi ſemper viſa fuit, qui Summi Pontificis irreformabile iudicium negant, niſi Eccleſiae accedat conſenſus. Neſcio, vnde magis poſſet Eccleſiae conſenſus conſtare, quam ex Conciliis vniuerſalibus? Summi Pontifices toties declararunt ad ſuam pertinere Iurisdictionem Conciliis Oecumenicis robur firmitatis, eadem confirmando, adiicere, adeo, vt absque eo nullius vigoris ſint. Adduxi quatuor Concilia Oecumenica, idipſum adſerentia. Acceſſit proinde in idipſum Eccleſiae conſenſus. In ſenſu ergo veſtro optimi aduerſarii! etiam vos certum habere debetis Summos Pontifices ſupremo Iure Concilia confirmare, et quod idem eſt, ſupremo Iure Concilia praecellere. Irreformabile eſt Summi Pontificis iudicium, ita dicitis vos, ſi Eccleſiae conſenſus accedat; Summi Pontifices dixerunt: Concilia non habere firmitatem, niſi e Vicario Chriſti confirmarentur. Acceſſit ad id Eccleſiae conſenſus. Quis iam negabit irrefragabile eſſe Sedis Apoſtolicae iudicium? quae etiam de Conciliis Oecumenicis iudicat.

haereticum negant, omnimodis publicatur, quod ideo de omnibus Eutychianae peſti communicantibus, ſuppreſſo veluti hoc ipſo errore, contendunt; vt nos per talium hominum, quod abſit, inſidias, captioſasque tendiculas in Eutychetis inſaniam nitantur inducere: quod quidem etiamſi non negent, ſiue ſcientes, ſiue neſcientes, facere confutantur. Sin vero et Eutychem haereticum negare non audent; reſtat, vt contra Catholicam fidem, non Synodum nuncupandam, ſed conſpirationem potius perditorum fuiſſe conſentiant, quae apud Epheſum, Eutychete reducto, perculit Sanctae memoriae Flauianum; cunctosque, qui illic aderant Sacerdotes, militari terrore compulerit tanto ſceleri praebere conſenſum. Atque ideo nobis neceſſe eſt, prauam, peruerſamque conſpirationis illius, et latrocinalem fuiſſe perhibeant actionem, eamque debuiſſe modis omnibus aboleri. Et ideo iuſtam, bonam, veraciter Chriſtianam Chalcedonenſem Synodum proceſſiſſe definiant, in his, quibus Eutychete depulſo, cum ſuo fautore Dioſcoro, haereſim eorum, erroremque damnarit. Hanc ergo Synodum (vt dictum eſt) bonam, veram, iuſtam, Chriſtianamque eſſe non dubitent, perquam illa noxia ſit remota. Perſpiciant ergo, tandemque concedant, quod quis quis ab eius iuſtae, et Chriſtianae, veraeque Synodi fide, communione, et veritate deuiauerit, vel ab ea deuiantibus communionem miscuerit, ſufficienter, atque competenter, ſecundum ipſius definita, teneatur obſtrictus, quoniam mala Synodus bona debuit ſubmoueri. Bona vero Synodus nulla cauſa eſt, cur alia debeat Synodo retractari; ne ipſa retractatio eius conſtitutis deroget firmitatem. Proinde quicunque congregationis Epheſinae tenentur affectu, quid adhuc Acacii tantummodo nomen obtendunt, non palam ſectatores Eutychetis, qui illic receptus fuerat, profitentur? Qui ſi refugiunt, atque Eytichem ſe perhibent exſecrari, ſimul ergo et Epheſinam, qua male receptus eſt, conſpirationem iure caſſatam, et Chalcedonenſem Synodum, qua reiecta eſt, merito conſentient inſtitutam; atque ita Synodum, quae pro fide Catholica ſit praefixa, ſecundum veterum formam, ſicut dictum eſt, perſpicient nouellis non potuiſſe quaeſtionibus ventilari: Sed iuxta eius tenorem ſemel legitime, iuſteque depromptum, et iure probari recta ſectantes, et ſentientes contraria refutari; Quod Sedes Apoſtolica, ſicut decuit, antiqua traditione cuſtodiens, non Synodum duxit iterandam, ſed in eius praeuaricatore pellendo hanc eandem Synodum potius exſequendam. Quapropter ſi quis adhuc ſecundum Chalcedonenſem Synodum haec ab Apoſtolica Sede geſta reprehendit, praeter quod et hac, qua ſuperius adſtruximus, et multiplici poteſt ratione conuinci, multo magis tamen Acacio non licuiſſe fatebitur iſta tentare. Dicat ergo, qua Synodo Ioannem ſecundae Sedis Antiſtitem qualemcunque, certe Catholicum, et a Catholicis ordinatum, nec de Catholica Fide, et communione aliquatenus impetitum, duxerit excludendum, et haereticum manifeſtum Petrum ſua quoque exſecutione damnatum, Pontifici Catholico permiſerit ſubrogandum: quum etiamſi reus manifeſtus eſſet Ioannes, poſt eum ſaltem Catholicum conueniſſet praefici Sacerdotem, ſicut ipſe quoque ſuis Sacris, Sanctae memoriae Timotheo Catholico in Alexandria faciendum promiſiſſe legitur Imperator? Qua Synodo tertiae Sedis Epiſcopum Calendionem idem expelli fecit Acacius? nihilominus eundem Petrum tam haereticum manifeſtum, vt eidem palam neceſſe communicare praetenderet, ſua paſſus eſt diſpoſitione ſubſtitui? Qua denique per totum Orientem Synodo eiectis orthodoxis, nullo crimine maculatis, prauos quosque, et criminibus inuolutos ſua pro-

uiſio-

uiſione ſuppoſuit? Qua Synodo tot aliena Priuilegia nefandus populator inuaſit? Sed libri non ſufficient, ſi tragoedias eius, quas per Eccleſias totius Orientis exercuit, ſigillatim ſcribere moliamur. An illud ipſius argumentum nobis exiſtimant opponendum, quo facinora ſua in Imperialem niſus eſt iactare perſonam? Cur igitur, quando voluit, obſtitit Baſiliſco tyranno certe, et haeretico vehementer infeſto? cur ipſi Imperatori Zenoni, quia palam Antiocheno Petro noluit communicare, ſuam non ſubdidit voluntatem? Ecce potuit et in aliis reſultare, ſi vellet. Sed vt ea, quae latius explicanda ſunt, omittamus, quidquid ipſe Zeno Imperator ſuis litteris profitetur, cuncta ſe ſe ex Acacii geſſiſſe conſilio, nec hoc eum fallere, litteris ſuis ipſe pariter teſtatur Acacius: qui et eum nihilominus vniuerſa recte geſſiſſe conſcripſit, et ſuo conſilio haec eadem geſta non tacuit. Quaſi vero tantum in Alexandrini Petri communione Acacius praeuaricator exſtiterit; et non in omnibus, quos vel fecit, depulſis Catholicis Pontificibus, tanquam tyrannus, Eccleſiis quibusque praeponi: vel taliter praepoſitis peruerſa communione permixtus eſt; qui hoc ipſo ſecundum Canones fuerant ab Eccleſiaſtica communione pellendi, quod ſe paſſi ſunt ſucceſſores viuis Sacerdotibus adhiberi. Quis autem non perſpiciat Chriſtianus, quod Catholicis Pontificibus propria Sede deiectis, nonniſi haeretici potuerint introduci? quibus tamen cunctis, vel Auctor fuit Acacius ſubrogandis, vel ſubrogatis communicator acceſſit; His vtique, quia communioni haereticorum nullatenus diſcrepabant. Cur ergo, vel quum haec fieri videret Acacius, non ſicut ſub Baſiliſco iam fecerat, ad Apoſtolicam Sedem referre curauit: vt ſi ſolus ipſe non poterat, iunctis cum eadem conſiliis, atque tractatibus, apud Imperatorem poſſent, quae religioni competerent, allegari? Nam ſi Baſiliſcus (vt dictum eſt) tyrannus, et haereticus ſcriptis Apoſtolicae Sedis vehementer infractus eſt, et a plurimis reuocatus exceſſibus; quanto magis legitimus Imperator, qui ſe Catholicum videri volebat, potuit cum Apoſtolica Sede, cunctorum quoque Pontificum moderata ſuggeſtione mitigari: praecipue quum eiusdem Acacii eſſet ſpecialis fautor, et amator: et qui litteris ſuis tam ipſum Acacium, quam Sanctae memoriae Papam Simplicium magnis laudibus extuliſſet, doceretur, quod haereticis conſtantiſſime reſtitiſſet? Cur tanto tempore Acacius inter iſta conticuit, niſi quia praepedire nolebat vllatenus, quae pro haereticis deſiderabat impleri. Ponamus tamen, etiamſi nulla Synodus praeceſſiſſet, cuius Apoſtolica Sedes recte fieret executrix; cum quibus erat de Acacio Synodus ineunda? Numquid cum his, qui iam participes tenebantur Acacio, et per Orientem totum Catholicis Sacerdotibus videnter excluſis, perque exilia diuerſa relegatis, ſocii euidenter exſiſtebant communionis externae, prius ſe ad haec conſortia transferentes, quam Sedis Apoſtolicae ſcita conſulerent? Cum quibus ergo erat Synodus ineunda? Catholici Pontifices fuerant vndique iam depulſi, ſolique remanſerant ſocii perfidorum, cum quibus iam nec licebat habere conuentum: quia moris Eccleſiaſtici omnino non eſſet, cum his, qui pollutam communionem tenerent, permixtamque cum perfidis, vllum miſcere Concilium; Propheta quoque dicente: *Non ſedi in Concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui congregationem malignorum, et cum impiis non ſedebo.* Recte igitur per Chalcedonenſis Synodi formam huiusmodi praeuaricatio repulſa eſt potius, quam ad Concilium, quod nec opus erat poſt primam Synodum, nec cum talibus habere licebat, adducta eſt. Nam et quid

ageretur de fide Catholica, ſi intelligere voluiſſent, ignorare non poterant: quum viderent Catholicos Pontifices nulla Synodi diſcuſſione, nullo Concilio, praecipue, quum nouas cauſas eſſe perpenderent, toto Oriente depelli, et ceteri quid cauerent, ex illorum diſcere qualitate potuiſſent. Reſtat igitur, vt illius partis eos fuiſſe ſit clarum, cui ſe poſt tot experimenta dediderunt; meritoque ab Apoſtolica Sede, ceteriſque Catholicis non iam conſulendi erant potius, ſed notandi. Riſimus autem, quod praerogatiuam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit Regiae ciuitatis. Numquid apud Rauennam, apud Mediolanum, apud Sirmium, apud Treuiros, multis temporibus non conſtitit Imperator? Numquidnam harum Vrbium Sacerdotes vltra menſuram ſibimet antiquitus deputatam, quidpiam ſuis dignitatibus vſurparunt? Numquid Acacius, vt Ioannem qualemlibet hominem, Catholicum tamen, a Catholicis ordinatum, de Alexandria excluderet, Petrumque in haereſi iam detectum, atque damnatum, abſque Sedis Apoſtolicae conſultatione (a) reciperet, aliqua Synodo ſaltem illic habita, hoc audacter arripuit? Vt Calendionem de Antiochia pelleret, haereticumque Petrum, quem ipſe quoque damnauerat, abſque notitia Sedis Apoſtolicae rurſus admitteret, aliqua Synodo id feciſſe monſtratur? Si certe de dignitate agitur ciuitatum, ſecundae Sedis, et tertiae maior eſt dignitas Sacerdotum, quam eius ciuitatis, quae non ſolum inter Sedes minime numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum iura cenſetur. Nam quod dicitis: *Regiae ciuitatis*; alia poteſtas eſt Regni ſecularis, alia Eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua ciuitas praerogatiuam praeſentis Regni non minuit, ſic Imperialis praeſentia menſuram diſpenſationis religioſae non mutat. Sit clara vrbs illa poteſtate praeſentis Imperii: Religio tunc ſub eadem firma, tunc libera, tunc prouecta conſiſtit, ſi potius hoc praeſente propriam teneat ſine vlla perturbatione menſuram. Poſtremo, ſi ſibi de Imperatoris praeſentia blandiuntur, et inde putant Conſtantinopolitanae ciuitatis Epiſcopi potiorem fieri poſſe perſonam; audiant Marcianum eiusdem Principem ciuitatis, poſteaquam pro augmento vrbis ipſius Sacerdotis interceſſor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, Sanctae memoriae Papam Leonem ſummis laudibus proſecutum; quod Canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpeſſus. Audiant Anatolium eiusdem Sedis Antiſtitem, Clerum potius Conſtantinopolitanum, quam ſe tentaſſe talia confitentem, atque in Apoſtolici Praeſulis totum dicentem poſitum poteſtatem. Ipſum beatum Papam Leonem Sedis Apoſtolicae Praeſulem, cuius Synodus Chalcedonenſis auctoritate firmata eſt, quidquid vltra, quam ab eodem pro fide, et communione Catholica, atque Apoſtolica illic agendum, conſtaret eſſe delegatum, per occaſionem congregationis illius, praeter Nicaenos Canones noua videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuaſſe. Eaque nihilo-

hilo-

Gratianus vindicatur.

(a) Reprehendunt haec Petrum de Marca, qui in libro ſuo de Concordia Sacerdotii, et Imperii lib. 6114. pag. 336. carpit Gratianum, quaſi diſtinctione XVII. nouum Ius in Eccleſiam inducere voluiſſet, dum is loco citato negat abſque Sedis Apoſtolicae conſcientia, Concilia particularia conſtituere aliquid, vel definire poſſe. Laudat quidem Petrus de Marca pro ſe gloſſam adiectam Gratiano, quae rotundis verbis ad hanc Gratiani aſſertionem ait: „*Illud non eſt verum.*„ Miror ſane, quod vel ſemel gloſſa aliquid valeat defecatiſſimo palato Petri de Marca. Recitauimus in recenſione noſtra, Synodo Sardicenſi praemiſſa, verba Theodoreti, et Socratis ex ſenſu, et ſententia ſuorum temporum aſſerentium, non licere ſine ſcientia Romani Epiſcopi ſancire Canones. Gelaſius Papa dicit, quod vnam quamque Synodum Papa ſua auctoritate confirmet. An ergo poſt Theodoreti, et Socratis teſtimonium, ac Gelaſii aſſertionem carpi poteſt Gratianus, quaſi nouum ius induxiſſet, quum id ſcripſerit, quod a Maioribus traditum accepit?

Digitized by Google

hilominus etiam ſub Sanctae memoriae Papa Simplicio, legatum Sedis Apoſtolicae, Sanctae memoriae Probum Camiſinae vrbis Epiſcopum, Leone Principe tunc petente praeſente, docuiſſe nullatenus poſſe tentari, neque his prorſus praebuiſſe conſenſum. Atque ideo non ad ciuitatis cuiuslibet reſpiciant qualitatem, ſed modum diſpenſationis Eccleſiaſticae paterna traditione firmatum conuenienter obſeruent.

Dicatur autem de Alexandrino, et Antiocheno Epiſcopis, certis ex cauſis Principem magis illa, quae geſta ſunt, non Acacium praecepiſſe. Sed Principi Chriſtiano decuerat ſuggerere Sacerdotem, maxime cuius familiaritate, et fauore fruebatur, ſaluam fore de eiusdem iniuria, contumeliaque vindictam; tantum vt Eccleſiae ſineret Chriſtianus Princeps regulas cuſtodiri: quia et noua in vtroque Pontifice cauſa eſſet exorta, et nouam diſcuſſionem conſequenter inquireret, et ſicut ſemper eſſet effectum, ac Diuinae pariter leges, humanaeque cenſerent, vt Sacerdotali Concilio de Sacerdotibus Iudicia prouenirent, non a ſeculari viderentur qualescunque Pontifices, etſi errore humanitus accedente, non tamen religionem vllatenus excedentes, poteſtate percelli. An adhuc iuſta ratione Principi ſuggerenda non erant? Regiae ciuitatis honore ſublimis, ſi factus erat illa Regia ciuitate ſublimior, tanto magis in his ſuggerendis debuit eſſe conſtantior? Si autem in his, quae pro religione fuerant exerenda, exſtitit contemptibilis, atque deſpectus, et aut ſegnis, aut fiduciam non habens intimandi; in quo per Regiam ciuitatem maior effectus eſt? An vt per ea ſuae praeuaricationis exerceret potius tyrannidem, quam cauſas religionis legitime procuraret? Nathan Propheta palam, publiceque in facie Regi Dauid, et commiſſum pronunciauit errorem, et ipſum commiſiſſe non tacuit, et confeſſione correctum conſequenter abſoluit. Beatae memoriae Ambroſius Mediolanenſis Sacerdos Eccleſiae, maiori Theodoſio Imperatori communionem publice, palamque ſuſpendit, atque ad poenitentiam redegit Regiam poteſtatem. Beatae memoriae Papa Leo, (ſicut legitur) Imperatorem Theodoſium iuniorem Epheſino latrocinio libere coarguit excedentem. Sanctae memoriae quoque Papa Hilarius Anthemium Imperatorem, cum Philotheus Macedonianus eius familiaritate ſuffultus diuerſarum Conciliabula noua ſectarum in vrbem vellet inducere, apud beatum Petrum Apoſtolum, ne id palam fieret, clara voce conſtrinxit: in tantum, vt non ea facienda cum interpoſitione Sacramenti idem promitteret Imperator. Sanctae memoriae nihilo minus Papa Simplicius, et poſt eum Sanctae memoriae Papa Felix, non ſolum Baſiliſcum tyrannum, ſed etiam Imperatorem Zenonem pro iisdem ipſis exceſſibus, auctoritate libera ſoepius increpaſſe noscuntur: flectique potuiſſet, niſi Conſtantinopolitani Praeſulis accenderetur inſtinctu: qui particeps externae communionis effectus, neceſſario, in quod inciderat, iam fouebat, malens in ſuae praeuaricationis obſtinatione perſiſtere, quam curandus ad ſalubria remeare, ſicut ipſe rerum probauit euentus. Ecce nuper Honorico Regi Vandalicae nationis, vir magnus, et egregius Sacerdos Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus, multique cum eodem Catholici Sacerdotes conſtanter reſtiterunt ſaeuienti; cunctaque extrema tolerantes, hodieque perſecutoribus reſiſtere non omittunt. Nos quoque Odoacri barbaro haeretico Regnum Italiae tunc tenenti, cum aliqua non facienda praeciperet, DEO praeſtante nullatenus paruiſſe manifeſtum eſt. Hic autem vir bonus Acacius, et Sacerdos eximius, in tantum ſe et ſuggerere potuiſſe monſtrauit, et noluiſſe depromiſit: imo fauiſſe patefecit; vt et Imperator cuncta

ſe ex

ſe ex eius geſſiſſe conſilio non taceret, et ipſe Imperatorem magnis praeconiis eleuaret iſta facientem; ſe ſeque prodidit his agendis rebus fuiſſe participem. Sed eſto Calendion Imperatoris nomen abſtulerit: Ioannes Principi mentitus fuiſſe iactetur, quae tamen, quum nouae eſſent cauſae, noua debuit Eccleſiaſtica prouenire diſcuſſio? An qui in hominem Imperatorem peccaſſe dicebantur, nulla interueniente Synodo deiici debuerunt: et in DEVM, qui ſummus, et verus eſt Imperator, Acacium delinquentem, ſinceramque communionem Diuini Sacramenti ſtudentem miſcere cum perfidis, ſecundum Synodum, qua haec eſt damnata perfidia, non oportebat expelli? Quid de innumeris per totum Orientem Catholicis Sacerdotibus propria ſede depulſis, et indubitanter haereticis intromiſſis? Nouae certe erant cauſae; et his conſequenter noua Synodus debebatur. Cur tunc non venit in mentem, vt in talibus cauſis peteretur a Principe ſaltem qualiscunque Synodus celebranda; vt quocunque vel colorato indicio traditionis Eccleſiaſticae paſſim Pontifices viderentur excludi; non ſolum quarumcunque vrbium Sacerdotes, ſed Metropolitani incunctanter Antiſtites? His omnibus quum non reſiſtit ſuggeſtione, qua potuit, conſenſit Acacius; communicando cunctis, qui in Catholicorum locum haeretici fuerant ſubrogati. Apoſtolus autem dicit: *Non ſolum qui faciunt, ſed et qui conſentiunt facientibus*, reos indubitantur adſcribi. An haec licuit ſeculari poteſtati, et actis talibus, Acacio conſentiente absque vlla Synodo, quam ipſa rerum nouitas exigebat, absque Sedis Apoſtolicae conſultatione perficere; et Sedi Apoſtolicae non licuit ſecundum tenorem Synodi Chalcedonenſis in veteri vtique cauſa, et veteri conſtituto iuxta definitionem damnata, inimicis Synodi Chalcedonenſis Acacium communicantem a ſua communione depellere? Sed inquiunt: Acacius Principi obuiare non potuit. Cur Baſiliſco, quia voluit obuiauit? Cur ipſe Zenoni, ne palam Petro Antiocheno, quamuis latenter hoc fecerit, communicare videretur, non commodauit aſſenſum? Ecce reſultanti non inſtitit Imperator: ecce vim nolenti non intulit: ecce refugienti contagia manifeſta conceſſit: poſtremo, cur tanto tempore, quum iſta gererentur, vel gerenda cognoſceret, non ad Sedem Apoſtolicam, a qua ſibi curam illarum regionum nouerat delegatam, referre maturauit? Sed prius laudator factus eſt ipſe geſtorum, quam vel praemoneret talia non eſſe tentanda, vel ne tentarentur, obſiſteret, ſicut ſub Baſiliſco iam fecerat. Cur illis ceteris communicare conſenſit, qui depulſis Catholicis Sacerdotibus, indubitanter haeretici ſingulis vrbibus fuerant ſubſtituti? Poſtremo ille defuit ſuis partibus, et quae Sacerdoti Catholico competerent, agere faſtidiuit, ideo Sedes Apoſtolica, quod ad eandem pertinebat, vel potuit, vel debuit praeterire? Quolibet igitur modo haereticorum complicem refutauit, et conſortem communionis externae, a ſua comunione dimouit: nec opus fuit noua Synodo, quum veteris conſtituti ſufficienter haec forma praeſcriberet. Nec opus fuit, vt haec ſcienda Orientis Epiſcopis intimaret, quos expulſione Catholicorum, quae agebantur in cauſa fidei, non ignoraſſe manifeſtum eſt; et communicando haereticis ſubrogatis, facto tali conſenſiſſe non dubium eſt; etiam cum externae communionis effectis nec potuiſſe, nec debuiſſe Sedis Apoſtolicae ſcita tractari. Ecce agnouerunt in eorum profeſſione, qui conſtantiſſime perdurarunt, quid fidei communionique Catholicae deberetur. Ecce agnouerunt, quemadmodum a talibus recedendo, imo talibus contraria moliendo, a fide et communione Catholica deuiarit Acacius, ſeque pariter cum eodem errori ſubdiderint. Ecce agnouerunt, quam iuſtis

ex

ex cauſis pro fide, et communione Catholica, atque Apoſtolica, cui et illi, qui in ea perſtiterant, congruebant, et hi, qui perſtantibus obuiabant, ab eadem docebantur alieni, Sedis Apoſtolicae auctoritate ſit remotus Acacius: ad cuius praecipue vocatus examen vel venire, vel mittere non curauit, vt ſe de his omnibus, vt confidebat, abſolueret; eiusque pariter quicunque complices exſtiterunt; atque ab illa merito cum his communione diſcretus, a qua ſe ipſe primum cum ſuis conſortibus, Catholicis Pontificibus diſcrepando, cognoscitur ſeparaſſe: Iureque ſententiam ille damnationis excepit, ceteris conſortibus promulgandam; qui ſolus pro omnibus ſuis conſortibus in communionem ſe recidisſe perfidiae, ad Apoſtolicam Sedem misſis litteris eſt profeſſus. Cui Acacio, ſi communicauerant Orientales Episcopi antequam huc referret, pari vtique reatu ſine dubio probabantur inuolui; itaque per illum transgreſſionis ſententiam ſusceperunt, tamquam facti cum eodem communionis externae, qui vtique non conſuli, tanquam noſtrae communionis homines iam deberent, ſed tamquam in contrario poſiti conſortio refutari. Si vero non communicauerant antequam Acacius buc referret; et communicantem notare debuerant, et ipſi de eodem potius huc referre, atque Apoſtolicae Sedis vigore perculſum merito comprobare, cumque Sede Apoſtolica, tantisque illis Catholicis Pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum ſocietate deſciuerant, et eorum ſucceſſoribus communicare delegerant; Ideo cum Sede Apoſtolica minime congruebant. Quia in ſortem reciderant praeuaricationis Acacii, et illius ſe ſine dubio pervidebant ſententia conſequenter adſtringi; ob hoc eum videri nolebant eſſe damnatum; quia ſe cognoscebant in eadem praeuaricatione damnatos, in qua hodie quoque manere perſiſtunt. Sed ſicut ii ſimili conditione conſtricti complicem ſuum non poſſunt indicare non iure damnatum, neque reum poſſint competenter abſoluere; ſic illo iuſte praeuaricatore damnato, ipſi quoque pari iacent damnatione proſtrati neque niſi reſipiscentes, inde poterunt prorſus abſolui: quia ſicut per vnum ſcribentem eorum omnium vulgata transgreſſione, qui in eandem perfidiae reciderant actionem: ſic in vno eodemque, qui pro omnibus ſcripſerat, vel ſcribendo omnium prodiderat voluntates, transgreſſione punita, pariter quoque cum eodem, vel in eodem eſt complicum transgreſſio punita cunctorum. Quae tamen ſententia in Acacium deſtinata, etſi nomine tantummodo Praeſulis Apoſtolici, cuius erat vtique poteſtatis legitimae, probatur eſſe deprompta, praecipue quum ſecreto dirigenda videretur; ne cuſtodiis vbique praeſentibus diſpoſitio ſalutaris quibuslibet difficultatibus impedita, neceſſarium habere non poſſet effectum; tamen quia Orthodoxis vbique deiectis, et haereticis tantummodo, eorumque conſortibus iam relictis in Oriente, Catholici Pontifices, aut reſidui omnino non eſſent, aut nullam gererent libertatem: plurimorum in Italia Catholicorum congregatio Sacerdotum rationabiliter in Acacium ſententiam commouit fuiſſe prolatam: quae congregatio facta Pontificum non contra Chalcedonenſem, non tanquam noua Synodus contra veterem, primamque cognouit; ſed potius ſecundum tenorem veteris conſtituti particeps Apoſtolicae exſecutionis effecta eſt: vt ſatis appareat Eccleſiam Catholicam, Sedemque Apoſtolicam, quia iam alibi omnino non poſſet, vbi potuit, et cum quibus potuit, nihil penitus omiſiſſe, qnod ad Fraternum pertineret pro intemerata, et ſincera communione tractatum. Quae quum vniuerſa nouerint, qui videntur Eccleſiis Orientalibus nunc praeeſſe; propterea Chriſtianam reparari legitima curatione refugiunt vnitatem: quia occaſionem diſſenſionis huius ſuis ambitionibus ſuffragantem deponere iam recuſant; quia ſine

auctoritate Sedis Apoſtolicae omnium Eccleſiarum paſſim iura confundunt; magis eligentes in errore perſiſtere, quam praeſumptionum ſuarum perdere facultatem: plus vſurpationum ſuarum licentiam diligentes, quam Diuini iudicii tenentes corde reſpectum. In quo neceſſe eſt, velint, nolint tam de fidei, communionisque Catholicae ſinceritate neglecta, quam de Paternis Canonibus euidenter irruptis recipiant, quod merentur: niſi dum hic tempus admittit, haec damnationis aeternae pericula correctis mentibus ſtudeant declinare: vt poſſint non tales permanere. quibus inſolubilis eſt lata ſententia, ſed a talibus recedentes, ab eadem ſententia non teneri: quae ſicut in errore durantibus nunquam ſoluenda praefixa eſt; ſic ab his erit aliena, qui exſtiterint puniendae prauitatis immunes. Haec vero ad inſtructionem veſtrae Dilectionis ſatis abundeque ſufficere iudicamus, quamuis eadem latius, ſi Dominus conceſſerit facultatem, ſtudeamus exponere: quatenus et fidelium quisque cognoscat, nihil Apoſtolicam Sedem (quod abſit) praepropere cenſuiſſe: et non habere, quod iuſte poſſit opponere, peruerſa doceatur improbitas. Recte autem faciet veſtra Dilectio, vt iſta, quae ſcribimus, pariter Catholicis, et contraria ſapientibus innoteſcant: quo et ſanis neceſſaria firmitas, et maleſanis competens medicina praebeatur. Datum Calendis Februarii, Victore viro Clariſſimo Conſule.

II.

Eiusdem Epiſtolae Forma breuior.

Dilectiſſimis Fratribus, vniuerſis Episcopis per Dardaniam conſtitutis Gelaſius.

Valde mirati ſumus, quod veſtra Dilectio quaſi nouam, et veluti difficilem quaeſtionem, et adhuc tamquam inauditum quippiam noſſe deſiderat, quod Eutychianae peſtilentiae communicatores, non habentes quid pro ſuae perditionis obſtinatione reſpondeant; frequenti iam ratione conuicti, ſola contentione ſummurmurant: non quia ſit alicuius momenti, quod garriunt, nec inueniunt penitus quid loquantur. Vbi magis eos, qui Catholicis ſenſibus inſtituti ſunt, adhuc haerere miramur, quam illos, qui a veritate exciderunt, et ab antiqua Eccleſiae traditione ſunt deuii, profanas vocum nouitates, et ineptias caducae peruerſitatis obtendere. Quibus eos veſtra Dilectio retulit iactitare, ideo Acacium non putare iure damnatum, quod non a ſpeciali Synodo videatur fuiſſe deiectus, et inſuper dementiam ſuae vanitatis accumulare pueriliter adiicientes: *praecipue Pontificem Regiae ciuitatis.* Quapropter ſtultitiam reſpuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipſis beatis Apoſtolis, et conſiderare prudenter, quoniam Patres noſtri, Catholici videlicet, doctique Pontifices, in vnaquaque haereſi quolibet tempore ſuſcitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica, atque Apoſtolica ſecundum ſcripturarum tramitem, praedicationemque maiorum facta ſemel congregatione ſanxerunt, inconuulſum deinceps voluerint, firmumque conſtare, nec in eadem cauſa denuo, quae praefixa fuerant, tractari, qualibet recenti praeſumptione permiſerint; ſapientiſſime prouidentes, quoniam ſi decreta ſalubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra ſingulos quosque prorſus errores ſtabile perſiſteret Eccleſiae conſtitutum, ac ſemper iisdem furoribus recidiuis omnis integra diffinitio turbaretur. Nam ſi limitibus etiam praefixis poſitarum ſemel Synodalium regularum, non ceſſant eliſae peſtes reſumptis certaminibus, contra fundamentum ſeſe verita-

ritatis attollere, et ſimplicia quaeque corda percutere: quid fieret, ſi ſubinde fas eſſet perfidis inire conſilium? quum quaelibet illa manifeſta ſit veritas, nunquam deſit, quod pernicioſa depromat falſitas; etſi ratione, vel auctoritate deficiens, ſola tamen intentione non cedens. Quae maiores noſtri Diuina inſpiratione cernentes, neceſſarie praecauerunt, vt quod contra vnam quamque haereſim coacta Synodus pro fide, communione, veritate Catholica, atque Apoſtolica promulgaſſet; non ſinerent nouis poſt haec retractationibus mutilari, ne prauis occaſio praeberetur, quae medicinaliter fuerant ſtatuta, pulſandi; ſed auctore cuiuslibet inſaniae, ac pariter errore damnato, ſufficere iudicarunt, vt quisquis aliquando huius erroris communicator exiſteret, principali ſententia damnationis eius eſſet obſtrictus; quoniam manifeſte quilibet, vel profeſſione ſua, vel communione poſſet agnoſci.

Et, vt breuitatis cauſa priora taceamus, quae diligens inquiſitor facile poterit veſtigare: Sabellium damnauit Synodus: nec fuit neceſſe, vt eius ſectatores poſtea damnarentur, ſingulas viritim Synodos celebrari, ſed quo tenore conſtitutionis antiquae cunctos, qui vel prauitatis illius, vel communionis extitere participes, vniuerſalis Eccleſia duxit eſſe refutandos. Sic propter blaſphemias Arii, forma fidei, communionisque Catholicae Nicaeno prolata conuentu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc peſtem ſiue ſenſu, ſiue communione deciderit, ſine retractatione concludit. Sic Eunomium, Macedonium, Neſtorium Synodus ſemel geſta condemnans, vlterius ad noua Concilia venire non ſiuit; ſed vniuerſos quocunque modo in has blaſphemias recidentes, tradito ſibi limite Synodali refutauit Eccleſia; nec vnquam recte ceſſiſſe manifeſtum eſt, qualibet neceſſitate cogente, nouiter, quae fuerant ſalubriter conſtituta, temeraſſe. Non autem nos latet in tempeſtate perſecutionis Arianae plurimos Pontifices de exiliis, pace reddita, reſpirantes per certas prouincias congregatis ſecum Fratribus Eccleſias compoſuiſſe turbatas; non tamen, vt illius Synodi Nicaenae, quidquid de fide, et communione Catholica diffiniuerat, immutarent, nec noua quemquam prolapſum damnatione percellerent, ſed illius decreti tenore, niſi reſipuiſſet, iudicauere damnatum, eſſetque conſequens, vt niſi corrigeret, damnationi procul dubio ſubiaceret. Quibus conuenienter, vt dictum eſt, ex paterna traditione perpenſis, confidimus, quod nullus iam veraciter Chriſtianus ignoret vnius cuiusque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiae probauit aſſenſus, nullam magis exequi Sedem oportere prae ceteris, quam primam, quae et vnamquamque Synodum ſua auctoritate confirmat, et continuata moderatione cuſtodit; pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Apoſtolus Petrus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilo minus ſubſequente, et tenuit ſemper, et retinet.

Haec dum Acacium certis comperiſſet indiciis a veritate deuiaſſe, diutius iſta non credens, quippe quem nouerat executorem ſoepe neceſſariae diſpoſitionis ſuae contra haereticos extitiſſe, per triennium fere litteris deſtinatis eundem monere non deſtitit, ſicut per diuerſos miſſa familiariter ſcripta teſtantur. Quibus ille primum tanquam dedito ſilentio nihil reſpondere proponens, tandem aliquando miſſis litteris profitetur, ſe Alexandrino Petro, quem expedita Apoſtolicae Sedis executor ipſe quoque damnauerat, absque Apoſtolicae Sedis notitia communione permixtum. Beati autem Petri Sedes, quae Alexandrinum Petrum ſe tantummodo damnaſſe, non etiam ſoluiſſe nouerat,

non recepit; atque ideo, ne per Acacium in Petri quoque conſortium duceretur, ipſum quoque a ſua communione ſubmonit, et multis modis transgreſſorem a ſua ſocietate fecit alienum. Hic ſi examinatio quaeritur, iam iudicio non erat opus, poſtquam litteris ſuis ipſe confeſſus eſt. Si auctoritatis pondus inquiritur, Chalcedonenſis Synodi tenore illius definitionis executio reperitur, quo damnati illic erroris communicator effectus, praefixae nihilo minus damnationis particeps exiſteret; quoniam idem ipſe error, qui ſemel eſt cum ſuo auctore damnatus, in participe quolibet prauae communionis effecto, et execrationem ſui geſtat, et poenam. Quo tenore Timotheus etiam, atque ipſe Alexandrinus Petrus, qui ſecundam certe Sedem tenuiſſe videbantur, non repetita Synodo, ſed auctoritate tantum modo Sedis Apoſtolicae, ipſo quoque Acacio poſtulante, vel exequente, probantur eſſe damnati. Quodſi, vtrum errori, vel praeuaricationi communicarit Aca ius, forſitan dicatur oportuiſſe conſtare, breuiter praebemus ad iſta reſponſum, aut enim ipſi doceant Petrum veraciter, legitimeque purgatum, et ab omni haereticorum contagione rite diſcretum, quum ei communicauit Acacius, ſi eius communicatorem putant Acacium aliquatenus excuſandum; aut ſi, quod magis eſt verum, conuenienter, atque legitime Petrum non probauerint expiatum, reſtat vt eius inexpiatione fuerit, et qui ei communicauit, infectus.

Nec plane tacemus, quod cuncta per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum, Sedes beati Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi: vtpote, quae de omni Eccleſia fas habeat iudicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.

Quapropter conſtat ſatis Acacium nullum habuiſſe Pontificium, ſententiam Sedis Apoſtolicae ſine vlla eius notione ſoluendi. Qua certe Synodo hoc ille praeſumſit, quod nec ſic absque Apoſtolica Sede fas quidem haberet efficere? Cuius Sedis Epiſcopus? cuius Metropolitanae ciuitatis Antiſtes? Nonne Parochiae Heracleenſis Eccleſiae? ſi illi certe licuit ſine Synodo ſententiam Apoſtolicae Sedis abrumpere, nulla eius conſultatione quaeſita; itane vero non licuit primae Sedi, Chalcedonenſis Synodi conſtituta, ſicut decuit, exequenti, huiusmodi praeuaricatorem ſua auctoritate detrudere? Sed nec illa praeterimus, quod Apoſtolica Sedes frequenter, vt dictum eſt, more maiorum, etiam ſine vlla Synodo praecedente, exſoluendi, quos Synodus iniqua damnauerat, et damnandi nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae quippe memoriae Athanaſium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apoſtolica, quia damnationi Graecorum non conſenſit, abſoluit. Sanctae memoriae nihilo minus Ioannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Praeſulum certe damnauerat, quem ſimili modo Sedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſoluit. Itemque Sanctum Flauianum Pontificem Graecorum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam Sedes Apoſtolica non conſenſit, abſoluit; potius, qui illic receptus fuerat, Dioſcorum ſecundae Sedis Praeſulem ſua auctoritate damnauit, et impiam Synodum non conſentiendo ſola ſummouit, et pro veritate, vt Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decreuit. In qua vt ergo ſola ius habuit abſoluendi eos, quos Synodica decreta perculerant, ſic etiam ſine Synodo in hac eadem cauſa, plurimos etiam Metropolitanos damnaſſe cognoſcitur.

Quod ſi quis haec ab Apoſtolica Sede

Sede, vel ſecundum Synodum acta reprehendit, praeter quod priſca rerum probatione conuincitur, interim multo magis Acacio non licuiſſe fatebitur. Dicat ergo, qua ipſe Synodo ſecundae Sedis Antiſtitem qualemcunque, certe Catholicum, et a Catholicis ordinatum, nec de Catholica fide, et communione aliquatenus impetitum, duxerit excludendum; et haereticum manifeſtum Petrum, ſua quoque executione damnatum, Catholico Pontifici permiſerit ſubrogari? Qua Synodo tertiae Sedis Epiſcopum Sanctum Calendionem fecit expelli, ac nihilominus eidem Petrum tam manifeſtum haereticum, vt eidem palam nec ſe communicare praetenderet, ſua paſſus eſt diſpoſitione ſubſtitui? Qua denique per totum Orientem Synodo, eiectis Orthodoxis nullo crimine maculatis, prauos quosque, et criminibus inuolutos ſua prouiſione ſuppoſuit? Qua Synodo tot aliena priuilegia nefandus populator inuaſit? ſed libri non ſufficient, ſi tragoedias eius, quas per Eccleſias totius Orientis exercuit, ſingillatim deſcribere molianur. An illud ipſius argumentum nobis aeſtimant opponendum, quo facinora ſua in Imperialem viſus eſt iactare perſonam? Cur igitur, quando voluit, obſtitit Baſiliſco tyranno? certe et haeretico vehementer infeſto? cur ipſi Imperatori Zenoni, quia palam Antiocheno Petro noluit communicare, ſuam non ſubdidit voluntatem? Ecce potuit in aliis reſultare, ſi vellet. An non Apoſtolus dicit: *Non ſolum qui faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus, reatu pariter ſunt irretiti.* Sed vt ea, quae latius explicanda ſunt, omittamus, quid, quod ipſe Zenon Imperator ſuis litteris profitetur cuncta ſe ſe ex Acacii geſſiſſe conſilio, nec hoc eum fallere ſuis litteris ipſe quoque teſtatur Acacius, qui et eum nihilo minus vniuerſa recte geſſiſſe conſcripſit, et ſuo conſilio haec eadem geſta non tacuit. Quaſi vero tantum in Alexandrini Petri communione Acacius praeuaricator extiterit, et non in omnibus, quos vel fecit, depulſis Catholicis Pontificibus, tanquam tyrannus, Eccleſiis quibuscunque praeponi; vel taliter praepoſitis peruerſa communione permixtus eſt, qui hoc ipſo ſecundum Canones fuerant ab Eccleſiaſtica communione pellendi, quo ſe paſſi ſunt ſucceſſores viuis Sacerdotibus adhiberi. Quis autem non perſpiciat Chriſtianus, quod Catholicis Pontificibus a propria Sede deiectis, non niſi haeretici potuerunt introduci? Quibus tamen cunctis, vel auctor fuit Acacius ſubrogandis, vel ſubrogatis communicator acceſſit, his vtique qui a communione nullatenus diſcrepabant. Cur ergo vel quum haec fieri videret, non, ſicut ſub Baſiliſco iam fecerat, ad Apoſtolicam Sedem referre curauerat: vt ſi ſolus ipſe non poterat, iunctis cum eadem conſiliis, atque tractatibus apud Imperatorem poſſent, quae religioni competerent, allegari? Nam ſi Baſiliſcus, vt dictum eſt, tyrannus haereticus, ſcriptis Apoſtolicae Sedis vehementer infractus eſt, et a plurimis reuocatus exceſſibus; quanto magis legitimus Imperator, qui ſe Catholicum videri volebat, potuit cum Apoſtolica Sede, cunctorum quoque Pontificum moderata ſuggeſtione mitigari, praecipue quum eiusdem Acacii eſſet ſpecialis fautor, et amator, et qui litteris ſuis tam ipſum Acacium, quam Sanctum Papam Simplicium magnis laudibus extuliſſet, quod haeretico conſtantiſſime reſtitiſſent? Cur tanto tempore Acacius inter iſta conticuit; niſi quia praepediri nolebat vllatenus, quae deſiderabat expleri.

Ponamus tamen, etiamſi nulla Synodus praeceſſiſſet, cuius Apoſtolica Sedes recte fieret executrix, cum quibus erat de Acacio Synodus ineunda? Numquid cum his, qui iam participes tenebantur Acacio, et per Orientem totum Catholi-

tholicis Sacerdotibus violenter excluſis, et per exilia diuerſa relegatis, ſocii euidenter exiſtebant communionis externae, prius ſe ad haec conſortia transferentes, quam Sedis Apoſtolicae ſcita conſulerent? Cum quibus ergo Synodus erat ineunda? Catholici Pontifices fuerant vndique iam depulſi, ſolique remanſerant ſocii perfidorum, cum quibus iam nec licebat habere conuentum, dicente pſalmo: *Non ſedi cum conſilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.* Nec Eccleſiaſtici moris eſt, cum his, qui pollutam habent communionem, permixtamque cum perfidis, miſcere Concilium. Recte igitur per Chalcedonenſis Synodi formam huiusmodi praeuaricatio repulſa eſt, potius, quam ad Concilium, quod nec opus erat poſt Synodum primam, nec cum talibus haberi licebat, adducta eſt. Nam et quid ageretur de fide Catholica, intelligere ſi vellent, ignorare non poterant; quum viderent Catholicos Pontifices, nulla Synodi diſcuſſione, nullo Concilio, praecipue quum nouas cauſas eſſe perpenderent, toto Oriente depelli: et ceteri, quid cauerent, ex illorum qualitate diſcernere potuiſſent. Reſtat igitur, vt illius partis eos fuiſſe ſit clarum, cui ſe poſt tot experimenta dederunt, meritoque ab Apoſtolica Sede, ceteriſque Catholicis non iam conſulendi erant, ſed potius notandi. Riſimus autem quod praerogatiuam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit Regiae ciuitatis. Numquid apud Mediolanum, apud Rauennam, apud Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non conſtitit Imperator? Numquidnam harum vrbium Sacerdotes vltra menſuram ſibimet antiquitus deputatam quippiam ſuis dignitatibus vſurparunt? Numquid Acacius, vt Ioannem quemlibet hominem, Catholicum tamen, a Catholicis ordinatum de Alexandria excluderet, Petrumque in haereſi iam detectum, atque damnatum, absque Sedis Apoſtolicae conſultatione reciperet, aliqua Synodo ſaltem illic habita hoc audacter arripuit? vt Calendionem de Antiochia depelleret, haereticumque Petrum, quem ipſe damnauerat, absque notitia Sedis Apoſtolicae rurſus admitteret, aliqua Synodo id feciſſe monſtratur? Si certe de dignitate agitur ciuitatum, ſecundae Sedis, et tertiae maior eſt dignitas Sacerdotum, quam eius ciuitatis, quae non ſolum inter Sedes minime numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum iura cenſetur. Nam quod dicitis: *Regiae ciuitatis;* alia poteſtas eſt regni ſecularis, alia Eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua ciuitas praerogatiuam praeſentis regni non minuit, ſic Imperialis praeſentia menſuram diſpenſationis Religioſae non mutat. Sit clara vrbs illa poteſtate praeſentis Imperatoris: religio ſub eodem tunc firma, tunc libera, tunc prouecta conſiſtit, ſi potius hoc praeſente propriam teneat ſine vlla perturbatione menſuram.

Sed dicatur forſitan de Alexandrino, et Antiocheno, certis ex cauſis Principem magis illa, quae geſta ſunt, non Acacium praecepiſſe. Sed Principi Chriſtiano decuerat ſuggerere Sacerdotem, maxime cuius familiaritate, et fauore fruebatur, ſaluam fore de eius iniuria, contumeliaque vindictam, tantum vt Eccleſiae ſineret Chriſtianus Princeps regulas cuſtodiri, quia et noua in vtroque Pontifice cauſa eſſet exorta, et nouam diſcuſſionem conſequenter inquireret. Et ſi, ſicut ſemper eſſet effectum, Sacerdotali Concilio de Sacerdotibus iudicia prouenirent; non a ſeculari viderentur qualeſcunque pontifices, etſi errore humanitus accedente, non tamen contra religionem vllatenus excedente, poteſtate percelli. An et haec iuſta ratione Principi ſuggerenda non erant?

erant? Regiae ciuitatis honore ſublimis, ſi factus erat illa regia ciuitate ſublimior, tanto magis in his ſuggerendis debuit eſſe conſtantior. Si autem in his, quae pro religione fuerant exercenda, extitit contemptibilis, atque deſpectus, et aut ſegnis, aut fiduciam non babens intimandi, in quo per Regiam ciuitatem maior effectus eſt? Nathan Propheta palam, publiceque in facie Regi Dauid, et commiſſum pronunciauit errorem, et ipſum commiſiſſe non tacuit, et confeſſione correctum conſequenter abſoluit. Hic autem vir bonus, et Sacerdos egregius, in tantum ſe et ſuggerere potuiſſe monſtrauit, et noluiſſe deprompſit, immo fauiſſe patefecit, vt et Imperator cuncta ſe ex eius geſſiſſe conſilio non taceret, et ipſe Imperatorem magnis praeconiis elenaret iſta facientem; ſe ſeque proderet his agendis rebus fuiſſe participem.

Sed eſto Caleudion nomen Imperatoris abſtulerit, Ioannes Principi mentitus fuiſſe iactetur: quae tamen, quum nouae eſſent cauſae, noua debuit Eccleſiaſtica prouenire diſcuſſio. An qui in hominem Imperatorem peccaſſe dicebantur, nulla interueniente Synodo deiici debuerunt: et in DEVM qui ſummus, et verus eſt Imperator, Acacium delinquentem, ſinceramque communionem Diuini Sacramenti ſtudentem miſcere cum perfidis, ſecundum Synodum, qua haec eſt damnata perfidia, non oportebat excludi? Quid per totum Orientem de innumeris vrbibus pulſi Catholici Sacerdotes, et haeretici ſubrogati? Nouae certe erant cauſae, et his conſequenter noua Synodus debebatur. Cur tunc non venit in mentem, vt in talibus cauſis peteretur a Principe ſaltem qualiscumque Synodus celebranda, vt quocunque vel colorato iudicio traditionis Eccleſiaſticae, paſſim Pontifices viderentur excluſi, non ſolum quarumcumque vrbium Sacerdotes, ſed Metropolitani incunctanter Antiſtites? His omnibus quum non reſtitit ſuggeſtione, qua potuit, conſenſit Acacius communicando cunctis, qui in Catholicorum locum haeretici fuerant ſubrogati. Apoſtolus autem dicit: *Non ſolum, qui faciunt, ſed et qui conſentiunt facientibus,* reos indubitanter adſcribi. An haec licuit ſeculari poteſtati, et actis talibus Acacio conſentienti abſque vlla Synodo, quam ipſa rerum nouitas exigebat, abſque Sedis Apoſtolicae conſultatione perficere; et Sedi Apoſtolicae non licuit ſecundum tenorem Synodi Chalcedonenſis, in veteri vtique cauſa, et veteri conſtituto iuſta definitione damnatis inimicis Synodi Chalcedonenſis Acacium communicantem a ſua communione depellere? ſed Acacius, inquiunt, Principibus obuiare non potuit. Cur Baſiliſco, quia voluit, obuiauit? cur ipſi Zenoni, ne palam Petro Antiocheno, quamuis latenter hoc fecit, communicare videretur, non commodauit aſſenſum? Ecce reſultanti non reſtitit Imperator, ecce vim nolenti non intulit: ecce refugienti contagia manifeſta conceſſit: poſtremo cur tanto tempore, quum iſta gererentur, vel gerenda cognoſceret, non ad Sedem Apoſtolicam, a qua ſibi curam illarum regionum nouerat delegatam, deferre curauit? ſed prius laudator factus eſt ipſe geſtorum, quam vel praemoneret talia eſſe tentanda, vel ne tentarentur obſiſteret: ſicut ſub Baſiliſco iam fecerat. Cur illis ceteris communicare conſenſit, qui depulſis Catholicis Sacerdotibus, indubitanter haeretici ſingulis vrbibus fuerant ſubſtituti? poſtremo ſi ille defuit ſuis partibus, et quae Sacerdoti Catholico competerent, agere non curauit: ideo Sedes Apoſtolica, quod ad eam pertinebat, vel potuit, vel debuit praeterire? Quolibet modo haereticorum complicem refutauit, et conſortem communionis externae a ſua communione dimouit, nec opus fuit noua Synodo, quum veteris conſtituti ſufficienter hoc forma praeſcriberet; nec opus fuit, vt haec facienda

Ori-

Orientis Epiſcopis intimaret, quos et expulſione Catholicorum, quae agebantur in cauſa fidei, non ignoraſſe manifeſtum ſit, et communicando haereticis ſubrogatis, facto tali conſenſiſſe; non dubium eſt etiam externae communionis effectos, atque ideo cum eis iam nec potuiſſe, nec debuiſſe Sedis Apoſtolicae ſcita tractari. Ecce agnouerunt in eorum profeſſione, qui conſtantiſſime perdurarunt, quid fidei, communionique Catholicae deberetur. Ecce agnouerunt, quemadmodum a talibus recedendo, imo talibus contraria moliendo, a fide, et communione Catholica deuiarit Acacius, ſeque pariter cum eodem errori ſubdiderint. Ecce agnouerunt, quam iuſtis ex cauſis pro fide, et communione Catholica, atque Apoſtolica, cui et illi, qui in ea perſtiterant, congruebant, et illi qui perſtantibus obuiabant, ab eadem docebantur alieni, Sedis Apoſtolicae auctoritate ſit remotus Acacius, eiusque pariter, quicunque complices extiterunt; atque ab illa merito communione cum his diſcretus, a qua ſe ipſe primum cum ſuis conſortibus, a Pontificibus Catholicis diſcrepando, cognoſcitur ſeparaſſe, iureque ſententiam ille damnationis excepit, ceteris conſortibus promulgandam, qui ſolus pro omnibus ſuis conſortibus in communionem ſe recidiſſe perfidiae, ad Apoſtolicam Sedem miſſis litteris eſt profeſſus. Cui ſi communicauerant Orientales Epiſcopi, antequam huc referret, pari vtique ſine dubio reatu probantur inuolui, iureque per eum ſententiam transgreſſionis ſuſceperunt, tanquam facti cum eodem communionis externae. Qui vtique non conſuli, tanquam noſtrae communionis homines iam deberent: ſed tanquam in contrario poſiti conſortio refutari. Si vero non communicauerant, antequam Acacius huc referret, et communicantem notare debuerant, et ipſi potius de eodem huc referre, atque Apoſtolicae Sedis vigore perculſum merito comprobare; cumque ea Sede Apoſtolica, tantisque illis Catholicis Pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum ſocietate desciuerant, et eorum ſucceſſoribus communicare delegerant, ideo cum Sede Apoſtolica minime congruebant, quia in ſortem reciderant praeuaricatoris Acacii, et illius ſe ſine dubio peruidebant ſententia conſequenter adſtringi. Ob hoc eum videri nolebant eſſe damnatum, quia ſe cognoscebant in eadem praeuaricatione damnatos, in qua hodieque manere perſiſtunt. Sed ſicut hi ſimili conditione conſtricti, complicem ſuum non poſſunt iudicare non iure damnatum; neque rei reum poſſunt competenter abſoluere; ſic illo praeuaricatore iuſte damnato, iſti quoque pari iacent damnatione proſtrati: neque niſi reſipiſcentes, inde poterunt prorſus abſolui; quia ſicut per vnum ſcribentem eorum omnium vulgata transgreſſio eſt, qui in eandem perfidiae reciderant actionem; ſic in vno eodemque, qui pro omnibus ſcripſerat, vel ſcribendo omnium prodiderat voluntates, tansgreſſio eſt punita cunctorum.

Quae ad inſtructionem veſtrae Dilectionis ſatis abundeque ſufficere iudicamus, quamuis eadem latius, ſi Dominus conceſſerit facultatem, ſtudeamus exponere: quatenus et fidelium quisque cognoscat nihil Apoſtolicam Sedem, quod abſit, praepropere cenſuiſſe. Quae tamen ſententia in Acacium deſtinata, et ſi nomine tantummodo Praeſulis Apoſtoliti, cuius erat vtique poteſtatis, legitime probatur eſſe deprompta, praeſertim quum ſecretim dirigenda videretur, ne cuſtodiis vbique praetentis diſpoſitio ſalutaris, quibuslibet difficultatibus impedita neceſſarium non poſſet habere effectum: tamen quia Orthodoxis vbique deiectis, et haereticis tantummodo

eorum-

eorumque conſortibus iam relictis in Oriente, Catholici Pontifices haud reſidui omnino eſſent, aut nullam gererent libertatem, plurimorum in Italia Catholicorum congregatio Sacerdotum rationabiliter cognouit ſententiam in Acacium fuiſſe prolatam. Quae congregatio facta Pontificum, non contra Chalcedonenſem, non tanquam noua Synodus contra veterem, primamque conuenit, ſed potius ſecundum tenorem veteris conſtituti, particeps Apoſtolicae executionis effecta eſt; vt ſatis appareat Eceleſiam Catholicam, Sedemque Apoſtolicam, quia alibi iam omnino non poſſet, vbi potuit, et cum quibus potuit, nihil penitus omiſiſſe, quod ad fraternum pertineret pro intemerata fide, et ſincera communione tractatum.

III.

Eiusdem ad Honorium Salonitanum Epiſcopum Anno Chriſti CCCCXCIII.

Dilectiſſimo Fratri Honorio Gelaſius.

Licet inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati, vix reſpirare valeamus; pro Sedis tamen Apoſtolicae moderamine, totius Ouilis Dominici curam ſine ceſſatione tractantes, quae B. Petro Saluatoris ipſius noſtri voce delegata eſt: *et tu conuerſus confirma Fratres tuos;* et item: *Petre amas me? paſce oues meas;* diſſimulare nec poſſumus, nec debemus, quae noſtram ſollicitudinem forma perſtringat, cum B. Paulo Apoſtolo ſentientes atque dicentes: *quis infirmatur, et ego non infirmor? quis ſcandalizatur, et ego non vror?* ita quippe nos repente triſtis, horrenda, et vix credibilis confecit opinio, vt mentem noſtram confunderet, sauciaret, affligeret. Nunciatum nobis eſt enim in Regionibus Dalmatiarum quosdam recidiua Pelagianae peſtis zizania ſeminaſſe: tantumque illic praeualere blaſphemiam, vt ſimplices quosque mortiferi furoris inſinuatione decipiant. Eſt quidem error ipſe nefarius tanto pernicioſior ad ſubripiendum, quanto ad fallendum veriſimilitudinis colore verſutior: praeſtante Domino adeſt fidei Catholicae pura veritas concordibus vniuerſorum patrum deprompta ſententiis, quae et ſubtile virus funeſtae prauitatis exponat, et humano generi ſaluando conferat de ſcripturarum confectione medicinam. Nullatenus igitur diſcretionem rerum nondum abundantia corda conturbet, donec et occultum vulnus appareat, et ſalnatio ſingularis eluceat: quoniam quantalibet arte fallaciae ſpiritus perditionis armetur, ſancto gladio Spiritus principalis et detegitur, et necatur. Quapropter per Dilectionem tuam, cunctos ibidem Domini Sacerdotes Fraterno commonemus affectu, vt qui cum erudiente vos Domino contra nouitios pugnetis errores, olim peruerſitatem toto orbe damnatam, nec ipſos recipere debeatis, aut quod temere putatur eſſe faciendum; quae non haereſis a maioribus noſtris conuenienter extincta rurſus prouocare nos audeat, et palam nouis reſumptis viribus, aperteque conſligat. Numquidnam licet nobis a venerandis patribus damnata diſſoluere? et ab illis exciſa nefaria dogmata retractare? quid eſt ergo, quod magnopere praecauemus, ne cuiuslibet haereſis ſemel deiecta pernicies ad examen denuó venire contendat? Si quae antiquitus a noſtris maioribus cognita, diſcuſſa, refutata ſunt, reſtauranda nitamur; nonne ipſi nos (quod abſit) et quod nunquam patietur Catholica Eccleſia, aduerſariis veritatis vniuerſis contra nos reſurgendi proponimus exemplum? vbi eſt quod ſcriptum eſt? *terminos patrum tuorum non transgredieris;* et: *interroga patres*

I i

Digitized by Google

tres tuos, et annunciabunt tibi: et ſeniores tuos, et dicent tibi? quid ergo tendimus vltra definita maiorum, aut cur nobis non ſufficit? Si quid ignorantes diſcere cupiamus, qualiter ab Orthodoxis patribus, et ſenioribus ſingula quaeque, vel vitanda praecepta ſunt, vel optanda Catholicae veritati, cur non his probantur eſſe decreta? numquid aut ſapientiores illis ſumus, aut poterimus firma ſtabilitate conſtare, ſi ea, quae ab illis conſtituta ſunt, ſubruamus? aut fortaſſe neſcitis hanc haereſim, de qua loquimur, et ab Apoſtolica dudum Sede per beatae memoriae Innocentium, ac deinde Zoſimum, Bonifacium, Coeleſtinum, Sixtum, Leonem continuis, et inceſſabilibus ſententiis fuiſſe proſtratam; nec tantum Eccleſiae Catholicae legibus, ſed Principum quoque Romanorum eo tenore damnatam, vt nec vsquam terrarum viuendi locum ſectatores eius habere ſinerentur? Quae omnia tam geſtis Eccleſiae per ſingulas quasque Regiones de eorum prauitate confectis, quam cenſurae publicae Sanctionibus edocentur. Ecce quorumlibet aures Catholicas audire doctrinam, quaeſtiones accipere, tractare tendiculas, et blasphemias patienter admittere. *(a)* O ſi ſtuderent aduerſus eos maiorum noſtrorum libros, reſponſaque cognoſcere, illic modis omnibus cerneretur, nihil eſſe prorſus, quod non et ab iſtis fuerit ventilatum, et ab illis magnifica veritate contritum. Sicque de cunctis eorum nequitiis refutandis fideles quique redderentur inſtructi, vt nihil amplius quaereretur. Sed ſi forſitan ineruditos animos quaedam de eorum ſenſibus propoſita commouerunt: ita venerabilium patrum doctrinis, et omnis eorum publicatur inſania, et quibus remediis curetur, oſtenditur, vt ex his DEO praeſtante praeuiſis, cuncta, quae de eorum ſerie texuerunt, et periculoſa ſectantibus, et ſtulta deprehendentibus eſſe videantur; ita vt ſi quis exiſtimet reluctandum, non tamen veterum ſententiis contradictor exiſtat, ſed humanae ſaluti, Catholicaeque doctrinae palam ſe, aperteque profiteatur inimicum; quo magis attentius peruigil cura paſtorum a ſacris gregibus luporum debet arcere faeuitiam. Num quidquid ouibus ſanctis acciderit detrimenti, Praeſulum (quod abſit) damnet incuriam? ſicut a regeneratis agminibus nocentium depulſio beſtiarum, cuſtodum proemiis perpetuum procurauit augmentum; certe ſi, vt magis optamus, falſis haec rumoribus ſint relata, quantocyus deſideramus agnoſcere, vt qui membrorum Chriſti vexatione trepidamus, multo magis de eorum ſtabilitate laetemur. Data v. Kalend. Auguſt. Fauſto viro Clariſſimo Conſule.

IV.

Altera Gelaſii ad Honorium Epiſtola.

Dilectiſſimo Fratri Honorio Gelaſius.

Miramur Dilectionem tuam fuiſſe miratam curam Sedis Apoſtolicae, quae more maiorum cunctis per mundum

(a) Quatuor genera ſeductionum hic recenſentur, ob quas multorum fides vacillat. Primum eſt: *audire doctrinam.* De hac recte inquit edictum Praefectorum de libris Neſtorii non legendis inter acta Concilii Chalcedonenſis apud Manſi Tom. I. col. 415: *quid anima, quid fide pretioſius? quod vtrumque per huiusmodi lectionem laeditur, et dum animae praecipuam partem obuocant, vt ad deteriora labatur, occaſionem praebet,,* alterum eſt: *quaeſtiones accipere.* Interrogando, et reſpondendo genus humanum peccato implicatum fuit; dum Eva ſerpenti reſpondet, peccato tenetur obſtricta. Tertium: *tractare tendiculas*, id eſt laqueos, his enim laqueis irretiuntur, et pedem retrahere non valent. Laquei autem ſunt captioſae, et ſpecioſae argumentationes. Quartum: *blasphemias patienter admittere.* Dum enim impiam doctrinam horrere deſinunt, paulo poſt amare incipiunt, vt iam non videatur noxium, quod non eſt inſolitum.

dum debetur Eccleſiis, pro veſtrae regionis fide fuiſſe ſollicitam. Quumque ad eam perlatum eſſet, quod quidam per Dalmatias integritatem Catholicam vitiare niterentur, et diuinis humanisque legibus ante damnatum Pelagianae peſtilentiae denuo virus inferre, non putauerimus vllatenus differendum, quo minus haec diligentius inquirentes, aut ſi fortaſſe irrepſerant, de proximo ſanarentur, aut anxietatem noſtram, ſi falſo probarentur iactata, releuarent; aeſtimantes melius nos videri impatientius talia inueſtigare voluiſſe, quam creſcere diſſimulando perniciem. Neque enim vel ſilentio premere cauſam huiusmodi, vel differendo fouere deberemus. Quum dicente Magiſtro gentium: *ſollicitudine non pigri:* atque iterum: *qui praeeſt in ſollicitudine,* reos procul dubio nos, niſi continuo quaereremus, etiamſi inaniter eſſent vulgata, conuincerent. Nec intereſt per quos ad aures noſtras eadem perueniſſent; dum quomodolibet iſta referentibus, poſtquam noſtram conſcientiam penetrarent, in his veraciter indagandis paſtorales excubias eſſe non oportuerit negligentes; quatenus vel e veſtigio poſſet lupis inhiantibus obuiari, vel nullis exiſtentibus feris, ouium cuſtodia ſecura perſiſteret. Ab his, qui eſſent Chloes, Corinthiorum diſſenſiones ſe agnouiſſe teſtatur Apoſtolus, confeſtimque ſcribere non omittit, vt vel naſcentibus iurgiis pius medicator occurreret, vel de eorum comperta mox incolumitate gauderet: quod nos quoque litteris, quae ſuper hac parte dictae ſunt, indicaſſe reminiſcimur; vt ſcilicet aut irrepentibus obſiſteremus inſaniis, aut ſi nihil horum penitus accidiſſet, de Catholicae veritatis integritate laetaremur. Quapropter non ſolum Dilectio tua noſtra non debet vigilantia permoueri; ſed praeſentis colloquii ſalutatione percepta nobiscum potius induſtriam propriae ſociare ſolertiae; quatenus vel ſiue tentata ſint talia, protinus corrigantur, vel ne qualibet obreptione tententur, attentius praecauendo ſubintrare non valeant. De quibus autem ii, quos tua Charitas deſtinauit, ſi pleuius inſtrui voluerint, ſequentes tituli, (a) cum ſuis reſponſionibus intimabunt. Et quoniam ſe his acquieſcere praeſati eatenus ſunt profeſſi, vt eadem ſe, et primitus tenuiſſe firmarent, ſed ante vllius in quaeſtionem vocata vellent manifeſtius expediri, ſtuduimus quantum inter occupationes fieri potuit, quae nos minime reſpirare patiuntur, largiente Domino, ſequentes paterna veſtigia, de talibus, quae coepimus, non ſilere: quam regulam ſobrie ſentiendi quisque fideli corde ſectatur, inter Orthodoxos merito debeat aeſtimari. Quisquis vero putauerit abnuenda, ab Apoſtolicis ſe ſe non ambigat exulare doctrinis. Certe ſi quid eſt, quod valeat animum permouere, Fraternitas tua conſulere fiducialiter non omittat; vt Domini gratia miniſtrante, totius diſcutiat obſcuritatis ambiguum Fraterna collatio.

V.

Gelaſii Papae.

Aduerſus Pelagianam haereſim.

De Pelagianis quidem ſenſibus, blasphemiisque ſacrilegis, et apud maiores noſtros tam diuinis, quam humanis legibus iuſta diſcuſſione damnatis, nimis eſt copioſa materia; quia et illo-

 rum

(a) Quos commemorat, tituli non ſunt aliud, quam id, quod aduerſus Pelagianam haereſim ſcripſit, et nos infra dabimus. *Tituli* autem idem ſonat, quaſi diceret: *per ſequentia ſcripta*, conſtat enim ex illis, quae adfert du Cange, titulorum nomen pro eo vſurpatum fuiſſe. Tituli quippe Principum vocabantur litterae.

rum eſt multiplex pernitioſa peruerſitas, eoque nocentior, quo veri ſimilitudinis colore ſubtilior, quam de ipſius humani generis principe, prauo funeſtoque commento, non rite conceptam rerum conſequentium *(a)* mendaciis texuerunt. Neceſſe eſt enim, vt qui a principio deuiarit ab integro tramite, vagus vbique progrediens, quanto ſe currere fortius putet, tanto plus erret; et in his, vt competit, refutandis, disputatio prolixa debeat adhiberi: quoniam quidem perfectae medicinae mos eſt originem vel intelligere prius, vel reſerare morborum, eisque patefactis medelam conficere congruentem; quae cuncta, ſi Dominus vitam, facultatemque tribuerit, in quantum coeleſti rore vegetati valebimus, alias moliemur explicare. Nunc autem hunc articulum, qui quosdam mouere perhibetur, ſufficienter interim duximus explicandum; vt eodem conuenienter inſpecto, quod in ceteris cauere iam debebant, Domino DEO noſtro praeſtante perpendant. Aeſtimant igitur quidam in hac vita poſſe quemquam hac perfectione conſiſtere, vt nullis prorſus fragilitatis humanae pulſetur affectibus, nec corporeis exagitetur illecebris: quod quique ſi propriis viribus, ſuaeque propoſito voluntatis exiſtimet adipisci, ſemetipſum ſeducit, et veritas in eo non eſt. Nam ſi in ipſis primis hominibus, dum ſua nimirum felicitate confidunt, et tantam DEI gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod vtique nusquam feciſſe referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec vt eadem intemerata durarent, ſuppliciter implorando, incolumes conſtare nequiuerunt: quanto magis poſt praeuaricationis ruinam, in quam mala ſui confidentia, creatorem nullatenus inquirendo, lethaliter inciderunt, absque diuino munere ſuis viribus vel aegri, vel ſtare non poſſunt, ſine quo nec integri perſiſtere valuerunt. Sin vero quisquam non poſſibilitate facultatis humanae, ſed per Diuinam gratiam hoc asſerat in vita quibuslibet ſanctis poſſe conferri, bene quidem facit, (nam dono DEI cuncta poſſibilia ſunt) talia confidenter opinari, et ſperare fideliter. Sed vtrum aliqui tales extiterint, qui vsque ad hanc perfectionem vitae praeſentis accederent, ſicut nosquam euidenter adſtruitur, ſic nos facile vel firmare, vel impugnare non conuenit, magisque ſobrium eſt, ex ipſorum vocibus Prophetarum, Apoſtolorumque ſanctorum, quatenus huius vitae profectum metiri debeamus, agnoscere, quibus vtique in hoc mundo, quantum ad ſanctae vitae pertinet inſtitutum, nihil excellentius vel fuiſſe, vel eſſe manifeſtum eſt: qui etiamſi copioſiore DEI munere, vel raris omnino, vel minimis humanae conditionis paſſionibus impetiti ſunt, et affluentiore DEI gratia mortalitatis vitia facile ſuperarunt; non vsque adeo tamen expertes eorum ſe fuiſſe teſtantur, vt ſcilicet illius immaculati agni ſit proprium, nullum prorſus habuiſſe peccatum, ne non ſoli videatur eſſe deputandum, ſi alius quilibet Sanctus expers delicti fuiſſe credatur. Contenti ſimus ergo profeſſione Sanctorum; et quid de ſe ipſi magis pronuncient, audiamus, quam quid vel temere cogitandum ſit, vel noſtris opinionibus ventilandum ſine certa auctoritate ſectemur. Cur autem, quum DEVS omnipotens poſt myſterium reparationis humanae etiam id homini conferre potuerit, vt ab omnibus omnino vitiis eſſet immunis, maluerit fideles ſuos ſaluos fieri; et expectare perfectae beatitudinis firmitatem, vt quod ſperando deſideramus, rebus posſimus adipisci: cenſueritque nunc perficere in infirmitate virtutem, quam remotis infirmitatibus humanam conditionem nulla ſineret languoris exagitatione pulſari.

Quan-

(a) Lege: *conſequentiam.*

Quantum Dominus miniſtrauit, vt competit, differetur ſcripturarum teſtificationibus, contra quarum tenorem nihil eſt temere profitendum, ſuper his ſenſibus erudiri. Conſtat in ipſo primo homine Chriſtum, et Eccleſiam figuratam, beato Paulo Apoſtolo nos docente, quum de foedere ſancti coniugii loqueretur: *Sacramentum hoc* inquiens *magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, et in Eccleſia.* Itaque iam inde, vt Sanctorum quisque proceſſit, in huius Sacramenti figuratione cenſitus eſt; et hoc myſterium omnes Sancti ab Abel ſuis ſacrificiis, actionibusque geſſerunt. In Chriſto ergo, et in Eccleſia, in qua vtique generaliter praecondita eſt remiſſio peccatorum, fideles quique DEO, ſanctique vixerunt, et vsque ad legis tempora per Moyſen datae certis ſunt ſacrificiis in huius myſterii virtute purgati. Quapropter ſi eguerunt omnes myſticis immolationibus inceſſabiliter expiari, non dubium eſt vitiis humanae conditionis fuiſſe pulſatos; a quibus illos per ea remedia futuri Sacramenti neceſſarium eſſet inceſſanter abſolui. Iam vero legis tempore neminem fuiſſe ſanctorum, qui non hoſtiam obtulerit pro peccato, lectio veneranda teſtatur: in tantum, vt etiam Pontifices ſie apud DEVM cauſas agerent populi tunc fidelis, vt ipſi quoque pro ſuis delictis hoſtias immolarent, paſſimque vniuerſi Prophetae proclament peccatis ſuis veniam poſtulantes. Inde eſt quod ſanctus Job dicit: *Nemo mundus a ſorde, nec infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram:* idemque alibi: *Aſtra non ſunt munda in conſpectu tuo.* Prophetae quoque David de generalitate Sanctorum certa definitio prolata cognoscitur, quae ait: *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo; quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens:* vbi vtique neminem prorſus hominum diſcreuiſſe perſpicitur, ſicut idem planius hocipſum loquens, manifeſtiusque declarat: *Dixi: pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: et tu remiſiſti impietatem peccati cordis mei. Pro hac orabit ad Te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Qui vtique non ſolum ſub lege ſanctus eſſe, ſed in futura DEI gratia eminentioris propoſiti poſt futurus. Vnde quod ait: *In tempore opportuno:* non ſine rerum venturarum cognitione ſubiunxit etiam. Et in oratione ſua ſapientiſſimus Salomon: *Non eſt homo qui non peccauit:* et item ipſe: *Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe eſſe a peccato?* Sed ne putentur illorum temporum ſancti ab hac impaſſibilitate (a) forſitan excipiendi, quoniam conceſſis a DEO coniugibus vtebantur; quamuis et beatus Elias paſſibilis fuiſſe memoretur, quemadmodum conſequentia declarabunt: et S. Propheta Daniel non ſolum pro populi, ſed et pro ſuis peccatis perhibeatur oraſſe, ſicut ipſe dicit: *Quum orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Domino Deo meo.* Tandem veniamus ad beatos Apoſtolos, et dicat beatus ille Jacobus, qui, quum omnes vtique iuſti eſſent Apoſtoli, proprie, atque ſpeciatim iuſti viri praerogatiuam legitur aſſecutus: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quia quum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Et item poſt paululum: *vnusquisque autem tentatur a concupiscentia ſua abſtractus, et illectus. Deinde concupiscentia, quum conceperit, parit peccatum: peccatum vero, quum conſummatum fuerit, generat mortem.* Item idem: *In multis enim offendimus omnes.* Idemque ſecutus adiunxit: *Et Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis.* Dicat beatus Petrus Apoſtolus: *Cariſſimi, rogo, vt quaſi incolae, et aduenae abſtineatis vos a corporalibus voluptatibus, quae militant aduerſus animam:* et iterum: *Nolite mirari ad feruorem, qui ad tentationem nobis fit: quaſi noui aliquid vobis contingat.* Item poſtea: *Sobrii eſtote, et vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus,*

(a) Rectius: impeccabilitate.

quaſi leo fremens, circuit quaerens, quem deuoret, cui reſiſtite in fide: ſcientes easdem paſſiones in omni, quae eſt in mundo, Fraternitate veſtra fieri; a qua Fraternitate nimirum ſe ipſi fidelium ſoepe cunctorum Fratres annunciant: nec ſuam probantur diſcreuiſſe perſonam. Dicat beatus Ioannes Apoſtolus, et Euangeliſta ille, qui in pectore recubuit Saluatoris: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipſos ſeducimus, quia veritas in nobis non eſt: quod ſi confeſſi fuerimus delicta noſtra, fidelis eſt, et iuſtus, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate.* Item: quod *ſi dixerimus, quia non peccauimus, mendacem facimus eum, et Verbum eius non erit in nobis.* Dicat idem: *Haec ſcribo vobis, vt non peccetis. Sed ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iuſtum, et ipſe propitiatio peccatorum noſtrorum, non tantum noſtrorum, ſed et totius mundi.* Item ipſe: *Omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, et concupiſcentia oculorum, et ambitio ſeculi, quae non eſt a Patre, ſed ex mundo eſt, et mundus tranſit, et concupiſcentia eius: qui autem fecerit voluntatem Domini, manet in aeternum.* Veniat minimus Apoſtolorum, ſed vas electionis DEI: veniat Magiſter gentium Paulus praedicator Diuinae gratiae ſingularis, et myſterii coeleſtis copioſus expoſitor ille, qui verba ineffabilia ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſciens, in tertium coelum leuatus audiuit: qui tanta gratia redundauit, vt quum omnium eſſet poſtremus, plus omnibus laboraret, et qui non ſolum fidelibus inſinuet, quid ſuper hac parte ſentiret, ſed etiam quid de ſe ipſo pronunciet, libere veritatis Doctor enunciet. Et quoniam longum eſt cuncta, quae ad hanc cauſam pertinent, dicta reuoluere, ponantur pauca de multis; ex quibus nobis ſufficientiſſime demonſtretur, magis nos cum Paulo debere infirmari, vt habitet Chriſtus in nobis, quam cum quolibet aliter ſentiente, quam Paulus, fortes videri, et velut (quod abſit) Chriſti remediis non egere. Ait ergo: *Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum; nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio: non enim, quod volo, hoc facio; non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Item: *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, ac captiuum me ducentem in lege peccati, quae eſt in membris meis. Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quare ſe igitur miſerum hominem appellat? quare ſe gaudet per Chriſti gratiam de mortis corpore liberari, ſi nullis affectibus humanae miſeriae pulſabatur? ſi nullis infeſtabatur, ex quibus liberaretur, incurſibus? Item idem: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, et ſpiritus aduerſus carnem: haec enim inuicem aduerſantur ſibi, vt non, quae vultis, illa faciatis. Non enim, quae vult ſpiritus, perficit, ne de perfectione ſuperbiat;* et idem: *non perficit caro, quae vult.* Vt ſic humanae conditionis admoneat.

Ne tamen vsquequaque propoſitum fidele demergat; ac ne forſitan, vt ſolent quidam vanis opinionibus arbitrari, quod haec B. Apoſtolus Paulus ſub alterius, neſcio cuius, perſona pronunciet, quam de ſe ipſo fateatur; quamuis nihil illic tale valeat prorſus oſtendi, tamen quum ait: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum,* tam gentilis, quam iudaei remota probetur eſſe perſona. Audiamus tamen hunc alibi, quaſi ſeſe manu propria deſignantem, ac ſemetipſum ſpecialiter indicantem: *Ego ipſe mente ſeruio legi peccati:* et item de ſeipſo: *Caſtigo corpus meum, et in ſeruitutem redigo, ne qui aliis praedico, ipſe reprobus efficiar.* Quis igitur non aduertat, quid intereſſe potuerit, quod membra ſua caſtigando refraenaret, ne reprobus exiſteret, ſi nullis talibus ſtimulis pulſaretur, quod negligendo, et non corporis ſui caſtigatione ſubigendo, reprobus eſſe potuiſſet? Quapropter quum haec et Apoſtoli de ſem-t-

ſemetipſis profeſſi fuiſſe monſtrentur, qui etiamſi iſta minime prodidiſſent, procuIdubio tamen omnes orationem dominicam, et neceſſario praedicarent, et veraci corde proferrent, qua quotidie ſupplicantes dimitti ſibi ſua debita poſtularent, et ne in tentationem inducerentur oraſſe, et vt a malo liberarentur ſuppliciter imploraſſe doceantur; propter quod etiam B. Ioannes Apoſtolus, quod ſupra iam dictum eſt, intelligitur edidiſſe dicens: *Si dixerimus nos peccatum non habere, mendacem facimus eum*, Chriſtum ſcilicet, qui hanc orandi formam ſuis discipulis condidiſſet, in qua vel quotidiani debiti relaxatio proueniret, et ne in tentationem inciderent, implorarent, vel vt a malo liberarentur, exposcerent; ſi nihil eſſet omnino, quod aut debitum praegrauaret minime relaxatum, aut tentatio poſſet inferri peccati, aut nullum, a quo liberarentur, malum prorſus exiſteret. Sic autem quosdam mouet ſurripiens illuſio dormientium, quaſi non grauior aeſtimata ſit concupiſcentia vigilantium. Quamuis enim et inſolentia corporalis frequentius refraenanda ſit vel caſtigatione ieiunii, vel ciborum frugalitate ſumptorum, ne materia praebeatur humanis ſenſibus phantaſticae voluptatis imaginatione fallendis, vel magnis hoc de miſeratione diuina ſit precibus implorandum, vt ab illecebroſis viſionibus ſopitae mentes reddantur immunes: tamen ſiue haec incontinenter agentibus, ſiue viuentibus continenter eueniant, certe ſi quis eſt, minor reatus eſt neſcientium, quam carnalis operis appetitu palam, aperteque cupientium. Denique licet non paruo DEI munere potiatur, quisquis aut nullis talibus, ſi fieri poteſt, aut perraris pulſatur inſidiis; nusquam legimus in culpam vocari phantasmata ſomniorum; ſed plane Ipſius Domini voce non ignoramus eſſe depromptum: quod *quisquis mulierem viderit ad concupiscendum, quod eamdem ſit ſuo corde moechatus*, vbi conſequenter ver ſubeſſe non dubium eſt. Ideoque ta gi ſupplicatione, quam eleemoſy.. ceterisque bonis actionibus expianda eſt. Non enim vacat myſterio, quod dictum eſt omnia per eleemoſynam poſſe mundari, quum ait Dominus, dum de internis, externisque figuraliter purificationibus loqueretur: *Verum tamen, quod ſupereſt, date eleemosynam, et ecce omnia munda ſunt vobis.* Sed etiam illud: *quod charitas cooperiat multitudinem peccatorum*, vt ſcilicet, quidquid inſinceritate corporis, et mentis attrahitur, rationalis pietatis opere deleatur. De beatis autem, ſicut ſupra iam diximus. Apoſtolis, tantum debemus noſſe, quae ipſi de ſua conuerſatione ſentiri propriis vocibus ediderunt: quae vero tacita ſunt ab eis, nulla nobis relinquetur licentia perſcrutandi. Sed iam diligentius veſtigemus, cur haec poſt reparationem quoque generis humani, renouationemque naturae, quae fit per baptismatis Sacramentum, non ſolum haec vitia ſublata non fuerint, ſed ipſos etiam in magnae continentiae propoſito conſtitutos, ſiue minus, ſiue amplius, prout quisquis gratia Diuina diſpenſante profecerit, tamen infeſtare non deſinant, cur relicta ſint, contra quae mens religioſa pugnaret. Et licet iam ſaluati per fidem, ſpem redemptionis acceperimus, adhuc tamen expectetur, ſicut ait Apoſtolus, redemptio corporis noſtri, et quum myſteriis coeleſtibus iam renatis pignus ſit adoptionis ingenitum, perficienda deinceps ſuſtineatur adoptio, vt ſcilicet deficientibus iisdem vitiis, contra quae nobis in hoc tempore continua dimicatione pugnandum eſt, ab hac neceſſitate liberati, quod fide ſuſcepimus, quod ſpe propoſita ſuſtinemus, ipſarum rerum deſideratis affectibus aſſequamur, quatenus hac incurſionum peſte prorſus exuti, tranquilla ſemper ſanctificatione viuamus, quod in illa futura beatitudine promittitur eſſe complendum, quum ſicut

ait

ait Apoſtolus: *corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem*, atque animale corpus ſpiritualem ſumpſerit dignitatem. Igitur dubium non eſt, ſuperbiam ſuper omne eſſe peccatum; quippe de qua ſcriptum eſt: *initium omnis peccati ſuperbia*. Quod tantum malum eſt, vt ſingula praue facta in hoc ipſo, quia praua ſunt, cenſeantur eſſe damnanda; ſolaque ſit ſuperbia, quae et in benefactis perículoſa doceatur: haec eſt, quae non tantum animal rationale in terris poſitum conſtare non ſiuit, ſed angelicam quoque deiecit infeſta naturam. Nam quum DEVS omnipotens, qui fecit omnia bona valde, cuncta ſuis modis, et congruis ordinibus inſtituta condiderit, eaque propriis conceſſerit vel manere, vel proficere poſſe menſuris; hic rationabili creaturae ſubrepſit affectus, qui per id, quod decentius facta conſiſteret, plus ei de propria dignitate confidere, quam ſicut modus eius poſcebat, de ipſo Collatore dignitatis ingeſſit, atque ita aliter appetendo ſui culminis firmitatem, quam competens eius decens norma requireret, fecit eam praeter ordinem naturalem cupiendo faſtigium meriti potioris erumpere, qui exceſſus vtique ſicut reatum intulit excedenti, ſic iuſtitiam Conditoris, contra cuius ordinem tendebatur, offendit: et dum ab eo tenore ceſſatur, quo ſolo proficeretur ad ſummi boni perenne conſortium, conſequenter, qui ad eius ſtabilem participationem peruenire non poſſet, defectus acceſſit, ſicut creaturae rationalis vſibus congruebat. Non angelos ad profectum conditos promerendae ſtabilitatis aeternae, illa res indicat: Quoniam ſi facti eſſent, vt vlterius nihil egerent, nulla pars eorum vllum potuiſſet habere defectum: non enim in eis diuerſam naturam fuiſſe dicendum eſt, ne ille, qui propria voluntate prolapſus eſt angelus, excuſaretur, ſi hoc illi non ſuae proteruitatis ingeſſit arbitrium, ſed neceſſitas ſibi inditae conditionis impoſuiſſe videatur. Vnde ergo beati, et ſublimes angeli de perceptis grati, piae deuotionis officio, et non ſe ipſos, ſed potius ipſi praeferendo conuenienter auctorem, ad eius perpetuitatem proficere, prouehique meruerunt: inde iſti, qui reprobi ſunt, de perceptis conſequenter ingrati, debitumque diſſimulantes obſequium, ſeque ipſos magis, quam qui tantae dignitatis ſubſtantiam condiderat, praeferre molientes, et delectatione ſuae creationis illecti, a creatoris honore ceſſando, quanto arroganter elati, tanto aeternitatis rectitudinem per irreuerentiam non ſequendo, ab eius pariter et indignatione, et participatione retracti ſunt, et ab eo quod ſempiternum eſt recedentes, in id quod ſemper deficit, ſunt reducti: quod praeſtante DEO noſtro, alias confidimus plenius exequendum. Nunc interim quantum praeſenti negotio ſufficit, haec illa cauſa eſt, hoc illud malum, per quod etiam ſine vitio corporali, quadam ſpirituali fornicatione motus angelus a Diuina, qua illuſtrabatur gratia, et participatione delapſus eſt: eoque modo degener factus, ac de coeleſti ſede pro hac ſua decoloratione ſecluſus, ſecundae conditionis imaginem DEI per inuidiam flammatus euertit. Iisdem motibus aggrediens in ſecuritate degentem, quibus de ſummis ad ima male confiſus ipſe deciderat, hinc illa felicitas paradiſi primis hominibus conſtare non potuit: hinc illa primae conditionis integritas, dum ita de ſe fidit, tamquam ipſo, qui condiderat non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nusquam feciſſe memoratur, nec de conſeruandis, quae ſumpſerat, poſcit auxilium, nec ad eum etiam pulſata tentatoris acceſſu, deuota concurrit, et conſilit, ſuaeque credit inter proſpera voluntati, facile ſine praeſidio creatoris patuit deceptoris inſidiis, et in praeuaricationem tracta conſequenter illiciti, conditionem

praeſi-

praefixae mortis inuenit, meritoque eſt competenti ſubiecta vindictae: quoniam nec de bonis fuerat deuota retinendis, nec malum praecauerat ante praedictum, dum per maioris ambitum poteſtatis, DEVM ſe ſcilicet fore praeſumentis, ſoueas hoſtilis perſuaſionis incurrit; et quae, ſi ſuo ordine manſiſſet grata Factori, perpetuum ſummae commercium Deitatis potuiſſet apprehendere, competenter ſine debito ſummae Diuinitatis officio copioſa promiſſione luſtrata, ad Diuinitatem non potuit peruenire. Sic ergo ſine illius principalis, ac ſummae rationis affectu, quae in bonis ſemper retinendis, contrariisque reſutandis intemerata perſiſtit: ad cuius vtique ſimilitudinem rationale fuerat animal inſtitutum, vt ea pro ſuo modulo congruis actionibus imitandu, ipſiusque ſeruando reuerentiam, ſubſequendoque gratiam, vt vere ſimilitudo eius, et imago permaneret; obtinere potuiſſet, fieretque Diuinae rationis, tanquam ſuae parentis; et auctoris digna conſortio; et per haec nihilo minus, vtpote particeps aeternitatis, aeterna conſtare; dum ſua, quae creata fuerat, dignitate confidit, ſibique ſe putat in eo, quod erat facta, ſubiacere, nec ſubdita veneratur deuotione Factorem; et ab illius participatione diſceſſit, et in ſe ipſa ſine illo, in quo habebat ſubſiſtere poſſe, non conſtitit. Atque ita ordinem legitime rationabilitatis excedens, in irrationabilitatis abruptum per veriſimilitudinem ratiocinationis, qua DEVM ſe fieri credebat, abducta eſt; et illius priuatione, quae ſempiterna vita eſt, in iſtam recidit, quae ſine ſonte vitae vitam perpetuam retinere non poſſet. Quamuis ergo pro his transgreſſionibus digna fuerit vltione, iuſtus tamen arbiter DEVS ſic iſtam creaturam propoſitae legis aequitate corripuit, vt quae Diuinum ſequi tramitem inter felicia faſtidiuit, ſibimet ipſam lance merita dimiſit. Vt tamen, quia et decepta fuerat creaturae potioris incurſu, illius ſcilicet, quae fremebat, illo terrenam proficere poſſe ſubſtantiam, vnde ſpiritalis ipſa deciderat, et tanquam ſolatium capere cupiebat de alterius ruina creaturae, velut non ſolum ſe culpandam ex alterius quoque transgreſſione praetenderet, ſed lapſum ſuum in Creatoris referret opificium, cuius et aliud opus conſtare veluti minime potuiſſet; ineffabili circumuentae pietate conſuleret; Vtramque vero creaturam recte conditam hac ratione monſtraret, quia et degeneres angeli per ſanctorum angelorum beatitudinem confutantur: Quod iisdem modis, quibus illi, hoc eſt: debitae pietatis officio, Creatoremque ſuum debita praedicatione laudando, per dignationis eius augmenta, profectumque reuerentiae competentis, participationem boni parentis, ſtabilitatemque perpetuam ſempiternae gloriae ſunt adepti: Sic iſti quoque, ſi eodem tenore niterentur, ad ſimilem beatitudinem venire potuiſſent, niſi deſides a ſui laude Factoris, et competentem reuerentiam non ſequentes, ab eius retracti participationis affectu, propriae nequiuiſſent incrementa, perfectionemque ſumere dignitatis, dum ſuae inſtitutionis claritate detenti, vlterius ſe nihil egere, ac ſibi ſe ſufficere poſſe praeſumunt, perque ſeipſos obtinere fidentes, quidquid per ſolam gratiam potuiſſent Conditoris adipiſci, quod in ſuae prorſus conditione mutabilitatis habere non poterant. Homo quoque de ſe ipſo manifeſtis indiciis reuincatur, in tantum rite factus, vt qui per Diuinam gratiam poteſt ſurgere poſt ruinam, multo amplius potuiſſe doceatur, ſi eamdem gratiam deuota mente ſequeretur, integer permanere; quantumcunque gratia iſta praeualeat magis inde cognoſcitur, dum et incolumis absque eadem ſtare nequiuerit, et valeat ad eamdem incolumitatem redire poſt lapſum. Bonus ergo artiſex DEVS, qui ſempiternum, et ſummum ſemper habet eſſe: quod bonus eſt, atque ideo nec vnquam creſcendi

gerit amplius appetitum: quia nihil eſt ſuper id, quod ſempiternum bonum ſemper, et ſummum eſt, nec vlla poteſt inclinatione diminui, de hoc ipſo, quod ſummum bonum, ſempiternumque conſentit. Vnde etiam non per rapinam in forma DEI dictus eſt conſtitutus, qui hoc habebat vtique per naturam; ſicut ille ſpiritus, qui quod nec ſempiternum habebat omnino, nec ſummum, per rapinam maluit occupare, quam per auctoris gratiam perpetem conſequi dignitatem, a quo ſumpſerat angelicae ſubſtantiam claritatis; quemadmodum beati angeli in Diuina gratia permanentes conſecuti ſunt ſempiternae beatitudinis firmitatem: prauus autem ſpiritus nec illud potuit obtinere, quod viſus eſt incompetenter inuadere, et tenorem ſuae conditionis excedens, in hoc etiam non potuit permanere, quod factus eſt. Auctor ergo bonus, vt bonum ſe opus condidiſſe firmaret, ſi in eadem ſui conditione perſiſteret; inferioris creaturae ſuae miſeratus offenſam, quod ſpiritualis ſubſtantia, quae et ſui, et alterius proceſſerat ipſa deceptrix, atque in ſua nequitia perſeuerans omnino, conſequi digna non fuerat, terrenae conditionis, et per fraudem deceptae ſubſtantiae naturam pariter clementer ſuſcepit, et cauſam; ſicque vt nunc breuiter explicemus, competenti lapſam diſpenſatione reparare proponens, vt in ſe ipſo haec eadem natura, quae per obedientiam mortis rediret ad vitam, ſolus ipſe peccat *(a)* in ſe ſciens in ſubſtantia, quam poſt peccatum reſtaurandam potenti benignitate ſuſceperat, vt indebitam mortem, quam ſine peccato vtique non debebat pro his, qui per peccatum debitores mortis extiterant, imputaret; ſimulque diabolum hominis deceptorem, qui conſentientem ſibi ſubditum per Diuinam tenebat iure ſententiam, per iuſtitiam nihil ei reddere iam debentem. Et quum occidiſſet eum, in quem ſine peccatu licentiam non habebat, merito ei vice mutua ſubiugaretur addictus, quique ſe humanae ſubſtantiae, vtpote captiuae ſuae Dominum, DEVMque iactabat; huic et iuſto pariter, et DEO vero mutuo ſubderetur. Intererat enim aequitatis immenſae, et non abruptae Diuinae potentiae, vt diabolus, ſed ipſius hominis etiam, quem ſe proſtrauiſſe iactabat, iuſtitia vinceretur; quibus non ſatis habuit Reparator excelſus, vt ipſe tantummodo in ea natura, quam ſumpſerat, gereret de hoſte humani generis hunc triumphum. Quid enim praeſtaretur vniuerſae noſtrae creaturae, ſi victur diaboli ſolus Chriſtus exiſteret? tribuit ergo fidelibus ſuis dignanter immenſa pietate conſortium. Tribuit per gratiam ſuam fidemque collatam, vt hominum millia ineffabilis compendio Sacramenti participatum eius aquirerent, renouataeque in ſuo Saluatore naturae facti conſimiles, ipſi quoque fierent deceptoris ſui mutata ſorte victores. Itaque contra ſuperbum ſpiritum permanentem, hoc eſt prouiſum curatione ſaluandis, vt competentibus modis ad ſuae conditionis integritatem proficerent, dignitatemque coeleſtem; quatenus elationis exitialis affectum (qui non ſolum humanam, ſed ipſam quoque, ſicut dictum eſt, angelicam proſtrauerat ante naturam) humanitate neceſſaria medicinaliter declinaret ad integritatem reparandam, quippe poſt lapſum carere debuit illo malo, quo integra perſtare nequiuerat: oportebat autem, vt ipſa quoque rationabilis humana creatura, quod propria voluntate perdiderat, etiam ſecundum Dei gratiam propriam reciperet voluntatem, et quae ſine merito curabatur, tribueretur ei, vt etiam haec ſequeretur ex merito: propterea maluit ſingularis ille Saluator perfici potius in infirmitate virtutem, quam rurſus ſine infirmitate, vel de ſe confidentem, vel Auctoris negligentem fieri humanam ſubſtan-

(a) Hiatus corrigendus, *peccati neſciens.*

ſtantiam ſine infirmitate ſecuram. Hinc eſt igitur, quod beatus Paulus, qui et ruinam conditionis humanae, et reſtaurationem ceteris copioſius intimauit, etiam de ſe ipſo clamat: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meae, angelus ſatanae, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet a me, et dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti;* et iterum ipſe: *vanitati enim creatura ſubiecta eſt.* Adhuc vtique vanitati, quantum adhuc mundanis ſenſibus implicatur, corruptibilique conditione deprimitur; illa vtique creatura, de qua idem dicit alibi: *Si qua igitur noua creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua.* Et de qua idem alibi dicit: *ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto, in operibus bonis.* Itemque ipſe de eadem: *In Chriſto enim Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque praeputium, ſed noua creatura.*

Haec vtique creatura, qua in Chriſto refecti ſumus, non qua ab initio facti ſumus, de qua etiam B. Iacobus Apoſtolus ſic ait: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturae eius,* non illius creaturae, quae in Adam condita eſt, ſed quae *Patris luminum, a quo eſt omne datum optimum, et donum perfectum,* voluntate genita verbo veritatis initium ſumpſit in Chriſto; et hoc ipſum ideo, ne quibuscunque ſuis bonis fideret humana ſubſtantia: ſed quidquid recti in ſe cognoſceret, de ſurſum deſcendens eſſe perpenderet ab incommutabili, et ſine viciſſitudinis obumbratione luce ſemper immenſa, per quam ſibi mutabili, et viciſſitudinum obumbratione fuſcatae, luminis veri munus ſentiret impendi. Haec eſt igitur illa creatura, quae ſpiritualiter viuens, non volens ſuſtinet mortalis infeſtationis affectus, contra quos indefinenter pugnans, mallet non habere quos vinceret, quam cum infeſto iugiter hoſte confligere. Non volens ergo ſubiacet in tantum vanis deſideriis, in quantum ſine dubitatione perituris. Vnde dicit Apoſtolus: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, et ſpiritus aduerſus carnem, vt non quae vultis, illa faciatis; ſed propter eum,* inquit, *qui ſubiecit in ſpe,* vt nemo in hac ſcilicet vita rurſus de plena felicitate ſit arrogans; ac ne rurſus forſitan deſperatione ſuccumberet, ſic eam ſubiecit his moleſtiis perferendis, vt tamen ſpe conſoletur erecta. Haec eſt igitur ſine ambiguo creatura, de qua ait: *quia et ipſa creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Pateſecit de qua creatura vellet intelligi, *in libertatem,* inquiens, *filiorum Dei,* quae in hoc mundo ex ea parte nunc ſeruit, qua vitiis infeſtatur humanis; tunc ad libertatem filiorum DEI perfecta ſecuritate ventura, *quum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem. Vt fiat ſermo qui ſcriptus eſt: abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? ſtimulus autem mortis peccatum eſt, virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Quapropter beatus Apoſtolus manifeſtius volens, et de qua creatura ageret, et de qua eius ſeruitute, quaue libertate differeret, vtpote per quem Chriſtus loquebatur, oſtendere, adhuc inculcat, et dicit: *ſcimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, et parturit,* non niſi rationabilis creatura eſt, et illa rationabilis, quae quid ingemiſcat, quidue parturiat, iam renata cognoſcit, et infirmitatem ſuam deflens, promiſſionem perpetuae tranquillitatis expectat; quod Doctor egregius quousque perducat, diligentius intuendum eſt: *non ſolum* inquiens, *illa,* hoc eſt creatura populi Chriſtiani, *ſed nos ipſi primitias ſpiritus habentes;* ipſi vtique Apoſtoli, ipſi Eccleſiae Principes, et parentes, qui primordialiter Sancti Spiritus dona ſumpſerunt, quae Eccleſiaſticis miniſtrarent

 ſpiri-

ſpiritualibus incrementis; vbi ſine controuerſia ſemetipſos quoque in vna, eademque, quamuis maiore gratia praeditos, vnde et ait: *primitias ſpiritus habentes*, quaſi primates gratiae DEI, in vna tamen, eademque ſecum, totamque Eccleſiam generali conditione conſtituit: *ſed etiam nosmet-ipſi*, dicens, *primitias ſpiritus habentes, intra nos gemimus*. Aperuit quorum ille gemitus, quem ſupra dixerat, eſſe noscatur, et quid gemeret euidenter expoſuit: *adoptionemque expectantes*. Certe iam Sacramento regenerationis pignus adoptionis accepit. Quae eſt ergo iſta adoptio, quae poſt adoptionum initia ſuſtinetur, quaeue redemptio corporis noſtri, quae ventura proponitur? Ergo non accepiſti, quae expectare te dicis? accepi, inquit, ſed myſteriis ſum renonatus, initiatusque coeleſtibus ſuperſtes, et in hac adhuc mortalitate conſiſtens, quae ſua ſunt, in me competenter operantibus, vt ad eorum plenitudinem, perfectionemque valeam, atque hic pugnantium ibi ſit conſummata victoria, vbi dicendum eſt: *Abſorpta eſt mors in victoria; vbi eſt mors ſtimulus tuus? Nunc autem ſpe ſalui facti ſumus; ſpes autem, quae videtur, non eſt ſpes; nam quod videt quis, quid ſperat? ſi autem, quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus*. Satis clara luce patefecit, qui ſit ſtatus in hac vita fidelium, quid in fide teneant, quid in ſpe ſuſtineant, quid tota charitate deſiderent, quod totum incunctanter ideo ſit, ſicut quidam Magiſter Eccleſiae ſapienter edocuit, dicens: „Ad magnam enim vtilitatem ſi„delium materia eſt ſeruata certaminum, „vt non ſuperbiat ſanctitas, dum pul„ſatur infirmitas, quo ſcilicet ſua ſal„tem fragilitate commonita poſt ruinam, „non in ſe ſidat noſtra conditio, ſed ad „illius inceſſabiliter recurrat miſericor„diam reformanda, cuius gratiam non „quaerendo, nec in paradisi potuit in„temerata felicitate ronſtare, diſcatque „ſine tali praeſidio inde lapſam, per quod „inſtruitur poſt aerumnas ad gaudia „redire perpetua; multoque ſe magis „incolumem hoc ſubſidio durare potu„iſſe, quo non ſolum ad creationis ſuae „reducitur inſtitutum, ſed ad coeleſte „praeparatur habitaculum.„ Huic autem diſputationi nullatenus aeſtimetur eſſe contrarium, quod in epiſtola ſua beatus Ioannes Apoſtolus, et Euangeliſta diſſeruit: *Quia qui natus eſt ex Deo, non peccat*, vt ex hoc videlicet, qui regenerati ſunt, non peccare credantur: quod vtique ſi eo ſenſu, ſicut quidam non recte iudicantes arbitrantur, vir magnus ille prompſiſſet, vniuerſaliter vtique, quisquis renatus eſſet, iam peccare non poſſet. Deinde contra hunc eundem Apoſtolum ſentire conuincitur, ſi quis hoc eum definiſſe praetendit: idemque quippe dicit alibi: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, et veritas in nobis non eſt:* Et iterum: *Si dixerimus, quia non peccamus, mendacem faciemus eum, et verbum eius non erit in nobis:* et vtique hoc tantus, et talis dicebat Apoſtolus: cuius ſi quis potiorem ſe meritis aeſtimare contendit, ipſe videat, caueatque, ne incidat in mortiferae praecipitationis abruptum. Certe enim ipſe, qui haec dicebat, ex DEO vtique natus erat; et tamen docebat, atque praedicabat, dicens: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipſos ſeducimus*, et cetera, quae ſuperius comprehenſa ſunt; ſed qualiter peccare non poſſit, qui ex DEO naſcitur, ipſe potius vir DEO plenus exponat: *Si dixerimus*, inquit, *quia non peccauimus, mendacem faciemus eum; quod ſi confeſſi fuerimus delicta noſtra, fidelis eſt, et iuſtus, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate.* Patefecit quomodo, qui ex DEO naſcitur, peccare non poſſit, vt ſcilicet vnusquisque fidelium, poſtquam ex DEO natus eſt, ſicut ſe non habere peccatum pronunciare non debet, ſic quod admittendo contraxerit, confitenti relaxatione ſubmotum pecca-

peccatum ineſſe non poſſit, ſicut ipſe etiam ſecutus adiunxit: *haec ſcribo vobis, vt non peccetis, ſed ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iuſtum, et ipſe eſt propitiatio peccatorum noſtrorum, non tantum noſtorum, ſed totius mundi*. Quod breuiter indieatum prudens lector per totum ſcripturarum corpus copioſis poterit teſtificationibus inuenire, et manifeſtius approbare.

Sic temperatum noſtrae ſalutis antidotum, vt omni proteruitate depoſita, qui gloriatur non in ſe, ſed in Domino glorietur. Etiam illud praeterea diligentius intuendum eſt, quod quosdam mouere perſpeximus, id quod ait Apoſtolus, quum coniugibus, fidelibusque loqueretur, ſanctificari ſcilicet ſiue virum, ſiue mulierem infidelem per cuiuslibet ſexus fidele conſortium; et inprimis non inconuenienter occurrit, quod dictum eſt de foedere coniugali: *erunt duo in carne vna*. Per quod poſſit conſequenter intelligi, vt quoniam cuiuslibet coniugis fidelis corpus templum eſt DEI, et regeneratione purgatum, Diuinique ſanctificatum per purificationem myſterii, ſecundum quemdam modum, per coniugalis vnitatem carnis, etiam coniugis infidelis ſanctificatio corpus attingat, longeque diſtet iſta ſocietas ab illo conſortio, quod in vtrisque coniugibus idolis mancipatum eſt, et immundi ſpiritus habitatione pollutum; dum in illo genere nuptiarum per legem, foedusque coniugii ad alterum, tametſi neſcientem forſitan, nec volentem Diuina benedictio per alterius ſibi vnitae carnis accedit: In iſto vero, et principalis illa fornicatio, qua anima alienatur a DEO, et ſpiritus praui contagium tam reddat vtrumque coniugem deteſtanda coinquinatione maculatum, quam ab illa fide, quae corda purificat, ſummae Diuinitatis externum. Deinde non irrationabiliter (quantum arbitror) et illud concurrit, vt oratione fidelis cuiusque coniugis etiam infideli miſericordia quantacunque praeſtetur, vel ipſa certe, quae ad ſalutem pertineat temporalem: in qua miſericordia non parum Diuinae pietatis aquirit; et per hoc ſecundum quemdam modum particeps Diuinae dignationis effectus edicitur. Si enim cibos, qui per legem ſacram deſcribuntur immundi, per verbum DEI ſanctificari teſtatur Apoſtolus, vnde etiam illud eſt: *quod Deus mundauit, tu commune ne dixeris*; non erit abſurdum, nec inconueniens, quod per fidelis coniugis precem, quam fieri pro ipſa certum eſt affectione coniugii, aliquid etiam infidelis coniux ſanctificationis, miſericordiam diuinam, quam fidelis coniugis implorat ſupplicatio, conſequatur; longeque differat (ſicut dictum eſt) ab illo connubio, in quo vtrique coniuges a verae Diuinitatis ſunt puritate exteri, et voluntarie ſubmoti, ſed immundos vtrique Spiritus inuocantes, pari immunditia ſunt referti. Nam ſi comparatione leuium, vel grauium peccatorum iuſtificatus dicitur ab eo, qui maioribus eſt vitiis inuolutus, ille, quem minor reatus inuoluit, ſicut dicitur ad Hieruſalem, quae tunc criminum, et praeuaricationum immanitate feruebat, *iuſtificaſti ſororem tuam Sodomam*, quanto magis iuſtificatio, vel ſanctificatio, etſi non plena, atque perfecta, ſecundum tamen quemdam modum competenter accipitur, vbi non ſolum a fideli coniuge minus peccatur, ſed ab eo etiam coniuge peccatore remedium ſummae Diuinitatis expoſcitur, quam vbi a coniugibus vtrisque peccatur. Nam ſecundum quemdam modum, hanc ſanctificationem per fidelem coniugem etiam infideli coniugi peruenire, haec ipſa verba teſtantur Apoſtoli: ſi quidem non iam infidelem coniugem legitimam ſanctificationem ſumpſiſſe confirmat, quia per fidelem coniugem quidpiam ſanctificationis aquirat. Denique qua ſit conditione cenſendus, ſecutus adiunxit: *nam ſi*

Digitized by Google

infidelis diſcedit, diſcedat, non iam inde tanquam fidelem ſuſcipi deſignans, quia per haec, quae dicta ſunt, aliquid ad eum peruenit fidelis coniugis, ſiue per conſortium, ſeu precem Diuinae ſanctificationis, et gratiae, ſed niſi ipſe quoque fidelis exiſtat, pro infideli ſit proculdubio iudicandus. Eſt etiam ille modus infideli coniugi ſanctificationis impertiendae per coniugem iam fidelem, ſi huic exhortationem conuerſionis ad DEVM, et credulitatem ſummae Diuinitatis inſinuet, Maieſtatem, Virtutemque eius inculcet, et per affectum coniugii eum facilius informet, et inclinet ad fidem, adſtruens quae ſit ſpes in vnum DEVM credentibus, vel in huius vitae curſu, vel poſt eius tranſitum, quae requies ſit futura. Haec quum per fiduciam coniugii ſanctis verbis cor eius aſſidua voce pulſando coniux fidelis frequenter inſinuat, Diuinae ſanctificationis eidem, et menti eius, et corpori propinat effectum; ſicut ait beatus Petrus Apoſtolus: *Similiter mulieres ſubditae ſint viris, vt ſi qui non credunt verbo, per mulieris conuerſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam conuerſationem veſtram.* Quam ſi per familiaritatem ſuſcipiat coniugalem, et DEI gratiam ſibi per affectum coniugii miniſtratam non in vacuum recipiat, et reſutet, fit ſanctificatio per fidelem coniugem coniugis infidelis, dum hiſce modis ex infidelitate in conſortium ſanctificationis attrahitur. Alioquin ſi oblatam ſibi gratiam nec per affectum ſuſcipit coniugalem, quam in vacuum, tam Diuinae dignationis, quam etiam humanae ſingularis affectionis oblitus, aeſtimat abnuendam, atque ob hoc ipſam quoque coniugis affectionem nititur abiurare, et ab ipſius pii conſortii lege diſcedere, digne permittitur eidem licentia diſcedendi; quia non eſt illo coniugio dignus, quo ſe ipſe iudicauit indignum, patienterque ferat fidelis coniux illo ſe caruiſſe coniugio, quod fornicatur a DEO, cui idem coniux fidelis inhaerendo, principalem DEI retinet caſtitatem. Itaque et adultero caret, et eo, qui reſpuit vna veraciter fieri caro cum coniuge iam fideli; nec aeſtimet fuiſſe legitimum, quod Diuina ſibi deſpexerit lege coniugii; ac potius libenter accipiat eum, qui anima ſeparatus a DEO eſt, et a ſe quoque corpore fuiſſe diuiſum.

Secundum hunc igitur modum etiam de talium filiis accipiendum eſt, quod illic conſequenter aſſeritur, vbi Apoſtolus: quod niſi haec ſanctificatio inter huiusmodi coniuges proueniret, filii eorum immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt. Sancti ſunt enim, ſecundum quemdam modum in comparatione illorum, qui ex vtriſque parentibus immunditiae diabolicae mancipatis, contaminatiſque naſcuntur.

Iſti enim ex ea parte, qua de ſancta carne fidelis parentis, et templo DEI, et DEVM vnum in ſuo corde geſtantis exorti ſunt, non nihil Diuinae benedictionis hauſerunt, in qua vtique benedictione ſanctitas continetur, cuius dignatione perſtricti, ſancti non immerito nuncupantur. Per hanc quidam etiam ſanctificationem aſſumunt, vt ad eam, ſicut competit, perueniant conſequendam, iam eius per parentem fidelem rudimenta percipiunt, et odorem ſanctae adoptionis agnoſcunt, precibus Chriſtiani parentis, quibus eis ſine ambiguo imploratur Diuina miſericordia, vtique ſanctificatio iam praebetur, et plerumque fidelis ſtudio parentis, vel ad venerabilia loca paruuli deferuntur, vel etiam neſcientibus renatis fonte baptiſmatis ſanctificatio plena confertur; aut vbi iam capaces rationis extiterint, adhortatio, et inſinuatio pii parentis ingeritur. Quae omnia ſanctificationis inſtrumenta eſſe manifeſtum eſt, quibus vt ad eius veniant firmitatem, aut ſi iſta deſpici-

ſpiciunt, ſemetipſos ſanctificatione diſpolient, et gratiam DEI, quae his per affectum parentum ingeritur, euidenter euacuant, atque ita de ſanctis, vel de eruditionibus ſanctitatis abſciſſi, in non ſanctorum conſortia profana rediguntur. De quibus nihilominus ſic dicatur, quomodo de parentibus eorum infidelibus praeceptum; *ſi infidelis vult is diſcedere, diſcedat.* Num quidnam haec genera ſanctitatis, vel ſanctificationis de vtroque profano parente progenitis filiis intimantur? ecce quid intereſt inter ſobolem ex illo, vel iſto coniugio procreatam: ecce quemadmodum iſti familiares, et propinqui ſunt ſanctificati, atque ideo non immerito ſancti ſunt editi, et quibus Diuina miſericordia conſequenter eius precibus imploratur, quique quum ſanctis educationibus imbuuntur, et ſacrae religionis initiantur affectu, ad cuius ſi peruenerint firmitatem, illius per Sacramentum ſanctificationis plenitudinem conſequuntur, cuius per fidelem parentem etiam ante Sacramentum rudimenta ſumpſerunt, per quae rudimenta iam ſancti, qui ſancta inſtitutione praeparabantur, non incongrue ſunt vocati. Numquid autem ideo dictum eſt, vt iam propriae credulitatis ſanctificatione non egeat? ac non magis ideo, quia per illam familiaritatem fidelis coniugis percipiendae ſanctificationi proximus ſit, et propinquus effectus. Nam ſi iam ſanctificatus diceretur, vt ſanctificatione penitus non egeret, non de eodem in conſequentibus diceretur: *Infidelis, ſi vult diſcedere, diſcedat:* ſic ergo et filii eorum nuncupati ſunt ſancti, quia per ſancti parentis affectum capiendae ſint proximi ſanctitatis; non quod iam ipſi propria ſanctificatione non egeant; quae vtique, ſicut nullus Chriſtianus addubitat, ſine regenerationis ſacrae myſterio nec ſumitur, nec habetur; ſicut et parens eorum infidelis, ſic ſanctificatus dicitur per fidelem, vt tamen, quia ingeſtae ſibi per fidelem coniugem ſanctificationis ipſe legitimum non ſuſcepit effectum, infidelis fuerit nuncupatus. Sicut ergo eum, quem per fidelem coniugem ſanctificatum dixit, poſtea nuncupat infidelem, quia proprie ipſe, vel ipſa non credidit; ſic et filii, qui per fidelem parentem eo modo ſanctificati, quo coniux, ſancti appellati ſunt, niſi ipſi quoque proprie credant, infideles conſequenter exiſtunt: ſatis enim apparet, ſecundum quemdam modum ſanctificationem hanc coniugis appellatam, qui poſtea infidelis aſſeritur; ſic ergo et de filiis intelligendum eſt. Nunquid igitur, quod ſoepe repetendum eſt, ſoboles profanorum huiuſcemodi, ſanctitatis aliqua cuiuslibet parentis portione contegitur, vel aliquibus huiusmodi diſciplinis, precibus, adhortationibus cuiuſpiam participationem, vel notitiam, vel auditum, vel eruditionem ſanctitatis aſſumit, quae eſt ſub immundorum Spirituum dominatione conſiſtens, et diabolicis praeuaricationibus, et contagiis mancipata? Hoc modo ſemper immunda eſt, quo parentes, quamdiu in eadem peruerſitate conſiſtit: plerumque autem et per anticipationem (quod in Scripturae Sanctae textu frequentius inuenitur) iam eſſe dicitur, quod futurum eſt; ſicut in Euangelio legimus: *Quia Ieſus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.* Filios DEI certe iam nuncupans, qui adhuc eſſent diffuſa gratiae euocatione per mundum ſacris innouandi myſteriis, in DEI filios adoptandi: vel quum dicitur: *Beati qui non viderunt, et crediderunt*, iam beati appellati ſunt, qui adhuc tunc futuri fuerant beati, quum eſſent, quae non viderant, credituri; ſicut et plerumque pro faciendis iam facta referuntur, vt: *foderunt manus meas, et pedes meos.* Item tanquam profitendo definitur, quod non fit cauſa qualibet interueniente faciendum; ſicut beatus Apoſtolus pro deuotione praedicationis iniunctae ad Hiſpanias ſe profitetur iturum: quod tamen

certa

certa diſpenſatione Deitatis, quod fieret, non prouenit: alter quum appellatur aliquid eſſe; quod hoc ipſum eſſe ceſſauit, vel ceſſaturum eſt, hoc ipſum eſſe, quod dicitur; vt Judas Apoſtolus, qui praeuaricando, quod eſt appellatus, amiſit, ſicut idem et diſcipulus dictus eſt, quum quidem nec Chriſti diſcipulus eſſet, ſed potius diaboli, ſicut de eo dictum eſt: *Vnus ex vobis diabolus eſt*, quod diaboli eſſet operarius. Dictus eſt tamen diſcipulus etiam, quum nec verus eſſet, et ceſſaturus hoc dici. Eſt et ille modus, quod ſoepe velut generaliter, et abſolute dicitur, quum tamen ad omnes generaliter non pertinere manifeſtum eſt; vt quum dicitur Abrahae: *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes:* omnes quidem gentes benedicentur: nec erit vlla natio ſub coelo, cui non praedicetur Euangelium, et tunc veniat finis; ſed ipſae gentes non ex integro omnes benedicentur, quia non omnium eſt fides: vel ſicuti eſt: *omnis ligua confiteatur Deo*, cui locutioni ſenſus ille connectitur, quum ex parte totum ſoepius nuncupatur; ſicut et tunc homo Juda: quum totam gentem procul dubio nominaret: ſic et illi fideles ſancti videri poſſunt vocati: quia multi, vel plurimi ex his, per ea quae dicta ſunt, myſteriis imbuti coeleſtibus, ſancti efficientur, et merito iam eſſe dicti ſunt, quod futuri ſunt, vel ex ea portione, qua per religioſum parentem erant participes ſanctitatis, tanquam iam ex integro id eſſent, ſancti ſunt nuncupati; vel quia ex talibus filiis multi futuri eſſent plenae ſanctificationis haeredes: iam et iſti ex eo, quod futuri fuerant, nuncupati ſunt, et licet hoc eſſent plurimi forſitan nunc futuri, a parte Sanctorum toti Sancti generaliter ſunt vocati.

De reſurrectionis vero qualitate, vel de ea, quae poſt reſurrectionem ſpecies ſit futura, audiamus Apoſtolum praedicantem vbi ait: *Sed dicet aliquis, quomodo reſurgent mortui, quali autem corpore venient?* et humanae mentis diffidentiam redarguens, quam merito ſtultam, quae DEO quidquam iudicaret impoſſibile, nuncupando, competenter ex rerum etiam viſibilium, et humanis conuerſationibus vſitatam ſimilitudinem, comparationemque magnificam praeclarus Doctor inducit, dicens: *inſipiens* (qui DEO haec impoſſibilia aeſtimas, vel ambigis eſſe facienda) *tu quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur?* quam ſimilitudinem ad reſurrectiunem corporis poſt mortem futuram conuenienter aptauit. Deinde quod ſecutus adiecit: *et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, vt puta: tritici, et ceterorum. DEVS autem dat illi corpus, prout voluit.* Iam ad qualitatem, et ſpeciem, quae poſt reſurrectionem futura eſt, genus comparationis adhibere curauit: *prout voluit*, inquit. Quid adhuc quaeris? prout voluerit DEVS, ſic dabit vnicuique corpus ineffabili potentia ſuſcitatum: ſed forſitan arbitreris, ideo magis ſignificari, non vnicuique ſuum reformandum proprie corpus, quum adſtruatur: prout DEVS voluerit eſſe reparandum. Diligenter ergo ſenſum plenius haec tractantis intende; ſi ſcire conaris cuiusmodi corpus vnicuique ſit DEVS hoc ipſum, prout volnerit, redditurus, et tanquam tibi iam tunc ad iſta reſpondentis Apoſtoli verba perpende. Noſſe deſideras, quale reſuſcitatis hominibus corpus, prout DEVS voluerit, ſit daturus? agnoſce prudenter: *et vnicuique ſeminum proprium corpus.* Quod vtique non ſine cauſa vir DEO plenus annectit, niſi vt futuras hominum huiusmodi dubitationes expelleret; audi, inquam, quod ſapienter adiecit, et ex ſimilitudine rem ipſam, cui comparatur, agnoſce: *et vnicuique*, inquit, *ſeminum proprium corpus:* ſi in ſimilitudine pruprium corpus, ergo et in re, cuius ſimilitudo eſt, proprium corpus certum eſt eſſe reddendum; ſemina enim iſta ſine controuerſia hominibus

nibus comparauit, de quorum vtique morte, et reſurrectione loquebatur: atque ideo ſingula ſingulis conferens, quantum ad viuificanda poſt mortem corpora pertineret, de grani non prius viuificati, quam mortui, comparatione ſingulari mirabiliter explicauit. Dehinc quali poſt reſurrectionem corpore cenſeretur eſſe quisque venturus, id eſt, vtrum hac conditione, quam moriendo geſtauerat, an longe meliore, nihilo minus illa ſimilitudine patefecit, quam ſecutus expoſuit: *et tu qui ſeminas, nudum granum ſeminas, vt puta: tritici, aut alicuius caeterorum; et DEVS dat illi corpus, prout vult.* In hac ergo forma corpus DEVM dare decentius, quam obierat, euidenter expreſſit; ſicut in ſubſequentibus dicitur: *ſeminatur in corruptione, ſurgit in incorruptionem; ſeminatur in ignobilitate, ſurgit in gloriam: ſeminatur in infirmitate, ſurgit in virtutem: ſeminatur corpus animale, ſurgit corpus ſpirituale.* Ecce quemadmodum hominis morientis non hoc ſeminatur, quod corpus eſt poſt futurum: Ecce prout vult DEVS, intelligitur reſurrecturis corpus reformare poſt mortem, cum inaeſtimabili ſuae miſericordiae voluntate: quod fuerat in corruptione ſeminatum, incorruptibili nobilitate reſtaurat: quod fuerat terrenae conditionis in ignobilitate ſopitum, in gloria coeleſti reſuſcitat: quod fuerat mortalitatis infirmitate reſolutum, redintegrat in immortalitatis decore veſtitum: poſtremo quod fuerat animale defunctum, corpus ſpirituale reſtituit, et reformat: quae cuncta ad ſtatum meliorationis, ſublimationisque reſpiciunt. Illa vero, quae reſtat pars comparationis annexae, ſpecialiter ad proprietatem corporis vnicuique redhibendam pertinere firmatur, qua conſequenter dicitur: *et vnicuique ſeminum proprium corpus:* vbi ſatis apparet in quauis reſurgentium claritate proprietatem corporis eſſe manſuram: nec otioſum quod beatus Apoſtolus, quum de ſolo humano genere, quod ſolum eſt vtique ſuſcitandum, nec alia quaecunque ſubſtantia hoc eſt munere decoranda, atque ideo ſufficeret ad vnum genus hominum vnam ſpeciem ſeminis, gratia comparationis adhibere, per quam et non prius viuificari, quam mori, et honorabilius corpus, quam ſeminaretur, exurgere perdoceret: ſed vt diuerſi ſexus proprium corpus aſſereret innouandum, quod in vna ſpecie ſeminis, quantum ad ſimilitudinem reſpiceret, non habebat, ne per hoc et vnam tantummodo ſpeciem reſuſcitandorum corporum, futurarum ſignificaſſe putaretur proprietatum diſtinctione ſummota; diſcreta quaecunque ſeminum genera comparationi ſuae caute, conuenienterque duxit adhibenda, vt proprietatem corporum, ſicut dictum eſt, quam vna ſpecies diſcernere non valebat, ſeminum diuerſitas indicaret, ſuppeditareturque plenae comparationi facultas, per quam ad ſpecialitatem corporum deſignandam conuenientiſſime diceretur: *et vnicuique ſeminum proprium corpus;* vt quod vna ſpecies cuiuslibet grani diſcreto ſexu, qui ei nullus, aeſtimare non poſſet; exprimendae corporum proprietati, ſicut ſoepe iam dictum eſt, ſeminum diuerſitas intelligentiam miniſtraret.

Triplex igitur in hac comparatione propoſitio, diſputatio, definitio eſt: et quantum ad intelligendam reſurrectionem pertinet corporalem, ex ſimilitudine grani non prius viuificati, quam mortui, competens ſimilitudo ſufficiensque deprompta eſt. Quantum vero ad id attinet, quia non id corpus ſeminatur, quod futurum eſt: ſed DEVS dat illi corpus, prout vult: in eiusdem continentia lectionis neceſſario cauſa referatur, quum corruptibile corpus ſeminatum perhibetur incorruptibile rediturum, et cetera quae huic ſenſui probantur adhaerere.

Quantum autem ad proprietatem corpo-

corporum reſpicit edocendam, pleniſſime declaratur, quod beatus Apoſtolus nequaquam ſeminis vnius comparatione contentus, per quod proprietatem corporum non poſſet oſtendere, quum id vna ſpecies, vt ſupra memoratum eſt, ſeminis non haberet, ſtuduit ex ſeminum diuerſitate monſtrare vnicuique ſurgentium, qui ſunt vtique ſeminibus comparati, proprium corpus eſſe reddendum. Et reſurgent ergo homines viuificati poſt mortem, qui vtique prius morientibus, et poſtmodum viuificandis ſeminibus comparati ſunt: et non hoc, quod moriuntur, id eſt tanquam ſeminantur, reſurgunt: *ſed DEVS eis dat corpus, vt vult:* vt ſit de corruptibili incorruptibile, de mortali immortale, de inſpirituali ſpirituale; vt quod mortis fuerat conditione decoloratum, immortale, et decorum integritate reddatur; et proprium corpus, ſicut vnum quodque ſeminum, ſine dubio recepturi ſunt: quod quia diuerſo ſexui in vno ſemine comparari non potuerat, ex ſeminum diuerſitate collatum eſt, vt ex diuerſitate ſeminum, corporum proprietas ſignaretur. Si vero proprium corpus reſuſcitatus quisque recipiet, indubitanter eſt conſequens, vt vnicuique ſexui corpus proprium reformetur; quia, ſicut dictum eſt, et vnicuique ſeminum proprium corpus reſtituitur attributum. Et ſi vnicuique ſeminum proprium corpus reſtituitur, per quae vtique ſemina in vtroque ſexu omne genus hominum deſignatum eſt, ſequitur, vt omne genus humanum, quod in vtroque ſexu iſtis eſt ſeminibus deſignatum, proprium ſit corpus reſumpturum. Hoc nos ex Apoſtoli verbis fas eſt ſobria conſideratione metiri, vltra quae cauendum eſt temeraria curioſitate prorumpere; propter quod etiam commonemur: *Altiora te ne quaeſieris, et fortiora te ne fueris ſcrutatus.* Et: *non alta ſapientes, ſed humili us conſentientes.* Poſtremo attendentes illud, quod Apoſtolica quoque praedicatione firmatum eſt: *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quae praeparauit DEVS timentibus ſe,* quisquis ſuperius memorati ſenſus Apoſtoli non eſt intelligentia, vel comparatione contentus; ad hoc certe, velit, nolit, ſine dubitatione conſtringitur, vt quae oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, qualibet audeat meditatione componere, quaſi vero humani corporis aliqua membra culpabilia, vel dedecora, vel reprehenſibilia ſint creata; quum DEVS fecerit omnia bona valde, et vnam quamque ſpeciem in ſuo genere competenti decore ſubnixam, niſi quod haec, quae inhoneſta noſtra ſunt dicta, concupiſcentiae primordialis decoloraſſet exceſſus: quae vtique ſic fuerant inſtituta, vt ad nutum mentis humanae famulantia, tantummodo ex animae rationalis arbitrio ad procreandae ſobolis cauſam ſuis officiis fungerentur. Praeter hanc vero cauſam nihil contra mentis imperium, quae praeueniendo inſolentius voluntatem, vel quum id voluntas expeteret, quidquam rebellionis afferrent. Sed poſtquam anima Summis ſuis ſubiecta non conſtitit, pari in ſe ipſa naturae contumacis lege punita ſuperbia eſt; vt huic quoque, id eſt animae dominio ſubiecta conſequenter obſequia repugnarent, et quod vetiti praeſumptione contradixerat humanae mentis inobediens appetitus, in ea parte corporis indicaret, qua degeneris, ac decoloratae ſuperbaeque radicis procul dubio vitioſa fuerat generatio propaganda: quae vtique ſi hic, niſi eſſent hac exorbitatione foedata, potuerant decore tantum humano generi propagando, tam honeſta, quam moderata perſiſtere etiam in corpore ſine dubitatione terreno: quanto magis credendum eſt, in ſpirituali corpore ineffabiliter decentius haec poſſe conſtare? praecipue quum nihil iam genitalis officii in illa perpetua claritate geſtura ſint: ſed ad hoc

hoc tantum ſuae ſpeciei, formaeque non deerunt, vt non aliqua alia forma, quam humana, cui promiſſa reſurrectio eſt, reſuſcitata indicetur, nec aliquid ſit, quod in carnis perſpecta reſurrectione non maneat, et videatur alia ſpecies ſuſcitata, quam integrae carnis humanae lineamenta deſignant: quae quisque non vult, fortaſſe moderata ratione librare, velit, nolit, vt dictum eſt, aut ad illud ſuperius reuertetur, *vt quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*, non aeſtimet perſcrutandum; aut ſi vltra conatur erumpere, ipſe videat ſuae temeritatis abruptum. Quam autem condita ſunt honeſta humanae membra ſubſtantiae, etiam res illa nos admonet, quod quum in paradiſo nudi eſſent primi parentes, nihil in his confuſionis habuerunt. Vnde poſt peccatum, et concupiſcentiae virus ingreſſum, corporum ſuorum inordinata perturbatione confuſi ſunt. Atque ideo ſatis apparet, quod ſi in illa quauis felicitate paradiſi poſiti, terreno tamen corpore conſtituti, conſpici ſine confuſione potuerunt, multo magis in illo ſpirituali corpore, atque in illa ſublimi beatitudine, quae ſimilitudinem geſtura eſt angelorum: Et vt homini in carnis reſurrectione nihil deſit, integer reformetur, et ne aliquid deforme Conditor creaſſe videatur, ſi quid de reſuſcitato corpore ſubtrahatur, bonum potius eius opus inde etiam comprobetur, vt eius conditio in illius quoque claritatis decore permaneat; niſi forte iſti etiam illic adhuc exiſtiment motus corporeos orituros, *vbi* (ſicut ipſe Dominus ait) *neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut angeli.* Quod vtique ſi in vnam ſpeciem corporis, vnumque ſexum omnes fuerant ſuſcitandi, cur diceretur: cauſa penitus non fuiſſet. Quin potius quum foemineo ſexui magis competat nubere, non illic defuturum, ſed ceſſaturum prorſus a nuptiis indicatur. Quum autem nihilo minus ſcriptum ſit: *vt capiat vnusquisque propria corporis, quae geſſit ſiue bona, ſiue mala*, quomodo id fiet, niſi vterque ſexus in ſui corporis proprietate vel iudicium ſubeat, vel praemium beatae reſurrectionis accipiat? falluntur autem qui putant illud Apoſtoli teſtimonium ſibi ſuffragari, quo videtur aſſerere in virilem formam omnes homines ſuſcitandos, vbi ait: *Donec occurramus in vnum virum perfectum.* Quid ergo facient, quum rurſus idem dicat: *deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*? quod huic vtique opinioni eorum erit ſine dubitatione contrarium, niſi myſterio competenter inſpecto modeſta mente cognoſcant, qualiter vtrumque conueniat. Quid itaque velit ſibi, quod in vtroque ſexu deſcribatur Eccleſia, quantum Domino reſerante ſentimus, exponimus. Ab initio Chriſtum, et Eccleſiam humana carne, ſimilitudine coniugii deſignatam Sancta Scriptura teſtatur. Proinde quum foemineo ſexu cenſetur Eccleſia, infirmitas quidem humanae conditionis oſtenditur, quae tanquam in Eccleſia coniuge Chriſti conuenienter exprimitur: ſed nomine virginitatis, vel continentiae eius, propoſitum, vel integritas fidei, de qua et ipſe beatus Apoſtolus diſſerit, intimatur. Quum vero dicitur: *donec occurramus omnes in virum perfectum*, nec diuerſum eſt, nec diuiſum: quoniam quidquid in Eccleſiae corpore continetur, quae cum Chriſto vna caro eſt ſacri lege coniugii; etiam ipſius caro modis omnibus in ſexu fieri vtroque (quod dictum eſt, ſiue illic: *virginem caſtam*, ſiue hinc: *virum perfectum*, vt ita ſint in Eccleſia Catholica intemerata fide viuentes, et ſancto propoſito continentes,) licet adhuc poſſit in infirmitate conditionis humanae; vt tamen per vnam carnem Eccleſiae, et Chriſti, id eſt: coniugis, et viri, in ipſo quoque virilem accipiat firmitatem, vigoremque perfectum, cuius per Eccleſiae virgineam fidei caſtitatem, qua cum eodem vna caro ſunt, et viri mem-

membra perfecta. Vbi illa quoque beati Apoſtoli Pauli verba tractanda ſunt, quibus ait: *Omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus in Chriſto.* Quantum ad vnitatem vtique pertinet Sacramenti, vnum corpus ſumus in Chriſto: quantum ad ſexuum diuerſitatem, ipſe alibi dicit: *ſiue vir, ſiue mulier, omnes vnum ſumus in Chriſto:* cum ſuo enim toto corpore, quod eius eſt plenitudo, perfectus eſt Chriſtus; et ideo quia per vnum, idemque myſterium, licet diuerſi ſexus, vnum tamen corpus accipitur, per cuius corporis plenitudinem perfectus eſt Chriſtus. Quum ergo vir Chriſtus Eccleſiae tanquam coniugis ſuae, et caput ſit, et virtus, atque perfectio, merito omnis Eccleſia in hunc vnum virum perfectum, cuius eſt vna caro, perhibetur occurrere.

VI.

Ad Epiſcopos Daciae Anno Chriſti CCCCXCIV.

Gelaſius Epiſcopus vniuerſis Epiſcopis per Daciam, ſiue per Illyricum conſtitutis.

Audientes Orthodoxam veſtrae Dilectionis in Chriſto conſtantiam, atque ita vos antiquae fidei, communionisque ſincerae traditionibus inhaerentes, vt mentem Chriſtianae deditam veritati nullatenus infecerint praeuaricatorum vicina contagia, magnificamus Dominum, Charitatemque veſtram miſſis litteris alloqui per religioſos *(a)* viros filios noſtros Cyprianum, atque Macarium Diacones tota cordis auiditate curauimus: quoniam pro Sedis Apoſtolicae principatu, cuius ſollicitudo delegata Diuinitus cunctis debetur Eccleſiis, nos viuimus, ſi vos ſtatis in Domino, magnisque gaudiis triumphamus. Quum vbique terrarum Dominum Sabbaoth ſemen purae confeſſionis reliquiſſe cognoſcimus, quod non in petroſa deueniens, aeſtu tentationis exaruit, nec viae proximum cecidit vacantibus inimicis expoſitum, nec in ſpinis irruit ſuffocandum, ſed in bonam terram piae deuotionis veſtrae coeleſti ſatione diſperſum, in trigeſimum, et ſexageſimum fructum, centenariumque profecit, profectionemque ſcilicet frumenti Dominici myſtica locutione deſignans. Quapropter exultantibus animis confidentius incitamus, vt ab Eutychianae peſtis incurſu pectora veſtra ſapienter intemerata ſeruetis: quoniam iam *qui perſeuerat vsque in finem, hic ſaluus erit. Dominus prope eſt nihil ſolliciti ſitis.* Siquidem maior eſt, quod in nobis eſt, quam qui in hoc mundo, regnumque Domini intra nos (etiam ſcriptura teſtante) ſit certum. Vt autem ab eorum, qui in errore ſunt poſiti, noxia ſocietate caueatis, nullum talibus communicantem ad veſtrum recipiatis qualibet ſubreptione conſortium: quia ſicut in vnaquaque haereſi cum prauitatis auctore damnato ſucceſſores eius, et complices, atque huiusmodi ſectatoribus polluta communione permixtos Catholica vitare debet integritas; ita cum Entychete Dioſcorus, ſimulque Timotheus Ælurus, et Petrus Alexandrinus eiusque communicator Acacius, nec non etiam Antiochenus Petrus, cum ſuis ſunt omnino participibus abdicandi. Nec quisquam etiamſi prauitatem deponere ſe promittat, recitandis tamen nominibus conſentiens perditorum, vel eadem recitantium minime communione diſcretus, ad immaculata a ſacrilegiis ouilia quibuscunque modis eſt permitten-

(a) Patet fuiſſe appellatos filios Diaconos, quos vltro citroque eb Epiſcopis fuiſſe miſſos legatos innumera teſtantur.

mittendus intrare, vt Eccleſia DEI noſtri, *quae maculam, rugamque non ſuſtinet*, inuiolata permaneat. Abſint ergo a fidelibus Chriſti viperae capitis dira commercia, et procul a coeleſtibus paſcuis mortifera venena pellantur, vt ſalutaris alimonia panis illius, qui de coelo deſcendit, fideles hanc ſumentes ad vitam perducat aeternam.

Quae vt mutua valeamus exhortatione proſpicere, det operam veſtra Dilectio, vt ſoſpitatem veſtrae Charitatis optatam, et fidei communis inſtantia nobis crebrius aperire non deſinat, quatenus alternis nos inſtructionibus excitantes, legitimorum Domini Sacerdotum poſſimus inuenire mercedem. Per vicinas quoque Prouincias haec eadem patefacere veſtra Charitas vigilanter inſiſtat; vt et qui Catholicae communionis ſinceritate ſubſiſtunt, competentibus roborentur alloquiis, et qui forſitan ab huius rectitudine deuiarunt, ad integritatem dogmatis Chriſtiani ſalubribus monitis reducantur. Nouerit autem veſtra Fraternitas Eccleſiae Theſſalonicenſis Antiſtitem noſtris adhortationibus ſoepius incitatum, contagia communionis externae nunquam declinare voluiſſe, nec apud nos nomen Acacii, vel ceterorum ſimilium perfidorum, hisque communicantium congrua profeſſione damnaſſe. Quapropter eum communionem Sedis Apoſtolicae non recepiſſe manifeſtum eſt; quoniam niſi puris ſenſibus, et ab omni nefanda ſocietate alienis, beati Petri Apoſtoli nec poſſumus, nec debemus Eccleſiae praebere commercia. Propterea cautius agendum eſt cum praefato, ne Catholicis mentibus, vt fuit, Apoſtolicae Sedis reconciliatione ſubrepat; quam ſicut doloſis artibus fallere, et circumuenire non praeualet, ita ſub cuius non poteſt obtinere auctoritatem quoque noſtram, quae ad Dalmatiarum (a) eſt directa Pontifices, etiam ad vos credimus dirigendam, quatenus in veritate Catholica, ſecundum formam traditionis antiquae tenere nos conſonam noueritis vbique ſententiam. Si quos vero nouos didiceritis motus exurgere, nobis Fraterna debetis ſollicitudine referare, quo ſubinde, quae patrum regulis congruant, praeſtante Domino, remedia procuremus. Nec quisquam omnino vobis perſuadeat, Acacio praeuaricationis ſuae crimen fuiſſe laxatum, quia qui, poſtquam in collegium recidens prauitatis, iureque meruit ab Apoſtolica communione ſecludi, in hac eadem perſiſtens damnatione defunctus eſt, abſolutionem, quam ſuperſtes nec quaeſiuit omnino, nec meruit, mortuus iam non poteſt impetrare; ſiquidem ipſis Apoſtolis Chriſti voce delegatum eſt: *Quae ligaueritis ſuper terram, et quae ſolueritis ſuper terram.* Certum iam de eo, qui in Diuino eſt iudicio conſtitutus, nobis fas non eſt aliud decernere, praeter id, in quo eum dies ſupremus inuenit: atque ideo niſi eius nomine refutato, ceterisque conſortibus huius erroris, cum nullo prorſus eorum participare debetis menſae Dominicae puritatem, quam maiores noſtri ſemper ab haeretica magnopere ſeruauerunt pollutione diſcretam. Sed neque vos quisque circumuenire pertentet: quod dicat non de religione, ſed de moribus eſſe certamen, vel Apoſtolicam Sedem non cauſam communionis Catholicae, fideique tractare, ſed iniuriam dolere, cur videantur (b) ab Acacio contempta: quoniam haec, et huiusmodi, quatenus ſimplices quoque decipiant, hi, qui in errore ſunt poſiti, ſpargere non quieſcunt. Videtis enim, ſicut ſupra iam dictum eſt, per nomina praeuaricatorum, ſi, quod abſit, in Eccleſia recitanda credantur, ſimul et contagium praeuaricationis induci. Sedes autem Apoſtoli-

(a) Reſpicit epiſtolam ſuperiorem.

(b) Lege: *Quod videatur ab Acacio fuiſſe contempta.*

ſtolica in tantum non contumeliam dolet, ſed fidem defendit, communionem ſinceram, vt hodie cuncti, qui in eius viſi ſunt prorupiſſe deſpectum, ſi ad integritatem fidei, communionemque Catholicam reuertantur, ſecundum regularum tramitem paternarum, toto cordis affectu venientes, et plena charitate ſuſcipiat. Data III. Nonas Auguſti, Aſterio, et Praeſidio viris Clariſſimis Conſulibus.

VII.

Ad Epiſcopos Dardaniae Anno Chriſti CCCCXCII.

Dilectiſſimis Fratribus vniuerſis Epiſcopis per Dardaniam conſtitutis Gelaſius Epiſcopus.

Vbi primum reſpirare fas eſt a continuorum tempeſtate bellorum, quae in illis Prouinciis, vel in iſtis temporibus qualitas inceſſanter exercuit, cunctos per Dardaniam Domini Sacerdotes Fraternae ſollicitudinis charitate duximus alloquendos: primum, quia regimen Apoſtolicae Sedis adepti, ſtrepitu publico, ſicut dictum eſt, retardante commiſſum nobis ſacrae diſpenſationis officium, propriis, vt mos erat, litteris nequiuimus indicare, qua veſtra Fraternitas de communionis Domini nobiſcum munere gratuletur. Deinde, vt poſt tantas acerbitates, incommoditatesque mundanas, qualiter inuicem valeremus, mutuus ſermo depromeret: poſtremo, ſi qua de Eccleſiaſticis referenda ſunt cauſis, quae propter inſidias perpetui hoſtis, paſtorali ſunt iugiter circumſpicienda vigilantia, ſignificationibus panderemus alternis. His igitur incitati, per Fratrem, et Coepiſcopum noſtrum Urſicinum praeſentia dirigere ſcripta curauimus, praeeunte gratia ſalutationis, orantes vt magnanimiter auxilio Domini tolerando rerum tranſeuntium vaſtitatem, magis eſſe debeamus attenti, ne, quod abſit perpetuae ſubeamus vitae diſpendium: Proinde, quae Catholicae veritatis poſcit vtilitas praecauenda, Dilectio veſtra pauliſper aduertat. Apud Graecos, quibus multas haereſes abundare non dubium eſt, iam ante annos fere quadraginta, et quinque de Domini noſtri, et Saluatoris incarnatione nata conquaeſtio (a) eſt: Eutyche quondam Presbytero Conſtantinopolitano in blaſphemias proruente, per quas diceret vnam tantummodo, id eſt, ſolam diuinitatis naturam, ſiue ſubſtantiam in Domino Ieſu Chriſto credere nos debere, ſuſceptae carnis veritate prorſus abolita: quod vtique improbum commentum Marcioniſtis, Manichaeisque coniunctum, totum ſine dubio ſalutis noſtrae ſolueret Sacramentum; ſiquidem quantum et ſcripturae venerabilis dicit auctoritas, et maiorum teſtatur doctrina noſtrorum, Redemptorem mundi DEVM, totum ſimul DEVM, totumque hominem ex Maria Virgine fuiſſe progenitum: et huic mundo certum eſt extitiſſe conſpicuum, ſic paſſum, atque reſurrexiſſe conſtat a mortuis. Itaque quadraginta diebus fuiſſe cum diſcipulis conuerſatum, in coelum aſcendiſſe, plena luce ſit clarum, eoque modo dictum ad iudicium, angelo teſtante, venturum, vt et filius hominis, quem beatus Stephanus martyr a dextris virtutis DEI vidit aſtantem, manifeſtus appareat, et quem compunxerunt perſecutores eius, aſpiciant: quod nimirum ſine carnis humanae non poteſt conſtare materia, cuius aſſumptio glorificacata eſt Deitate, non prorſus abſumpta.

Vade

(a) Id eſt controuerſia.

Vnde et beatus Apoſtolus Ioannes dicit: *qui negat Chriſtum in carne veniſſe, hic eſt antichriſtus:* et glorioſus Apoſtolus Paulus, qualem hodie credere debeamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum palam profeſſus eſt, dicens; *in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Quo breui capitulo (*a*) ſimul Arianam peſtem, et hanc, quam diximus, Eutychianam coeleſti praedicatione ſubuertit; quia et homo nihilo minus eſt, vbi omnis, plenaque Diuinitas habitare perhibetur, et *corporaliter* exprimendo, in veritate perſiſtere noſtri corporis approbatur.

Super autem his frequenter ab Apoſtolica Sede, et per beatae memoriae Sanctum Leonem, et per ſucceſſores eius, certum eſt Graecos fuiſſe conuictos, ſicut ipſorum chartis, quas apud nos habemus, ſine ambiguitate monſtratur. Nunc vero, quamuis ipſam peſtilentiam non audeant profiteri, eos tamen, qui talibus communicauerint, meritoque ſecundum Chalcedonenſis decreta Concilii ab Apoſtolica Sede damnati ſunt, obſtinatique in eadem damnatione defuncti, pernicioſo furore defendunt, et eorum recitationem Eccleſiae Catholicae moliuntur ingerere, Quibus vtique, quod abſit, receptis, etiam contagium prauitatis, cui ſe communione ſociarunt, conſequenter incurritur; quemadmodum (quod Dominus auertat) ſi Arii, vel cuiuslibet haeretici ad Eccleſiaſticam recitationem nomen admittitur, ſimul et conſortium deteſtabilis erroris aſſumitur. Vnde quia errorem quidem fatentur, ſed ea ſibi putant communionem Catholicam conditione laxandam, vt nomina eorum, qui praeuaricati ſunt, illis in Eccleſia recitare ſit licitum, et non tam ipſi corrigere, quam ſinceritatem Catholicam inficere nitantur contagio perfidorum; Dilectionem veſtram Fraternae charitatis affectu non deſtitimus admonere, vt ſi qui talia ſeminantes ad veſtras regiones forte peruenerint, modis omnibus excludantur, vobisque cum Sede beati Apoſtoli Petri, ſicut a Patribus noſtris eſt tradita, illibata communio, atque ex omni parte inconuulſa perduret. Certe ſi quis aures veſtras de hac crediderit ſubreptione pulſandas, ſollicitudine paſtorali ad nos quamcitius referre properetis, vt communi ſtudio, Catholicoque (*b*) tractatu, pro domo vnius Domini cuncti Catholici conferant Sacerdotes; vt quae Orthodoxae definitioni competunt, intemerata ſeruentur: et quatenus errantibus debeat ſubueniri, rationabili deliberatione noſcatur. Haec autem veſtra Dilectio etiam ad contiguas ſibi quasque Prouincias, vicinosque Pontifices prudenter faciat peruenire, vt Eccleſiarum Praeſules, vniuerſae veritatis inſtructione percepta mortiferam declinare valeant falſitatem. Et *ſubſcriptio:* DEVS vos incolumes cuſtodiat, Fratres chariſſimi.

XV.

Capitulum quid?

(*a*) Papiae aſſertionem comprobat hic locus, ait enim is: *Capitulum eſt breuis multorum complexio, ſic dictum, quia breuiter capiat totam ſummam. Capitulum ergo, Summa, Summarium, idem ſunt.*

(*b*) Id eſt: *generali*, quod ſubſequa demonſtrant.

Digitized by Google

XV. RESCRIPTVM EPISCOPORVM DARDANIAE AD Gelaſium Papam.

Domino Sancto Apoſtolico, et Beatiſſimo Patri Patrum, Gelaſio Papae Vrbis Romae (*a*) humiles Epiſcopi Dardaniae.

Saluberrima Apoſtolatus veſtri praecepta Tryphone viro religioſo filio (*b*) noſtro deferente, qua oportet deuotione ſuſcepimus, et maximas DEO omnipotenti, et beatitudini veſtrae deferimus gratias, quod nos paſtorali admonitione, et Euangelica doctrina viſitare dignatus es, Domine ſancte Apoſtolice, et beatiſſime Pater Patrum! Deſiderii enim, et voti noſtri eſt, iuſſionibus veſtris in omnibus obedire, et quemadmodum a Patribus noſtris accepimus, Sedis Apoſtolicae, quae vitae, et meritis veſtris delata eſt, praecepta intemerate ſeruare, atque religionem Orthodoxam, cuius eſtis praedicatores, fideli, et inculpata deuotione, prout noſtrae ruſticitatis ſenſus patitur, cuſtodire. Eutychis enim, vel Petri, Acaciique, et omnium ſectatorum eius, atque conſortium, velut quaedam peſtifera contagia, ante veſtram quoque vitauimus iuſſionem; et multo magis nunc poſt admonitionem Sedis Apoſtolicae, et ab eadem nos pollutione neceſſe eſt abſtinere: et ſi qui alii eiusdem Eutychetis ſectam, vel Petri, et Acacii, aut ſecuti ſunt, aut ſequentur, vel eorundem ſeſe complicibus, atque conſortibus aeſtimant immiſcendos, et a nobis, qui Sedi Apoſtolicae, ſecundum Diuina praecepta, et Patrum ſtatuta, inculpati ſeruire deſideramus, omni ratione vitandi ſunt. Et ſi qui forte praua intentione (quod neque arbitramur, neque optamus) a Sede Apoſtolica ſe crediderint ſegregandos, ab eorum nos alienos eſſe conſortio profitemur, quoniam, vt dictum eſt, Patrum in omnibus cuſtodientes praecepta, et inuiolabilia ſacro-ſanctorum Canonum inſtituta ſectantes, Apoſtolicae, et ſingulari illi Sedi veſtrae communione, fide, et deuotione parere contendimus. Et quoniam ſuggerendi fomitem nobis pro inſita ſibi benignitate Beatitudo veſtra conceſſit, aliqua memorato Tryphoni, viro religioſo, filio noſtro, praeceptorum veſtrorum portitori ſuggerenda (*c*) mandauimus.

Et

Papa Pater Patrum. (*a*) *Patris Patrum:* axioma proprium erat Summis Pontificibus iam ab Africanis Patribus Bonifacio Papae tributum: *Domino noſtro*, inquiunt, *Sancto, et beatiſſimo, et reuero venerando Patri Patrum, et Archi-Epiſcopo Bonifacio Patriarchae, Elpidius, Stephanus, et Timotheus exigui Epiſcopi.* Papae autem nomenclatio paſſim pro Epiſcopi compellatione tribuebatur quibuscunque Epiſcopis.

(*b*) Suſpicor legendum: Filio *veſtro*. Si enim τὸ: *noſtro* retineatur, dicendum eſt, Tryphonem fuiſſe alicui Dardaniae Eccleſiae adſcriptum; illos enim Epiſcopi filios ſemper vocabant, qui ſuae iurisdictioni ſuberant.

(*c*) Id eſt: *interroganda*. Suggeſtio enim libellus ſupplex, vel etiam conſultatio Summo Principi porrecta dicebatur; contextus totius loci oſtendit interpellandam fuiſſe Sedem Apoſtolicam. Libellum ſupplicem oſtendunt illa S. Leonis ad Marcianum Auguſtum: „*Suggeſtiones autem Fratris, et Coepiſcopi mei Iuliani, quem pietati veſtrae commendo, quaeſo, vt benignius, ſicut facitis, audiatis.* Suggeſtio quid?

Et vt ſuggeſtionem eius, quantum arbitramur iuſtam, et rationabilem pro ſupplicatione noſtra libenti animo Apoſtolatus veſter dignetur admittere, iuſtis precibus exoramus, (quod ſupplicatio noſtra meretur effectum) vnum ex Angelica *(a)* Sede veſtra cum ſoepe dicto viro religioſo ad nos vsque praecipite deſtinare, vt ſub eius praeſentia quae fides Orthodoxa, et veſtrae iuſſionis ſinceritas poſtulat, ordinentur.

Subſcriptio. Ioannes Epiſcopus Sacro-ſanctae Eccleſiae Scopinae Metropolitanae Ciuitatis huic reſcripto a nobis dato conſentiens, ad omnia quae ſuperius continentur, manu propria ſubſcripſi.

Bonoſus Epiſcopus, vt ſupra, ſubſcripſi.

Samuel Epiſcopus, vt ſupra, ſubſcripſi.

Verianus Epiſcopus per Valentinum Archi-Diaconum, vt ſupra, ſubſcripſi.

Fauſtinus Epiſcopus, vt ſupra, ſubſcripſi.

Urſinus Epiſcopus, vt ſupra, ſubſcripſi.

XVI.
EPISTOLA SYMMACHI PAPAE
AD
Laureacenſem Epiſcopum,
Ex Metropoli Salisburgenſi Hondii An. Chriſti DI.

Symmachus Sanctae Apoſtolicae Sedis gratia DEI Epiſcopus Reuerendiſſimo, ac Sanctiſſimo Fratri Theodoro Sanctae Laureacenſis Eccleſiae Archi-Epiſcopo. *(b)*

Diebus vitae tuae pallii vſum, quem ad Sacerdotalis officii decorem, et ad oſtendendam vnanimitatem, quam cum beato Petro Apoſtolo vniuerſus grex Dominicarum ouium, quae ei commiſſae ſunt, habere dubium non eſt, ab Apoſtolica Sede, ſicut decuit, popoſciſti; quod vtpote ab eiusdem Apoſtolis fundatae Eccleſiae *Maiorum more* libenter indulſimus ad oſtendendum te Magiſtrum, et Archi-Epiſcopum, tuamque Sanctam Lauriacenſem Eccleſiam Prouinciae Pannoniorum Sedem fore Metropolitanam. Idcirco pallio, quod ex Apoſtolica charitate tibi deſtinauimus, quo vti debeas *ſecundum morem Eccleſiae tuae*, ſolerter admonemus, pariterque volumus, vt intelligas, quia ipſe veſtitus, quo ad Miſſarum ſolemnia ornaris, ſignum praetendit crucis, per quod ſcito

 Te

(a) Quamuis Epiſcopi omnes a S. Ioanne Euangeliſta Angeli vocentur, atque etiam ſoepe Euangelici appellati fuerint, Angelicae tamen Sedis nomenclationem non conſtat alteri Sedi fuiſſe tributam.

Archi-Epiſcopi qui?

(b) Archi-Epiſcopi nomenclatio difficilem huic epiſtolae litem peperit, quam Reuerendiſſimus Salagius lib. 4. cap. 2. de Metrop. Laureacen. pro more ſuo erudite verſat; pace tamen illius dictum eſto, faciliorem euadendi viam eſſe, ſi dicamus: ſuperſcriptiones vix aliquando genuinas eſſe, quod Garuerius obſeruauit, totum ergo argumentum litis corruit; certe ſuperſcriptio implicata eſt admodum ob detortam vocum locationem. Ceterum celeberrimus Manſi Tom. VIII. ſub nomine Symmachi Papae, quae tamen Ennodio tribuenda eſt, recitat laudes Laurentii Mediolanenſis Eccleſiae Archi-Epiſcopi.

Digitized by Google

Te cum Fratribus debere compati, ac mundialibus illecebris in effectu crucifigi. Vnde ergo, quum deforis huiusmodi inſignio indueris, intus in animo conſidera, quod hoc ſit magis oneris, quam honoris, atque cor tuum, DEO tegente, ab appetitu iſtius ſeculi ſic tempera, vt et commiſſam exequi gubernationem ſtudeas, et adeptae dignitati, cuius ſublimaris officio, et probitate morum, et viuacitate ſollicitudinis, ac cuſtodia integerrimae fidei congruas, quatenus tu ipſe a remuneratore omnium bonorum DEO, et benedictionis gratiam, vitamque aeternam conſequi merearis, Amen.

XVII.
IVS SEDIS APOSTOLICAE IN ILLYRICVM.
Ex Concilio Romano ſub Bonifacio.

I.
Dilectiſſimo Fratri Acholio Damaſus.

Ad meritum filii mei Ruſtici addi aliquid non poteſt, Domine Frater Honorabilis! Hic enim quum habeat praerogatiuam officii ſui, quod Silentiarius (a) ſit Filii noſtri Gratiani Auguſti; huc accedit, quod gratiam Dei Romae conſecutus eſt; ita vt vellet munitus ad illas partes miſſus venire. Hunc ergo in omnibus honorificentiae tuae commendo, quaſi proprium pignus ſuſcipere digneris: vt DEO propitio in peregrinatione conſtitutus intelligat ſe a Conſacerdotibus DEI et diligi, et honorari. Ad litteras Sanctitatis tuae plene reſcripſi, non mihi placuiſſe, quod neſcio, quem Maximum, ex Ægypto venientes, comatum, (b) vel maxime, cuius habitus, iuxta Apoſtolum, ignominioſus eſſet, Conſtantinopoli Epiſcopum ordinare voluiſſent. Rectius igitur fecerit Sanctitas tua, ſi dederit operam, vt de cetero Catholicus conſtituatur; cum quo nobis DEO propitio poſſit pax perpetua perdurare.

II.
Dilectiſſimo Fratri Anyſio Siricius.

Etiam dudum, Frater chariſſime, per Candidianum Epiſcopum, qui nos praeceſſit ad Dominum, huiusmodi litteras dederamus, vt nulla licentia eſſet ſine conſenſu tuo in Illyrico Epiſcopos ordinare praeſumere: quae vtrum ad te peruenerint, ſcire non potui. Multa enim geſta ſunt illic per contentionem ab Epiſcopis in ordinationibus faciendis, quod tua melius Charitas nouit: et ideo ſollicite agere te oportet, ne, vt factum eſt, certatim in vna Eccleſia, dum ordinare praeſumunt indignos, veluti tres Epiſcopi feciſſe videantur. Ad omnem

(a) Silentiarii erant, qui in Aula Principum ſilentium indicebant, et tranquillitati ſtudebant, praeſertim nocturno tempore iuxta illud Claudiani: *Sacroque adhibere ſilentia ſomno.* Erant autem triginta, habebantque tres Decuriones. hi vocabantur: Clariſſimi, Spectabiles; illi: Deuotiſſimi. Praecipuam fuiſſe dignitatem patet ex eo, quod Anaſtaſius ex Silentiario thronum capeſſiuerit. Habebant etiam Papae ſuos Silentiarios. Apud Francorum Reges videtur fuiaſe Secretarius ſtatus.

(b) *Coma eſt crinis non inciſus*, ait Papias. E textu S. Pauli. 1 Cor. 11. v. 14. intelligimus, quid reprehendat S. Damaſus, ait enim Apoſtolus: *vir ſi comam nutriat, ignominie eſt illi.* Coma Clericorum.

omnem enim huiusmodi audaciam comprimendam vigilare debet Inſtantia *(a)* tua, Spiritu in te ſancto feruente: vt vel ipſe ſi potes, vel quos iudicaueris Epiſcopos idoneos, cum litteris dirigas dato conſenſu, qui poſſint in eius locum, qui defunctus, vel depoſitus fuerit, Catholicum Epiſcopum, et vita, et moribus probatum ſecundum Nicaenae Synodi ſtatuta, vel Eccleſiae Romanae Clericum, de Clero meritum, ordinare.

III.
Dilectiſſimo Fratri Anyſio Innocentius.

Quum DEVS noſter Chriſtus Sanctae memoriae virum Anaſtaſium Epiſcopum, licet celeriter, ad ſe vocare dignatus ſit; computans eius merita tanta eſſe, ac talia, vt iam excederent conuerſationis humanae conſortium, ſeculumque illud, prae vitae puritate, et abundantia doctrinae, qua populum DEI toto Eccleſiaſticae auctoritatis rigore regebat: ne eius Eccleſia aliquantulum ſine Rectoris gubernaculo remaneret, ſtatim pro ſua miſericordia conſentientibus Sanctis Sacerdotibus, omnique Clero, ac populo, cum pace, quam DEVS Eccleſiae ſuae rediens ad coelum donare dignatus eſt, ordinatum me in eius locum, Frater chariſſime, par fuit recognoſcere: primitiasque meas non niſi viro optimo, atque in DEO ſemper fideliter laboranti, celeriter nunciare. Cui etiam anteriores tanti, ac tales viri praedeceſſores mei Epiſcopi, id eſt, Sanctae memoriae Damaſus, Siricius, atque ſupra memoratus vir ita detulerunt, vt omnia, quae in illis partibus gererentur, Sanctitati tuae, quae plena iuſtitiae eſt, traderent cognoſcenda: meam quoque paruitatem hoc tenere iudicium, eamdemque habere voluntatem te decet recognoſcere. Neque enim fas erat, vt aut ego contra tantorum bonorum virorum iudicium venire tentarem, quorum in locum ſucceſſiſſe dignoſcor; aut tuo merito, cui praeclari viri tantam gratiam auctoritatis huiusce contuliſſe videtur, aliquid derogari videretur. Prae me itaque fero, vt hoc ipſum etiam meae paruitati reſeruatum recognoſcam, vt pari iudicio, ſimilique forma, et bonis adaeque, et tuae Charitati id tribuam, quod mereris.

IV.
Dilectiſſimo Fratri Rufo Innocentius.

Lectiſſimo, et glorioſiſſimo Moysi ita in Israel liberando, regendoque Dominus cuncta commiſit, vt conſilium Soceri Jothor ſequendum ei manifeſta ſub relatione mandaret: videlicet, vt conſtitueret viros gradu dignitatis iudiciariae ſuppares, qui cauſarum multitudines, pro loco ſibi credito, inter populos definirent, ipſo maxime vel etiam Diuinis conſolationibus vacaturo. Nec aliter Apoſtolorum forma promulgata eſt, quam vt ipſi Principes Euangelii conſtituti, ceterarum rerum cauſas, neceſſitudinesque ſuis diſcipulis curandas, obeundasque, mandarent. Ita denique tota miſeratione mirabilis Paulus Tito, quae curet apud Cretam: Timotheo, quae per Aſiam disponat, commiſit; vt ſacrarum epiſtolarum lectione cognoſcimus. Diuinitus ergo haec procurrens gratia ita longis interuallis diſter-

Mm 2 mina-

(a) Principes tam ſacri, quam profani diuerſimode ſuos appellabant ſubiectos, iam enim dicebant: *induſtria tua*, iam: *vtilitas tua*. Epiſcopi ſollicitudine digna compellatio: *inſtantia tua* iuxta illud: 2 Cor. 11. v. 28. *inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.*

minatis a me Eccleſiis diſcat conſulendum; vt prudentiae, grauitatique tuae committendam curam, cauſasque, *(a)* ſi quae exoriantur, per Achajae, Theſſaliae, Epiri veteris, Epiri nouae, et Cretae, Daciae Mediterraneae, Daciae Ripenſis, Moeſiae, Dardaniae, et Praeuali Eccleſias Chriſto Domino annuente cenſeam. Vere enim eius ſacratiſſimis monitis lectiſſimae Sinceritatis tuae prouidentiae, ac virtuti hanc iniungimus ſollicitudinem: non primitus haec ita ſtatuentes, ſed praeceſſores noſtros Apoſtolicos imitati, qui beatiſſimis Acholio, et Anyſio iniungi pro eorum meritis iſta voluerunt. Iuſtiſſimum eſt enim ita bene meritos honoribus decorari, vt arrogantes neceſſarium videtur obtundi. Placet ergo in bonis proemium, et in minus bonis *cenſeo; (b)* ſic enim et iſte corrigitur, et ille nobilitatur. Arripe itaque, Dilectiſſime Frater, noſtra vice per ſupraſcriptas Eccleſias, ſaluo earum primatu, curam: et inter ipſos Primates primus, quidquid eos ad nos neceſſe fuerit mittere, non ſine tuo poſtulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam, quidquid illud eſt, finietur; aut tuo conſilio ad nos vsque perueniendum eſſe mandamus. Licitum autem, et Apoſtolicae Sedis fauore permiſſum tuae Fraternitati cognosce; vt quum aliqua Eccleſiaſtica ratio, vel in tua, vel in memoratis Prouinciis agitanda, cognoscendaque fuerit, quos velis Episcoporum ſocios, quibuscunque de Eccleſiis, aſſumas tecum: quorum et fide, et moderatione quidquid neceſſitas, cauſaue flagitauerit, optimus dirigas arbiter; et praecipuus, quippe a nobis lectus, definias interceſſor. *(c)* Omnem ſane inſtructionem chartarum in cauſa archiuorum cum Presbytero Senecione, viro admodum maturo, fieri iuſſimus. Itaque et ex priore epiſtola noſtra, et ex his chartulis bene recenſens, quid agere debeas, recognosce. Nam voluntatem hanc noſtram per vnamquamque Prouinciam ſatis, vt decebat, litteris manifeſtauimus. Data xv. Kalend. Iul. Honorio ix, et Theodoſio v. Auguſtis Coſs.

V.

Dilectiſſimis Fratribus Rufo, et ceteris Episcopis per Macedoniam, Achaiam, Theſſaliam, Epirum veterem, Epirum nouam, Praeualin, et Daciam conſtitutis Bonifacius.

Manet beatum Apoſtolum Petrum per ſententiam Dominicam vniuerſalis Eccleſiae ab hoc ſollicitudo ſuscepta: quippe quam Euangelio teſte in ſe nouerit eſſe fundatam: nec vnquam eius honor vacuus poteſt eſſe curarum; quum certum ſit curam rerum ex eius deliberatione pendere. Quae res animum meum vsque ad Orientis loca, quae per ipſam ſollicitudinem quodammodo videmus, extendunt. Indeſinenter enim ab vno quoque illinc veniente percontor de pace Fratrum, id eſt: de quiete Pontificum, quae ſolet, quoties diabolus huic inuidet, alicuius praeſumptione turbari. Quum igitur ad nos, ordine ſuo cuncta ſeruari, fama nunc vsque detulerit; vehe-

(a) Hinc patet, quod ius habeamus ad has epiſtolas, ſeu potius, quem ſibi locum vendicare poſſint in collectione noſtra.

(b) Id eſt: diſtrictio, ſeueritas; *cenſere* eſt enim Papiae aliisque: iudicare, ſententiam proferre.

(c) Interceſſor hoc loco idem eſt, ac Vicarius, qui enim vacantes Episcopatus olim adminiſtrabant, interceſſores vocabantur, illos autem conſtat vicaria poteſtate vſos. Interceſſores qui?

vehementer mirati ſumus eius rei ſtupentes, vt poscebat ratio relatorum, quam iniuriam Patrum intentio nouella tentauit. Certo enim cognouimus indice, apud Corinthum, quod exagitati dicimus, Synodum congregandam, ſuper eius discutiendo ſtatu, quem Corinthiis Apoſtolica Sedes, examinatis omnibus, atque discuſſis conſtituit Sacerdotem: ſecuta DEI voluntatem, quae hunc ipſum, quantum docetur dilationibus temporum, eius ouilis, in quo creuerat, et cui creuerat, voluit eſſe paſtorem. Cuius ordinationis, ſi veſtra Charitas eſſet ignara, libenter ab origine ſua, quae ſunt in praeterito de eo geſta, retexerem; vt his, quorum aspectus negotii eius non per ignorantiam, ſed per ſtudium inuoluit obſcurum, manifeſtatione clareret, ſententiam de eo ſpecialiter fuiſſe Diuinam; qua, vt diximus, Eccleſiae Corinthiorum, velut alumnum ſuum indicium coeleſte ſeruauit. Quam rem omnium ciuium, et Clericorum a nobis oppido poſtulauit adſenſus. Neetamen id abrupte *(a)* praeceptio noſtra conſtituit; ſed vt Eccleſiaſtica disciplina poscebat, diligentius Fratrem, et Coepiscopum noſtrum Rufum negotii iuſſimus interiora rimari, et petitionis ſummam ſua de proximo moderatione penſare, vt nihil immaturum ab hae Sede fieri videretur, quae aliorum praeſumptiones ſoepe compreſſit. Ad nos poſt aliquanti temporis ſpatium ſuper hoc praedicti Co-Epiſcopi noſtri, quae praemiſſis deſideriis conuenirent, ſcripta venerunt; quorum euidentiſſimam rationem ſecuti, dedimus hunc Eccleſiae illius eſſe Pontificem, in qua per ſingulos honorum gradus praeteritam quoque tranſegiſſet aetatem. Quam ad rem faciendam, memorato Episcopo mea directa ſecunda protinus, quae Presbyterio vniuerſo complacuit, auctoritatem mandaui: retro maiores ſecutus, qui Eccleſiam Theſſalonicenſem ſibi ſemper familiarem, et in collegii caritate famulantem, dignam, ſicut fides aſſerit ſcriniorum, hoc honore duxerunt, quem Fratri Rufo Apoſtolicae etiam impoſterum gratia Sedis indulget; ſequax Domini, qui exaltat humiliatos, et humiliat ſemper elatos; dum illis gratiam tribuit, his reſiſtit. Quantum eſt ergo humilitatis munus, quod gratiae Diuinae lance penſatur? et quanta eſt poena ſuperbiae, cui proprie totius mundi Dominus, et Rector obſiſtit? Melius autem Fraternitati veſtrae intelligendum relinquo, quis humilitatis, et quis ſuperbiae ſit Magiſter. Sed abſit hoc a Domini Sacerdotibus, vt in hunc aliquis eorum cadat reatum, vt noua quidpiam vſurpatione tentando inimica ſibi faciat ſcita maiorum: aemulum ſe illum ſpecialiter habere cognoscens, apud quem Chriſtus noſter Sacerdotii ſummam locauit. In cuius contumeliam quisquis inſurgit, habitator coeleſtium non poterit eſſe regnorum. *Tibi*, inquit, *dabo claues regni coelorum:* in quae nullus ſine gratia ianitoris intrabit: *Tu es* inquit, *Petrus, et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam.* Quicunque igitur cupit etiam ante DEVM noſtrum Sacerdotii dignitate cenſeri, quoniam ad DEVM Petro ſuscipiente pervenitur, in quo Eccleſiam, ſicut ſupra memorauimus, vniuerſalem certum eſt eſſe fundatam, debet eſſe mitis, et humilis corde: ne incipiat discipulus contumax illius, cuius ſuperbiam imitatus eſt, poenam ſubire Doctoris. Congregatur ergo, vt redeamus ad cauſam huius iniuriae, Synodus, cuius dilecto conſultum ſemper ſuperhabens Concilii recognoscat arcanum: et fiet, quod quidem per regulas fieri omnino non poterit, Fratris, et Coepiscopi noſtri Perigenis honor dubius, et incertus, quem in ſede Eccleſiae ſupradictae noſtra ſententia conlocauit. Quis ergo hunc rudis, et peregre fortaſſe nunc demum rediens accuſator inceſſit? Quis certe Anti-

(a) De huius vocis ſignificatione ſupra diximus; hic videtur pro: *illico* vſurpari.

tiſtitum, vt Fratrum conueniret turba, praecepit lectis epiſtolis noſtris? Quoniam locus exigit, ſi placet, recenſete Canonum ſanctiones; reperietis, quae ſit poſt Eccleſiam Romanam ſecunda Sedes, quaeue ſit tertia. A quibus ideo ita videtur rerum ordo adſtructus, vt ſe Eccleſiarum Pontifices ceterarum, ſub vno tamen, eodemque Sacerdotio habere cognoscant, quibus charitate ſeruata propter Eccleſiaſticam disciplinam debeant eſſe ſubiecti. Et quidem haec ſententia Canonum a vetuſtate durauit, et nunc vsque Chriſto noſtro fauente perdurat. Nemo vnquam Apoſtolico culmini, de cuius iudicio non licet retractari, manus obuias audacter intulit; nemo in hoc rebellis extitit, niſi qui de ſe voluit iudicari. Seruant Eccleſiae magnae praedictae per Canones dignitates, Alexandrina, et Antiochena, habentes Eccleſiaſtici iuris notitiam. Seruant, inquam, ſtatuta maiorum in omnibus deferentes, et eius viciſſitudinem recipientes gratiae, quam ſe in Domino, qui pax noſtra eſt, uobis debere cognoscunt. Sed quia res poſtulat, approbandum documentis eſt, maximas Orientalium Eccleſias in magnis negotiis, in quibus opus eſſet disceptatione maiore, Sedem ſemper conſuluiſſe Romanam, et quotiens vſus exegit, eius auxilium poſtulaſſe. Sanctae memoriae Athanaſius, et Petrus Alexandrinae Sacerdotes Eccleſiae, huius Sedis auxilium poſtularunt. Quum Antiochena Eccleſia per multum temporis laboraret, ita vt fieret illic propter hoc ipſum ſoepe discurſus, primo ſub Meletio, poſtea ſub Flauiano, Apoſtolicam Sedem manifeſtum eſt eſſe conſultam: ad cuius auctoritatem poſt multa, quae ab Eccleſia noſtra geſta ſunt, nemini dubium eſt Flauianum communionis gratiam recepiſſe; qua in perpetuum caruerat, niſi hinc ſuper hoc ſcripta manaſſent. Clementiſſimae recordationis Princeps Theodoſius Nectarii ordinationem, propterea, quia in noſtra *(a)* notione non eſſet, habere non exiſtimans firmitatem, miſſis a latere ſuo aulicis cum Episcopis, formatam huic a Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quae eius Sacerdotium roboraret. Ante breue tempus, id eſt: ſub Praedeceſſore meo beatae recordationis Innocentio, Orientalium Eccleſiarum Pontifices dolentes ſe a beati Petri communione ſeiunctos, per legatos pacem, ſicut Charitas veſtra retinet, poposcerunt. Quo tempore Apoſtolica Sedes omnia non difficulter indulſit: illi parens Magiſtro, qui ait: *Si cui autem aliquid donaſtis, et ego; nam et ego, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti; vt non poſſideamur a ſatana: non enim ignoramus verſutias eius:* id eſt, quia ſemper diſſenſione laetatur. Quoniam igitur ad probandam veritatem arbitror, quae diximus, Fratres chariſſimi, exempla ſufficere, quamuis plura veſtri notione *(b)* teneantur; absque Fraternitatis iniuria conuentui veſtro volumus his litteris obuiatum; quas a nobis per Seuerum Apoſtolicae Sedis Notarium, animis acceptiſſimum noſtris, e noſtro latere deſtinatum videatis eſſe directas: conuenientes, vt condecet Fratres, ne quis volens in noſtra communione durare, Fratris, et Conſacerdotis noſtri Perigenis iterum ad diſcutiendum in medio nomen adducat: cuius Sacerdotium Apoſtolus Petrus ſemel iam Spiritus Sancti ſuggeſtione firmauit: nihil huic relinquens inpoſterum quaeſtionis, cui, dum conſtitueretur a nobis, per eius temporis ſpatium, quo vacauit, nihil omnino conſtet obiectum. Ceſſet accuſatio, cuius inuidiam probamus auctorem. Soluatur machina falſitatis in eum compoſitae, quia ad Sacerdotium DEI, Noſtri, et omnium bonorum fauore peruenit. Sane quo-

(a) Noscere idem eſt, ac agnoscere: In noſtra itaque notione eſt, quem agnoscimus. Huc referendae *chartae notionis* ſane frequentes.

(b) Hic rurſus: memoriam, recordationem ſignificat.

quoniam ſeruandus accuſatori locus eſt, ne audentiam penitus incitare videamur, ſi quid ab eodem, poſtquam Epiſcopus noſtris eſt auctoritatibus conſtitutus, contra diſciplinam, et propoſitum Sacerdotii fertur admiſſum, Coepiſcopus noſter Rufus, cui ad vicem noſtram cuncta committimus, cum ceteris Fratribus, quos ipſe delegerit, negotium curabit audire; ad noſtram relaturus omnia notionem, quaecunque cognitioni eius rerum curſus, et ordo monſtrarit. Illud etiam, quoniam auctoritas noſtra commonitione ſolita vacare non debet, hortamur, et repetito ſoepius ſermone praecipimus, vt in omnibus huic viro obedientiam diſpoſitionibus commodetis. Nullus, vt frequenter diximus, alicuius ordinationem citra eius conſcientiam celebrare praeſumat; cui vt ſupra dictum eſt, vice noſtra cuncta committimus. Sibi certe huius praeſumptionis auctores imputabunt inpoſterum, quum ſe viderint Apoſtolicae charitatis extorres. Data V. idus Martias, Honorio XIII. et Theodoſio X. AA. Coſs.

VI.

Exemplar Epiſtolae Piiſſimi Imperatoris Honorii ad Theodoſium Auguſtum.

Omnibus quidem cauſis, in quibus noſtrum poſtulatur auxilium, interceſſionem apud aures Tuae Clementiae negare non poſſumus: ſed his maiorem neceſſariam curam, ſtudiumque debemus, quibus Sanctae Sedis Apoſtolicae deſideria continentur. Nam quum fauore Diuino noſtrum ſemper gubernetur Imperium, procul dubio illius vrbis Eccleſia ſpeciali nobis cultu veneranda eſt, ex qua et Romanum Principatum accepimus, et principium Sacerdotium. Siquidem nihil aliud a Pietate noſtra poſtulauerit miſſa legatio, niſi quod Catholicae fidei, diſciplinae, et aequitati concordet. Petit enim, vt haec priuilegia, quae dudum a Patribus conſtituta vsque ad tempora noſtra ſeruata ſint, inconcuſſa perdurent. In qua parte perſpicit Serenitas Tua, nihil vetuſtis decretis, ſi quae Canonum conſcripta ſint regulis, penitus derogandum; nec tot iam ſeculorum reuerentiam nouellis praeiudiciis ſauciandum Domine. Vnde Maieſtas Tua recenſitis noſtrae Pietatis affatibus, Chriſtianitatis memor, quam pectoribus noſtris miſericordia coeleſtis infudit, vniuerſis remotis, quae diuerſorum Epiſcoporum ſubreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem praecipiat cuſtodiri: ne ſub Principibus Chriſtianis Romana perdat Eccleſia, quod aliis Imperatoribus non amiſit.

VII.

Dilectiſſimis Fratribus Perigeni, Dynato, Baſilio, Sapio, Paulo, Æternali, Sabatio, Juliano, et Senecioni Epiſcopis per Illyricum Coeleſtinus,

Inter ceteras curas, et diuerſa negotia, quae ad nos ex cunctis veniunt ſemper Eccleſiis, propenſiorem nos etiam Veſtri ſollicitudinem gerere, et ex decretorum noſtrorum ſanctione diſcetis, et ex ipſarum qualitate cauſarum poteritis aduertere. Nunc tamen Dyrrhacenae Prouinciae cauſa nos monuit; vbi quorundam accuſantium factione Frater, et Coepiſcopus noſter Felix, ſi non noſtra

ſtra interueniſſet diligentia, fuiſſet oppreſſus. Nec noua haec Sedi Apoſtolicae cura de vobis eſt. Statutum noſtis ſoepe experimentum hoc, quod nos agimus, Theſſalonicenſi Eccleſiae ſemper eſſe commiſſum, vt vobis vigilanter intendat. Facile disciplinae ſubdi ſe patitur, qui ipſam, vt condecet, amplectitur disciplinam. Ita enim ordinatio cuncta ſe habet, vt maioribus ea, quae ſub his eſſe docentur, obediant: et in hoc gradu regularum cuncta vertuntur. Nosque praecipue circa omnes cura conſtringimur, quibus neceſſitatem de omnibus tractandi Chriſtus in Sancto Petro Apoſtolo, quum illi claues aperiendi, claudendique daret, indulſit; et inter Apoſtolos ſuos, non qui altero eſſet inferior, ſed eum maxime, qui eſſet primus, legit. Dominentur nobis regulae, non regulis dominemur; ſimus ſubiecti, quum Canonum praecepta ſeruamus. Sunt culpae aliquantae non leues, quae illis innatae Prouinciis ad nos, quum ſimus longius, non poſſunt peruenire; aut iam ſemotis omnibus non ita, vt ſunt acta, interpoſito temporis ſpatio perferuntur: quas omnes nos *(a)* interceſſione Fratris, et Coepiſcopi noſtri Rufi, cuius experientiam comprobatam eſſe in cauſis omnibus, et vitae actibus liquet, volumus reſecari. Cui vicem noſtram per veſtram Prouinciam noueritis eſſe commiſſam; ita vt ad eum, Fratres chariſſimi, quidquid de cauſis agitur referatur. Sine eius conſilio nullus ordinetur, nullus vſurpet, eodem inconſcio, commiſſam illi Prouinciam: colligere, niſi cum eius voluntate, Epiſcopos non praeſumant: per eum etiam ad nos, ſi quid eſt, referatur. Sed hac praeceptione cognoſcent et eum, qui refragandum noſtrae auctoritati, vel illius crediderit iuſſioni, a Fraternitatis coetu, quum ipſe ſe ſeparet, ſegregandum.

VIII.

Dilectiſſimis Fratribus, vniuerſis Epiſcopis in Synodo apud Theſſalonicam congregandis Xyſtus.

Si quantum inſeruitur legibus, et Principum conſtitutis, quae ſunt temporalia, et mutantur, et ſoepe ſoepius abolentur, tantum Diuinis legibus, aeternisque mandatis obedientiae praeſtaremus, eſſemus profecto ſummae beatitudinis compotes, et mundanae vexationis moleſtias vitaremus, illo Rectore, vel Praeſule, qui ſubinde ſubuenire cupiens quotidianis vocibus clamat: *Conuertimini ad me, et conuertar ad vos. Inter cetera et ad locum.* Non Fratri, et Co-Epiſcopo noſtro Anaſtaſio tantum tribuimus, quantum deceſſoribus ipſius a Noſtris Deceſſoribus attributum. Priorum iudicium ſequimur, haec conſtituendo, quae ab his nouimus conſtituta: quia et ipſum huius probamus meriti, cuius fuerunt illi, qui talia meruerunt. Nullus obuiet ſalubribus conſtitutis: nullus praeceptionibus his reſultet. *(b)* Habeant honorem ſuum Metropolitani ſingularem, ſaluo huius priuilegio, quem honorare debeant amplius honorati. In Prouincia ſua ius habeant ordinandi; ſed hoc inſcio, vel inuito, quem de omnibus volumus ordinationibus conſuli, nullus audeat ordinare. Ad Theſſalonicenſem maiores cauſae referantur Antiſtitem. Ipſum maior cura reſpectet, eos, qui ad Epiſcopatum vocantur, diſcutiendi ſolicitius, et probandi. Ipſe optimos, ſolertiſſimosque, de veſtro numero eligat, quos negotiis ſecum adſciſcat arbitros; aut ſine ſe tribuat, qui in diſceptionem miſſa

(a) Id eſt: *Ope vicaria.*

(b) *Reſultatio*, ait Papias, *reluctatio, quum quis renititur, et contradicit.*

miſſa componat. Nouerit Corinthius Epiſcopus ſibi licentiam poteſtatis liberae minime tribuendam, ſi huic voluerit Eccleſiae reſultare, quam ſibi nouerit profuiſſe. Cui neceſſe eſt nos quoque, ſi quid tentare voluerit, obuiare; qui praeteritorum, quae illi per nos praeſtita ſunt, memores ſumus, et illicitis ſemper vſurpationibus obuiamus. De ceteris vero, quaecunque illa ſunt, noſtris præſentibus volumus finiantur, quoniam tota illorum apud nos fides eſt: vt quae illi probauerint, nos credamur iudicasſe pariter, et probaſſe. Data VIII. Id. Julias. Theodoſio XV. et Valentiniano IV. Auguſt. Conſulibus.

IX.

Dilectiſſimo Fratri Proclo Xyſtus.

Licet Fraternitatem tuam disciplinis Eccleſiaſticis eruditam ea omnia, quae ad regularum, et Canonum obſeruantiam pertinent, cuſtodire ſumma ſollicitudine nouerimus, nec quidquam aut ipſam facere, aut alios Sacerdotes ſe cohibente permittere, quod vetuſta Patrum conſtituta peruertat, documentis euidentibus probauerimus: (id enim optimo conuenit, et DEO digniſſimo Sacerdoti, vt et ad ſe pertinentia, qua poteſt, cura cuſtodiat, et alios Fratribus ſuis debita minime inquietare, vel temerare ex aliqua parte permittat: moderatiorem honorificentiam ſuam maiore gloria ſeruaturus, ſi nihil licere contra morem veterum attentantibus ſinat) noſtra tamen adhortatione, per gratiam charitatis, hoc Fraternitati tuae ſpecialiter debet accedere, vt contra ſubreptiones aliquorum circumſpecta Sanctitas tua facultatem non praebeat horum incongruae voluntati, qui Eccleſiis per ſe ſcandalum cupiunt, et discordiam generare; volentes per Eccleſiarum perturbationem creſcere, et locum ſibi per diſpenſationem facere Sacerdotum. Id ergo, quod nos quoque ſeruamus, Fraternitatem tuam, quam ſcimus hoc ſuo more facturam, volumus cuſtodire: id eſt: vt ſi quis ad Fratrem, et Coepiſcopum noſtrum Theſſalonicenſis Vrbis Antiſtitem harum Prouinciarum, quae ad eum pertinent, Sacerdos aduenia praeter eius conſcientiam, ſi ſine eius epiſtolis, atque formata venire tentauerit, tanquam disciplinae Eccleſiaſticae deſpector, et contemptor Canonum, quos nos temerari ex aliqua parte non patimur, habeatur. Reuerentiae veſtrae in commune praeſtatur, ſi alter alterius honori debita, praeuenientes inuicem per charitatis gratiam, reſeruetis: quae fieri nolumus, vt legimus. Diſcant omnes illius Prouinciae Sacerdotes tantae Fraternitatem tuam eſſe cenſurae, vt non permittas fieri, quod non licet a Sacerdote tentari. Diceremus plura, ſi non de tuae Fraternitatis mente noſſemus maiora, et ex hac parte ſentire, quam nos in noſtras epiſtolas haſce, quas ad te dirigimus, poſſumus ſermone conferre. Habes recentiſſimum nuper habitae actiouis exemplum Fratris noſtri Idduae, circa quem decreuimus tuae Fraternitatis iudicium cuſtodiri: cognitioni tuae facere nolentes iniuriam, quum eius intentionem iuſtiſſimam innocentia tuereris. Monendi ſunt ignorantes, ac ſcientem, atque ſeruantem talia, ſi diutius velis inſtruere, non tam admonere, quam exprobrare ignorantiam videaris. Sufficiant ergo quae ſcripſimus, Frater chariſſime! quoniam ad haec corrigenda, atque ſeruanda animum tuum, atque cenſuram nobiscum ſentire confidimus: quoniam vnum cor, et animum, vt dicit ſcriptura, circa religionis obſeruantiam, Canonum cuſtodiam, et disciplinam Eccleſiaſticam retinendam nos habere, vt debemus, et credimus. Data XV. Kalend. Januarias. Aetio iterum, et Segiſuulto Conſulibus.

N 2 X.

X.

Dilectiſſimis Fratribus vniuerſis Epiſcopis per Illyricum conſiſtentibus Xyſtus.

Doctor gentium, vas electionis religionis noſtrae firmiſſimum fundamentum, epiſtolis omnibus, quas ad ſingularum ciuitatum ſcribit Eccleſias, de ſua in Domino gratulatione teſtatur: quod cum his plena mentis ſuae fiducia colloquatur, quos legis praeceptis parere videat, et in DEI noſtri timore verſari. Si tanta igitur Apoſtolo tam docto, quam ſancto eſt mentis hilaritas, quod tantos pariter, quod nouit, et his, ad quos ſcribit, et religioni proficere, vnis appellet epiſtolis; quanto nobis gaudio exiſtimatis eſſe, quoniam in commune Sanctitatis veſtrae datur nobis appellare Concilium, et ſermonem noſtrum affectionis piae circa vos teſtimonia continentem, cum veſtra Sanctitate coniungere? Ille enim ſingulas, vt diximus, epiſtolis ſuis viſitat Eccleſias, nos tot pariter credimus Eccleſias noſtris appellare nos litteris, quot eſtis, qui ad Sanctam Synodum conuenitis. Illi eſt ſermo cum rudibus, atque diſcipulis; nobis ſermo cum Collegis, et doctis. Et vt a beatiſſimi Pauli, cuius maxime praeceptis obedire vos conuenit, non recedamus exemplo; non vobis graue ſit de his, quae ad noſtram notitiam perueniunt, vt ſeruetur diſciplina Eccleſiaſtica, commoneri ac ſi praeſentes. Ergo vobiscum, quod ad regularum, Canonumque cuſtodiam proficere nouimus, pro ſollicitudine noſtra conferimus, Sequeſtro (a) filio noſtro Artemio Presbytero, cuius nobis efficacia in agendo pariter, et moderatio placuit, et amor: vt traditus trames a Patribus firmis veſtrae Dilectionis veſtigiis teneatur, et ea, quae a nobis propter quietem Eccleſiarum ſunt cuſtodita, ſeruentur. Illyricanae omnes Eccleſiae, vt a deceſſoribus noſtris accepimus, et nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Theſſalonicenſis Antiſtitis; vt ſua ſollicitudine, ſi quae inter Fratres naſcantur, vt aſſolent, actiones diſtinguat, atque definiat, et ad eum quidquid a ſingulis Sacerdotibus agitur, referatur. Sit Concilium quoties cauſae fuerint, quoties ille pro neceſſitatum emergentium ratione decreuerit: vt merito Sedes Apoſtolica relatione eius inſtructa, quae fuerint acta confirmet. Euocatus veſtrum nemo venire contemnat, nec congregationi Sanctae, ad quam debet feſtinare, ſe deneget. Excuſatio per contumaciam non requiratur; vt vobis pariter conuenientibus poſſit in commune conſtitui, quod Eccleſiarum ſeruet quietem, et populos teneat ad ſalutem. Nec his vos, Fratres chariſſimi, conſtitutis, quae praeter noſtra praecepta Orientalis Synodus decernere voluit, credatis teneri; praeter id quidem, quod de fide nobis conſentientibus indicauit. A Canonum praeceptis veſtrum nemo diſcedat, nec ab his deuiet, quae iuxta regularum ordinem frequens ad vos directa Sedis Apoſtolicae decreuit auctoritas. Si quid forſitan, aut inter Fratres natum fuerit, aut Fratri cuiquam aliqua actio, qua pulſetur, illata; aut illic Fratre, et Coepiſcopo noſtro Anaſtaſio indice eueniens negotium terminetur; qui vices Apoſtolicae Sedis agere, vt beatae memoriae Rufus deceſſor ipſius, ex noſtra voluntate cognoſcitur: aut ad nos, ſi illic finiri non potuerit, eodem tamen ſuis litteris cauſam omnem, quae vertitur, proſequente, veniat examen. Nullum corpus eſt, quod capite non regatur.

(a) Nunc Mandatarium diceremus; ſequeſter enim eſt, qui depoſita cuſtodit.

tur. Eſtis quidem membra, vt nouimus, ſancta: ſed veſtrum caput reſpicere, et honorare vos condecet, quoniam honor capitis ad ſpem totius proficit Sanctitatis: et ſuum corpus ſollicitis tuetur oculis, quod ſibi aptum, et dignis videatur ad vnam quamque rem officiis conuenire. Sed vt omne corpus capite regitur; ita ipſum caput, niſi ſuo corpore ſuſtentetur, firmitatem, et vigorem ſuum perdit, et non tenet, quam habuerat, dignitatem. Eſtote igitur, vt eſſe conuenit, Domini Sacerdotes, Eccleſiarum Praeſules, religionis noſtrae Doctores. Referuate Fratri, et Coepiſcopo noſtro reuerentiam, quam debetis: et inter vos pacem, et concordiam cuſtodite. Sit in vobis, vt eſſe credimus, cor vnum, et anima vna. Nec credatis vobis minui, quidquid reuerentiae illius, ad quem et maiores noſtri, et nos Illyricanas Eccleſias iuxta morem traditum voluimus pertinere, a veſtra Dilectione, et ſeruari volumus, et deferri. Data xv. Kal. Januarias. Aetio iterum, et Segisuulto Conſulibus.

XVIII. CONSTITVTA DE STATV ECCLESIArum Pannoniae, Daciae, et Moeſiae.

I. *Nouella Conſtitutio XI. Iuſtiniani.*

Imperator Iuſtinianus Catelliano Viro beatiſſimo Archi-Episcopo primae Iuſtinianae.

Multis, et variis modis noſtram patriam augere cupientes, in qua primo DEVS praeſtitit nobis ad hunc mundum, quem ipſe condidit, venire, et circa Sacerdotalem cenſuram, eam volumus maximis incrementis ampliare, vt primae Juſtinianae Patriae noſtrae pro tempore Sacroſanctus Antiſtes, non ſolum Metropolitanus, (a) ſed etiam Archi-Episcopus fiat: et ceterae Prouinciae ſub eius ſint auctoritate, id eſt tam ipſa Dacia Mediterranea, quam Dacia Ripenſis: nec non Myſia ſecunda, Dardania, et Praeualitana Prouincia, et ſecunda Macedonia, et pars ſecundae etiam Pannoniae, quae in Bacenſi eſt ciuitate. Quum enim in antiquis temporibus Firmi (b) Praefectura fuerit contituta, ibique omne fuerit Illyricum faſtigium tam in Ciuilibus, quam in Episcopalibus cauſis; poſtea autem Attilanis temporibus eisdem locis deuaſtatis, Apennius Praefectus Praetorio de Firmitana (c) ciuitate in Theſſalonicam profugus venerat, tunc ipſam Praefecturam et Sacerdotalis honor ſecutus

eſt,

Metropolita, an idem cum Archi-Episcopo?

(a) Archi-Epiſcopus hic a Metropolitano ſecernitur ampliori iurisdictione, nouimus quippe Metropolitanos illo aeuo adhuc Episcoporum duntaxat gauiſos titulo. Hinc Papias de Archi-Episcopo ſermonem habens inquit: „*Summus Episcoporum, qui tam Metropolitanis, quam Episcopis praeſidet.*„ Metropolita itaque, qui Epiſcopis praeſidebat; Archi-Episcopus autem, qui etiam vices Sedis Apoſtolicae habebat: hinc ait Rhabanus Maurus Lib 1. de Inſt. Cleric. cap. 5. *Archi-Episcopus Graeco vocabulo dicitur, quod ſit Summus, vel Princeps Episcoporum, tenet enim vicem Apoſtolicam.*

(b) *Firmi*, manifeſtus error, quum legendum ſit: *Sirmii.*

(c) *Firmitana*, idem error; lege: *Sirmitana.*

eſt, et Theſſalonicenſis Epiſcopus non ſua auctoritate, ſed ſub vmbra Praefecturae *(a)* meruit aliquam praerogatiuam. Quum igitur in praeſenti, DEO Auctore, ita noſtra reſpublica aucta ſit, vt vtraque ripa Danubii iam noſtris ciuitatibus frequentetur, et tam Vimiuacium, quam Recidua, et Litterata, quae trans Danubium ſunt, noſtrae iterum ditioni ſubiectae ſint; neceſſarium duximus ipſam glorioſiſſimam Praefecturam, quae in Pannonia erat, in noſtra feliciſſima Patria collocare; quum nihil quidem magni diſtat a Dacia Mediterranea ſecunda Pannonia: et quia homines ſemper bellicis ſudoribus inhaerentes, non erat vtile Reipublicae ad primam Macedoniam poſt tot ſpatia, tantasque etiam difficultates venire, ideo neceſſarium nobis viſum eſt, ipſam Praefecturam ad ſuperiores partes trahere, vt iuxta eam Prouinciae conſtitutae facilius ſentiant illius medicinam.

Et ideo tua Beatitudo, et omnes praefatae primae Iuſtinianae Sacroſancti Antiſtites, Archi-Epiſcopi habeant praerogatiuam, et omnem licentiam, ſuam auctoritatem eis impertiri, et eos ordinare, et in omnibus ſupraſcriptis Prouinciis primam habere dignitatem, ſummum Sacerdotium, ſummum faſtigium, a tua Sede creentur, et ſolum Archi-Epiſcopum habeant, nulla communione ad eum Theſſalonicens. Epiſcopo ſeruanda: Sed tu ipſe, et omnes primae Iuſtinianae Antiſtites, ſiue eius iudices, et diſceptatores, quidquid oriatur inter eos diſcrimen, ipſi hoc dirimant, et finem eis imponant, et eos ordinent, nec ad alium quemdam eatur, ſed ſuum agnoſcant Archi-Epiſcopum omnes praedictae Prouinciae, et eius ſentiant creationem, et vel per ſe, vel per ſuam auctoritatem, vel per Clericos mittendos habeat omnem poteſtatem, omnemque Sacerdotalem cenſuram, et creationis licentiam. Sed et in Aquis, quae eſt Prouinciae Daciae Ripenſis, ordinari volumus a tua Sanctitate Epiſcopum, vt non in poſterum ſub Meridiano Thraciae oppidi Epiſcopo ſit conſtituta. Sed Meridianus quidem maneat in Meridiano, nulla communione cum Aquis ſeruanda. Aquenſis autem Epiſcopus habeat praefatam ciuitatem, et omnia caſtella, et territoria, et Eccleſias, vt poſſit Bonoſiacorum *(b)* ſcelus ex ea ciuitate, et terra repellere, et in Orthodoxam Fidem transformare. Vt igitur ſciat Beatitudo tua noſtri Numinis diſpoſitionem, ideo praeſentem legem ad tuam Venerabilem Sedem transmiſimus, vt in perpetuum tale beneficium habeat Patriae noſtrae Eccleſia in DEI Omnipotentis gloriam, et noſtri Numinis ſempiternam recordationem. Quando autem tuae recordationis Sedis Gubernatorem ab hac luce decedere contigerit, pro tempore Archi-Epiſcopum eius, a Venerabili ſuo Concilio Metropolitanorum ordinari ſancimus, quemadmodum decet Archi-Epiſcopum omnibus honoratum Eccleſiis prouehi, nulla penitus Theſſalonicenſi Epiſcopo, nec ad hoc communione ſeruanda.

EPILOGVS.

Beatitudo igitur tua, quae noſtra ſanxit authoritas, modis omnibus ad effectum perducere non differat. Dat. XX. Belliſario V. C. Conſule.

Aga-

(a) Vmbram Praefecturae allegat Iuſtinianus, vt innouationis plauſibilem praetexat rationem. Quae autem ſupra edidimus, abunde refellunt aſſertionem Iuſtiniani; patet enim longe ante tempora Attilae non obſtante ſplendore Praefecturae Sirmienſis, Theſſalonicenſes Antiſtites praecipua vſos fuiſſe auctoritate.

(b) Bonoſiacorum ſcelera deſcribit S. Auguſtinus de haereſibus, et alii, qui eorum impuritates enarrant.

II.

Agapetus Papa non conſentit dignitati Iuſtinianae primae apud Baronium ad annum Chriſti DXXXV.

De quo ſimul negotio, (Epiphanio Achillem illico ordinante) ſed et de Iuſtiniana ciuitate, glorioſi natalis veſtri conſcia, nec non et de noſtrae Sedis vicibus iniungendis, quid ſeruato Beati Petri, (a) quem diligitis, Principatu, et veſtrae Pietatis plenius deliberari contigerit, per eos, quos ad vos dirigimus Legatos DEO propitio celeriter intimamus &c. Datum Idibus Octobris.

III.

Vigilius Papa dignitatem Iuſtinianae primae confirmat Nouella Conſtitutione CXXXI. Cap. III.

De Regulis Eccleſiaſticis, et Priuilegiis, aliisque Capitulis ad Sacro-ſanctas Eccleſias, et reliquas venerabiles domos pertinentibus.

Per tempus beatiſſimum primae Iuſtinianae noſtrae Patriae Arhi-Epiſcopum habere ſemper ſub ſua iurisdictione Epiſcopos Prouinciarum Daciae Mediterraneae, et Daciae Ripenſis, et Prinalis, et Dardaniae, et Myſiae ſuperioris, atque Pannoniae, et ab eo hos ordinari; ipſum vero a proprio ordinari Concilio, et in ſubiectis ſibi Prouinciis locum obtinere eum Sedis Apoſtolicae, ſecundum ea, quae definita ſunt a Sanctiſſimo Papa Vigilio.

XIX.

ACTA CONCILII PROVINCIALIS SALOnitani I. ab Honorio Iuniore, ſiue tertio Salonitano Archi-Epiſcopo Coss. Lampadio, et Oreſte, id eſt Anno Chriſti DXXX. celebrata, e codice M.S. Bibliothecae Barberinae a Daniele Farlato Illyrici Sacri Tom. II. pag. CLXII. edita, inter Synodos Hungariae nunc primum relata.

Honorius iunior A. Salonitanus III. Iſte fecit Concilium ſolenne, vt inſra, ſub die 17. Kal. Iuliarum, Conſulatu vero Lampadii, et Oreſti, (b) congrega-

(a) Peculiari ſcilicet ferebatur deuotione in Principem Apoſtolorum, vnde eius reliquias ab Hormisda expetens ſcribebat: „*Nullum nobis maius beneficium, nec munus praeſtare poteſtis Domine Beatiſſime Pater.*„

(b) De his notis Chronologicis videſis Recenſionis noſtrae §. VII.

gregatis beatiſſimis Viris, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, NobilibusqueFiliis, (a) et cunđi ordinis Clero, Honorius dixit: Decet nos iugiter Eccleſiaſticae ordinationis ſollicitudine communiri, vt licentia prauae vſurpationis ablata, et nobis exercenda putemus, quae nec Canonicam latent diſciplinam, nec ad deteſtanda pauperum damna prorumpunt; ſicut nuper Beſtoenſis Eccleſiae ſcriptum tenentes agnoſcimus, quae tanto eſt onere incommodata, vt non ſolum oppreſſis adeſſe non cogitet, ſed nec ſuae adeo ſubuenire preſſurae. Vnde praeſenti Venerabili Concilio cunctas ad nos pertinentes Eccleſias hoc ſtatuimus iure conſtringi.

I. Nullus Presbyterorum ad obligationem commiſſae ſibi cuiuslibet Eccleſiae audeat mutuare pecunias, niſi apud Epiſcopum ipſius ineuitabilis debiti pro Eccleſiaſticis titulis fuerit patefacta neceſſitas.

II. Similiter quoque apud Metropolitanum de Epiſcoporum contractibus, ſi oporteant fieri, prius eſt facienda probatio, vt habita deliberatione, in tanto Eccleſiam liceat obligari, quantum perpenſa fuerit ratione conceſſum. Pro qua parte cunctis deinceps Creditoribus pro DEI timore, et temporum contradicimus diſciplina, vt facultates pauperum ſibi non ſtudeant obligari; niſi ſupraſcripto ordine fieri cuncta claruerint. Aliter vero praeſumptione commiſſa obnoxietatem ſuam repellit, et condemnat Eccleſia; nec praeualere permittit, niſi in priuata Debitoris facultate (b) contractus, vt ipſius tantum res vsque ad eum obligari, quem non ſufficit Eccleſiae ſuae ſtipendiis cum pauperibus (c) eſſe contentum.

III. Statuimus quoque ſecundum Patrum curam, Eccleſiaſtica Praedia donandi, atquę vendendi, (d) nullatenus eſſe licitum, commutandi quoque ſimiliter damnantes arbitrium, niſi pro Eccleſiae compendiis fieri apud eas perſonas, et eo ordine, quod in mutuanda pecunia memorauimus, fuit comprobatum, vt omni vtilitatis ratione perpenſa, Epiſcopi Presbyteris ſuis tribuant facultatem; Epiſcopis vero, vtilitate cognita, ab Archi-Epiſcopo concedendum, nec aliter factum obtineat firmitatem; et praeſumptum perſonae abdicare cogatur Eccleſia.

IV. Decernimus etiam iuxta Canonicam diſciplinam, pro Eccleſiaſticis conferendis ordinibus dantem, accipientemque qualibet arte, atque figmento, vel qui ſę ipſis commerciis duxerint inferendum, anathemate perculſum, in Simoniacae haereſis fautorem reputandum.

V. Illud quoque ſanciendum: ſi qui Epiſcoporum, Presbyterorum, vel Diaconorum, qui fuerint praeſentes inuenti, ſcien-

Presbyteri, et Laici in Conciliis.

(a) Neminem commoueat, quod Presbyteros cum Diaconis, ac Laicis videat aſſidere Concilio Epiſcoporum, et Presbyteros etiam nomina ſua apponere. Etenim Boetio Conſule, ideſt, Anno Chriſti 487. die 13. Martii, Romae acta eſt Synodus Epiſcoporum in Baſilica Conſtantiniana, cui interfuerunt ſeptuaginta Presbyteri, quorum omnium nomina ibi ſubſcripta leguntur. Rurſus Avieno iuniore Conſule, Anno videlicet Aerae Chriſtianae 502. ſub Symmacho Papa quintum celebratum eſt Concilium octuaginta Epiſcoporum, triginta ſeptem Presbyterorum, et quatuor Diaconorum: quae bina luculentiſſima exempla, eam fuiſſe Eccleſiae diſciplinam ſat, ſuperque teſtantur. Quod autem ad Nobiles Filios Laicos videlicet attinet, ſufficiet ad hunc locum Synodi noſtrae illuſtrandum prouocare ad Concilii Tarraconenſis Canonem XIII. quo iubentur Epiſcopi ad Synodum Prouincialem aliquos de Filiis Eccleſiae ſecularibus ſecum adducere. Videbimus deinceps etiam in Hungaria eam obtinuiſſe diſciplinam, ac etiam ſententiam Synodalem glorioſſimi Regis ſigillo obſignatam.

(b) Mutuantia duntaxat facultates obligantur, niſi mutuatio ordine praeſcripto fiat.

(c) Vides beneficia Eccleſiaſtica patrimonia eſſe pauperum.

(d) Erubeſcant, qui inabalienabilitatem Bonorum Eccleſiaſticorum nouitium criminantur eſſe inſtitutum.

ſcientes illicitas ordinationes fieri, reſiſtere neglexerint, aut tacendas, ſubripiendumque crediderint, ipſi poenam malae ordinationis incurrant.

VI. Praeterea Canonice admonemus, vt nullus Epiſcoporum, vel ſequentis ordinis, quaecunque perſona ad Comitatum proficiſcendi, *(a)* vel mutandi Prouinciam, *(b)* niſi ordine iam ſuperius dicto, cauſa iuſtae intentionis expoſita, ab eis, ad quos pertinent, fuerint licentiam conſecuti: contra vero venientes ordinis, officiique ſui ſe meminerint ſuſtinere iacturam. Eodem Monaſterii Praeſidentes volumus iure conſtringi, ne ſacri operis relinquentes ſtudium ad religionis maculam ſub hypocriſidis curſibus delectentur.

VII. Illud quoque ſimili cura iuxta Canonum ſtatuta monemus, ne manentes in ordine Presbyterorum, ſeu Diaconorum ad aliam transferantur Eccleſiarum, niſi idoneis promiſſionibus inuitati. Sed nec Clericus cuiuscunque ordinis accipiendus ab alio, niſi ſibi iuſta fuerit contemplatione conceſſum. Relictis vero Baſilicis ſibi commiſſis nullus vagari ſibi liberum putet, ſe ſciens ex hac parte non leui vltione conſtriugi.

VIII. Credimus etiam ſubiungendum, ne volentes obſequium praeſtare perſonis, per diuerſas Parochiales Eccleſias Presbyteros, vltra quam neceſſe eſt, aut Diaconos ordinemus; per quam rem non aemulatio boni operis, ſed diſſenſionum ſolent ſtudia promoueri.

IX. Stipendia Eccleſiaſtica debita Clericorum alimentis *(c)* omnibus conſeruentur, ne quibus eſſe volumus cum ratione diſtricti, efficiamur tenuatis confuſione, ignominioſe remiſſi.

X. Admonemus etiam, ne negotiis alienis, eis ſe liceat implicare, quatenus ad audientiam *(d)* ſuam euocandi habeant praeſumptionem, neque alienis iudiciis, partem defendentes occurrant; ſed tantum modo audientes taciti litigia, veritatem requiſiti proferre non negligant.

XI. Vſuram namque contra praecepta Canonum accipientem cuiuslibet ordinis in Clero merito abdicandum, *(e)* vt nullam vel ipſius mutuatae pecuniae repetendae *(f)* poſſit habere licentiam.

XII. Nulla etiam Altaria *(g)* nobis liceat dedicare, niſi a Fundatoribus firmo iure dignis fuerint dotata redditibus, vt nulla deinceps de ſtipendiis Clericorum, vel pauperum querela naſcatur, ne huius egeſtatis neceſſitati ſubiaceant.

XIII. Poenitentes igitur de omnibus peccatis ex Fide quacunque die, *(h)* at-

que

(a) Ad Comitatum proficiſcendi, id eſt: ad Curiam ſiue Regis, ſiue Praefecti Dalmatiae.

(b) Legendum videretur: *mutuandi pecuniam.* De eo enim in ſuperioribus actum fuit, ad quae ſit prouocatio.

Beneficiorum origo.

(c) Legendum puto: *adiumentis.* Hoc enim et ratio contextus ſuadet. Aduertat, velim, hic amicus Lector, contra beneficiorum Eccleſiaſticorum originem longe felicius hoc, et prioribus Canonibus depugnaſſe Epiſcopos Dalmatiae, quam Galliae Epiſcopos. Licet enim Gelaſius Anno Chriſti CCCCXCIV. reditus Eccleſiae, et oblationes in quatuor partes diuidi, Epiſcopo vuam, alteram Clericis, tertiam pauperibus, ac quartam fabricae dari praeceperit; paulu tamen poſt Meſſale Cunſule, ſiue Anno Chriſti DVI. in Concilio Agathenſi Epiſcopi Galliae non rimam, ſed oſtium aperuarunt, vt Clerici ſibi bona Eccleſiae, vnde etiam pauperes alebantur, vindicarent; conceſſum quippe fuit hoc Concilio, vt Clerici cum conſenſu Epiſcopi retinere poſſent bona Eccleſiae, qnin tamen ea alienare liceat. Facilius profecto eſt exurgenti malitiae obſiſtere, ne irrepat, quam eius temperare progreſſus, dum aliquid indulgetur, et conniuetur: Fortius obſtitit noſtra Synodus, dum Canone ſecundo, et tertio reprehendit illum Clericum, qui Eccleſiae ſuae ſtipendiis, cum pauperibus non eſt contentus.

(d) Id eſt: non liceat ſeculares in iudicium euocare.

(e) Id eſt: deponendum.

(f) Iuſtiſſima auaritiae poena, vt iniquis inhiantes lucris, iuſtis quoque priuentur commodis.

Altariſtae.

(g) Olim ſingulis Altaribus Miniſtri deputabantur, quem vſum diutiſſime in Hungaria ſuperſtitem fuiſſe, tot Altariſtarum nunc vacua plerumque nomina adhuc exſtantia teſtantur.

(h) In Canonem hunc Commentans Farlatus, magnam Patribus mouet litem de Poeni-

que momento ſemel a Sacerdote abſolvendos ſtatuimus; ſi ad ſecularia minime habuerint recurſum. Nec poenitendi bonis operibus vetantes ſtudium; ſed ne peccandi facultatem frequentis abſolutionis ſpe videantur habere conceſſam.

Sci-

Poenitentia publica ſeculo VI.

tentiae publicae ordinatione. Ait enim Canonis huius primam partem vaque verba: „Scientes etiam„ adeo obſcuram, et corruptam eſſe, vt nihil obſcurius, implicatius, ac corruptius ſit. Verum nihil video, quod ſanum, integrum, et planum non ſit. Dicit enim Canon hic ſemel poenitentibus, quacunque die reſipiſcant, veniam dandam, quin ea certae diei adſtricta ſit: Vnicam autem admitti ſpem veniae, ne facilitas remiſſionis augeat libertatem peccandi. Plana ſunt hucusque, et aperta omnia. At inquit Farlatus, hunc locum intelligi non poſſe de poenitentia publica, quum illa diu protrahatur, adeoque fieri nequeat, vt Sacerdotes abſolutionem, ſeu veniam, quocunque die, ac momento impertiri valeant. neque Sacerdotum id fuiſſe officium, ſed Epiſcoporum. Quod itaque ad veniam quocunque die, et momento dandam adtinet: hoc ipſum, quod poenitentiam ſciamus fuiſſe diuturnam, mihi perſuadet, vigente poenitentia publica, nullum diem veniae fuiſſe praeſtitutum. quum neque certa aliqua die irrogatae fuerint, ſed dum criminum rei eam cum fletibus, et planctibus expoſcebant. Hinc non poterant tempora ſatiſfactionis ad certum aliquem diem definiri: praeſertim quum ea ob feruorem poenitentium contrahi nonnunquam oportuerit. Scimus etiam ex Canone primae Synodi S. Petri Alexandrini ſemeſtrem poenitentiam ordinatam fuiſſe. Verum quidem eſt, quod S. Innocentius I. in epiſtola ad Decentium data ſanciat de poenitentibus, qui ſiue ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus poenitentiam gerunt, ſi nulla interueniat aegritudo, quinta Feria ante Paſcha eis remittendum; ſed addit: *Romanae Eccleſiae conſuetudo* (id) *demonſtrat*. Accedit, quod quauis ſeculo, vti e S. Cypriano quoque diſcimus, pro temporum varietate terminus veniae varius fuerit, et incumbentibus bellis, vel erumpentibus perſecutionibus, quocunque die, et momento ianua pietatis patuerit. Meminiſſe debebat Farlatus, quae pag. 164. ſcripſerat de calamitatibus Dalmatiae, quibuscum conflictabatur, aſſiduis nimirum bellis, incurſionibus Barbarorum, direptionibus Vrbium. Quis ergo poſſet merito reprehendere Canonem hunc, etiam ſi tempus poenitentiae contraxiſſet? id tamen ex Canone hoc deduci nullatenus poteſt. Porro, quod reconciliationem publice poenitentium non Sacerdotum, ſed Epiſcoporum dicat fuiſſe officium, inoperoſe obiicit Canoni 13. Salonitano. Nimium prolixus eſſem, et in re clara illuſtranda operam perderem, ſi oſtendere vellem, nomine Sacerdotum ſoepe numero a Conciliis etiam Epiſcopos intelligi. S. Hilarius in fragmentis de Synodo Sirmienſi loquens ait: „*Pluribus Prouinciis congregantur Sacerdotes.*„ Sed etſi concederemus hic ſub Sacerdotum nomenclatione ſimplices Presbyteros intelligendos venire, numquid inde colligi poteſt, hoc loco non agi de poenitentia publica? Seculi enim quinti, et ſexti ſcriptores. qui hac in parte maxime audiendi ſunt, commune id Epiſcopis, et Presbyteris faciunt; Et quidem S. Hiero. et ipſe Dalmata Lib. 3. Commen. in cap. 16. Mathaei exponens haec Euangelii verba: „*Tibi dabo claues Regni Coelorum*„ *Alligat*, ait, *ſoluit Epiſcopus, et Presbyter non eos, qui inſontes ſunt, vel innoxii, ſed pro officio ſuo*„ Innocentius I. loco mox allato: „*de pondere aeſtimando delictorum Sacerdotis eſt iudicare, vt attendat ad confeſſionem poenitentis, et ad fletus, atque lachrymas corrigentis, ac tunc iubet dimitti, quum viderit congruam ſatisfactionem.*„ Eleganter pro more ſuo deſcribit S. Gregorius M. hom. 26. in cap. 20. Ioannis, ſub parabola Lazari reſuſcitati officium Presbyterorum: „*veniat itaque foras mortuus, id eſt culpam confiteatur peccator; venientem vero foras ſoluant diſcipuli, vt Paſtores Eccleſiae ei poenam debeant amouere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.*„ Quicunque autem dubitat, aut ignorat, quaenam fuerint partes in reconciliatione Presbyterorum, recolat factum Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui abrogauit Presbyterum poenitentiarium conſtitutum iudicem de occultis peccatis, quae ad aedificationem fidelium poenitens palam confiteri deberet. Nimis confidenter aſſerit idem Farlatus duplex olim poenitentiae genus, *in vsu fuiſſe ſane frequenti*; alteram poenitentiam publicam, qua flagitia quaedam attrocia, velut idololatria, homicidium, adulterium, eaque nota vulgo, et manifeſta expiari oportebat; alteram arcanam, cui peccata quaelibet mortifera illa quidem, ſed occulta ſubiici debebant: Nimis inquam confidenter poenitentiam publicam ad ſola attrocia idololatriae, homicidii, et adulterii crimina conſtringit. Audiuimus enim paulo ante Innocentium I. conſtituentem de poenitentibus. qui ſiue ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus poenitentiam egerunt, Feria V. maioris Hebdomadae ad veniam eſſe admittendos, quod vtique poenitentiam publicam reſpicit. Nimis confidenter etiam omnia occulta delicta ad poenitentiam arcanam pertinuiſſe aſſerit. Nil enim clarius, nihil efficacius adduci poteſt teſtimonio S. Leonis M. Epis. 80. cap. 3. ſic loquentis: „*Illam etiam contra Apoſtolicam regulam praeſumptionem, quam nuper agnoui, a quibusdam illicita vſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoueri, ne videlicet de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur; quum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta; quamuis enim plenitudo Fidei videatur eſſe laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen non omnium eiusmodi ſunt peccata. vt ea, qui poenitentiam poſcunt, non timeant publicare, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſuo facto reſerari, quibus poſſent legum conſtitutione percelli.*„ Adſtringebantur ergo poenitentes ſua etiam occulta publicare crimina; Sanctus autem Pontifex temperandum duxit hunc rigorem. vt et pudori quorundam, et ſecuritati conſuleret; extra quos caſus durauit deinceps quoque poenitentia publica de occultis, et non ſolum attrocibus peragi ſolita criminibus vaque tempora Theodori Epiſcopi Cantuarienſis, qui vtpote Graecus Orientis diſciplinam in Occidentem traduxit, et ſolis publicis criminibus publicas aſſignauit poenas. De diſciplina ſeculi ſexti, quo ce-

Digitized by Google

Scientes etiam, quod nulli Sacrati ordinis veram poenitentiam liceat accipere, quem in Sacro ordine conſtitutum iugiter ea, quae ad DEI timorem pertinent, conuenit exercere. Nec tamen mouere nos debet, quod ſi quid ab iisdem Sacrati ordinis viris commiſſum eſt, afflictionibus deputantur, vel quibusdam per Canones certa; et grandia poenitentiae tempora conceſſa ſunt; quia non eis per ſpatia temporum gratia voluntariae attribuetur poenitentiae, ſi publicus indicitur reatus. *(i)*

lebrata eſt Synodus noſtra, perhibet teſtimonium S. Caeſarius Arelatenſis, qui A: C: 542. diem ſuum obiit: „*Sileuia ſunt forte delicta*, (inquit Homil. 1. in quadrageſima) *verbi gratia, ſi vomo vel in ſermone, vel in aliqua reprebenſibili voluntate, ſi oculo peccauit, aut corde verborum, aut cogitationum, maculae quotidiana oratione eurandae, et priuata compunctione terendae ſunt: Si vero quisque conſcientiam interrogans facinus aliquod capitale commiſit, aut ſi ſidem falſo teſtimonio expugnauit, ac prodidit, ac ſacrum veritatis nomen periuris temeritate violauit; ſi veram Baptiſmi tunicam coeno commaculati pudoris infecit; ſi in ſemet ipſo nouum hominem nece hominis occidit; ſi per augures, atque Diuinos, atque Incantatores captiuum ſe diabolo tradidit: Haec, et eiusmodi commiſſa expiari penitus communi, et mediocri, licet ſecreta, ſatisfactione non poſſunt; ſed graues cauſae grauiores, et veriores publicas curas requirunt.*

De vnicitate denique Poenitentiae hoc Canone ſtabilita, quam tamen ſe videre Farlatus negat; ſufficit rurſus S. Caeſarium Arelatenſem in teſtem vocare; ait enim is homil: 14. *Si ſemel aliquis, vel ſecundo peccauerit, et ſine aliqua diſſimulatione ad poenitentiae medicamenta confugerit, priſtinam innocentiam ſine aliqua mora recipiet.*„ Conſonat Origenes homil: 15. in cap. 25. Levitici: „*in grauioribus criminibus ſemel tantum, vel raro conceditur poenitentiae locus; iſta vero communia, quae frequenter incurrimus, ſemper poenitentiam recipiunt, et ſine intermiſſione redimuntur.* S. Auguſt. in Epiſt. ad Macedonium alias 153. „*Quamuis caute, ſalubriterque prouiſum ſit, vt locus illius humillimae poenitentiae ſemel concedatur, ne medicina vilis, minus vtilis eſſet aegrotis, quae tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit: Quis tamen audeat dicere DEO, quare huic homini, qui poſt primam poenitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtrinxit, adhuc iterum parcis?* Ne autem aliquis haec omnia crimini tribuat, et nimium deputet rigorem, audiat Siricium Pontificem ad Himerium Tarraconenſem ita ſancientem: „*qui acta poenitentia publica, tanquam canes, et ſues ad vomitus priſtinos, ac ad volutabra redeuntes, de quibus, quia iam ſuffragium non habent poenitendi, id duximus decernendum: vt ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione iungantur, Sacrae Myſteriorum celebritati, quamuis non mereantur, interſint; a Dominicae autem Menſae conuiuio ſegregentur, vt hac ſaltem diſtrictione correpti, et ipſi in ſe ſua errata caſtigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcoenis cupiditatibus retrahantur; quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere, quum ad Dominum coeperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubueniri: quam formam, et circa mulieres, quae ſe poſt poenitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, ſeruandam eſſe cenſemus.*„

His ita ſe habentibus, friuolum eſt, ac inane, quod de Canone hoc comminiſcitur Farlatus pag. 170. dum ait: „*Quum praeter attrocia illa, et manifeſta flagitia, quae poenitentia publica expiari debuerant, ſint alia quaedam occulta; illa quidem, ſed fere nihilo leniora, quorum abſolutionem ſibi reſeruare conſueuerant Episcopi: Canon Salonitanus Presbyteris tribuit poteſtatem ſemel abſoluendi quemlibet ab omnibus peccatis, quamuis excepta eſſent, et Episcopali iudicio, atque authoritati obnoxia.*„ Ecce obſtetricante Farlato, Synodus Salonitana abortum paſſa monſtrum diſciplinae Eccleſiaſticae edidit! Exquirat, quaeſo, aliquis in tota retro antiquitate talis diſciplinae exemplum; proferat in moderna aliquid affine commento Farlatiano; quis vnquam Episcoporum peccata ſibi reſeruauit hoc modo? Et ſane retorto, vt aiunt, collo hanc vellet ex Canone noſtro exſculpere diſciplinam; quid ergo ſibi volunt clara Concilii verba: „*nec poenitendi bonis operibus vetantes ſtudium, ſed ne peccandi facultatem frequentis abſolutionis ſpe videantur habere conceſſam?*„ Niſi caecus quis ſit, neceſſum eſt, vt videat vnicitatem poenitentiae publicae. Nil ergo aliud nobis reſtat, quam vt ingemiscamus malis noſtris, et maiorum noſtrorum, quos peccando ſuperauimus, poenitentiam aemulemur.

Alteram partem Canonis, Clericos a poenitentia publica remouentem, mendoſam eſſe diffiteri non poſſumus; inde tamen licet aduertere, quantum a vero ſenſu Canonis diſtet Farlatus; quum hic euidenter ſermo ſit de poenitentia publica. Nemo credo exiſtimabit Canonem miſcere quadrata rotundis. Clarior erit ſenſus Canonis, ſi ſic legatur: *non eis per ſpatia temporum gratia voluntariae attribuitur poenitentiae, qua publicus indicitur reatus exceſſibus.*„ Ratio enim hic redditur, cur a poenitentia publica remoueantur, quia nimirum publicus indicebatur reatus exceſſibus. Per reatum hic ex formula loquendi apud Iuris Conſultos intelligas, velim, habitus, veſtitusque ſquallorem. Infamia ergo ordinis Clericalis cauetur; quod etiam Canone decimo Concilii Toletani XIII. proſpectum fuit, vbi ſtatuitur: „*Vt reconciliatione praemiſſa ſoliti ordinis retineant Presbyteri officium tantum*, (verba ſunt Canonis) *ſi ſe ipſos mortalium profeſſione criminum propria non notarunt.*„ Scandalum itaque, et infamia declinantur; non autem ordo Clericalis impunis ſeruatur. *Afflictionibus* enim *deputantur*, vti Canon noſter habet, et quibusdam *grandia poenitentiae tempora conceſſa ſunt*, ſed priuatim, et in Monaſteriis agendae; nec publicus indicitur reatus exceſſibus. Exiſtimabant enim plus mali ex ſcandalo, et ordinis infamia proventurum, quam exemplum poenitentiae valere poſſit.

(i) Id eſt: ſquallidus, et pannoſus habitus.

XIV. Haec, quae nuper ſalubri ordinatione ſtatuenda credidimus: imo potius Canonum conſtituta ad memoriam reuocanda; Sanctitas Veſtra, ſi pro communis Eccleſiae vtilitate ſibi placere non dubitat, propria ſubſcriptione confirmet.

Honorius Archi-Epiſcopus Sanctae Eccleſiae Salonitanae hoc conſtitutum conſentiens ſubſcripſi: condemnans, qui contra vnquam venire temptauerit.

Andreas Epiſcopus Jadertinae Eccleſiae, ſubſcripſi, vt ſupra.

Ticyanus Epiſcopus Eccleſiae Arbenſis, ſubſcripſi, vt ſupra.

Fabricianus Epiſcopus Eccleſiae Epitauritanae, ſubſcripſi, vt ſupra.

Ioannes Epiſcopus Siſcianae, ſubſcripſi, vt ſupra.

Conſtantinus Epiſcopus Eccleſiae Scardonitanae, ſubſcripſi, vt ſupra.

Marcellus Epiſcopus Eccleſiae Naronitanae, ſubſcripſi, vt ſupra.

Andreas Epiſcopus Beſtoenſis Eccleſiae, ſubſcripſi, vt ſupra.

Victor Epiſcopus Eccleſiae Maronianae, ſubſcripſi, vt ſupra.

Dominicus Archi-Presbyter Eccleſiae Salonitanae, ſubſcripſi, vt ſupra.

Caeſarius Presbyter ſubſcripſi, vt ſupra.

Lucerus Presbyter Eccleſiae Salonitanae, ſubſcripſi, vt ſupra.

Herenens Presbyter ſubſcripſi, vt ſupra.

Bacauda Presbyter vt ſupra.

Stephanus Presbyter vt ſupra.

Urſus Presbyter ſubſcripſi, vt ſupra.

Baſſus Presbyter ſubſcripſi, vt ſupra.

Vitalis Presbyter Sarſenterenſis Eccleſiae, ſubſcripſi, vt ſupra. Explicit.

XX.

ACTA CONCILII SALONITANI II. LAMPAdio iterum, et Oreſte Coss. ideſt: Anno Chr. DXXXII. celebrati, e codice MS. Bibliothecae Barberinae, a Cl. Daniele Farlato Illyrici Sacri Tom. 2. p. CLXXIII. edita, nunc inter Synodos Hungariae primum relata, et emendata.



Poſt iterum, *(a)* atque iterum Lampadii, et Oreſtis, ſumens ſub die nona Maias, facto Sacerdotali Concilio, Andreas Vir Venerabilis Jadertinae Eccleſiae Epiſcopus dixit: *(b)* „Omnium Sacerdotum, Fratrumque meorum, Papa Beatiſſime, proſequor voluntatem; quia

(a) De notis Chronologicis, vide Recenſionis §. 11.

(b) Hunc fuiſſe morem, et conſuetudinem veterum Synodorum, vt Epiſcopi inducerentur loquentes, docent et Canones Concilii Sardicenſis, et codex Canonum Eccleſiae Africanae perhibet.

Digitized by Google

quia tanta eſt bonitatis magnitudo, vt omnes nos faciat de ſui oneris leuamine cogitare. Quippe quum gratum vobis fore credamus; nam propter diſtantiam, et longinquos per Parochias conſignandae Plebis cauſa excurſus, Parochiae Presbyteris creditae, Veſtra conſecratione merentur ſibi alios ordinari Pontifices. Sicut etiam in Bacienſi Eccleſia, Praedeceſſore veſtro beatae recordationis Honorio, eſt prouide ordinatum; quia in tanta diſtenſione locorum rarius conſignationem Chriſmatis populus renatus adſequitur. Quapropter, qui omnium noſtrum Primatum, DEO iuuante, quo praeſides, curam geris, ordinationemque commiſſam tuorum, neceſſe eſt, Pontificum adminiculis releueris.„ Honorius beatiſſimus Vir reſpondit Archi-Epiſcopus: „Ago gratias, quod talibus me creditis ſolatiis releuandum, vt creſcente Fratrum, et Coepiſcoporum noſtrorum numero, et leuior fiat ſarcina diuiſa per plures, et onus gratum, quod cum honore ſuſcipitur. Atque ideo tali Fraternitatis veſtrae poſtulatione perpenſa, Parochias, quae noſtra ſortiebantur conſecratione Presbyteros, et ob longinquitatem ſui viſitationem difficillimam merebantur; ad ordinandorum Epiſcoporum curam facta diſtributione credimus pertinere,(a) praeſertim quum nihil Canonicis ſit contrarium conſtitutis; quia nec Epiſcopalis vileſcit auctoritas, quum in tanta locorum diſtenſione, tot Parochiis neceſſario proponuntur, nec vbi Presbyter poſſit ſufficere, ordinatur Epiſcopus; quia nec conſignandi, nec reconciliandi licentia facile DEI Sacerdotibus (b) eſt conceſſa. Pro qua re huius ordinationis nobis eſt prouiſa neceſſitas, ne quod maxima Eccleſiae ſollicitudine eſt gerendum, pro raritate (c) Pontificum negligatur. Quapropter qui, vel in quibus locis Epiſcopi debeant conſecrari, diligentius pertractemus.„ Tractatu itaque habito, adiectae ſunt ſententiae, in quam hoc communi noſcitur ſediſſe conſilio, vt in Sarſentero, Muccuro, et Ludro Epiſcopi debeant conſecrari; Futurorum perſonas Antiſtitum decretorum (d) tenor adſignet. Itaque prolatis decretis, in quibus electionis includebant officium, in Muccuro Stephanum Presbyterum, in Sarſentero Paulinum Presbyterum, in Ludro Cecilianum Presbyterum ſpirauere (e) Epiſcopos conſecrari. Qua electione decurſa, ſupraſcriptus beatiſſimus Vir Honorius Archi-Epiſcopus ita ſubiunxit: „Patefacto nobis decretorum tenore, ſolemniter (deeſt: *circa fines*) Dioeceſis ſtatuimus obſeruandum, vt Sarſenterenſis Epiſcopus Baſilicas, quae in municipiis de Lontino, Stantino, Nouenſe per Ruſticarum Pecuatio, et Beuzzauatico, et ſupra conſtitutae ſunt, quae tamen ad nos hactenus reſpexere, in Parochia conſequatur. (f) Ludrenſis vero Epiſcopus Magniaticum, Equitinum, Saluiaticum, et Sarziaticum, ſicut ad ordinem noſtrum noſcit (g) obtinuiſſe, percipiat. Muccuritanus autem Epiſcopus ſe (adde: *extra fines*) Montanorum Delmienſe, Oneſtinum, Salonitanum quoque, duntaxat quid

(a) Senſus iſte eſt: *Parochias, quae a nobis ſortiebantur Presbyteros, credimus in Epiſcopales cathedras leuandas, et diſtribuendas.*

(b) Id eſt: Epiſcopis difficile eſt ob diſtantiam fideles chriſmate conſignare.

De numero Epiſcoporum.

(c) Frequentes fuiſſe antiquitus Sedes Epiſcopales, ex Africanarum Eccleſiarum ſtatu, qui ſeculo quinto ineunte fuit, liquet. Diſcimus id ex collatione cum Donatiſtis habita, ex qua apparet Catholicos Epiſcopos tunc fuiſſe in Africa quadringentos ſeptuaginta, vltra Donatiſtarum Epiſcopos, et ipſos frequentes numero; Nemo tamen exiſtimet tam exiguas fuiſſe vbique Epiſcoporum Dioeceſes. Cyrus enim Ciuitas erat haud ampla, verum tamen octingentas Parochias ſibi ſubiectas numerabat. Anno Chriſti CCCCXXX. Epiſcopus Antiochenus, ob amplitudinem dictus eſt *Catholicus*. Alexandrina Dioeceſis ob amplitudinem appellata *Barathrum mundi*.

(d) Id eſt: Suffragiorum; nihil certe peruulgatius in ſacra antiquitate, quam Conciliorum decretis fuiſſe deſignatos Epiſcopos.

(e) Videtur hic deſignari modus electionis Canonicae, qui *per inſpirationem* fieri dicitur, dum nimirum omnes in vnum conſpirant Electores.

(f) In Dioeceſi habeat.

(g) Ideſt: ſicuti ad nos ſpectaſſe noſcitur.

quid in Inſulis continetur, vel trans Oncum noſcitur eſſe diuiſum, quod continens appellatur; ſed etiam Redditicum in Dioeceſim habiturus accipiat; *(a)* et exceptis reliquis in territorio Salonitano Baſilicis, vel pro adiacentia Suirare, Modones, atque Sagitagine. Statuentes etiam, vt nullus in alterius Dioeceſi quolibet modo audeat dedicare Baſilicas, nec Fratrum Priuilegia illicita praeſumptione turbare. Neceſſe eſt etiam de celebrandis conuentibus Patrum modis omnibus conſtituta ſeruari: ſed quia bis in anno Concilia fieri praeceperunt propter diuerſas neceſſitates Eccleſiae amputandas; et Fraternitati veſtrae difficultate itineris, atque viſitandarum occupatione Parochiarum grauiſſimum indicatur, vel hoc fine aliqua excuſatione ſeruetur, vt ſemel in anno ad Concilium Metropolitani venire nullus omittat; quod ſi quidem forte non deſidioſa voluntas, ſed ineuitanda neceſſitas detinuerit, per Primates ſuae Eccleſiae ſe praeſentet. Tempus autem congruum videtur, vt depoſitis albis Pentecoſten ebdomadae, quae ſequitur, debeat conueniri. *(b)* Quae omnia placuit ſic ordinari, prompta voluntate conſentio, et DEO propitio implenda curabo.„ *(c)* Andreas Vir Venerabilis Beſtoenſis Eccleſiae dixit: „Neceſſe nobis eſt bonae inſtitutionis formam libenter amplecti, praeſertim quum de ſacro laudabiliter cogitatis obſequio; atque ideo quaeſo, vt a loco Capellae, et Arena, vsque ad has Vrbes, Baſilicaſque, quae in mea Parochia continentur, ad proponendum iisdem locis faciatis Epiſcopum pertinere. Tantae vexationis labore ſubmoto, aptior mihi ſollicitudo ſit de Sacerdotibus, plebeque commiſſa, quanto grex Dominicus vicino Paſtore melius gubernetur.„ Honorius Vir beatiſſimus Archi-Epiſcopus*(d)* reſpondit: „Non eſt dubium Venerabilis Frater, et te bonae ordinationis intuitu libenter offerre, quibus et perpetuam talis gloriam mereatur oblatio, et diuinum melius perficeretur obſequium. Et ideo quum Diuinitas propitiata conceſſerit, adhuc vnum, ad quem eadem loca pertinere debeant, curabimus ordinari Pontificem. Vnde ne ſequens aetas, aut addendo ſuperflue Epiſcoporum numero, aut per cupiditatem forſitan imminuendo, haec violari conſtituta praeſumat, ſi quis tale quippiam tentauerit, anathematis vinculis obligatus, poenam Diuino iudicio condemnatus incurrat. Cui rei conſenſum

---

(a) Id eſt: Muccoritanus Epiſcopus extra fines Delminenſis Montenorum Epiſcopi, Onedini, et Salonitani, duntaxat Inſulam, et trans Oncum continentem habeat; Redditicum quoque in Dioeceſim habiturus.

(b) Vſi ſunt Epiſcopi in hac Synodo congregati derogatione, qua Hormiadas Papa epiſt. 25. antiquis derogauit Canonibus, vnam quotannis Synodum fieri admittens. Tempus autem Synodo conſtitutum eſt hebdomada poſt Pentecoſten, dum nimirum octauo, a ſuſcepto baptiſmo, die albas veſtes deponebant Neophyti.

(c) Videtur ſic legendum: „*quae omnia ſicut placuit ordinari, prompta voluntate conſentio, et propitio Deo implenda curabo.*

Axiomata Epiſcoporum.

(d) Beatiſſimos, et Sanctiſſimos paſſim appellatos fuiſſe Epiſcopos, exemplum in his noſtris Synodis habemus. Vidimus enim Patres Concilii Sirmienſis Sanctiſſimos appellari. In priori Salonitana dicitur: „*Congregatis beatiſſimis Viris Epiſcopis.*„ In hac ſoepius dicitur: *Beatiſſimus Archi-Epiſcopus.* Ipſi etiam Summi Pontifices ſic compellabant Epiſcopos, et vt domeſticum adducam exemplum, et quidem ſeculi IX. iam adulti: En verba Eugenii II. Pontificis Maximi in epiſtola ad Epiſcopos ab Urolpho inſtitutos, et ad Tutundum Auarum Ducem exarata: „*Cuius optabilis rumoris index fuit Reuerendiſſimus Urolphus Sanctae Laureacenſis Eccleſiae Archi-Epiſcopus, et Sanctiſſimus Frater noſter.*„ Seculo adhuc XI. Sanctus Stephanus Rex, in Diplomate Archi-Abbati S. Martini de monte Pannoniae conceſſo, Stephanum Epiſcopum Veſprimienſem *Sanctiſſimum* appellat, de quo rurſus ſuo loco agemus. Honorius noſter, de quo diſſerimus, inſuper etiam Papa vocitatur, quod nomen, ſi originem eius ſpectes, Patrem ſonat, filialis affectus teneritudinem exprimit, adeoque omnibus Epiſcopis commune eſt, prouti etiam paſſim per complura ſecula appellabantur; id tamen certum eſt, iam ſeculo V. per excellentiam Romano Pontifici id tributum fuiſſe, qui vtique Oecumenicus Pater eſt. In Concilio Toletano, quod celebratum fuit anno Chriſti CCCCXXXVIII. dicunt Patres: „*exſpectemus quid Papa, qui hodie ſedet, quid S. Simplicianus Epiſcopus Mediolanenſis, et alii Epiſcopi ſcribant?*„

ſum omnium noſtrum conuenit ſubſcriptione firmari." Actum Salonis.

Honorius Archi-Episcopus S. Ecclesiae Salonitanae, his geſtis conſentiens ſubſcripſi.

Andreas Episcopus Jadertinae Ecclesiae, his geſtis conſentiens ſubſcripſi.

Ticyanus Episcopus S. Ecclesiae Arben. his geſtis conſentiens ſubſcripſi.

Conſtantinus Episcopus Ecclesiae Siscianae, his geſtis conſentiens ſubſcripſi.

Paulus Episcopus.

Marcellus Episcopus Naronitanae Ecclesiae, conſentiens ſubſcripſi.

Paulinus Episcopus Ecclesiae Sarſenterenſis.

Stephanus Episcopus Muccorenſis.

Cecilianus Episcopus Ecclesiae Ludroenſis, conſentiens ſubſcripſi. Explicit.

XXI.
EPISTOLA VIGILII PAPAE
Ad Episcopum Tomitanum Scythiae, in cauſa trium Capitulorum data A: C: DXLVIII.

Dilectiſſimo Fratri Valentiniano Episcopo de Tomis Prouinciae Scythiae, Vigilius.

Fraternitatis Tuae relegentes ſcripta, Pontificalem in vobis ſollicitudinem inceſſe gratanter accepimus, quia prophetica tibi poſſunt verba competenter aptari, quibus ait: „Saluabo gregem meum, et ſuſcitabo ſuper eum Paſtorem, qui paſcat eum, ſeruum meum." Oportet ergo charitatem tuam ea quoque Domini noſtri verba ſectari, per quae dixit: „Speculatorem te poſui domui Iſraël, et audies de ore meo verbum, et annunciabis eis ex me," et conuocatos eos, quos ſcandalizari diuerſis rumoribus retuliſti, inceſſanter hortari, ne per hos forſitan ſeducantur, qui ſub praetextu Catholico, nequiſſimo ſpiritu ſimplicium Chriſtianorum corda fallacia ſua decipere moliuntur, et Patris ſui diaboli conſuetudinem maligno ſectantes ſpiritu, Eccleſiam tibi commiſſam diuerſis mendacibus ſcriptis conturbare deſiderant, quibus Apoſtolica lectio congruenter aptatur dicens: „Rogo autem vos Fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, et offendicula, praeter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, et declinate ab illis." Et infra: „et per dulces ſermones, et benedictiones ſeducunt corda innocentium." Veſtra autem obedientia in omni loco diuulgata eſt, quatenus Fraternitatis veſtrae adhortatione ſoepe commoniti, nulla fideles eorum animos a rectitudine viae, quae Chriſtus eſt, qui ait: *Ego ſum via, et veritas, et vita*, qualibet maligna annunciatione ſubmoueat: Sed ſi quod non oportet ab aduerſariis conturbari, aliquid, (quod DEVS auertat) contra Fidem (a) factum forte formidant, cum man-

Damnatio trium Capitulorum.

(a) Dum in recenſione ad hanc epiſtolam dixi Vigilium Papam damnationi trium Capitulorum necdum conſenſiſſe, nolim aliquis oggerat, me Synodo generali Conſtantinopolitanae ſecundae aliquid debitae laudia, et venerationis detrahere; Neque alter quiſpiam inde aliquid contra Sanctam Chalcedonenſem Synodum inferat, quaſi Synodus quinta aduerſata fuerit Chal-

manſuetudine, quae conuenit Chriſtianis prophetica verba ſectentur dicentis: „interroga Patrem tuum, et annunciabit tibi; ſeniores tuos, et dicent tibi:„ Et alius Propheta: „labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, et legem requirunt ex ore eius.„ Et quoniam Baſinianus illuſtris, et magnificus Vir, Filius noſter, cum his, qui pro actibus tuae Fraternitatis Eccleſiae in Conſtantinopoli obſeruant, pari ratione dixiſſe noscuntur etiam hoc DEI inimicos fuiſſe mentitos, quod perſonae Episcoporum Ibae, atque Theodoriti in noſtro (quod abſit) fuiſſent iudicato damnatae: Legant ergo, quae de cauſa, quae hic mota eſt, ad Fratrem noſtrum Mennam Conſtantinopolitanae Vrbis Episcopum ſcribentes legimur definiſſe, et tunc cognoscent nihil a nobis, DEO nos cuſtodiente, commiſſum. vel certe diſpoſitum, quod contra fidem, praedicationemque venerandarum quatuor Synodorum, quae pro vna, eademque fide definita ſunt, ideſt: Nicaenae, Conſtantinopolitanae, Epheſinae 1*mae*, et Chalcedonenſis reperiatur aduerſum, aut minus ex his, qui definitioni ſuprascriptae Chalcedonenſis fidei ſubſcripſerunt, tangat iniuria, vel quod Deceſſorum, Praeceſſorumque noſtrorum inueniatur, (quod abſit) conſtitutis forte contrarium, ſed in omnibus Apoſtolicae Sedis Praeſulum, et beatae recordationis Papae Leonis, et praedictarum Synodorum aduerſariis reſtitiſſe. Fraternitatem autem veſtram credimus non latere inimicos fidei Chriſtianae hoc ſemper ſeculari, et reprobanda molitos aſtutia, vt Euangeliſtas quatuor contraria ſibi, (quod abſit) dixiſſe monſtrarent: quibus a SS. Patribus per Euangeliorum concordiae libros, eſt coeleſti ſapientia contradictum; quod nunc quoque Sancti Chalcedonenſis Concilii aduerſarii, (inter quos etiam Ruſticum, et Sebaſtianum comperimus iſtius auctore ſcandali, quos olim pro meritis ſuis a ſacra communione ſuſpendimus. in quibus nos, ſi non reſipuerint celeriter, Fraternitas tua cognoscat Canonicam ſententiam prolaturos) qui ſub praetextu falſae defenſionis ſtudent, vt eandem Synodum contra praedictas tres Synodos dixiſſe, (quod abſit) oſtendant. Qui ex hac conantibus Prophetae dicta conſonanter aptantur dicentis: „Vere mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Verbum Domini noſtri proiecerunt, et ſapientia nulla eſt in eis.„ Docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium. Vt inique agerent, laborauerunt. Quibus ſi non poenituerint, veniet Pſalmiſtae inuocata ſententia dicentis: „vt deſtruas inimicum, et defenſorem.„ Credimus enim Catholicis Eccleſiae filiis ea, quae tunc ad Fratrem, et Coepiscopum noſtrum Mennam ſcripſimus; id eſt: de blaſphemiis Theodori Mopſueſteni, eiusque perſona, vel de epiſtola, quae ad Marim Perſam ſcripta ab Iba dicitur, et ſcriptis Theodoriti, quae contra rectam fidem, et 12. Capitula Sancti Cyrilli facta ſunt, abunde poſſe ſufficere: quippe dum in Conſtituto noſtro ſuperius deſignato poſſit diligenter agnosci, quia in

ipſa

---

ceonenti. Neque rurſus alter nobis obiiciat Vigilium Papam in cauſa trium Capitulorum titubaſſe, et ſuum reuocaſſe conſtitutum, adeoque Summi Pontificis non eſſe irreformabile iudicium. His enim omnibus occurro, et obiecta diluo S. Gregorii magni litteris ad Conſtantium Episcopum Mediolanensem datis lib. 3. epiſt. 17. vbi ait: „*De illa Synodo, quae in Conſtantinopoli facta eſt, quae a multis quinta nominatur, ſcire vos volo, quia nihil contra quatuor ſanctiſſimas Synodos conſtituerit, vel ſenſerit; quippe in ea de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt.* Id ipſum adſerit Vigilius in epiſtola Decretali ad Eutychium pro confirmatione quintae Synodi ſcripta; de illa enim loquens inquit: „*Nos ipſi, qui eiusdem cum illis eramus, et ſumus de fide ſententiae, inſuper habita dilectione Fraterna, in diſcordiam abiimus.* Si itaque de fide actum non fuit, ſi de Fraterna dilectione laedenda quaerebatur, quid, amabo, ſiue contra Chalcedonenſem Synodum, ſiue contra quintam generalem, ſiue contra Summi Pontificis infallibilitatem inde deduci poteſt? Recte ait Chriſtianus Lupus, in Diſſertatione inter iudicia de fide, ac perſonis eſſe firmatum grande chaos, plurimamque dignitatis, atque auctoritatis diuerſitatem.

ipſa definitione fidei, quam Sancti Chalcedonenſis Concilii Sacerdotes, ſecundum praecedentes eam tres alias Sanctas Synodos protulerunt, ſed laudantes omnia, quae a ſuperioribus acta ſunt ſancta definitione ſua perpetuo robore firmauerunt; Tamenſi poſt haec aliquis (quod non credimus) dubitare voluerit, hortamur, vt cum tuae Fraternitatis ordinatione ad nos venire feſtinet, quatenus lucida admonitione cognoſcat omnia, quae Deceſſorum vniuerſorum, et ante ſtatarum quatuor Synodorum ſunt de vna, eademque fide acta, ſcriptaque temporibus, a nobis inuiolabiliter fuiſſe ſeruata. Qua ratione percepta ſublato, ſicut oportet, de Chriſtianiſſimis animis ſcandalo, pax DEO placita, in eius Eccleſia illibata perduret. Hoc quoque Fraternitatem tuam credimus adhortando, ne vlterius praedictorum Ruſtici, et Sebaſtiani, aut illorum, qui prauae eorum praeſumptionis probantur eſſe participes, ſcripta ſuſcipiat: Sed et vniuerſos ad tuam pertinentes ordinationem commoneas, ne vel ipſi a praedictis relegant aliquid (a) deſtinatum, vel falſi-

De prohibitione librorum.

(a) Ex hoc loco neceſſaria quodammodo nobis naſcitur occaſio de prohibitione librorum differendi. F. Paulus Sarpe, ementito nomine *Suauis Polonus* in Hiſtoria Concilii Tridentini, lib. VI. pag. 427. de diſciplina iſta praepoſteram Lectori propinat doctrinam aſſerens: Conciliis, et Epiſcopis ſatis fuiſſe libros noxios indicaſſe, et damnaſſe, ſed propriae cuiusuis conſcientiae reliquiſſe librorum lectionem: dein Epocham prohibitionis ad Seculum IX. reuocat. Sed audiamus ipſum ſub ſpecie antiquitatis nouitates profanas narrantem: „In Eccleſia veteri, *inquit*, Martyriis, et perſecutionibus exercita nulla fuit prohibitio Eccleſiaſtica; viris tantum piis relligio fuit impios libros legere, ne impingerent in vnum e tribus legis Diuinae praeceptis, quibus iubentur homines mali contagionem vitare, tentationibus nulla neque neceſſitate, neque emolumento inuitante ſeſe non obiicere, et tempus rebus vanis non impendere. His legibus quippe naturalibus tenentur, et obligantur ſemper homines ad vitandam librorum improbatorum lectionem: etſi eam nulla lex Eccleſiaſtica vetaret. Sed vt hae conſiderationes ceſſent, ſucceſſit exemplum Dionyſii Epiſcopi Alexandrini celeberrimi Doctoris, qui circa annum CCXL. a Sacerdotibus ſuis hoc nomine increpitus, et ob rationes iam dictas titubans, per viſionem monitus fuit, vt quemuis librum legeret, quod praua a rectis diſcernere peritus eſſet; et tamen a libris gentilibus plus periculi importari putabatur, quam a libris haereticorum: erantque et libri horum magis exoſi, et eorum lectio reprehenſioni eo magis obuia, quo plures Chriſtiani Doctores nimia eloquentiae addiſcendae curioſitate aſſiduis eos manibus verſabant. Quam ob cauſam D. Hieronymus ſiue per viſionem, ſiue in ſomnis, a Satana virgis creditur caeſus. Inde ſub haec ipſa tempora circa annum CCCC. Concilium Carthaginenſe interdixit Epiſcopis gentilium librorum lectione, haereticorum libros legendi poteſtate facta; quod Decretum exſtat inter Canones a Gratiano conſarcinatos. Atque haec eſt prima prohibitio in forma Canonis. Sunt et aliae apud Patres Concilii formae, ad legis Diuinae, quam ſupra citauimus, normam exigendae. Iam haereticorum libri, qui doctrinam complectebantur damnatam in Conciliis, ſaepe ab ipſis Imperatoribus Ciuilis diſciplinae cauſa legi vetabantur. Ad hunc modum Conſtantinus libros Arii, Arcadius Eunomianorum, et Manichaeorum, Theodoſius Neſtorii, Marcianus Eutychianorum, et in Hiſpania Riccaredus Rex Arianorum ſcripta prohibuit. Conciliis, atque Epiſcopis viſum ſatis oſtendere, quorum librorum damnabilis, aut apochrypha eſſet doctrina; quod factum a Gelaſio anno CCCCIV. neque vlterius pergere, ſed cuiusque conſcientiae liberum relinquere: libros vitare, an boni cuiusquam cauſa legere velit. Poſt annum vero DCCC. Romani Pontifices multis partibus Ciuilis regiminis ſibi arrogatis, et librorum lectionem prohibuerunt, et libros flammis imperarunt; quorum authores ipſi damnauerant.„ In hactenus recitatis multum, grauiterque offendit Frater Paulus Sarpe. Errat enim primo, dum ait olim exiſtimatum fuiſſe plus periculi ex libris gentilium imminere, quam ex libris haereticorum metuendum ſit. Certum etenim eſt, et exploratum Chriſtianos ferme pleroſque gentilium adiiſſe ſcholas, ipſis Magiſtris vſos eſſe, libroſque vel ex eo capite legiſſe, vt litteras humaniores condiſcerent. Hinc vtique factum eſt, quod Iulianus Apoſtata lege promulgata ſtatuerit teſte Theodoreto lib. 3. cap. 7. „*Ne Galilaei* (ſic enim fidei Seruatoris noſtri conſecratos nuncupabat) *Poëticam, Rhetoricam, aut Philoſophiam diſcerent. Nam noſtris ipſorum*, inquit, *pennis, vt eſt in prouerbio, percellimur. Siquidem noſtrorum ſcriptorum praeſidiis muniti contra nos bellum ſuſcipiunt*.„ Habemus itaque paſſim Chriſtianos e libris gentilium profeciſſe, et hoc vſſit Iulianum. Proferat quisquis demum tale aliquid de haereticorum ſcholis, et libris; a me certe magnum minerual habebit. Quod vero Concilium Carthaginenſe Epiſcopis gentilium librorum lectione interdixerit, non diffiteor quidem; at nego aſſertionem Sarpianam inde recte deduci. Illa ipſa aſſiduitas legendi libros gentilium a Sacris Litteris auocabat Epiſcopos. Arcendi itaque erant, quin vt S. Hier. ad Damaſum Papam Epiſt. 146. verbis vtar: „*quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe faciebant voluptatis*.„ Errat dein Frater Paulus, quod perſuadere velit Lectori, de non legendis libris hae-

falſitati eorum vlterius animum ſuae credulitatis accommodent. DEVS te incolumem cuſtodiat Frater chariſſime. Datum XV. Kalend. Aprilis, Imperii Domini Iuſti-

---

reticorum vsque ſeculum nonum Legem Eccleſiaſticam non exſtitiſſe vllam. Vt enim propriis ipſum confodiam iaculis, oſtendam, quod exempla, ab eodem adducta aliud omnino probent, ac vellet, tantum abeſt, vt propoſito deſeruiant. De Episcopis quippe ſomant, quorum alia ratio eſt habenda; quum ſint Magiſtri Fidei, multa legere debent ipſi, ne legant alii. Ita S. Ambroſius in expoſitione Euangelii ſecundum Lucam Lib. 1. Operum Tom. I. pag. 1266. poſtquam Euangelia apochrypha, et ab haereticis conſarcinata receoſuiſſet, ſubiungit: *Legimus, aliqua, ne legantur; legimus, ne ignoremus; legimus, non vt teneamus, ſed vt repudiemus.* „ Quantum quidem ad Dionyſium Alexandrinum attinet: ſi eius epiſtolae fragmentum, quud Euſebius lib. 7. cap. 6. refert, conſulamus, legebat haereticorum tunc exurgentium libros, quos reprehendi oportebat, vt pateret eorum haereſis. Hinc vtique narrat idem Dionyſius exemplum Episcoporum, qui haereticos ad Eccleſias reuertentes haud recipiebant, donec omnia, quae a veritatis aduerſariis audiuiſſent, palam apud omnes non eſſent elocuti; Ulcus quippe detegi oportebat, vt palpari poſſet,

Hoc certe exemplum contra Sarpium pugnat; tam perſuaſi nimirum erant tunc fideles Eccleſiae legem eſſe de non legendis libris haereticorum, vt Presbyter, tantae doctrinae, tam exploratae fidei virum, et Antiſtitem ſuum monendum cenſuerit; Ipſe autem neceſſarium duxerit excuſatione vti, et ſemet viſione coeleſti tueri. Concilium Carthaginenſe IV. Circa annum CCCXXXVI. celebratum, et a Gratiano diſtinct. 17. *C. Episcopus Gentilium Libros* relatum, dum diſpenſationem quandam Episcopis pro neceſſitate temporis impertitur, praeexſtantia legis, quae id vetat, luculentum perhibet teſtimonium. Decretum Gelaſii de Libris Canonicis, et apochryphis, non ſolum libros noxios indicat, ſed etiam legi vetat. Ait quippe Papa: „*Ceterum, quae ab haereticis, ſiue ſchismaticis conſcripta, vel praedicata ſunt, nullatenus recipit Catholica, et Apoſtolica Eccleſia Romana, e quibus pauca, quae ad memoriam venerunt, et a Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda.*„ Ecce, quae ab haereticis, et ſchismaticis conſcripta fuerunt, ea a Catholicis vitanda ſunt. Quomodo poteſt liber vitari, niſi dum non legitur? Non legenda ergo ſcripta haereticorum iuſſit Gelaſius Papa; proculdubio legi probibet, quos vitari praecipit.

Verum ne ſemper ex aliena penu viuamus, propria expediamus arma. Sarpius ait: „Epiſcopis ſuffeciſſe libros noxios indicare, quin „lectionem illorum vetarent.„ Aliud docet S. Alexandri Episcopi Alexandrini de damnatione Arii, et Achillae ad Alexandrum Episcopum Conſtantinopolitanum data epiſtola, apud Theodoretum lib. 1. cap. 4. „*Iſtos*, inquit, (Arium, et Achillam) *a Fratribus anathematizatos nemo veſtrum excipiat, neque eorum verba, vel ſcripta audire ſuſtineat.*„ Praedeceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens S. Athanaſius, Synodo Sardicenſi falſo attributam formulam Fidei legi prohibuit, ſcribens ad Eccleſiam Antiochenam: „*Tabellas, quas nonnulli, quaſi in Sardicenſi Synodo de Fide conſcriptas iactant, ne legi quidem ſemel, aut proferri ſinatis.*„ Quod Concilium Nicaenum librum Arii, quem Thaliam inſcripſit, vetuerit legi, diſertis verbis tradit Hermias Sozomenus, lib. 1. cap. 20. inquiens: „*Concilium autem tum Arium, tum ſuae opinionis Fautores pariter abdicauit, decreuitque, ne veniret Alexandriam, quin etiam verba, quibus eius explicabatur opinio, et librum, quem de eadem ediderat, inſcripſeratque Thaliam, legi vetuit.*„ Et ſane Epiſtola Synodica Concilii Nicaeni, ad Eccleſiam Alexandrinam perſcripta, narrationem Sozomeni confirmat apud Theodoretum. lib. 1. cap. 9. Dicit enim de Ario, et Fautoribus: „*quibus omnibus S. Concilium indicit anathema, imo vero ne pati quidem poteſt, vt vel impia eius opinio, vel verba plena blasphemiae ad aures perueniant.*„ Sententiam Concilii, velut ſtrenuus fidei protector executus eſt Conſtantinus M. ex mente, et voluntate Patrum ſcribens apud Socratem lib. 1. cap. 6. „*Viſum eſt Arium, et eius ſectatores Porphyrianos nuncupare, et quorum ſecuti ſunt mores, eorum etiam nomen habeant, quin etiam ſi quod opus ab Ario conſcriptum reperiatur, illud cremandum eſſe, vti non modo eius execrabilis doctrina funditus tollatur, ſed etiam nullum monumentum eiusdem omnino relinquatur ad poſteritatem; illud etiam mandamus, vt ſi quis librum ab Ario conſcriptum occultaſſe deprehenſus ſit, et eum non ſtatim in medium adductum igne combuſſerit, morte mulctetur, nam mox, vt comprehenſus fuerit, plectatur capite.*„ Hanc fuiſſe Eccleſiae perpetuam conſuetudinem, vt libros pro iure ſuo vetaret, docet nos exemplum etiam Semi-Arianorum in Concilio Conſtantinopolitano, quod Acacius Conſtan. Anno Chriſti CCCLIX. Contra Aetium celebrauit; Dicunt enim Acaciani, qui et Euſebiani Episcopi de Aetio: „*priuatus eſt Diaconatu, eiectusque ab Eccleſia, et admonitiones noſtrae ſubſecutae, vt nefandae eius epiſtolae non legantur, ſed reiiciantur velut inutiles, et infructuoſae.*

Ad Orthodoxos redeamus. Gelaſium libros haereticorum vitandos iuſſiſſe docuimus; Epiſtola Vigilii Papae, quae huic diſſertationi occaſionem praebuit, talis conſuetudinis eſt documentum. Idem Papa excommunicationis ſententiam in Ruſticum, et Sebaſtianum decernens inter reliqua delicta, et id recenſet, quod Ruſticus vetitos libros legerit, ait enim: „*Tu Ruſtice, dum aliqua nobis ignorantibus legeres, quae hominem loci tui omnino legere non decebat.*„

Eam fuiſſe Chriſti fidelium ab exordio Eccleſiae, quaſi cum Fide Orthodoxa natam opinionem, libros noxios vitandos, et ne legi poſſint, igne cremandos, perſuadent ipſae Sacrae Litterae Noui Teſtamenti. Apud S. Lucam Act. cap. 19. v. 19. legimus: „*multi autem ex iis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, et combuſſerunt coram omnibus, et computatis pretiis*

Digitized by Google

Iuſtiniani perpetui Auguſti Anno XXIII. poſt Conſulatum Baſilii viri Clariſſimi, Anno XIX. per Ioannem Presbyterum, et Apocriſarium: et ipſe direxit eam per Maxentium hominem ſuum.

XXII.
SYNODVS ILLYRICA CIRCA A:C: DL. DE damnatione trium Capitulorum, ex Epiſtola Clericorum Italiae, Legatis Francorum Conſtantinopolim abeuntibus data.

Tractatu habito, Sanctus Papa Vigilius ſub aliqua diſpenſatione ipſam cauſam (trium Capitulorum) ordinauit, ſollicite monendo, ne per aliquam occaſionem praedicta (Chalcedonenſis) Synodus pateretur iniuriam. Et quamuis nec hoc, quod Papa fecerat, acquieuerunt Afri, et Illyricani, atque Dalmatae Sacerdotes recipere, tamen eoepit iterum ſoepe dictus Beatiſſimus Papa Vigilius ad hoc compelli, vt abſolute ipſa Capitula hac Chalcedonenſis Synodi mentione damnaret. *Ita Victor Tunonenſis.*

XXIII.
EPISTOLAE S. GREGORII MAGNI.

I.
Gregorius Natali Epiſcopo Salonitano.

Geſta, quae nobis in Concilii veſtri confecta (*a*) Secretario direxiſtis, in quibus Archi-Diaconus Honoratus addicitur (*b*) plena eſſe cognouimus ſemine iurgiorum; quum vno, eodemque tempore vna perſona nolens ad Sacerdotii honorem prouehitur, quae tanquam immerita, a Diaconatus officio remouetur. Et ſicut in-

P p ſtum

illorum inuenerunt, pecuniam denariorum quinquaginta millium.,, En quantam ſtragem ediderunt! Et id Auctore Apoſtolorum choro. Simile exemplum inuenimus in actis ſinceris SS. Luciani, et Marciani Martyrum, quae du Mesnil ad ann. Chriſti CCLII. recenſet. Vbi narrat, quod Sancti hi Martyres intelligentes nihil poſſe magiam contra eos, qui Chriſti ſunt, fidem amplexi ſint. Subiiciunt memorata acta: ,,*ſtatim codices in media deferentes Ciuitate igni combuſſerunt.* Talibus cineribus tegebantur priſcorum arae, et gratus odor aſcendebat ad Dominum proſtratae curioſitatis, deletae impietatis.

Ex hactenus dictis tria Corollaria deducat, velim, beneuolus Lector. *1mo.* Rite nunc a Summis Pontificibus prohiberi non ſolum libros haereticorum, ſed etiam talium, qui in comunione fidei perſiſtentes, ſemet contra iurisdictionem legitimam erigunt; hoc perhibet exemplum Gelaſii Papae, etiam libros Schismaticorum vitandos decernentis, et Vigilii Papae, epiſtolas Ruſtici, et Sebaſtiani legi prohibentis. *2do.* Congregationem S. Officii, et Indicis venerandae antiquitatis exemplis inſiſtere, dum aliquando miracula non approbata, reuelationes, et viſiones in librorum prohibitorum indicem refert. Fecit enim idem Gelaſius Papa cum Apocryphis libris, licet nequaquam omnes ab haereticis ſiue conſcripti, ſiue interpolati fuerint. *3tio.* Aſſertionem, ſiue doctrinam Theologorum, peccati graois condemnantem illos, qui paginam vnam e libro prohibito euoluerit, ex traditione Eccleſiae profluere. S. Athanaſius enim, et Vigilius Papa interdixerunt lectionem pagellarum, et epiſtolarum, quae natura ſua breues ſunt. Tandem indignari non poteſt quisquam, quod Papa etiam Episcopos a lectione librorum haereticorum arceat; quum idipſum S. Athanaſius, et Acacius Semi-Arianus fecerint, quin Episcopi conſtrictae iurisdictionis ſuae litem ipſi intenderent.

(*a*) *Secretario*, id eſt: intima parte ſanctuarii, vti nunc vocare ſolemus; videtur autem illud a ſenatu Eccleſiaſtico, a Conciliis ibi ſolitis celebrari nomen adeptum; *ſecretum* enim ſenatum notat. Lepidum eſt, quomodo Farlati tum hoc loco, quum alibi Patres congregat. S. Mauri exſcripſerit. Secretarium Eccleſiae

(*b*) Rectius: *abiicitur*, ſub ſpecie enim honoris loco mouebatur.

Digitized by Google

ſtum eſt, vt nemo creſcere compellatur inuitus, ita cenſendum puto, ne quisquam inſons ab ordinis ſui miniſterio deiiciatur iniuſte. Verum tamen, quia inimica DEO diſcordia tuas partes excuſat, locum, et adminiſtrationem ſuam Honorato Archi-Diacono reſtituas, commonemus, atque concordes diuinis miniſteriis competentia exhibere ſeruitia. Audientiae, et quaeſtioni noſtrae, ſi adhuc inter vos occurrat admonitus, atque Dilectio tua pro partibus ſuis dirigat perſonam inſtructam, quibus praeſentibus ſolatiante (a) nobis Domino, depoſito ſtudio perſonarum, quae competunt fauori iuſtitiae, decernere valeamus.

II.
Gregorius Honorato Diacono Salonitano.

Ea, quae nobis contra vos, tu, et Epiſcopus tuus contraria direxiſtis ſcripta agnoſcentes doluimus, eo, quod inter vos nihil caritas recognoſcit; verum tamen te in officio ordinis tui adminiſtrare praecipimus: et ſi illic poteſt, ſuperante gratia, cauſa veſtri ſcandali definiri, multum credimus veſtrae animae acquiſiuiſſe. Sin vero ita diſcordia inter vos partes ſuas armauit, vt in tumore ſcandali voluntas veſtra debeat remanere, tu ad noſtram audientiam (b) indifferenter occurre, et Epiſcopus tuus pro ſe dirigat, quam elegerit perſonam inſtructam; vt omnia ſubtili ratione perpenſa conſtituere, quae viſa fuerint, partibus debeamus. Scire vero te volumus, quod a te omnia diſtricte quaeſituri ſumus, quia vel propriae Eccleſiae, vel quae de diuerſis Eccleſiis (c) cimelia ſunt collecta, ſub omni nunc ſollicitudine, et fide ſeruantur. Quod ſi quid ex eis vel negligentia, vel cuiusquam fraude deperierit, tu in hoc reatu conſtringeris, qui per Archi-Diaconatus ordinem cuſtodiae eiusdem Eccleſiae arctius implicaris.

III.
Gregorius Natali Epiſcopo Salonitano.

Scripta Reuerentiae tuae, quae (d) proceſſioni noſtrae gratias referebant, offerente Stephano Diacono, quem direxiſtis, accepimus: et nimirum valde credenda ſunt gratia, et ſtudio caritatis impenſa, dum Pontificatus veſtri congaudere ordinem ratio commonebat. Idcirco nos ſalutationis tuae cauſa redditi laetiores (e) conſcientiam noſtram indicamus, ipſius honoris onera me aegro animo ſuſcepiſſe. Sed quia Diuinis iudiciis non poteram (f) reſultare, neceſſario mentem meam parti laetiori reuocaui. Pro qua re Reuerentiam veſtram

(a) *Solatiante*, id eſt: adiuuante Domino.

(b) *Indifferenter*, Papias ait: ſine dilatione, ſine differentia.

(c) *Cimelia*, hodie Clenodia vocantur. Papias: *Cimeliarcha*, id eſt: *Theſauri cuſtos*.

(d) *Proceſſioni*, id eſt: euectioni, prouectioni. Poterat recte dicere S. Gregorius euectionem ſuam proceſſionem, qui ad Apoſtolicum thronum euehebatur, tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, ideſt, contemplatione, quae thalamus ipſi erat. Sequitur: *gratias agebant*, ſubintellige DEO.

(e) *Conſcientiam*, id eſt: intimum animi noſtri ſenſum indicamus.

(f) *Reſultare*, id eſt: contradicere. Papias: *reſultat*, *contradicit*.

Digitized by Google

ſtram epiſtolario ſermone depoſcimus, vt tam nos, quam Chriſtianus grex curae noſtrae commiſſus, orationis veſtrae ſolatiis perfruamur; quatenus ea valeamus praeſidii firmitate procellas temporum ſuperare. Menſe Februario, Indictione nona.

IV.

Gregorius Malcho Epiſcopo Dalmatiae.

Johannes vir eloquentiſſimus, Conſiliarius viri Excellentiſſimi *(a)* Domini Georgii Praefecti contra Stephanum Epiſcopum Scodrenſis ciuitatis, quorundam ſe negotiorum habere controuerſias: et petiit inter eum, et ſe iudicium debere conſiſtere. Propterea Fraternitatem tuam praeſenti praeceptione curauimus admonendam, vt praedictum Epiſcopum ad eligendum compellas venire iudicium. Et quidquid inter praedictum Iohannem virum magnificum, *(b)* et ſoepe ſatum Epiſcopum Electorum fuerit ſententia diffinitum, ad effectum perducere non omittas: vt et Actor de conſecuta iuſtitia gratias referat, et *(c)* pulſatus, quum ad cognitionem deducitur, nihil contra ſe de illata iniuſtitia conqueratur.

V.

Gregorius Vniuerſis Epiſcopis per Illyricum.

Jobinus Excellentiſſimus vir, Filius noſter, Praepoſitus per Illyricum, ſcriptis ſuis nobis indicaſſe dignoſcitur, ad ſe *(d)* ſacris apicibus deſtinatis iuſſum fuiſſe Epiſcopos, quos e propriis locis hoſtilitatis furor expulerat, ad eos Epiſcopos, qui nunc vsque in locis propriis degunt, pro ſuſtentatione, et ſtipendiis praeſentis vitae eſſe iungendos. Et licet ad hoc Fraternitatem veſtram iusſio principalis admoneat, habemus tamen maius his praeceptum aeterni Principis, quo ad haec terribilius peragenda compellimur, vt non dico Fratres, et Coepiſcopos noſtros, ſed ipſos etiam, quos nobis contrarios patimur, quum opportunitas poſtulat, in conferendis ſubſidiis neceſſitatum carnalium diligamus. Oportet ergo vos ad hanc rem, et coeleſti primitus Principi obedientes exiſtere, et Imperialibus etiam iuſſionibus conſentire: quatenus Fratres, Coepiſcopoſque noſtros, quos captiuitatis, diuerſarumque neceſſitatum anguſtiae comprimunt, debeatis conſolandos, conuiuendoſque vobiſcum in Eccleſiaſticis ſuſtentationibus libenter ſuſcipere. Non quidem vt per communionem Epiſcopalis *(e)* throni dignitas diuidatur, ſed vt ab Eccleſia iuxta poſſibilitatem ſufficientia debeant alimenta percipere. Sic enim et proximum in DEO, et DEVM in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in veſtris Eccleſiis auctoritatem tribuimus: ſed tamen eos veſtris *(f)* ſolatiis contineri ſummopere hortamur. Menſe Iunii, Indictione nona.

(a) *Excellentiſſimi*: Patriciorum, et Exarchorum iuxta librum diurnum Pontificum Romanorum hic erat titulus, qui tamen ſeptimo ſeculo ad Reges tranſiuit, quos ſeculo VII. etiam *Eminentiſſimos* compellatos inuenies.

(b) *Magnificum*: de hoc axiomate alibi.

(c) *Pulſatus*: in iudicium vocatus, a compellere; pulſare enim veteres compellere dicebant.

(d) *Sacris apicibus*, ſeu litteris imperialibus, hae enim Sacri apices, diuini apices dicebantur.

(e) *Throni*, ideſt: Eccleſiae. Papiae *Thronus eſt Eccleſia, ſed iam ſine ruga.*

(f) *Solatiis*, ideſt: ſtipendiis, prouentibus. Sic in Cap. Caroli Calui apud Tuſinian. C. 13. *ſicut viderimus eis*, (miſſaticis) *neceſſarium ſolatium transmittemus.*

VI.

Gregorius Episcopo Natali Salonitano.

Multis ab Vrbe tua venientibus, Frater Chariſſime, didici, paſtorali cura derelicta, ſolis te conuiuiis occupatum. Quae audita non crederem, niſi haec actionum tuarum experimentis (a) approbarem. Nam quia nequaquam lectioni ſtudeas, nequaquam exhortationi inuigiles, ſed ipſum quoque vſum Eccleſiaſtici ordinis ignores, hoc eſt in teſtimonium, quod eis, ſub quibus es poſitus, reuerentiam ſeruare neſcis. Quum enim ſanctae memoriae Deceſſoris mei fueris ſcriptis prohibitus, ne contra Honoratum Archi-Diaconum, tuum dolorem tam longae (b) ingratitudinis in corde retineres, quumque et a me haec tibi ſummopere fuerint interdicta, et mandata DEI negligens, et ſcripta noſtra contemnens, praefatum Honoratum Archi-Diaconum, quaſi ad (c) fortiorem honorem prouehens, conatus es callida arte degradare. Vnde actum eſt, vt eo Archi-Diaconatus loco ſummoto, alium accerſeres, qui tuis moribus obtemperare potuiſſet; quum praefatus vir pro nulla tibi re, vt arbitror, diſplicuit, niſi quod vaſa ſacra, et velamina tuis te parentibus dare prohibebat. Quam cauſam ſubtili voluimus, et nunc ego, et tunc ſanctae memoriae Deceſſor meus, indagatione diſcutere: ſed tu, tuorum tibi actuum conſcius, perſonam ad iudicium inſtructam tranſmittere diſtuliſti. Proinde Fraternitas tua, vel poſt frequentatam toties admonitionem a culpae ſuae errore reſipiſcat, et praefatum Honoratum in ſuum mox, vt mea ſcripta ſuſceperit, locum ſuſcipiat. Quod ſi forte facere diſtuleris, vſum tibi pallii, qui ab hac ſede conceſſus eſt, noueris eſſe ſublatum. Si vero etiam amiſſo pallio, in eadem pertinacia adhuc perſiſtis, Dominici corporis, ac ſanguinis te ſcias participatione eſſe priuatum. Poſt quae iam neceſſe eſt, vt cauſas tuas ſubtilius indagantes, an in Epiſcopatu iſto ipſo perſiſtere debeas, ſumma cura, atque inquiſitione debeamus tractare. Eum vero, qui contra iuſtitiae regulam ad locum alterius ſe prouehi conſenſit, ab eiusdem Archi-Diaconatus honore deponimus. Qui ſi vlterius in loco eodem miniſtrare praeſumſerit, ſe participatione communionis ſacrae nouerit eſſe priuatum. Tu igitur, Frater cariſſime, nequaquam nos amplius prouoces, ne duros valde in aſperitate ſentias, quos erga te poſitos in caritate contemnis. Reſtituto igitur loco ſuo Honorato Archi-Diacono, inſtructam perſonam ſub feſtinatione tranſmitte, qui mihi hoc debere ex ratione fieri, ſuis poſſit allegationibus demonſtrare. Eundem namque Archi-Diaconum ad nos venire decreuimus, vt quidquid iuſtum, quidquid omnipotenti DEO placitum fuerit, cognitis aſſertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro perſonali amore defendimus, ſed auctore DEO, normam iuſtitiae, poſtpoſita cuiuslibet perſonae acceptione, cuſtodimus.

VII.

Gregorius vniuerſis Epiſcopis per Dalmatiam conſtitutis.

Fraternitatem Veſtram licet deſideremus ſcriptis diſcurrentibus frequenter

---

(a) *Approbarem*, id eſt: arguerem, approbatores enim delictorum vocabantur, qui ſua confitendo alios arguebant apud du Cange.

(b) *Ingratitudinis*, id eſt: irae, indignationis, ſicut enim gratitudo ex grato, vel gratum eſſe pro amicitia, ſic ingratitudo pro indignatione accipiebatur.

(c) *Fortiorem*, id eſt: maiorem. Sic in regula S. Benedicti pſalmi prolixiores *fortiores* dicuntur.

ter viſitare, tamen praeterea, quum res exigit, vtraque cupimus negotia vnius occaſione perſoluere: vt et Fraternos de viſitati ne releuemus animos: et quae ſuperuenirunt, ne mentem poſſint ignorata confundere, ſubtilius explicare. Frater itaque noſter Natalis Salonitanae ciuitatis Episcopus, quum Honoratum Archi-Diaconum ſedis ſuae ad ordinem Presbyteratus vellet prouehere, ac deinceps ille ad ſublimiorem gradum creſcere declinaret, a ſanctae memoriae Deceſſore meo, miſſa ſuppli.atione, poposcerat, ne ad hunc ordinem inuitus accederet. Hoc enim fieri ſibi non prouehendi gratia, ſed cauſa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tunc iam ſanctae memoriae Deceſſor noſter ſcripta Natali Fratri. Coepiscopoque noſtro direxerat, interdi ens, ne praedictum Honoratum Archi-Diaconum inuitum proueheret, neue dolorem conceptae ingratitudinis in corde retineret. Quumque et a nobis, haec eidem ſummopere fuerint interdicta, non ſolum mandata DEI negligens, ſed et ſcripta noſtra contemnens, praefatum Archi-Diaconum, vt dicitur, contra morem, quaſi ad fortiorem honorem prouehens, conatus eſt callide degradare. Vnde actum eſt, vt eo de Archi-Diaconatus loco ſubmoto, alium arceſſeret, qui in loco depoſiti Archi-Diaconi miniſtraret. Quem ſcilicet Honoratum arbitramur Autiſtiti ſuo propterea diſplicere potuiſſe, quod eum vaſa ſacra ſuis dare (a) parentibus prohibebat. Quam cauſam et tunc ſanctae memoriae Deceſſor meus, et nunc ego ſubtili voluimus indagatione diſcutere: ſed is ipſe ſibi conſcius, perſonam ad iudicium poſtpoſuit deſtinare, ne actuum eius diſcuſſa potuiſſet veritas apparere. Nos itaque tot iam ſcriptis admonitum, et hactenus pertinaciter obſtinatum, ſcriptis iterum directis per praeſentium latorem curauimus admonendum, quatenus Honoratum Archi-Diaconum (b) coniungente ſtatim praeſentium latore in priore loco ſuſciperet. Qui iam obdurato adhuc corde contumaciter ad eundem reuocare gradum, ſi forte poſtponeret, vſu eum pallii, qui ab hac ſede conceſſus eſt, pro contumacia tot vicibus admiſſa priuari praecipimus. Si vero etiam amiſſo pallio adhuc in eadem pertinacia perſeuerauerit, a Dominici quoque corporis, et ſanguinis participatione ſubmoueri. Æquum enim eſt, vt asperos de iuſtitia ſentiat, quos erga ſe poſitos in caritate contemnit. Nos itaque nec nunc quidem a iuſtitiae, quam praefatus Antiſtes deſpexit, ſemita deuiamus: ſed reſtituto in locum ſuum eo cuius Nobis culpa minime patuit, praecipimus Natalem Episcopum inſtructam ad nos dirigere debere perſonam, quae rectam eius eſſe intentionem ſuis poſſit nobis allegationibus demonſtrare. Nam et eundem Archi-Diaconum venire fecimus, vt quidquid iuſtum, quidquid omnipotenti DEO placitum fuerit, cognitis aſſertionibus partium decernamus. Nullum namque pro perſonali amore defendimus, ſed auctore DEO normam iuſtitiae, poſtpoſitâ cuiuslibet acceptione perſonae, cuſtodimus.

VIII.

Gregorius vniuerſis Epiſcopis per Illyricum.

Et nobis confert de ſollicitudine Veſtra laetitiam, et Fraternitatem veſtram de ſua reddit ordinatione ſecuram, ſi antiquae conſuetudinis ordo ſeruatur. Quia ergo ex epiſtolis, quas ad nos per Maximianum Presbyterum, et An-

(a) *Parentibus*, Papias. *ſuperſtitibus propinquis.* De his ſupra in Synodis Regiis plura.

(b) *Coniungente*, id eſt: adueniente, ſicut in Gallico dicimus, *joindre quelqu'un*, id eſt: accedere ad aliquem, iungere ſe alicui.

Andream Diaconum direxiſtis, in perſona Iohannis Fratris, et Coepiſcopi noſtri conſenſum omnium veſtrum, et Sereniſſimi Principis conueniſſe cognouimus voluntatem: magna nos exultatio habuit talem, DEO auctore, ad Sacerdotii officium fuiſſe prouectum, qui dignus cunctorum eſt electionis iudicio comprobatus. Proinde iuxta poſtulationis veſtrae deſiderium, praedictum Fratrem, et Coepiſcopum noſtrum in eo, in quo eſt Sacerdotii ordine conſtitutus, noſtri asſenſus auctoritate firmamus: ratamque nos eius conſecrationem habere, dirigentes pallium, indicamus. Cui quoniam iuxta morem, noſtras vices commiſimus peragendas, ideo Fraternitatem veſtram neceſſario praeuidimus adhortandam: quatenus ei in his, quae ad ordinem Eccleſiaſticum, rectitudinemque pertinent diſciplinae, ſiue in aliis, quibus Canonum decreta non obſtant, parere nullo modo differatis, vt Caritatem veſtram ſincero eum iudicio elegiſſe, exhibita valeat obedientia declarare.

IX.

Gregorius Natali Epiſcopo Salonitano.

Quaſi oblita praecedentium ſcriptorum ſerie, ſola veſtrae *(a)* Beatitudini, quae ad dulcedinem pertinerent, loqui decreueram: ſed dum veſtra epiſtola ad priora ſcripta ratiocinando reuocat, iterum forſitan quaedam, quae minus libeant, narrare compellor.

In conuiuiorum etenim defenſionem veſtra Fraternitas Abrahae conuiuium memorat, in quo teſte ſacro eloquio, tres Angelos ſuſcepiſſe perhibetur. Sed hoc exemplo neque nos Beatitudinem veſtram de conuiuio reprehendimus, ſi hanc ſuſcipere Angelos in hoſpitalitate cognoſcimus. Rurſum narrat Iſaac ſatiatum benedictionem filio dediſſe. Quae vtraque veteris teſtamenti, quſa ita ſunt geſta per hiſtoriam, vt tamen ſignarent aliquid per allegoriam; vtinam valeamus ſic res geſtas legendo percurrere! vt poſſimus etiam gerendas prouidendo ſentire. Ille quippe in tribus Angelis vnum ſalutans, Trinitatis ſubſiſtentias vnius ſubſtantiae eſſe declarauit. Iſte vero ſatiatus benedixit filium: quia qui diuinis epulis repletur, illius ſenſus in prophetiae virtutem tenditur. Diuinae autem epulae ſacri eloquii verba ſunt. Si igitur aſſidue legitis, ſi exemplum ab exterioribus trahentes interna penetratis, quaſi de agri venatione ſatiati mentis ventrem repletis, vt ante poſito filio, ſuſcepto videlicet populo, poſſitis ventura nunciare. Sed iam in hoc ſeculo caligat, qui de DEO aliquid prophetat, quia profecto dignum eſt, vt hic iam per concupiſcentiam minus videat, cuius ſenſus per intelligentiam intus corruſcat. Haec ergo ad vosmet ipſos trahite, et ſi vos tales cognoſcitis, nihil eſt, quod de noſtra aeſtimatione dubitetis. Gaudere quoque Beatitudinem veſtram inuenio, ſi voracis nomen cum rerum Auctore ſuſtineat. Quod ego breuiter expono: Quia ſi de vobis falſum dicitur, nomen hoc veraciter cum rerum Auctore ſuſtinetis. Si vero de vobis verum eſt, hoc de illo falſum fuisſe, quis dubitet? abſoluere vos non valet par nomen, quorum diſpar eſt cauſa. Nam cum eo crucem etiam periturus Latro ſuſcepit: ſed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non abſoluit. Ego autem quantis valeo precibus depoſco, vt Sanctiſſimam Fraternitatem veſtram Auctori noſtro non ſolum nomen, ſed etiam cauſa coniungat.

Con-

(a) Beatitudini: iam alias monuimus Epiſcopos a Summis etiam Pontificibus beatitudinis, Sanctitatis, Sactiſſimi, Beatiſſimi axiomate fuiſſe honoratos.

Conuiuia autem, quae ex intentione impendendae caritatis fiunt, recte Sanctitas veſtra in ſuis epiſtolis laudat. Sed tamen ſciendum eſt, quia tunc ex caritate veraciter prodeunt, quum in eis nulla abſentium vita mordetur, nullus ex irriſione reprehenditur, et nec inanes in eis ſecularium negotiorum fabulae, ſed verba ſacrae lectionis audiuntur: quum non plus, quam neceſſe eſt, ſeruitur corpori, ſed ſola eius infirmitas reficitur, vt ad vſum exercendae virtutis habeatur. Haec itaque, ſi vos in veſtris conuiuiis agitis, abſtinentium, fateor, magiſtri eſtis.

Quod ergo Pauli Apoſtoli teſtimonium ad me poſuiſtis, quo ait: *qui non manducat, manducantem non iudicet;* omnino exiſtimo incongruum fuiſſe: quia neque ego non comedo, neque ad hoc a Paulo dictum eſt, vt membra Chriſti, quae in eius corpore, ideſt in Eccleſia, inuicem ſibi caritatis compage connexa ſunt, nullam de ſe vllo modo curam gerant. Sed ſi neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, iure tacere compellerer, vt eum non reprehenderem, qui emendari non poſſet. Haec ergo ſententia ſolummodo propter eos dicta eſt, qui illos iudicare ſtudent, quorum ſibi cura commiſſa non eſt. At poſtquam nos, auctore DEO, vnum ſumus, ſi ea, quae nobis corrigenda ſunt, tacemus, valde delinquimus. Ecce Fraternitas tua aegre tulit ſe de conuiuiis a me eſſe reprehenſam, quum ego, qui etſi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus ſim; Et hunc ſolum mihi amicum aeſtimo, per cuius linguam ante apparitionem diſtricti Iudicis, meae maculas mentis tergo.

Illud autem Frater dulciſſime, quod tribulationibus preſſum te legere poſſe abnegas, minus ad excuſationem idoneum puto, quum Paulus dicat: *quaecunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, et conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus.* Si igitur ad conſolationem noſtram Sacra Scriptura praeparata eſt, tanto magis debemus legere, quanto magis nos conſpicimus ſub tribulationum faſce laſſari. Si vero in ea ſolummodo ſententia eſt fidendum, quam in epiſtola veſtra poſuiſtis, qua Dominus dicit: „Quum tradent vos, nolite cogi„tare quomodo, aut quid loquamini: Non „enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus „Patris veſtri, qui loquitur in vobis.„ Sacra ergo ad nos eloquia fruſtra mandata ſunt, qui repleti Spiritu, verbis exterioribus non egemus. Sed aliud eſt, Frater Cariſſime, quod anguſtati perſecutionis tempore absque dubitatione confidere; aliud, quod in tranquillitate Eccleſiae agere debemus. Oportet enim nos, per hunc Spiritum modo legendo percipere, quae poſſimus, ſi contigerit cauſa, in nobis etiam patiendo demonſtrare. Valde vero in epiſtola veſtra gauiſus ſum, quod vos exhortationi ſtudium dare fatemini. In hoc etenim ſcio, quia curam veſtri ordinis ſolerter agitis, ſi ad Auctorem veſtrum et alios trahere curatis. Quod autem in eodem loco dicitis vos mei ſimiles non eſſe, poſt obortam laetitiam me illico contriſtaſtis: quia laudes meas per irriſionem dici exiſtimo, quas per veritatem minime recognoſco. Ago autem omnipotenti DEO gratias: quia per vos quidem haeretici ad Sanctam Eccleſiam reuocantur. Sed curae vobis eſſe neceſſe eſt, vt ipſi quoque, qui intra Sanctae Eccleſiae gremium continentur, ita viuant, quatenus eius aduerſarii prauis moribus non exiſtant. Nam ſi non diuino deſiderio, ſed terrenis cupiditatibus, voluptatibusque deſeruiunt, intra eius gremium filii alieni nutriuntur.

Quod autem vos fatemini Eccleſiaſticos

Digitized by Google

ſticos ordines ignorare non poſſe, ego quoque hoc de vobis per omnia ſcio, atque idcirco valde contriſtor: quia quum rerum ordinem ſcitis, in me, quod peius eſt, ſciendo deliquiſtis. Poſtquam enim ad Beatitudinem veſtram, et Deceſſoris mei, et mea, in cauſa Honorati Archi-Diaconi ſcripta directa ſunt, tunc contemta vtriusque ſententia, praefatus Honoratus proprio gradu priuatus eſt. Quod ſi quilibet ex quatuor (a) Patriarchis feciſſet, ſine grauiſſimo ſcandalo tanta contumacia tanſire nullo modo potuiſſet. Tamen poſtquam Fraternitas veſtra ad ſuum ordinem rediit, nec ego meae, nec Deceſſoris mei iniuriae memor ſum.

Quod vero dicitis: noſtris temporibus debere ſeruari, quae a meis quoque Praedeceſſoribus tradita, atque cuſtodita ſunt, abſit hoc a me, vt ſtatuta maiorum Conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam: quia mihi iniuriam facio, ſi Fratrum meorum iura perturbo. Sed quum (b) reſponſales veſtri aduenerint, quae inter vos, et praefatum Honoratum Archi-Diaconum ſint iuſta, cognoſcam: et ex ipſo meo examine perpendetis, quia ſi pars veſtra per iuſtitiam fulta eſt, nihil aduerſum a me perferetis, ſicut nec ante pertuliſtis. Sin vero ſoepe fato Honorato Archi-Diacono in aſſertione ſua iuſtitia ſuffragatur, ex eius abſolutione monſtrabo, quia perſonas etiam, quas noui, in iudicio non agnoſco. De excommunicationis vero articulo, quae tamen interpoſita conditione, ſecundo, vel tertio iam, vt ita dicam, ex neceſſitate ſubiuncta eſt, Beatitudo veſtra immerito queritur; quum Paulus Apoſtolus dicat: *in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Sed iſta iam transeant, ad noſtra redeamus. Si enim recte agit, ego Domno Natali non poſſum coniunctus non eſſe, cuius me affectui valde eſſe debitorem noui.

X.

Gregorius Antonino Subdiacono.

Honoratus Archi-Diaconus Eccleſiae Salonitanae, a ſanctae memoriae Deceſſore meo, miſſa ſupplicatione popoſcerat, vt ab Antiſtite ſuo inuitus prouehi ad fortioris gradus ordinem contra morem nullatenus cogeretur. Hoc enim fieri ſibi non prouehendi gratia, ſed cauſa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tunc iam ſanctae memoriae Deceſſor noſter ſcriptis ſuis, Natali Fratri, Coepiſcopoque noſtro interdixerat, ne praedictum Honoratum Archi-Diaconum inuitum proueheret, neue dolorem conceptae ingratitudinis diutius in corde retineret. Quumque et a me haec eidem ſummopere fuerint interdicta, non ſolum mandata DEI negligens, ſed ſcripta noſtra contemnens, praefatum Archi-Diaconum, quaſi ad fortiorem honorem prouehens, conatus eſt arte callida degradere. Vnde actum eſt, vt eo de Archi-Diaconatus loco ſummoto, alium arceſſeret, qui eius obtemperare moribus potuiſſet. Quem Honoratum Archi-Diaconum arbitramur Antiſtiti ſuo aliunde diſplicere non potuiſſe, niſi quod eum vaſa ſacra ſuis dare parentibus prohibebat. Quam cauſam ſubtili voluimus, et tunc ſanctae memoriae Deceſſor meus, et nunc ego, indagatione diſcutere; ſed is ipſe ſuorum ſibi actuum conſcius perſonam ad iudicium poſtpoſuit deſtinare. Proinde experientiam tuam praeſentis praecepti auctoritate duximus fulciendam, quatenus conueniens in Salonam,

(a) *Patriarchis*, id eſt: Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, Conſtantinopolitanus.

(b) *Reſponſales*, id eſt: nuncii, Apocriſarii; ſicut patet ex libro diurno Romanorum Pontificum.

Digitized by Google

nam, Natalem Fratrem, Coepiſcopumque noſtrum ſaltem tot ſcriptis admonitum ſtudeat adhortari, vt ſupra memoratum Archi-Diaconum in ſuo ſtatim loco ſuſcipiat. Quodſi facere hoc contumaciter, vt conſueuit, forte diſtulerit: vſum ei pallii, qui ab hac Sede conceſſus eſt, ex auctoritate Sedis Apoſtolicae contradicito. Quem ſi etiam amiſſo pallio adhuc in eadem pertinacia perſeuerare perſpexeris, Dominici quoque corporis, ac ſanguinis eundem Antiſtitem participatione priuabis; Eum vero, qui contra iuſtitiae Regulam ad locum alterius ſe prouehi conſenſit, ab eiuſdem Archi-Diaconatus honore deponi praecipimus: Quem, ſi vlterius in loco eodem miniſtrare praeſumpſerit, communionis ſacrae participatione priuamus. Æquum enim eſt, vt aſperos de iuſtitia ſentiat, quos erga ſe poſitos in caritate contemnit. Reſtituto ergo loco ſuo Honorato Archi-Diacono, inſtructam perſonam ſupradictus Antiſtes, te compellente dirigat, quae intentionem eius eſſe, vel fuiſſe iuſtam ſuis mihi allegationibus poſſit demonſtrare, ſed et eundem Archi-Diaconum ad Nos venire praecipimus, vt quidquid iuſtum Omnipotenti DEO placitum fuerit, cognitis aſſertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro perſonali amore defendimus: ſed auctore DEO normam iuſtitiae, poſtpoſita cuiuslibet acceptione perſonae, ſeruamus. Malchum vero Fratrem, Co-Epiſcopumque noſtrum curabis fideiuſſori committere, vt ad Nos quantocyus veniat: quatenus omni mora, ac dilatione poſtpoſita, actionum ſuarum expoſitis ratiociniis, ad propria cum ſecuritate valeat remeare.

XI.
Gregorius Jobino Praefecto Illyrici.

Licet ad reddenda paternae caritatis officia, hoſtilitate itineribus occupatis, raritas portitorum impediat; quoties tamen occaſio inciderit, Excellentiam veſtram non deſiſtimus ſcriptis diſcurrentibus viſitare, quatenus quorum aſpectum praeſentium videre non poſſumus, eos aliquatenus ſcriptis valeamus alternantibus intueri. Gaudemus itaque, quod Eminentiae Veſtrae regimine afflictae Dominus voluit Prouinciae conſulere, vt quam ex vna parte flagello barbaricae vaſtationis vlcerat, hanc ex alia per Eminentiam Veſtram, quaſi per ſuperductam ſalutem curet. Largitam ergo vobis dignitatem ex ſolo munere Donantis attendite, et ex ipſa conceſſi regiminis adminiſtratione Conditorem veſtrum erga vos placabiliorem facite: quatenus quum ipſe, quod largitus eſt meritis bonorum operum, ad ſuam viderit gloriam reuocari, et in hac vos vita clariores efficiat, et proemia vobis regni coeleſtis concedat. Praeſentium igitur latorem, quem illuc pro ipſa exigui patrimonialis adminiſtratione direximus, veſtrae Excellentiae commendamus. Nos enim caritatis veſtrae connexi vinculo Dominum petimus, quo ſic actus veſtros in hac vita dirigat, vt ipſorum merito ad aeterna Vos regna perducat. Natali autem Fratri, et Co-Epiſcopo noſtro, in nullo Gloria veſtra opem contra iuſtitiam ferat: quia tanto neceſſe eſt, vt Canonicae vltionis vindictam ſentiat, quanto et ipſam regulam Canonicam ignorat.

XII.
Gregorius Natali Archi-Epiſcopo Salonitano.

Dum cuncta negotia indagandae ſollicitudine veritatis indigeant, tum quae ad deiectionem Sacerdotalium graduum pertinent, diſtrictius ſunt trutinanda: in quibus non tam de humilibus conſtitutis, quam diuinae quodammodo bene-

Digitized by Google

benedictionis *(a)* refragatione tractatur. Quae res quoque nos in florenti Epidauritanae ciuitatis Episcopi perſona ad exhortationem veſtrae Fraternitatis admonuit. Nunciatum ſiquidem Nobis eſt, a quibusdam fuiſſe eum in cauſis criminalibus accuſatum: et nullis Canonicis probationibus exquiſitis, nec Sacerdotalis Concilii proueniente indicio, eum ab honoris officio non iure, ſed auctoritate depoſitum. Quia ergo non poteſt quemquam Episcopatus gradu, niſi iuſtis ex cauſis, concors Sacerdotum ſummouere ſententia, hortamur Fraternitatem veſtram, vt praeſatum virum ex eodem, in quo detruſus eſt, eiici faciatis exilio, cauſamque eius Episcopali diſceptatione perquiri. Et ſi in his, in quibus accuſatus eſt, Canonica fuerit probatione conuictus, Canonica procul dubio eſt vltione plectendus. Quodſi alias, quam de eo aeſtimatum eſt, Synodali fuerit inquiſitione compertum, neceſſe eſt, vt et criminatores iuſti diſtrictionem iuris exhorreant, et in criminato innocentiae ſuae ſeruentur illibata ſuffragia. Executionem vero anteſati negotii Antonino Subdiacono noſtro ex noſtra praeceptione mandauimus: quatenus eius inſtantia, et quae ſunt legibus, Canonibusque placita decernantur, et decreta iuuante Domino mancipentur effectu.

XIII.
Gregorius Antonino Subdiacono.

Peruenit ad nos, Florentium Epidauritanae ciuitatis Episcopum, praereptis prius rebus eius, pro quibusdam non *(b)* approbatis criminibus, ſine Sacerdotali Concilio fuiſſe damnatum. Et quia non debet is poenam ſuſtinere Canonicam, in cuius damnatione non eſt Canonica prolata ſententia: praecipimus experientiae tuae, vt Natali Fratri, et Coepiscopo noſtro debeatis *(c)* imminere, quatenus ſupra dictum virum de eodem eiici faciat, quo nunc dicitur detruſus exilio; conuocatoque Episcoporum Concilio, ſi haec, in quibus accuſatus eſt, Canonice fuerint approbata, praefati Natalis Fratris, et Coepiſcopi noſtri volumus in eum proprium robur obtinere ſententiam: Sin autem generali fuerit iudicio abſolutus, nec eum deinceps cuiuslibet praeiudicio ſubiacere permittas, et praefatae res diſtricta tuae ſollicitudinis reſtituantur *(d)* inſtantia. Neceſſe eſt ergo, vt quanto grauiora talium negotiorum perpendis pondera, tanto ea maturiori, vigilantiorique ſtudeas executione complere.

XIV.
Gregorius Antonino Subdiacono, Rectori patrimonii in Dalmatia.

Natalem Salonitanae Eccleſiae Fratrem, et Coepiscopum noſtrum obiiſſe, discurrens in partibus iſtis fama vulgauit. Quod ſi verum eſt, experientia tua omni inſtantia, omnique ſollicitudine Clerum, et populum eiusdem ciuitatis admonere feſtinet: quatenus vno conſenſu ordinandum ſibi debeant eligere Sacerdotem; factoque in perſonam, quae fuerit electa, decreto, ad Nos transmittere ſtudebis, vt cum noſtro conſenſu,

(a) Refragatione, id eſt: *repudiatione*; ita Papias.
(b) Approbatis, id eſt: *comprobatis*.

(c) Imminere, Papias: *inſtare, imminere, vrgere, premere.*
(d) Inſtantia, ſeu vrgens ſollicitudo.

ſu, ſicut priſcis fuit temporibus, ordinetur. Illud quidem prae omnibus tibi curae ſit, vt in hac electione nec datio quibuscunque modis interueniat praemiorum, nec quarumlibet perſonarum patrocinia conualeſcant. Nam ſi quorumdam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum, quum fuerit ordinatus, obedire reuerentia exigente compellitur: ſicque fit, vt res illius minuantur Eccleſiae, et ordo Eccleſiaſticus non ſeruetur. Talem ergo, te imminente, perſonam debent ſibi eligere, quae nullius incongruae voluntati deſeruiat, ſed vita, ac moribus decorata, tanto ordine digna valeat inueniri. De rebus vero, vel ornamento eiusdem Eccleſiae, fideliter rerum inuentarium facito te praeſente conſcribi, et ne rebus ipſis poſſit aliquid deperire, Respectum Diaconum, atque Stephanum Primicerium notariorum, vt ipſarum rerum omnino gerant cuſtodiam, admoneto: interminans eis de propria eos ſatisfacturos eſſe ſubſtantia, ſi quidquam exinde eorum negligentia fuerit imminutum.

Malchum autem Fratrem, et Coepiſcopum noſtrum conteſtari te volumus, vt ſe penitus in hac cauſa non miſceat. Nam ſi per eum aliquid contra voluntatem noſtram factum, vel tentatum potuerimus addiſcere, non modicam ad ſe culpam, et periculum pertinere cognoſcat. Sed et hoc eum admonere curato, vt ad ponendas, explendasque rationes patrimonii noſtri, quod geſſit, debeat eſſe ſollicitus: pro quibus etiam faciendis, ex Siciliae partibus ad Nos, poſtpoſita excuſatione, venire feſtinet. In rebus igitur Salonitanae Eccleſiae nullo modo ſe miſcere praeſumat, ne amplius ei aut obnoxius, aut poſſit eſſe culpabilis. Nam multa habere de rebus praedictae Eccleſiae fertur, eumque opinio pene auctorem extitiſſe in venditione rerum eius, vel aliis illicitis, aſſeuerat. Quod ſi ita eſſe, ſicut dicitur, manifeſta veritate patuerit, certus ſit inultum hoc nullatenus remanere. Expenſa vero, quae neceſſaria fuerit, per Oeconomum, qui tempore mortis praedicti Epiſcopi inuentus eſt, erogetur; quatenus rationes ſuas futuro Epiſcopo ipſe, vt nouit, exponat. Cuncta ſiquidem, quae tibi agenda mandauimus, eum conſilio Magnifici, atque Eloquentiſſimi Marcelli Filii noſtri, te agere profectu neceſſe; quatenus ita omnia, quae huius praecepti pagina continet, ſollicite, ſtrenueque poſſis implere, vt nulla te neglectus culpa reſpiciat.

XV.

Gregorius Honorato Archi-Diacono Salonitano.

Dudum quidem Deceſſoris noſtri, noſtraque praeceptio ad Dilectionem tuam concurrerat, in qua et de obiectis tibi calumnioſe capitulis fueras abſolutus, et in tui gradus ordine ſine aliqua te inſtituimus altercatione reſtitui. Sed quia rurſus ante non multum temporis ſpatium ad Romanam ciuitatem veniens, de aliquibus illic actis incongrue, de ſacrorum es conqueſtus alienatione vaſorum; atque dum pro hac re, quae tuis obiectionibus respondere potuiſſent, ſuſtineremus in hac ciuitate perſonas, Natalis Epiſcopus tuus de hac luce migrauit; neceſſarium iudicauimus easdem praeceptiones tam Deceſſoris noſtri, quam noſtras, quas dudum, vt dictum eſt, pro tua abſolutione trasmiſimus, praeſentibus deinceps apicibus confirmare. Quam ob rem a cunctis tibi obiectis capitulis te plenius abſ luentes, in tui te ordinis gradu ſine aliqua volumus altercatione permanere; vt nihil

tibi penitus mota a praefato viro quaeſtio qualibet occaſione praeiudicet. De his autem capitulis, de quibus conqueſtus es, Antonino (a) Subdiacono, et Rectori illic patrimonii Sanctae, cui DEO auctore praeſidemus, Eccleſiae inſtanter iniunximus, vt ſi quidem in his Eccleſiaſticas inuenerit immixtas eſſe perſonas, cum ſumma cauſas ipſas diſtrictione, atque auctoritate definiat; Sin autem cum talibus res agitur, in quos Eccleſiaſticae vigor non poſſit iurisdictionis extendi, de ſingulis quibusque capitulis probationes inter publica geſta depoſitas, ad nos absque vlla dilatione transmittat; vt inſtructi ſubtiliter ſciamus, quid de his debeamus, Chriſto auxiliante, diſponere.

XVI.
Gregorius Clero Eccleſiae Salonitanae.

Dilectionis Veſtrae ſcripta relegentes, electionem vos in Honoratum Archi-Diaconum veſtrum feciſſe didicimus: et omnino Nobis gratum fuiſſe cognoſcite, quod olim expertum virum, et grauem moribus ad Episcopatus ordinem elegiſtis, cuius etiam et Nos perſonam, quia dudum eſt Nobis bene cognita, comprobamus: eumque vobis iuxta deſiderium veſtrum, et Nos ordinari voluimus Sacerdotem. Pro qua re hortamur vos in eius electione ſine aliqua ambiguitate perſiſtere. Nec quaedam vos res ab eius debet perſona deflectere: quia ſicut iſta laudabilis nunc probatur electio: ita ſi, quod abſit, Dilectionem veſtram ab eo quisquam deuiare ſeduxerit, et animae veſtrae grauamen, et opinioni maculam infidelitatis imponet. Eos vero, qui ab electionis veſtrae vnitate deſiderata discordant, vt vobiscum ſentire poſſint, ab Antonino Subdiacono noſtro fecimus admoneri. Cui etiam de perſona Malchi Fratris, et Coepiscopi noſtri, quid oporteat fieri, iam pridem iniunximus. Sed quoniam et ipſi ſcripſimus, credimus eum ab inquietudine veſtra ſine mora quieſcere. Qui ſi fortaſſe obedire quocunque modo neglexerit, contumacia eius modis omnibus Canonicae vltionis diſtrictione mulctabitur.

XVII.
Gregorius vniuerſis Episcopis per Dalmatiam.

Oportuerat quidem Fraternitatem Veſtram Diuini reſpectu iudicii clauſis carnalibus oculis, nihil, quod ad DEVM pertinet, et rectam mentis intentionem, omittere, nec cuiuslibet hominis faciem rectitudini iuſtitiae praeponere. Sed poſtquam mores veſtri ita ſunt ſecularibus traducti negotiis, vt obliuiscentes omnem Sacerdotalis in Vobis honoris tramitem, cunctumque ſuperni metus intuitum, non quid DEO, ſed quid Vobis placeat ſtudeatis explere, neceſſe habuimus haec ad Vos diſtrictiora ſpecialiter ſcripta transmittere; quibus ex beati Petri Principis Apoſtolorum auctoritate praecipimus, vt nulli penitus extra conſenſum, permiſſionemque Noſtram, quantum ad Episcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana ciuitate manus praeſumatis imponere, nec quemquam in ciuitate ipſa aliter, quam diximus, ordinare. Quod

Subdiaconi legati.

(a) *Subdiacono*: hic vides Nuncium Apoſtolicum; Subdiaconos enim nouimus fuiſſe tum Sedis Apoſtolicae, tum aliorum Episcoporum Apocriſarios: neque nos mouet animaduerſio P.P. Congregationis S. Mauri, quaſi Episcoporum violaretur iurisdictio, ſi Subdiaconus, aut etiam Presbyter in Episcopum ſententiam ferat, id enim non ſuo, ſed Sedis primae nomine faciebant.

Digitized by Google

Quod ſi contra haec quippiam vel ſponte veſtra, vel a quolibet coacti praeſumſeritis, vel tentaueritis agere, decernemus Vos Dominici corporis, et ſanguinis participatione priuatos, quatenus ex eadem ipſa *(a)* attrectatione veſtra, vel voluntate transgrediendae praeceptionis noſtrae a coeleſtibus myſteriis alieni ſitis; nec is, quem ordinaueritis, habeatur Episcopus. Nos namque nullum, cuius vita reprehendi poteſt, ordinari temere volumus. Quod ſi Honoratus Diaconus indignus oſtenditur, de vita, moribusque eius, qui electus fuerit, Nobis renunciari volumus; vt quidquid in hac re agendum eſt, cum conſenſu Noſtro ſalubriter permittamus impleri.

Confidimus enim in omnipotentem Dominum: quia quantum ad intentionem Noſtram pertinet, nunquam, quod Noſtram grauare poſſit animam, nunquam ſinimus fieri, quod Veſtram grauare poſſit Eccleſiam. Sin vero in qualibet perſona ita voluntarius omnium conſenſus acceſſerit, vt auctore DEO digna ſit, et non ſit, qui ab eius ordinatione disſentiat, hanc a Vobis in eadem Salonitana Eccleſia ex praeſentis epiſtolae Noſtrae conceſſa licentia volumus conſecrari: excepta duntaxat perſona Maximi, de qua ad Nos multa mala perlata ſunt; quae ſi ab appetitu maioris ordinis non ceſſat, reſtat, vt arbitror, quatenus ſubtiliter diſcuſſa, ipſo quoque, in quo eſt, officio careat.

XVIII.

Gregorius Maximo *(b)* Praeſumtori in Salona.

Licet cetera cuiuspiam talia vitae ſint merita, vt nihil ſit, quod ex his Sacerdotalibus valeat ordinationibus obuiare: tamen ſolius nefas ambitus ſeueriſſima Canonum diſtrictione damnatur. Cognouimus itaque, vel ſurrepta, vel ſimulata Piiſſimorum Principum iuſſione, dum vita dignus non fueris, te ad Sacerdotii ordinem cunctis venerabilem prorupiſſe. Quod Nos ideo ſine vlla haeſitatione credidimus, quia vitam, aetatemque tuam non habemus incognitam, ac deinde, quia Sereniſſimi Domini Imperatoris animum non ignoramus, quod ſe in cauſis Sacerdotalibus miſcere non ſoleat, ne noſtris in aliquo peccatis grauetur. Additur inauditum nefas, quod poſt interdictionem quoque Noſtram, quae ſub excommunicatione tua, ordinantiumque te facta eſt, caeſis Presbyteris, Diaconibus, ceteroque Clero manu militari ad medium diceris deductus. Quam rem Nos conſecrationem dicere nullatenus poſſumus, quia ab excommunicatis eſt hominibus celebrata. Quia igitur ſine vllius exempli forma violaſti talem, tantamque Sacerdotii dignitatem: praecipimus, vt vsque dum *(c)* Dominicis, vel Reſponſalis Noſtri cognouerim apicibus, quod non ſurreptitia, ſed vera fueris iuſſione ordinatus, nullatenus tu, ordinatoresque tui attrectare quidquam praeſumatis Sacerdotalis officii, neque vsque ad reſcriptum Noſtrum, ad cultum Vos Sacri Altaris accedere. Quod ſi contra haec agere praeſumſeritis, anathema vobis ſit a DEO, et beato Petro Apoſtolorum Principe: vt contemplatione iudicii veſtri, ceteris quoque Catholicis Eccleſiis vltionis veſtrae praebeatur exemplum. Menſe Maio, Indictione XII.

Gre-

(a) Attrectatione, id eſt: vſurpatione. Papias: *attrectare, male contingere, vel palpare cum pollutione.*

Praeſumptor quis? *(b) Praeſumtori*, Praeſumere idem eſt, ac iniuſte inuadere, vſurpare; hinc inuaſores ſedium, vſurpatores illicitarum ordinationum praeſumtores vocabantur a Concilio Arauſicano I. Can. 21.

(c) Dominicis, id eſt: *Regiis*; recurrant tibi hic *Miſſi Dominici* in capitularibus peruulgatiſſimi.

XIX.
Gregorius Marcello *(a)* Scholaſtico.

Gloriae Veſtrae *(b)* caritas ſic in noſtro corde ſemper inuigilat, vt nihil ſibi corporalis defendat abſentia. Nam quamuis a carnalibus oculis longe eſt, mentis tamen aſpectibus nusquam deeſt; frequenter enim Nos voluntas ad ſcribendum deſideranter impellit, ſed occupatio non permittit. Dum ergo Nobilitatis veſtrae peritia non ignoret, quantis ſit locus noſter occupationibus inuolutus: quod a ſcribendi interdum ceſſamus officio, non voluntatis, ſed neceſſitatis eſſe conſideret. Gloria autem Veſtra, quod tardius in ſua Nos requirit epiſtula, qua poſſit excuſatione defendere, non videmus. In hoc igitur ſola me debui taciturnitate defendere, ſed feruor caritatis linguam meam non pertulit habere ſilentium. Salutantes itaque cum omni affectu, atque dulcedine, indicamus Nos grauiter contriſtatos, quod illa a Nobis voluiſtis expetere, in quibus, dum voluntatem veſtram perficere, quia obſiſtit ratio, non valemus, contriſtare Vos, quod nolumus, videmur. Nam hoc nos ſine correptione relinquere Eccleſiaſtica non ſinit aliquo modo diſciplina: nec vos pro talibus decet petere, ne non rectitudini, ſed indiſciplinationi, quod abſit, videamini conſentire. Cauſa vero eiusdem Maximi, pro quo Nobis ſcribitis, quem ſi Miſſarum ſolemnia celebrare praeſumſerit, iam ſacri corporis communione priuauimus: matura quando oportuerit deliberatione, ſicut DEO noſtro placuerit, iudicabitur, atque diſponetur. Oramus autem Omnipotentem Dominum, vt et hic vos ſua propitiatione cuſtodiat, et ad aeternae vitae proemia perducat. Menſe Auguſto, Indictione XII.

XX.
Gregorius Felici Epiſcopo Sardicae.

Qualiter obedientia, vel ſit reuerentia Praepoſitis exhibenda, ex tuis quoque ſubiectis ipſe non ambigis; in qua re valde eſt vtile, ſi id, quod diſciplinae vigor imponit, nullo cogente, humilitas laudanda ſeruauerit. Peruenit itaque ad Nos, quod Fraternitas tua Iohanni Fratri noſtro primae Iuſtinianae Epiſcopo, ſecundum morem parere deſpiciat, et nec decreto eius, nec relationi, quam ad Nos direxit, iuxta conſuetudinem voluiſſe ſubſcribere. Quod ſi ita eſt, contriſtamur: quia ſuperbiae de te manifeſtum praebes indicium. Quod quam ſit, praecipue in Sacerdote, culpabile, diuinae clamant admonitionis eloquia. Propterea hortamur, vt mentis tumore depoſito, Ordinatori tuo antedicto Fratri, et Coepiſcopo noſtro humilem te exhibere, ac parere non deſinas: quatenus et DEVS gaudeat in Fraternitatis veſtrae concordia, et alii de te ſumant bonitatis exemplum. Nam ſi, quod non credimus, te in ſuperbia permanere contigerit; diſtrictam, Canonicamque diſciplinae correctionem contumaciae tuae Nos ſcito vleiscenter imponere. Bene ergo facis talem te ſponte ſalubri conſideratione praebere, qualis eſſe

---

Scholaſticus quis? *(a) Scholaſtico*, Scholaſticus teſte Papia erat eruditus, litteratus, ſapiens, litteris deditus; quo ſenſu in Prato Spirituali vocatur Coſmas ſcholaſticus, cuius vitam deſcribit capite 172. Codex Theodoſianus nos dubitare non ſinit, quis ſcholaſticus dictus fuerit, vbi procuratores fuiſſe leguntur; et ideo arcet eos a nimiis honorariis, quae in defenſionem cauſarum ſumebant.

(b) Gloriae: Suſpenſos tenet Maurinos editores haec appellatio, quae mihi mira non videtur, quum paulo poſt Proconſul fuerit, adeoque ex ordine Magnatum, quibus gloriae axioma tribuebatur. Glorioſi axioma.

eſſe Canonica coërcitione exigente compelleris. Nam nec tibi denuo poſt noſtram admonitionem licebit, ad tuae voluntatis arbitrium contra morem, maioribus tuis inobedientem exiſtere, nec tantae Nos indiſciplinationis Eccleſiaſticam cognoſcas diſſimulare, vel differre vindictam.

XXI.
Gregorius Conſtantinae Auguſtae.

Salonitanae vero ciuitatis Epiſcopus Me, ac (*a*) Reſponſali meo neſciente ordinatus eſt, et facta res eſt, quae ſub nullis anterioribus Principibus euenit. Quod Ego audiens, ad eumdem praeuaricatorem, qui inordinate ordinatus eſt, protinus miſi, vt omnino Miſſarum ſolemnia celebrare nullo modo praeſumeret, niſi prius a Sereniſſimis Dominis cognoſcerem, ſi hoc fieri ipſi iuſſiſſent, quod ei ſub excommunicationis interpoſitione mandaui. Et contemto me, atque deſpecto, in audaciam quorundam Secularium hominum, quibus denudata ſua Eccleſia, proemia multa praebere dicitur, nunc vsque Miſſas facere praeſumit, atque ad Me venire ſecundum iuſſionem Dominorum noluit. Ego autem praeceptioni Pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me neſciente ordinatus eſt, hoc quod in ordinatione ſua me, vel Reſponſalem meum praetermittere praeſumſit, ita ex corde laxaui, ac ſi me Auctore fuiſſet ordinatus. Alia vero peruerſa illius, ſcilicet mala corporalia, quae cognoui, vel quia cum pecuniis eſt electus, vel quia excommunicatus Miſſas facere praeſumſit, propter DEVM irrequiſita praeterire non poſſum, ſed opto, et Dominum deprecor, quatenus nihil in eo de his, quae dicta ſunt, valeat inveniri, et ſine periculo animae meae cauſa ipſius terminetur. Prius tamen, quam haec cognoſcantur, Sereniſſimus Dominus (*b*) diſcurrente iuſſione praecepit, vt eum venientem cum honore ſuſcipiam. Et valde graue eſt, vt vir, de quo tanta, et talia nunciantur, quum ante requiri, et diſcuti debeat, honoretur. Et ſi Epiſcoporum cauſae mihi commiſſorum apud Piiſſimos Dominos aliorum patrociniis diſponuntur, infelix Ego in Eccleſia iſta quid facio? ſed vt Epiſcopi mei me deſpiciant, et contra me refugium ad Seculares iudices habeant, Omnipotenti DEO gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breuiter ſuggero, quia aliquautulum expecto: et ſi ad me diu venire diſtulerit, in eo exercere diſtrictionem Canonicam nullo modo ceſſabo. In omnipotenti autem Domino confido, quia longam Piiſſimis Dominis vitam tribuet, et nobis ſub manu veſtra, non ſecundum peccata noſtra, ſed ſecundum gratiae ſuae dona diſponet. Haec ergo Tranquilliſſimae Dominae ſuggero: quia integerrima Serenitatis eius conſcientia, quanto moueatur zelo rectitudinis, atque iuſtitiae, non ignoro.

XXII.
Gregorius Maximo Praeſumtori Eccleſiae Salonitanae.

Quoties contra Eccleſiaſticam quid geſtum dicitur diſciplinam, ne nos ante DEVM culpa ex diſſimulatione redarguat, (*c*) irrequiſitum hoc relinquere non

(*a*) *Reſponſali*: ex hoc loco patet, quod vere dixerimus *reſponſales* fuiſſe Apocriſarios dictos.

(*b*) *Diſcurrente*: vide alibi dicta.

(*c*) *Irrequiſitum*: requirere ſignificat vindicare; irrequiſitum ergo eſt inuindicatum.

non audemus. Peruenit itaque ad Nos, quod per Simoniacam haereſim fueris ordinatus. Sed et alia de te multa hic dicta ſunt, de quibus vnum quam maxime fuit, propter quod neceſſe habuimus te ſummopere per ſcripta noſtra prohibere, ne Miſſarum ſolemnia celebrare debuiſſes, donec quid eſſet, verius potuiſſemus addiſcere. Ne ergo Filii Eccleſiae diu videantur non habere Paſtorem, et ne haec, quae dicuntur, ſi indiſcuſſa remanſerint, huiusmodi ſe vitium tendat in plurimos, hortamur, vt ad Nos venire omni poſtpoſita excuſatione feſtines; quatenus ſeruata iuſtitia, haec et cognoſcere, et finire ſecundum Canonica inſtituta Chriſto reuelante poſſimus. Ita autem fac, vt ad veniendum amplius iam moras non ingeras; ne ipſa te magis abſentia obnoxium his, quae dicuntur, aſſignet, et Nos in te haec res, non ſolum propter dicta crimina, quae purgare ſubterfugis, ſed etiam propter inobedientiae culpam durius, ſcilicet vt in contumacem, cogat ex Concilio ferre iudicium.

XXIII.

Gregorius Maximo Arreptori Eccleſiae Salonitanae.

Dum ſcriptis noſtris, quaeſitis quibusdam excuſationibus, differs obedientiam exhibere, dum pro veritatis ſatisfactione toties a Nobis admonitus venire poſtponis: iis, quae aduerſum te dicta ſunt, fidem ex hoc magis accommodas: et vel ſiqua alia deeſſe videbantur, quae grauent, aut noceant, id agis, vt ſola dilatio faciat, et accuſet te eſſe culpabilem. Humiliare tandem, et obedientiae te ſubmitte, atque ad Nos ſine excuſatione aliqua venire feſtina; vt requiſita, et cognita veritate, ſecundum DEI timorem, quidquid aequum, Canonicumque fuerit, decernatur. Certus enim eſto, quia iuſtitiam tibi, et Canonum ſtatuta ſeruabimus, atque cauſae tuae reuelante Domino veritatis Auctore, amicum iuſtitiae finem imponemus. Nam quod poſtulas, vt illuc perſonam dirigere debeamus, qua praeſente de his, quae dicuntur, poſſit eſſe probatio, eſſet vtcunque excuſabile, ſi vnquam ratio ei, qui accuſatur, neceſſitatem probationis imponeret. At poſtquam non tibi, ſed accuſatoribus hoc onus incumbit, ad Nos, ficut praefati ſumus, dilatione ceſſante, venire non deſinas: et aut ſine mora aderit accuſator, qui ea, quae de Simoniaca haereſi, vel aliis dicta ſunt, congruenti probatione ſuffulciat: aut certe in his, quae ad ſalubritatem negotii ipſius pertinent, interueniente beato Petro Apoſtolorum Principe (a) diſpenſatio iuſta proueniat; quatenus nulla nos ante DEVM diſſimulatione, pro eo, quod haec ad noſtram conſcientiam peruenere, reatus culpa poſſit confundere. Quod vero indicas Sereniſſimos Dominos, vt illic debeat eſſe cognitio, praecepiſſe: Nos quidem nullas eorum alias de hac re, niſi vt ad nos venire debeas, iuſſiones accepimus; ſed et ſi forſitan pro Reipublicae ſuae vtilitate, quae Diuina ſibi largitate conceſſa eſt, multa cogitantibus, et in diuerſis ſollicitudinibus occupatis ſuggeſtum, et eorum eſt iuſſio per obreptionem elicita, poſtquam et Nobis, et omnibus notum eſt Piiſſimos Dominos diſciplinam diligere, ordines ſeruare, Canones venerari, et ſe in cauſis Sacerdotalibus non miſcere: inſtanter exequimur, quod

(a) *Diſpenſatio* hic non relaxationem aliquam, vel abſolutionem notat, ſed definitionem, deciſionem, et ordinationem, iuxta illud Papiae: *diſpenſare, diſtribuere, regere.*

quod et illorum iuuat animam, atque Rempublicam, et ad quod Nos terribilis, tremendique Iudicis reſpectus impellit.

Quieſce ergo a cunctis excuſationibus, et huc adeſſe non differas, vt veritatis indagatione roborati, cauſae tuae tandem terminum imponamus. Quod autem valde te pertimeſcere, ac omnino trepidare cognouimus, ne hoc fortasſe in te vlciscamur, quod ſine noſtro conſenſu ad Sacerdotalem ordinem cognosceris inordinate prorupiſſe; intollerabilis quidem culpa eſt; ſed hanc ſecundum iuſſiones Sereniſſimi Domni Imperatoris, ſi nequaquam amplius in contumaciae tuae errore perſtiteris, laxamus: atque de hac re contra te minime mouemur. Sed alia quae nobis dicta ſunt, irrequiſita praeterire non patimur.

Quia vero dudum ſcripta tibi transmiſimus, vt quoad vsque voluntatem eiusdem Sereniſſimi Domini cognosceremus, Miſſarum ſolemnia nullo modo celebrare auderes; ſed tu elata mente egiſti callide, ne eadem ſcripta ſuſciperes, quae tamen eorum eſſet ſententia, quoquo modo cognouiſti, ſed ſeruare noluiſti, ideoque ea, quae tibi prius ſcripta transmiſimus, confirmamus, vt Miſſarum ſolemnia celebrare non audeas, donec omnia, quae contra te dicta ſunt, ſubtiliter inquiſita fuerint, ac diſcuſſa. Quod ſi peruerſo forſitan auſu celebrare praeſumſeris, ab interdictae pridem communionis interminatione liberum te non eſſe cognoscas. Nam etiam ſi alii exceſſus deſint, pro hac ſolummodo culpa ſuperbiae, Dominici te corporis, ac ſanguinis communione priuamus. Pro qua re obedientiam, quam decet exhibens, ad Nos ſummopere, ſicut diximus, venire feſtina, ita vt triginta dierum ſpatium habeas, quatenus iter tuum praepares, et omni excuſatione poſtpoſita huc adeſſe non differas.

Siqua autem a iudicibus, vel manu militari, vel a populo ad contradicendum itineri tuo occaſio fuerit exorta, qua calliditate agatur, agnoscimus. Ipſe ergo iam videas, quam vel hic hominibus, vel in futuro iudicio Omnipotenti DEO de tua reddas obligatione rationem, qui diſtrictam in te ex tuo contemtu prouocaſti ſententiam.

Praeterea peruenit ad Me, quia Paulinus Frater, et Coepiscopus meus, et Honoratus Eccleſiae Salonitanae Archi-Diaconus, pro eo, quod praeſumtioni tuae noluerunt praebere conſenſum, graues a te moleſtias patiantur; ita vt datis fideiuſſoribus ſint conſtricti, quatenus eis ciuitatem, vel domos ſuas egredi omnino non liceat. Quod ſi ita eſt, vel ſero iam ad ſenſus ſalutis rediens, ſcriptis praeſentibus acceptis, ab vtrorumque te ſuſpende moleſtia; vt eis libera ſit licentia, vel ad Me veniendi, ſi voluerint, vel quomodolibet alibi pro ſuis vtilitatibus proficiſci.

XXIV.

Gregorius Dilectiſſimis Filiis, Clero, et Nobilibus Salonae conſiſtentibus.

Peruenit ad Me, quod quidam peruerſae mentis homines, vt Dilectionis Veſtrae animos vulnerarent, vobis inſinuare conati ſunt, quia Ego contra Maximum quodam odio mouear, et non magis, quae canonica, ſed ea, quae furoris ſunt, exequi concupiſcam. Sed abſit hoc, abſit a Sacerdotali animo, vt in qualibet cauſa priuato zelo moueatur. Ego autem, et Veſtrae Dilectioni prouidens, et meae animae Omnipo-

 tentis

tentis DEI iudicium pertimeſcens, eiuſdem Maximi cauſas ſubtiliter exquiri deſidero, ſi nullis criminibus preſſus, quae ſacro Ordini contradicunt, ſi non per Simoniacam haereſim, ideſt: proemia quibusdam ſe eligentibus praebendo, ad Sacerdotale pertingere officium conatur. Tunc liber pro vobis apud Dominum interceſſor erit, ſi non *(a)* obligatus de ſuis ad locum interceſſionis venerit.

Cuius tamen iam culpa ſuperbiae in aperto monſtratur, quod euocatus, vt ad Nos venire debeat, diuerſis excuſationibus renititur, refugit, metuit. Vnde ergo trepidat, ſi eum de his, quibus *(b)* inclamatus eſt, conſcientia non accuſat? Ecce iam diu Dilectio Veſtra ſine Paſtore eſt, et ſicut Vobis Omnipotens DEVS innoteſcat, vehementer deſtitutioni veſtrae, et medullitus ex toto corde compatior. Audio enim, quae in grege Domini dilauiationes fiunt: ſed quum Paſtor deeſt, quis contra lupos inuigilet? Ideoque praedictum Maximum, vt huc ad Nos veniat, vrgete; quatenus ſi hunc innocentem inuenire poſſimus, confirmemus. Sin vero ea, quae de eo dicta ſunt, vera patuerint, non iam tamdiu Dilectio Veſtra per *(c)* interpoſitionem perſonae eius deſtituta ſit.

De Me enim certum tenete, quia nec odio, nec priuati ſtudii zelo contra eum monear: ſed quidquid Canonicum, iuſtumque fuerit, Auctore DEO decerno.

Miratus autem valde ſum, quia in tanto Salonitanae Eccleſiae Clero, vel populo, vix duo ex Sacris ordinibus inuenti ſunt, Frater ſcilicet, et Coepiſcopus noſter Paulinus, et Dilectiſſimus Filius meus Honoratus Archi-Diaconus eiusdem Eccleſiae, qui communicare Maximo Sacerdotium rapienti minime conſentirent, et ſe Chriſtianos eſſe cognoſcerent. Debuiſtis enim, Filii cariſſimi, penſare *(d)* ordines veſtros, et quem Sedes Apoſtolica repellebat, repulſum cognoſcere; vt prius, ſi poſſet, ab illatis criminibus mundaretur, et tunc ei veſtra Dilectio communicaret, ne particeps obligationis eius exiſteret. Nos tamen erga Caritatem veſtram viſceribus pietatis adſtringimur; et quia quosdam veſtrum violenter preſſos ad conſentiendum ei, et ad communicandum cognouimus, Omnipotentem Dominum deprecamur, vt Vos ab omni reatu peccatorum veſtrorum, atque ab omnibus vinculis alienae obligationis abſoluat, Vobisque et in praeſenti vita ſuae protectionis gratiam tribuat, et Nos de Vobis in aeterna patria gaudere concedat. Menſe Martio, Indictione XIV.

XXV.

Gregorius Presbyteris, Diaconibus, et Clero, Nobilibus, ac Populo Jaderae conſiſtentibus, et qui Maximo praeuaricatori communicauerant.

Peruenit ad me quosdam veſtrum ignorantia, vel neceſſitate deceptos his, qui ab Apoſtolica Sede, culpa, ſicut noſtis, exigente, communione priuati ſunt, communicaſſe: quosdam vero ſe ſalubri diſcretione, protegente Domino ſuſpendiſſe: et quantum de conſtantibus gaudeo, tantum de deuiantibus ingemisco: quoniam ſacrae commu-

(a) *Obligatus*, id eſt: debitor; ita Papias.
(b) *Inclamatus*; id eſt: accuſatus; quia teſte Papia: *inclamitare*, *eſt conuitium agere*.

(c) *Interpoſitio* hic manifeſte ſonat intruſionem.
(d) *Ordines*, id eſt: gradus veſtros; affirmante Papia.

munionis myſteria, quae ad abſolutionem nobis Diuina pietate conceſſa ſunt, in detrimentum magis ſuae animae perceperunt. Et quia, ſicut vobis Omnipotens DEVS innoteſcat, vehementer Caritati veſtrae, et medullitus ex toto corde compatior, paterno affectu obteſtor, atque ſuadeo, vt ab illicita communione ſe quisque ſuſpendat, et quos Apoſtolica Sedes in communionis ſuae conſortium non recipit, omnino refugiat; ne inde reus ante conſpectum aeterni iudicis, vnde poterat ſaluari, conſiſtat.

Comperi autem, quod quidam peruerſae mentis homines illic inſinuare conati ſunt, quia Ego contra Maximum quodam odio mouear, et non ea, quae Canonica, ſed ea potius, quae furoris ſunt, exequi concupiſcam. Sed abſit hoc, abſit a Sacerdotali animo, vt in qualibet cauſa priuato zelo moueatur. Ego vero populo in illis partibus conſiſtenti, ac meae animae prouidens, et Omnipotentis DEI iudicium pertimeſcens, cauſas eiusdem Maximi exquiri volo, et cum omni ſinceritate reuelante Domino, quod eſt canonicum, definire. Cui quoniam frequenter ſcripſimus, vt non prius Sacra Miſſarum ſolemnia celebraret, quam cauſam eius potuiſſemus agnoſcere, alioquin eſſet communione priuatus; et ex hoc iam ſuperbiae ipſius culpa in aperto monſtratur, quod ſoepius, ſicut dixi, admonitus, vt ad Nos veniret, diuerſis excuſationibus renititur, refugit, metuit. Vnde ergo trepidat, ſi eum de his, quae dicta ſunt, conſcientia non accuſat? Haec ergo cognoſcentes, poſtquam vobis nullam de ignorantia excuſationem aſſumere poteſtis, rogo, hortor, et moneo, vt a prohibitae vos communionis conſortio per omnia ſuſpendatis, nec cuiquam Sacerdoti, ſupraſcripto Maximo communicanti, contra animam ſuam quisquam veſtrum communicare praeſumat.

Quia tamen audio, ſicut praefatus ſum, quosdam veſtrum ignorantia lapſos, quosdam etiam ad communicandum violenter eſſe oppreſſos, Omnipotentem Dominum deprecor, vt et eos, qui huic prauitati minime conſenſerunt, perpetua gratiae ſuae protectione cuſtodiat, et optata eis largitate respondeat; et illos, quos aut ſtudium, aut ignorantia, aut alia quaelibet cauſa traxit in culpam, ab omni reatu peccatorum, atque ab omnibus vinculis alienae obligationis abſoluat, omnibusque in praeſenti vita protectionis ſuae gratiam tribuat, et Nos de vobis in aeterna patria gaudere concedat. Vt igitur haec vobis interceſſio apud DEVM Saluatorem noſtrum proficiat, adhortationibus noſtris, pro animae veſtrae ſalute, obedientiam exhibete, et ab illis ſacram communionem percipite, quos ſe ab ante dicti Maximi communione abſtinuiſſe, vel abſtinere cognoſcitis.

XXVI.
Gregorius Sabiniano Episcopo Jadertino.

Si diſpenſationis Eccleſiaſticae regulam, et antiquae conſuetudinis ordinem ſollicita ſtuduiſſes conſideratione penſare, nec tibi aliqua illicitae praeſumtionis culpa ſurriperet, nec alii occaſione tui peccati discrimen incurrerent. Itaque cognouiſſe te non eſt ambiguum, quia dum ad Nos quaedam de Maximo peruenisſent, quae Sacerdotii prouectum non leuiter impedirent, noſtrum in eius perſona non fuiſſe conſenſum, nec prius eum Nos voluiſſe ad hoc, quod nitebatur, accedere, quam digna de his, quae indigna erant, ſatisfactio proueniret. Quod quum ſeruare et tu omnino debuiſſes, actum magis eſt, vt ante dictus Maximus, coecae mentis auiditate, Episcopatum

tum arripiens, ad ſuam te incaute voluntatem contra noſtrum vetitum inclinaret. Sed ne vel tunc irrequiſita, quae ad Nos perlata fuerant, remanerent, noſtris, vt huc veniret, epiſtolis eſt accerſitus. Quem etiam prauo ſtudio differentem, curae Nobis fuit, ſub interdictione communionis, iteratis epiſtolis admonere, vt ad Nos pro ſui purificatione venire, excuſatione poſtpoſita properaret: ſed elegit excommunicationi ſuccumbere, quam obedientiam exhibere. Vnde contigit, vt peruerſae ipſius mentis prauitas in ſua alios ſecum, quod dici nefas eſt, perditione conuolueret. Nunc autem, quia ab eius te nequitia cognouimus diſſentire: denique vt nec ei communices, nec nominis ipſius facias inter Sacra Miſſarum ſolemnia mentionem, vt animae tuae vel ſero te ab eo discordaſſe proficiat, ſcriptis te praeſentibus adhortamur: quatenus ad Nos, mora ſubmota, venire non differas, ſed et alios tecum, quos tamen potueris, Epiſcopos, ceteroſque religioſos feſtines adducere: vt cauſa ſubtilius examinata, et veſtra, ſi res exegerit, congrue, decenterque debeat abſolutio prouenire; et hi, qui in peccato eiuſdem temeritatis collapſi ſunt, ad viam ſalutis, auxiliante beato Petro Apoſtolorum Principe, diſpoſitione Chriſto placita reuocentur. Sciat autem quisquis ad Nos Epiſcopus, vel Religioſus venerit, nullum ſe praeiudicium, vel iniuſtitiam ſuſtinere; ſed ita interius cognita veritate, quae Redemptori noſtro placuerint, ordinari: quatenus ex ipſa noſtra diſpenſatione, Domino ſuffragante, cunctis appareat non nos proprio odio contra aliquem, ſed DEI Zelo, et Eccleſiaſtici Ordinis libramine commoueri.

XXVII.
Gregorius Sabiniano Diacono.

De cauſa Maximi praeuaricatoris quid actum ſit, cognouiſti. Sed poſtquam Sereniſſimus Dominus Imperator iuſſiones transmiſit, vt ordinari minime debuiſſet, tunc ad altiorem ſuperbiam erupit. Nam homines glorioſi viri Patricii Romani ab eo proemia acceperunt, eumque ita ordinari fecerunt, vt Antonium Subdiaconum, et Rectorem Patrimonii, niſi fugiſſet, occiderent. Ego autem epiſtolas transmiſi, poſtquam eum ordinatum contra rationes cognoui, et contra conſuetudinem, vt Miſſarum ſolemnia celebrare non praeſumeret, niſi prius a Sereniſſimis Dominis cognoscerem, quid de eius perſona iuſſiſſent. Quae ſcripta mea publice relata, vel in Ciuitate poſita, publice ſcindi fecit, atque in contemtum Sedis Apoſtolicae apertius exiliit. Quod Ego qualiter patiar, ſcis, qui ante paratior ſum mori, quam beati Petri Apoſtoli Eccleſiam meis diebus degenerare. Mores autem meos bene cognitos habes, quia diu porto: Sed ſi ſemel deliberauero non portare, contra omnia pericula laetus vado. Vnde neceſſe eſt cum DEI auxilio periculo ſuccurrere, ne cogatur excedendo peccare. Vide quae dico, et penſa ex quanto dolore ſunt.

Peruenit vero ad Me, quia transmiſit, nescio, quem Clericum, qui diceret, quia Malchus Epiſcopus in cuſtodia pro (a) ſoldis occiſus ſit. De qua re vnum eſt, quod breuiter ſuggeras Sereniſſimis Dominis noſtris, quia ſi Ego ſeruus eorum in morte Langobardorum Me miſcere voluiſſem, hodie Langobardorum

(a) *Pro ſolidis*, id eſt: propter pecuniam, quam debebat. Solidus hic ponitur, ſicut dicere ſolemus: fieri contentiones propter aurum, et argentum.

Digitized by Google

dorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diuiſa, ſed quia DEVM timeo, in mortem cuiuslibet hominis Me miſcere formido. Malchus autem Epiſcopus neque in cuſtodia fuit, neque in aliqua afflictione, ſed die, qua cauſam dixit, et addictus eſt, neſciente Me, a Bonifacio Notario in domum eius ductus eſt, cui et prandium factum eſt, ibique prandit, et honoratus eſt ab eo, et nocte ſubito mortuus eſt, quod iam Dilectionem tuam arbitror cognouiſſe. Exhilaratum autem noſtrum pro ea re dirigere volui; ſed quia iam eamdem cauſam actam exiſtimaui, idcirco Me retinui. Domno autem Romano Dilectio Tua dicat, quia pro Felice, ſicut ſcripſit, ad virum Excellentiſſimum Magiſtrum epiſtolas, ſi DEVS iuſſerit, facio, et per hominem meum transmitto. Nam modo, poſtquam nulli alteri ſcribo, durum mihi fuit ſoli Magiſtro ſcribere. Cui etiam dicendum eſt, quia Catellus Palatinus ſubſtantiam eius, quantum Virigantius dicit, male exterminat. Cui vix potui imponere, vt expenſas eidem Virigantio in monaſterio, quo lectioni vacat, et laborare non poteſt, parum aliquid de ſubſtantia Matris ſuae dare debuiſſet.

XXVIII.

Gregorius Sabiniano Epiſcopo Jadertino.

Sicut perſeueranti culpae debetur iure vindicta, ita reſipiſcentibus eſt venia concedenda. Nam vt res illa contra ſe merito iracundiam excitare, ſic haec in ſua prorſus dilectione ſolet concordiam propagare. Et ideo quia Fraternitatem Tuam a conſortio, et communione Maximi, vbi Te prius neglectus impulerat, in tantum poſtea grauitas Sacerdotii ad animum reducta ſuſpendit, vt eius ſola nullatenus patereris eſſe ſegregatione contentus, niſi et in monaſterii Te clauſtra recipiens, dudum commiſſa defleres: ea propter in noſtram Te gratiam, ac communionem receptum eſſe non dubites: nam quantum Nos prius culpa Tuae Caritatis offenderat, tantum poenitentia mitigauit. Hortamur igitur Dilectiſſime Frater, vt Gregi Dominico Paſtoralem ſollicitudinem inſtanter impendas, lucrumque de commiſſis ouibus facere diligenter inuigiles; vt tanto Tibi copioſae retributio mercedis exuberet, quanto in aduentu aeterni iudicis multiplices laboris fructus obtuleris. Stude itaque in culpa lapſos eruere, ſtude errantibus regrediendi viam oſtendere, ſtude communione priuatos ad communionis ſalubriter gratiam reuocare. Sit ceteris Caritatis Veſtrae reuerſio ereptionis officium, ſit ſalutis exemplum: quatenus dum errantes greſſus ouium ad ſepta ſummi Paſtoris ſollicitudinis veſtrae cura direxerit, nec ipſae luporum dentibus relinquantur expoſitae, et Te in aeterna vita, quod ſummopere petendum eſt, dignae compenſatio retributionis excipiat.

De cauſa vero, quam Nobis ſcripſiſtis, vt debeamus, ne in Vrbe Regia contra vos ſurripiatur, eſſe ſolliciti, animos veſtros res iſta non turbet. Nam Reſponſali noſtro omnino ſtudioſe mandauimus, vt ſollicitum, cautumque ſe debeat exhibere. Et confidimus de DEI noſtri potentia, quia id agitur, vt Vos nullius, contra rationem, aut turbare quoquomodo, aut premere poſſit aduerſitas.

Praeterea habitatores Epidaurienſis ciuitatis Florentium, quem ſuum eſſe dicunt Epiſcopum, ſibi a Nobis reſtituendum ſtudioſiſſime popoſcerunt, aſſerentes fruſtra eum, ad ſolam tantummodo voluntatem Natalis Epiſcopi detru-

 ſum

ſum exilio. Et ideo ſi quid de eius cauſa Fraternitas Veſtra cognouit, Nobis ſuis ſubtiliter epiſtolis innoteſcat. Si autem necdum cognouit, requirat, Nobisque renunciet; vt quidquid de eo ſtatuendum ſit, certi deliberare adiutore Domino valeamus. Menſe Februario, Indictione prima.

XXIX.
Gregorius Sabiniano Epiſcopo Jadertino.

Satis, Frater Cariſſime, de ſinceritate Tua laetificor, quod eam ſolliciti diſcretione iudicii, et vbi obediendum eſt, obedire, et vbi reſiſtendum eſt, reſiſtere, ſtudio Sacerdotali cognosco. Cum quanta namque Te deuotionis alacritate ſubmiſeris his, quae ob culpam praeteriti exceſſus indiximus, litterarum tuarum, quas per latorem praeſentium direxiſti, pagina referauit. Nec enim poterat aliter a Dilecto Fratre ſuſcipi, quam a diligente mandatum eſt; vnde in Omnipotentis DEI miſeratione confido, quia ita eius Te gratia protegit, vt per hoc etiam ab aliis abſolutus, ſalubriter paruiſſe Te gaudeas. De hoc vero, quod ſe contriſtari Caritas Tua Maximi praeuaricatoris, et excommunicati aemulatione ſignauit, turbari non debet, ſed decet, vt ad modicum tumentes inaniter fluctus patienter tolerando ſuſtineas. Nouit enim patientia leuigare, quod graue eſt, et conſtantia ſuperare, quod ſaeuit. Animos ergo tuos aduerſitas non deiiciat, ſed accendat. Audentiorem Te in omnibus vigor Sacerdotalis oſtendat. Nam vera documenta veritatis ſunt, promtiorem in duris, et fortiorem ſe quemquam in contrariis exhibere. Vt igitur rectitudinis robur a bono deliberationis ſuae nulla valeat impulſione conuelli, mentis greſſus in eius petrae ſoliditate, ſicut coepiſtis, dirigite, in qua Redemptorem noſtrum per totum mundum fundaſſe noſtis Eccleſiam: quatenus recta ſinceri cordis veſtigia in deuio itinere non offendant.

Ea vero, quae Nobis ſcripſiſtis, vel praeſentium Lator coram poſitus explicauit, Nos non credatis negligenter omittere, ſed de his omnino ſollicite cogitamus.

Dilectiſſimo autem Filio noſtro Anatolio Diacono iam et prius, et nunc iterum omnia ſubtiliter indicauimus: hortantes, vt quidquid ad vtilitatem, ac quietem Caritatis Veſtrae, vel filiorum veſtrorum pertinet, Creatoris noſtri auxilio ſuffragante, agere ſtricte, ac ſtudioſe feſtinet. Et ideo Fraternitatem veſtram nec moeror afficiat, nec inimicitia cuiuslibet affligat. Nam Diuinitatis gratia opitulante, in proximo adeſſe confidimus, vt et praefati praeuaricatoris, et excommunicati praeſumtio diſtrictius reprimatur, et veſtra quies, ſicut deſideratis, adueniat. Excellentiſſimo quoque Filio noſtro Exarcho, qui Nobis eum ſtudet commendare, de prauitate ipſius ſcribere nequaquam omiſimus.

Presbyterum vero, de quo Nos Fraternitas Tua latoris praeſentium relatione conſuluit, nulla ratione in ſacro ordine poſt lapſum aut permanere, aut reuocari poſſe cognoscas; circa quem tamen mitius agendum eſt propterea, quod commiſſum facinus facili dicitur profeſſione confeſſus.

Praeterea pariter hic portitor quaedam Eccleſiae veſtrae priuilegia a noſtris conceſſa Praedeceſſoribus intimauit. De quibus, ſcriptis Caritatis veſtrae Nos ſubtilius volumus informari; vel ſi qua ex eis ſcripta in Eccleſiae veſtrae ſcri-

ſcrinio *(a)* reiaceant, eorum huc exemplaria transmitti neceſſe eſt, vt quid quid ad honoris veſtri reuerentiam, vel *(b)* geuium praefatae Eccleſiae pertinet, libenti animo reparare poſſimus.

Glorioſo autem communi Filio Domno Marcello, ſi huc venire voluerit, inſtantius ſuadete, quia omnino eum videre deſidero. Si vero illic ſtare elegerit, ita Vos ei in caritate, qua conuenit exhibete, vt affectui ipſius, quem circa Vos habet, respondere, ſicut decet, valeatis. Omnipotens DEVS gratiae ſuae dono Vos cuſtodiat, protegat, et cor veſtrum in ea, quae ei ſunt placita, ſemper accendat.

XXX.

Gregorius Marcello Proconſuli Dalmatiae.

Epiſtolam Magnitudinis Veſtrae ſuscepimus, in qua Vos noſtram incurriſſe ingratitudinem indicaſtis, atque ob hoc per directam ſatisfactionem habere noſtram velle Vos gratiam. Et quidem tanta ad Nos de veſtra Magnitudine peruenerunt, quanta a fideli viro minime committi debuerant. Vos enim tanti mali de cauſa Maximi, omnes adſtruunt auctores exiſtere, per quos ſpoliatio illius Eccleſiae, vel tantarum animarum perditio, atque inauditae praeſumtionis audacia ſumſit initium. Et quidem quod noſtram Vos velle gratiam habere petitis, conuenit, vt Redemtori noſtro pro his talibus ſatisfacere tota intentione mentis, vt dignum eſt, cum lachrymis debeatis; quia ſi ſatisfactum non fuerit, quid noſtra relaxatio, vel gratia poterit certe conferre? Dum tamen adhuc in praeſumtorum ruinis, vel errantium defenſionibus ineſſe Vos cernimus, qualis vel DEO, vel hominibus, veſtra ſit ſatisfactio non videmus, tunc enim DEO, et hominibus ſe ſatisfacere Magnitudo veſtra patenter, euidenterque cognoscat, ſi et deuia ad rectitudinem, et *(c)* praeſumtiua ad humilitatis normam reducat. Quod ſi factum fuerit, per hoc Vos et DEI percepturos, et hominum gratiam cognoscatis.

XXXI.

Gregorius Conſtantio Episcopo Mediolanenſi.

Maximus Salonitanae Eccleſiae praeuaricator, poſtquam per poteſtates maiores ſeculi obtinere nihil valuit, ad minores ſe ſe contulit: Nobisque tam nimietate precum, quam atteſtatione bonorum operum praeualere contendit. Ex qua re inhumanum credidi, ſi is, qui ſe multum timere Me dicit, in aliquo Me temperatiorem minime inuenire potuiſſet. Et ideo decreui, vt Reuerendiſſimus Frater, et Coepiscopus noſter Marinianus eius cauſam debeat in Rauennati Vrbe cognoscere. Si autem perſona eius ſuſpecta forſitan habetur, volumus, vt veſtra quoque Fraternitas, ſi ei laborioſum non eſt, ad eamdem ciuitatem fatigare ſe debeat, et cum praedicto Fratre in eodem iudicio, pariter ſedere. Quidquid autem veſtrae, vtrorumque Sanctitati placuerit, ſcitote mihi modis omnibus placiturum; et veſtrum Ego iudicium meum deputo; et quae vtrique vos relaxanda eſſe cenſetis, Me relaxare certum tenete: hoc tamen ſollicite penſantes, ne aut cum peccato remiſſi, aut cum iniuria Sanctae Ec-

(a) *Reiaceant:* prorſus inſolita vox, cuius tamen ſenſus planus eſt, quum illa dicat reiacere, quae recondita ſunt, et forte eo modo reiacere, quo recondi, quaſi retro condi, ita reiacere, quaſi retro iacere.

(b) *Genium*, Papias ait: *genium, honor, dignitas.*

(c) *Praeſumtiua*, id eſt: ambitioſa.

Eccleſiae eſſe videamur auſteri. Huius autem cauſae executionem Caſtorio Chartulario iniunximus, vt ipſe nobis debeat cuncta, quae acta fuerint, ſubtiliter renunciare.

XXXII.
Gregorius Mariniano Episcopo Rauennae.

Quae de cauſa Maximi ſint agenda, ex epiſtolis, quas ad Vos ante transmiſimus, agnouiſtis. Sed quia, qualis hac de re Fraternitatis veſtrae voluntas ſit, ac magis petitio, praeſentium latore Caſtorio Chartulario noſtro renunciante cognouimus: ideoque ſi idem Maximus coram Vobis, et praedicto Chartulario noſtro de Simoniaca haereſi, praeſtito ſe Sacramento purgauerit, atque de aliis ante corpus Sancti Apollinaris, ſicut ſcripſimus, tantummodo requiſitus, liberum ſe eſſe responderit; cauſam ipſius Fraternitatis veſtrae, de eo, quod excommunicatus Miſſarum ſolemnia agere praeſumſit, iudicio committimus, qua debeat poenitentia talis culpa purgari. Et ideo quidquid Vobis ſecundum DEVM placet, ſecuri disponite: nec aliquid de Nobis dubium habeatis. Nam quidquid a Vobis hac de cauſa fuerit ordinatum, Nos et grate ſuscipimus, et libenter admittimus. Hortamur tamen, vt debeatis eſſe ſolliciti, et ita, quae fienda proſpicitis, temperetis: quatenus et illi, ſi ita videbitur, benigne praeſtetis, et vigoris Eccleſiaſtici (a) genium, vt oportet, congrua dispenſatione ſeruetis. Supraſcriptum vero portitorem in praeſenti, quid vobiscum ei ſit agendum, inſtruximus: A quo cuncta ſubtiliter addiscentes, ſic Vos in omnibus exhibete, vt in veſtra ſollicitudine noſtram fuiſſe praeſentiam ſentiamus.

XXXIII.
Gregorius Maximo Epiſcopo Salonitano.

Quamuis culpabilibus ordinationis tuae primordiis graue malum per inobedientiae culpam addideris; Nos tamen Sedis Apoſtolicae auctoritatem eo, quo decuit, moderamine temperantes, nunquam contra Te vsque ad hoc, quod cauſa poscebat, exarſimus. Sed vt longius ſe ingratitudo noſtra, quam tu tibi excitaſti, produceret, credita Nos ſollicitudo vehementer augebat, ne quaedam illicita, quae de Te audieramus, negligenter omittere videremur. Quae, ſi bene conſideres, ipſe per Te ſatisfacere differendo, firmabas, atque ex hoc aduerſum Te zelum noſtrum acrius incitabas. At vbi tandem ſalubri conſilio vſus, iugo Te obedientiae humiliter ſubmiſiſti, et tua Dilectio poenitentiam agens, digna ſe, vt deputauimus, ſatisfactione purgauit; redditam tibi gratiam Fraternae caritatis intellige, atque in Noſtro Te receptum conſortio gratulare: quia ſicut perſeuerantibus in culpa diſtrictos, ita reſipiscentibus Nos benignos eſſe decet ad veniam. Poſtquam ergo Fraternitas Tua Apoſtolicae Sedis communionem ſe reparaſſe cognoscit, perſonam ad Nos transmittat, quae pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodum illicita perpetrari non patimur, ſic, quae ſunt conſuetudinis, non negamus. Licet autem et ad haec concedenda dispenſatio Nos loci noſtri vocauerit; multum tamen a Nobis petitio Dulciſſimi, atque Excellentiſſimi Filii noſtri Domni Callinici Exarchi, vt temperantius erga Te ageremus, exigit; cuius cariſſimam voluntatem nec pertulimus, nec potuimus contriſtare.

Gre-

(a) *Genium:* hic robur notat, teſte enim Papia hanc etiam ſignificationem habet.

XXXIV.

Gregorius Maximo Epiſcopo Salonitano.

Suſceptis Fratris, et Coepiſcopi noſtri Mariniani epiſtolis, ſed et Caſtorio Chartulatorio noſtro remeante, Fraternitatem veſtram pleniſſime de his, quibus dubietas fuerat, ſatisfeciſſe cognouimus; magnasque Omnipotenti DEO gratias ſoluimus: quia de meo corde medullitus omnis rancor ſiniſtrae ſuſpicionis euulſus eſt. Pro qua re Stephanum communem Filium Diaconum veſtrum cum ſumma volui celeritate laxare; ſed hunc apud me vel paucis diebus immorari, dolores crebri mearum aegritudinum compulerunt. At poſtquam meliorari vel modicum coepi, eum protinus cum gaudio retransmittere curaui.

Itaque pallium ad Sacra Miſſarum ſolemnia vtendum ex more transmiſimus, cuius vos volumus per omnia genium vendicare. Huius enim indumenti honor, humilitas, atque iuſtitia eſt. Tota ergo mente Fraternitas veſtra ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, et in aduerſis, ſi quando eueniunt, cum iuſtitia erectam, amicam bonis, peruerſis contrariam. Nullius vnquam faciem pro veritate loquentis premens, miſericordiae operibus iuxta virtutem ſubſtantiae inſiſtens, et tamen inſiſtere etiam contra virtutem cupiens, infirmis compatiens, beneuolentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis ſoeuiens, in ſouendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira iudicium ſine ira tenens, in tranquillitate autem ſeueritatis ſuae cenſuram non deferens. Haec eſt Frater Cariſſime Pallii accepti ratio; quam ſi ſollicite ſeruaueris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habes.

Praeterea Fratrem, et Epiſcopum noſtrum Sabinianum Fraternitati veſtrae in omnibus commendo; et ſi quae cauſae ſint, interim poſtponantur. Caritas inter vos fixa permaneat, vt ſic de exterioribus, ſi quando contentio vertitur, examen veniat, quatenus mentem caritas non relinquat. Communem quoque Filium Honoratum Archi-Diaconum commendamus. De quo ſi ita, ſicut per Caſtorium Chartularium noſtrum didicimus, quia per eum iam tres antea Archi-Diaconi ſeruare conſuetudinem Eccleſiaſticam, quinquennio expleto exeundo compulſi ſunt, tunc equidem volumus, vt caritatem Sanctitatis inueniat. Nam flagitari iudicium non debet de cauſa, quam ipſe iudicauit. Sin vero ita non eſt, omni mentis tumore depreſſo, omnique odio poſtpoſito, debet in caritate recipi, et nullatenus a loco, in quo inuentus eſt, amoueri. Meſſianum quoque Clericum, qui ad Nos confugerat, communi Filio Stephano Diacono fiducialiter dedimus: certi, quia quem Nos veſtrae Fraternitati transmittimus, Vos in eo non odium, ſed gratiam poteſtatis oſtendere debeatis. Omnipotens DEVS ſua protectione Vos cuſtodiat, detque Nobis ita agere, vt poſt huius temporalitatis fluctus ad aeterna valeamus ſimul cum gaudio peruenire.

XXXV.

Gregorius Maximo Epiſcopo Salonitano.

Ad Romanam veniens Vrbem communis Filius Presbyter Veteranus, ita Me podagrae doloribus debilem reperit, vt Fraternitatis Tuae epiſtolis per Me respondere nullatenus valuiſſem. Et quidem de Sclauorum gente, quae Vobis valde imminet, et affligor vehementer, et conturbor; affligor in his, quae

iam in Vobis patior: conturbor, quia per hiſtoriae aditum iam ad Italiam intrare coeperunt. De Iuliano autem Scribone quid dicam? quando vbique video, quia nobis peccata noſtra respondeant, vt et foris a gentibus, et intus a Iudicibus: ſed nolite de talibus omnino contriſtari: quia qui poſt Nos vixerint, deteriora tempora videbunt; ita, vt in comparatione ſui temporis, felices nos aeſtiment dies habuiſſe. In quantum vero praeualet Fraternitas tua, opponere ſe pro pauperibus, pro oppreſſis debet. Quae etiam ſi prodeſſe minime valuerit, ipſa Omnipotenti DEO mentis deuotio ſufficit, quam dedit. Scriptum eſt enim: Eripe eos, qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes. Quod ſi dixeris: vires non ſuppetunt: qui Inſpector eſt cordis, ipſe intelligit. In omne ergo, quod agis, Inſpectorem cordis appete habere placatum. Quid quid vero eſt, vnde illi placeas, facere non omittas. Nam humani terrores, et gratiae fumo ſunt ſimiles, qui leui aura raptus euanescit. Hoc certiſſime ſcito, quia placere DEO, et prauis hominibus nullus poteſt. In tanto ergo ſe aeſtimet Fraternitas tua Omnipotenti DEO placuiſſe, quanto ſe peruerſis hominibus diſplicuiſſe cognouerit. Ipſa tamen defenſio pauperum moderata, et grauis ſit, ne ſi quid nimis rigide agitur, ex iuuentute Vos arbitrentur homines ſuperbire. Sed talis neceſſe eſt, vt inueniatur pro oppreſſis noſtra defenſio: quatenus et humiles protectionem ſentiant, et oppreſſores non facile inueniant, quod ex maliuola mente reprehendant. Attende ergo, quod ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis! increduli, et ſubuerſores ſunt tecum, et cum ſcorpionibus habitas.* Et beatus Job ait: *Frater fui draconum, et ſocius ſtruthionum.* Et Paulus diſcipulis dicit: *In medio nationis prauae, et peruerſae, inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo.* Tanto ergo debemus cautius ambulare, quanto Nos ſcimus inter DEI inimicos viuere. De (a) Frontinianiſtis autem Fraternitas tua ſit omnino ſollicita, et ſicut coepit, ſtudeat, quatenus ad ſinum Sanctae Eccleſiae reuocentur. Si qui vero ad Me venire voluerint, et rationem recipere, prius ius iurandum praebeant, quia non permittunt ſuis, quod in eorum errore, etiam ratione recepta, perſiſtant. Et poſtmodum eis tua Sanctitas promittat, quia a Me nullam violentiam patientur, ſed rationem reddo. Si veritatem cognouerint, ſuſcipiant: Si non cognouerint, illaeſos dimitto. Si qui vero contra vos ex eis ad Nos venire voluerint, minime eos Fraternitas tua retineat: quia venientes aut rationem recipient, aut ſcito, quia profecto terram illam vlterius non videbunt.

XXXVI.

Gregorius Conſtantino Episcopo Scodritano.

Quae Dilectiſſimus nobis Lator praeſentium Nemeſeon, qui ſe dicit Docleatinae ciuitatis eſſe Antiſtitem, de facinore Pauli Docleatini, vt ipſe asſerit, quondam Episcopi, queſtus ſit, Fraternitati tuae fuerant ſubtilius indicanda, niſi ſcire Te omnia teſtaretur: quippe quem et compaſſum ſibi, et voluiſſe ſubuenire, ſed perhibet minime potuiſſe: Et quia tanti cauſa flagitii negligi, vel tranſiri non debet impunita, ne eius imitatione ſceleſta ab aliis, quod abſit, ſumatur audacia; Fraternitas tua exemplaria ſcriptorum his ſubdita, quae ad Reuerendiſſimum Fratrem noſtrum Ioannem primae Iuſtinianae ciuitatis Episcopum ſeruantem vices noſtras direximus,

(a) *Frontinianiſtis* trium capitulorum defenſoribus Frontiniani Episcopi Salonae affeclis.

ximus, diligentius relegat: Et ſi ſecundum eorum ſeriem explere ſe cuncta poſſe cognoſcit, ea, quae illi mandauimus, Ipſa omnia ex noſtra auctoritate exequatur, et faciat. Si vero hoc tibi, quibusdam forte aduerſantibus obſtaculis, vides eſſe difficile, ſtudendum eſt, vt eadem ſcripta noſtra ad ante dictum Fratrem noſtrum ſine excuſatione perueniant. Cui etiam et Te conuenit imminere, vt ea, quae ei a Nobis mandata ſunt, diſtrictius exequi, et nulla debeant occaſione lentari: ſed ita, quae nequiter acta ſunt, emendatione congrua corrigantur, quatenus vna res, et vltio competens delinquentis, et formido ſit aliis in eodem ordine conſtitutis.

XXXVII.

Gregorius Joanni Epiſcopo primae Juſtinianae.

Quando mala, quae poenitentiae fletu purganda ſunt, augentur exceſſibus, ita maior delinquentibus eſt adhibenda correptio, vt et ipſi facinus ſuum ſaltem poena vindicante cognoſcant, et alios ab illicitis, Eccleſiaſticae vltionis timor inhibeat. Dilectiſſimus itaque Lator praeſentium Nemeſeon ad Nos veniens indicauit, ſicut et geſtorum exemplaria, quae huc detulit, continebant, Paulum Docleatinae ciuitatis Epiſcopum inter alia mala, in corporale crimen lapſum a ſuis ſuiſſe Clericis accuſatum, atque habita cognitione, ita, quod ſine dolore dicere non poſſumus, claruiſſe, atque inſuper poſtquam conuictus eſt, etiam eum libellum, in quo ea, de quibus accuſabatur, vera eſſe confeſſus eſt, obtuliſſe. Qua de re ſententia illo Epiſcopali depoſito, eius loco ſe, cum Fraternitatis veſtrae conſenſu, eſſe Epiſcopum ordinatum. Sed nunc eundem Paulum cum auxilio Secularium Iudicum venientem Epiſcopium more praedonis ingreſſum, ablatisque violenter rebus Eccleſiae, ab eo ſe proiectum, et ad ſummam iniuriam, ac necem pene perductum. Et quoniam tantae nequitiae prauitas nec diſſimulanda, nec leuiter attendenda eſt; Fraternitas veſtra haec omnia diligenter curet addiſcere, et ſi ita ſe, vt edocti ſumus, veritas habet, praedictum Paulum diſtricta faciat executione compelli, vt quaecunque abſtulit, omni mora, vel excuſatione ceſſante reſtituat. Si vero nihil Eccleſiae, ſed proprium ſe dixerit abſtuliſſe, quamuis graue, et iniquum fuerit, vt non a Vobis, vel a Metropolitano eius hoc peteret, ſed temerario auſu manu praeſumeret agere: verum tamen ſi quid proprium tulit, ſub Fraternitatis veſtrae debet examinatione conſtare, ſi verum eſt, Sed et illud diligenter quaerendum, ſi quid male de rebus dilapidauit Eccleſiae, vt ex eo, quod nunc abſtulit, hoc reformare, ac ſatisfacere modis omnibus compellatur. Si autem differre tentauerit, quousque omne, quod dilapidauit, vel de ſubſtantia tulit Eccleſiae, reſtituat, in monaſterium mittendus eſt, vt ſaltem coactus reddat, quod male auferre non timuit. Qui ſi forte, quod non credimus, poſt diſpoſitionem ſuam inuerecunde, ac mente peruerſa aliquid de Epiſcopatu loqui, atque rurſus ad hoc qualibet aſpirare praeſumptione tentauerit; Fraternitatis veſtrae ſe, contra improbitatem ipſius, omnino vigor accendat, atque Dominici corporis, ac ſanguinis communione priuatum in monaſterium eum vsque ad diem obitus ſui ad agendam curet poenitentiam retrudendum: quatenus patrati ſceleris maculas dignis diſcat fletibus emundare, quas magis interitu animae ſuae nequiter augere deſiderat. Supra ſcriptus autem Dilectiſſimus Frater noſter Nemeſeon in loco ſuo, et Epiſcopatus officio

ſicio procul dubio reformetur, et ne denuo hac de re inquietudinem, ac moleſtiam patiatur, ſollicitos vos eſſe neceſſe eſt: quia hoc non ſolum ad huius munitionem, verum etiam ad aliorum conſtat emendationem proficere: vt prauorum hominum praeſumtio nihil de cetero contra Sacrorum Canonum ſtatuta, vel Eccleſiaſticam diſciplinam vllo modo audeat attentare.

XXIV.
SYNODVS ILLYRICA ADVERSVS MOnothelitas circa annum Chriſti DCLXXIX.

Quaenam Prouincia expers Synodi eſſe potuit, ſi in Brittannia, ſi in Anglicana Eccleſia fuit etiam celebrata. Ita Baronius ad Annum DCLXXIX.

XXV.
EPISTOLA EVGENII II. PAPAE AD UROLphum de conuerſione Auarorum circa annum Chriſti DCCCXXVI.

Eugenius Episcopus Seruus ſeruorum DEI Ratfredo Sanctae Fanianenſis Eccleſiae, et Methodio Sanctae Speculi Iulienſis, (a) quae et Soriguturenſis (b) nuncupatur, atque Aleuino Sanctae Nitrauienſis (c) Eccleſiae, parique modo Annoni Sanctae Vetuarieaſis (d) Eccleſiae Episcopis, ſimul etiam Tutundo, (e) nec non Moimaro (f) Ducibus, et Optimatibus, Exercitibusque plebis Huniae, quae et Auaria dicitur, et Morauiae.

Deſiderio ſalutis animarum veſtrarum, Filii in Chriſto cariſſimi, quum audiuimus Chriſtianiſſimam conuerſationem veſtram, et Sanctae Fidei, bonorumque operum veſtrorum proceſſum, ſummo gaudio, atque laetitia ſuimus exhilaráti: quia Diuina in vobis operante clementia, vt Apoſtolus ait: „vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundat gratia;„ atque quomodo S. Mater Eccleſia noſtris temporibus quotidianum in electione veſtra ſuscipit incrementum, cuius optabilis rumoris index fuit Reuerendiſſimus Urolphus (g) S. Laureacenſis Eccleſiae Archi-Episcopus, et Sanctiſſi-

(a) Hanſizius videtur fauere illis, qui Olomucensem Episcopum deſignatum volunt, quum Olmuntz, et Holmuntz appellatum fuerit. Dicunt itaque aliqui Eugenium alluſiſſe ad ſpecum, quod *Höll* dicunt Germani, et *Mond*, quod eisdem Lunam ſonat. Vnde Eccleſia haec in potioribus exemplaribus ſcribitur Speculunenſis.

(b) Alias Onguturenſis. Lazius exiſtimat Tyrnauiam intelligi.

(c) Nitriam intellige.

(d) *Auentinus* Wesprimium; *Lazius* Wetau ad Tegam ſluuium: *Stredowszkius* in Morauia Sacra Wellehradum, *Hansizius* Ouarinum deſignari exiſtimat, quum Hungaris *Vár* ſit Caſtellum, Burgum; *Ves* autem idem ſonare videatur, ac vetus Burgum. Hoc ipſum autem ſonat etiam Ouarinum. Congruit etiam, quod Tutundus intra Danubium iuxta rudera veteris Carnunti habitauerit.

(e) Seu Tudunus.

(f) Moymarus Maramenſium Sclauorum Princeps, vti ait *Hansizius* Germ. Sacrae Tom. I. pag. 148. Elegantius vocatur *Mogemiras*.

(g) Siue Urolphus. Hunc *Szentivanius* in Catalogo Sanctorum Hungariae ad diem decimam quartam Januarii collocat, et Wolphum ſcribit,

ctiſſimus Frater noſter, veſter autem ſpiritualis Pater, qui per ſuam Sanctam praedicationem, adoptiuos DEO vos genuit Filios; Is itaque ad Apoſtolorum limina, orationis cauſa veniens, nouam Eccleſiam, noſtris Apoſtolicis Benedictionibus informandam ſubnixe commendauit, quam Domino auxiliante, Catholice gubernandam, in veſtris partibus ſuſcepit; in quibus etiam quondam Romanorum *(a)* quoque, Gepidarumque aetate, vt e lectione certum eſt, in ſeptem Epiſcoporum Parochias, Anteceſſores ſui, iure Metropolitano obtinuerunt Dioeceſim. Qua ex iuſtitia, et lege praefatus DEO digniſſimus Archi-Epiſcopus debito obligatur, vt illi terrae prius Chiſticolae, atque ſuorum antiquitus Anteceſſorum creditae prouidentiae, quam nunc vos DEI Omnipotentis occulto mediante iudicio, velvt haereditariam poſſidetis, Ipſe Euangelicus Agricola, diu negata coeleſtis ſpargat ſemina vitae, atque in lucrandis Chriſto animabus redininam de vobis nutriat ſegetem. Quem Nos doctiſſimum Diuini oraculi Miniſtrum, ſaluti veſtrae cognoscentes per omnia neceſſarium, fide, et exemplo probatum, merito erga illam Apoſtolicam ſeruantes ſententiam, qua dicitur: quomodo credent ſine praedicante? aut quomodo praedicabunt, niſi mittantur? ab hac Sancta Romana Matre Eccleſia, vobis eum Rectorem transmiſimus: Atque etiam in praefatis Regionibus Hunniae, quae Auaria appellatur, ſed et Morauiae, Prouinciarum quoque Pannoniae, ſiue Moeſiae, *(b)* Apoſtolicam vicem noſtram, et Dioeceſim, *(c)* atque ius Eccleſiaſticum exercendi, et vſum, ac poteſtatem Anteceſſorum ſuorum, videlicet Sanctae Laureacenſis Eccleſiae Archi-Epiſcoporum Sibi, Succeſſoribus ſuis, Canonica authoritate commiſimus, atque huius conſtitutionis noſtrae decretum ſubſcriptionis Priuilegio roboramus. Pallium praeterea iuxta conſuetudinem antiquam Sanctitati ſuae dedimus, quod ita ſibi conceſſimus, ſicut Praedeceſſores noſtri, ſuis Praedeceſſoribus conceſſere, Priuilegiorum ſuorum ſcilicet integritate ſeruata. Cuius Dilectioni, quamuis hoc debito permitteremus, propter veſtras autem petitiones, ſuper hac re flagitantibus ad honorem ſuum, noſtram Apoſtolicam vicem, et Authoritatem inſuper accumulauimus, quod nunquam ſuis permiſſum eſt Prioribus. *(d)* Quatenus et vos Confratres, et Coepiſcopi, deinceps ei reuerentiam ampliorem exhibere ſciatis, et in ſana doctrina coeleſtis eruditionis ad aedificationem ve-

ſtram,

(a) Cl. Hanſizius Tom. I. pag. 10. ait: „Romani Pannoniam tenueruot vsque ad annum trecenteſimum ſeptuageſimum ſeptimum. Gepidae ad medium ſexti ſeculi.„ Agapitus Papa ad Gerardum Laureacenſem Epiſcopum ſcribens, de praerogatiua Eccleſiae huius inquit: „in exordio naacentis Eccleſiae hanc, Laureacenſem nimirum, Fidei rudimenta percepiſſe, et exinde a ſuccedentibus Praedicatoribus, io ſuperioris, atque inferiora Pannoniae Prouincias eiusdem Fidei emanaſſe gratiam.„

(b) Hunc locum placet rurſus ex Hanſizio illuſtrare, qui pag. 148. ita ſcribit: *„Subiicitur poteſtati Urolphi etiam Moeſia, nempe comprehendere videtur Pontifex omne genus Sclauorum Francis ſubditorum circa Danubium. Tales erant Timotiani, et Guduscani Seruiae, ſeu Myſiae ſuperioris populi, qui ſe partibus Francorum addixerant.„*

Dioeceſis quid?

(c) Dioeceſia' nomen non ſemper eam ſignificandi vim habuit, ac nunc obtinet. Dioeceſis enim dicebatur olim plurium Prouinciarum praefectura. Hoc modo appellabatur etiam ambitus Patriarchalis iurisdictionis. Sic dicebantur etiam Prouinciae, quibus praeerant Metropolitani, qum etiam territorium Sacerdotis Parochialis in Concilio Epaonenſi Can. 8. Concilio Aurelianeoſi IV. Can. 33. ac Capitulari Benedicti Leuitae Lib. 7. Cap. 360. Dioeceſis vocitatur; plerumque tamen id nominis ſortita eſt Prouincia Metropolitana. Sic in Synodica Concilii Pariſienſis, anoo 849. celebrati ad Nomenoium Ducem Prouincia Turonenſis appellatur Dioeceſis: *„Epiſcopi legitimi, Sedibus propriis expulſi, et vt mitius loquamur, quia dicere nolumus fures, et latrones, et mercenarii introducti, Patroni noſtri beati Martini quondam Dioeceſis, in qua vos eſſe negare non poteſtis, violata.„* Hoc etiam loco Dioeceſis notat Prouinciam, quamuis ſignificare poſſit etiam auctoritatem, quum dicat Papa: *Apoſtolicam vicem noſtram, et Dioeceſim, atque ius Eccleſiaſticum exercendi.*

(d) Id eſt: Anteceſſoribus, ſeu Maioribus. Hine prioritas dicitur apud du Cange ſeries Maiorum.

Digitized by Google

ſtram, vt Filii ſapientes obediatis; atque Vos Laici, Primates, *(a)* et vulgus, ſaluberrimis praeceptis ſuis, non velut homini, ſed tanquam DEO humiliter obtemperetis, et in Fide Catholica, quam per Dominum IESVM conſecuti eſtis, fortes permaneatis. Nam totius doli artifex Diabolus, cuius dominio, et pompis in Baptiſmate abrenunciaſtis, iacturam, et damnum veſtrae ſalutaris ſurreptionis moleſte patitur, ac per varias occaſiones zizania perfidiae ſeminando, velut multa iniuria machinatur, *(b)* et vt aliquis Veſtrum terga vertat ſanctae profeſſioni, inceſſanter molitur. Quapropter ſoepe dicti Archi-Episcopi, videlicet Paſtoris veſtri a DEO deſtinati inſtitutionibus benignas aures praebete, qui vos, et vos, et verſutiam Sathanae cauere, atque eius aeternos cruciatus euadere inſtruit, ac ipſe in die iudicii, de bonis operibus Veſtris, Seculorum Domino perpetua remunerandos gloria praeſentabit. Ad perfectam autem, et neceſſariae eruditionis Veſtrae ſalutem, quum, vt comperimus, non ſufficiant pauci, qui modo conſtituti ſunt Episcopi, quia plures ſunt adhuc gentilitatis errore ibidem detenti, ad quos propter inopiam praeconum Diuini verbi, nondum peruenit notitia Chriſti; idcirco enim, vt accreſcat turba fidelium, ſtudeat ſolertia Veſtra pro mercede, et remiſſione peccatorum Veſtrorum, adminiculum, atque iuuamen praebere Reuerendiſſimo Urolpho Archi-Episcopo, quatenus dudum illic conſtitutorum Episcopatuum numerus impleatur, qui congrue conſtituti, et Vobis, poſteriſque Veſtris poterunt eſſe proficui, ſi ad reſtaurationem Eccleſiarum propter Nomen Domini de Poſſeſſionibus Veſtris, *(c)* quas reditus, dotesque earum fama diuulgante, quon-

dam

(a) Seu Primores, et Proceres. Hoc enim nomine non ſemel veniunt in Codice Theodoſiano. Huc pertinet ille grammatici verſus apud du Cange: „Dicatur Primas populo, qui primus habetur.„

(b) Apud *Hanſizium* habetur: bachatur, et rectius.

De Bonis Eccleſiarum per haereticos occupatis.

(c) Modeſtiam Eugenii II. velim, amicus Lector recolat, qui poſſeſſiones in Dotem condam Eccleſiis datas ſtricto praecepto non repetit, ſed per nomen Domini Poſſeſſores obſecrat, vt in remiſſionem peccatorum ſuorum ex illis Poſſeſſionibus aeternam ſufficientiam ſibi comparent. Dixi modeſtiam; dicere debuiſſem prouidam oeconomiam, qua plus ſimplici vice vſi ſunt Summi Pontifices, exiſtimantes ſe, vti vere ſunt, velut ſupremos Bonorum Eccleſiaſticorum Diſpenſatores, auctoritate Diuinitus indita vti debere in aedificationem, et non in deſtructionem; vnde quotiescunque aut ſpes conuerſionis, aut metus Apoſtaſiae ſemet obtulerat, nihil dubitarunt Poſſeſſores Bonorum Eccleſiaſticorum etiam iniuſto bello occupatorum, aut inuaſorum ab omni ſiue fructuum, ſiue fundorum immobilium reſtitutione abſoluere. Qui huiusmodi exempla noſcere cupit, peruoluat ſapientiſſimam immortalis memoriae Benedicti XIV. epiſtolam de Bonis Eccleſiarum, ad Rev. P. Nicolaum Lercari, Sac. Congregationis de propaganda Fide Secretarium die 10. Martii, Anno 1752. datam, quae habetur Bullarii Benedictini Tom. 3. N: 57. et aliam ad eundem die 24. Maii, Anno 1754 exaratam, quae exſtat Bullarii Tomo quarto, N: 33. ex quibus aliquot tantum ſpectatiſſima exempla adferre placet, ad obturanda illorum ora, qui exiſtimant haereſim Lutheri tum in Germania, tum in Hungaria ob metum reſtituendi Bona Eccleſiaſtica altiores fixiſſe radices. Julius III. die 28. Iunii, Anni 544. ampliſſimam tribuit facultatem Cardinali Reginaldo Polo, vt in Anglia quosuis Bonorum Eccleſiaſticorum Poſſeſſores tutos, quietos, et abſolutos redderet. Clemens XI. die 10. Nouembr. Anni 1712. Auguſtum II. Poloniae Regem ſecurum reddidit, nullorum Bonorum Eccleſiaſticorum in Saxonia reſtitutionem ſemet vnquam vrſurum, imo omnia in perpetuum condonare. Ampliſſime id deinceps praeſtitit Clemens XII. in ſua Conſtitutione: *Sedes Apoſtolica.* Vniuerſim de Germania ait Benedictus XIV. in poſtrema Epiſtola §. 5. „*nihil morati ſunt Romani Pontifices, quin ſua auctoritate in Germania vtentes, prouida liberalitate omnia donarent iis, qui reduces in Sanctae Eccleſiae gremium confugiebant.*„ Ipſe quoque Benedictus XIV. citatis litteris ſuis concedit, vt Chriſtiani Turcis ſubditi, Bona Eccleſiarum empta, aut inuaſa retinere poſſint, quoties bonis verbis pertentati ſemet difficiliores exhiberent. Vides, quam ſibi conſtans ſit Sedis Apoſtolicae Diſciplina. Bonis verbis, magnis precibus, non magnis praeceptis ſibi agendum cenſuit Eugenius II. Recte: Sane miſerum foret, non auro, non argento redemptas animas ob vile aurum perire. Eccleſia quoque talibus dicit, quod Abrahamo dictum ſcriptura teſtatur, *animas redde mihi, cetera tolle tibi.* Non eſt Eccleſiae cura de auro, ſed de animabus; neque animae propter aurum, ſed aurum propter animas, et id non tam appetit, quam admittit Eccleſia.

dam ſuiſſe noueritis, aeternam ſufficientiam Vobis comparantes, eisdem Eccleſiis ipſi conferatis, idoneis viris ad hoc miniſterium electis. Maxime in illis locis, ſi opportunitas, et vtilitas commendauerit, ordinentur Antiſtites, vbi indicia Eccleſiarum, et aedificiorum Sedes Pontificales olim fuiſſe demonſtrant. Sin autem: illius arbitrio, et deliberationi, qui, vel vbi diſponantur Episcopi? concedimus, cui vicem noſtram apud Vos Eccleſiaſtici regiminis per omnia commiſimus.

XXVI.

CONCILIVM DALMATINVM, SIVE Synodus Regia in Croatia Praeſidentibus Apoſtolicae Sedis Legatis celebrata circa A: C: DCCCLXXVI. ex Presbyteri Diocleatis Hiſtoria.



Rex Dei Sapientia plenus, ſano vtens conſilio, miſit Sapientes, ac Nobiles Viros Legatos ad Venerabilem, et Apoſtolicum Virum Papam *(a)* Stephanum, et ad Imperatorem Conſtantinopolitanae Vrbis Michaëlem, rogans, et petens, quatenus antiqua Priuilegia, quibus termini, et fines Prouinciarum, ac Regionum, ſeu terrarum ſcripti continebantur, mittere cum Viris Sapientiſſimis dignarentur. Dum autem Legati Regis Romam veniſſent, et verba Regis Papae Stephano *(b)* intimaſſent, gaudio magno gauiſus eſt Papa Venerabilis, et maxime, quod occaſione accepta mitteret Sapientiſſimos Viros, qui nouellum, ac tenerum *(c)* Regem adhuc in Fide, et Populum eius paſcerent, ac ſatiarent pane Coeleſti, ac verbo vitae. Miſit itaque Vicarium ſuum Honorium nomine, Sanctae Romanae Eccleſiae Presbyterum Cardinalem, cui et tradidit poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, euellendi, et diſſipandi, aedificandi, atque plantandi, ſicuti moris eſt, quando per mundi partes Legati, ſeu Vicarii a Sede Romana mittuntur, et cum eo alios duos Cardinales, Episcopos quoque iuſſit

(a) Farlatus Ioannem VIII. pro Stephano, et Baſilium Macedonem pro Michaële ponendos putat. Et recte; Notae enim Chronologicae id deſiderant.

(b) Id eſt: Ioanni.

(c) Hoc epithetum hiſtorico noſtro excidit, quia in perſona Regis errabat. Pro Sfetopolek, indubie Paullimirus ponendus erat.

iuſſit eum ſecum aſſumere, qui adhuc rudi Populo in Fide Epiſcopos, ſiue Eccleſias conſecrarent, et verbum vitae in eorum cordibus quotidie ſeminarent. Aduenientes itaque Cardinales, et Epiſcopi, inuenerunt Regem in planitie Dalmae, a quo eum magno honore, et reuerentia ſuſcepti ſunt. Tunc Rex iuſſit congregari in eadem planitie Dalmae omnes Populos terrae, et Regni ſui. Inter haec, dum Populi congregarentur, aduenerunt Legati Nobiles, et Sapientes miſſi ab Imperatore (a) Michaële Leo, et Ioannes, et alii Sapientes, qui a Rege, et Cardinalibus honorifice ſuſcepti ſunt. Igitur omnes congregati, tam Latina, (b) quam et Sclauonica lingua, qui loquebantur, iuſſu Honorii Apoſtolici Vicarii, et Chriſtianiſſimi Regis Sſetopelek, (c) per ſpatium dierum XII. Synodum fecerunt, in qua diebus octo de Lege Diuina, de Sacra Scriptura, ac de Statu Eccleſiae tractatum eſt; ceteris autem quatuor diebus de Poteſtate Regis, de Ducibus, et Comitibus, et Centurionibus, et de Statu Regis ſermocinatum eſt. Relecta ſunt et in eadem Synodo antiqua Priuilegia tam Latina, quam Graeca, miſſa ab Apoſtolico, et ab Imperatore, audientibus cunctis Populis, de diuiſione Prouinciarum, ac Regionum, ſeu Terrarum, ſicuti ab antiquis Imperatoribus ſcripta, et ordinata fuerunt; et placuit Regi, et cuncto Populo. Finita Synodo XII. die per manus Honorii Vicarii, et Cardinalium, atque Epiſcoporum ordinatus eſt Rex, atque Coronatus more Romanorum Regum, et facta eſt laetitia magna in Populo, et in vniuerſo Regno eius. Poſt haec iuſſit Rex, vt conſecrarentur Archi-Epiſcopi, vnus in Salona, et alius in Dioclia; ſimiliter et Epiſcopi plurimi conſecrati ſunt, et Eccleſiae, quae deſtructae erant, et violatae manebant, reaedificatae, et conſecratae ſunt. Statuit etiam Rex, vt nullus perturbaret in aliquo aliquam Eccleſiam, aut haberet aliquam poteſtatem, ſeu Dominationem in aliqua Eccleſia, niſi ſolus Archi-Epiſcopus, vel Epiſcopus, cuius ſub iure eſſet eadem Eccleſia: qui vero aliter faceret, Regiam Coronam offenderet. Poſt haec ſecundum continentiam Priuilegiorum, quae lecta coram Populo fuerant, ſcripſit Priuilegia, diuiſit Prouincias, et Regiones Regni ſui, ac terminos, et fines earum hoc modo: ſecundum curſum (d) aquarum, quae a montanis fluunt, et intrant in mare contra Meridianam plagam, et intrant in magnum flumen Donavi, (e) vocauit Sumbra. (f) Deinde Maritima in duas diuiſit Prouincias: A loco Dalmae, vbi Rex tunc manebat, et Synodus tunc facta eſt, vsque ad Valdininam vocauit Croatiam Albam, quae et inferior Dalmatia dicitur, cui inferiori Dalmatiae conſenſu Domini Papae Stephani, et Legatorum eius inſtituit (g) Salonitanam Eccleſiam Metropolim, ſub cuius Regimine has Eccleſias ſtatuit, vid. Spalatum, Tragurium, Scardonam, Stranſonam, quod nunc eſt Caſtellum Jadrae, Enonam, Arbuam, Abſarum, Vegliam, et Epitaurum, quod nunc dicitur Raguſium. Item ab eodem loco Dalmae vsque Bambalonam ciuitatem, quae nunc dicitur Dyrrachium, Croatiam rubeam vocauit, quae et ſuperior Dalmatia dicitur, et ſicuti inferiori Dalmatiae Salonitanam Eccleſiam conſtituit Metropolim, ſimili modo ſuperiori Diocletanam Eccleſiam pro iure antiquo ſtatuerunt Metropolim, ſub cuius regimine has Eccleſias declararunt

(a) Id eſt: *Baſilio.*

(b) Inde apparet Croatas Graecos haud fuiſſe, licet aliqui Sclauonica lingua vti coeperint.

(c) Iam monui Paullimirum legendum eſſe.

(d) Curſus aquarum in omni diuiſiona Prouinciarum attendi ſolet etiam ob commentionem.

(e) Sclauonico vocabulo Danubium appellat.

(f) Fors Serblia legenda, aut ſaltem intelligenda.

(g) Forte: *Reſtaurauit.*

runt, ſcilicet Antibarium, Buduam, Ecatarum, Dulcignum, Suacium, Scodram, Driuuſtum, Pollotum, Sorbium, Boſonium, Tribunium, Zaculmium. Surbiam *(a)* autem, quae et transmontana dicitur, in duas diuiſit Prouincias; vna a magno flumine Drina, contra Occidentalem plagam, vsque ad montem Pini, quam et Bosnam vocauit; Altera vero ab eodem flumine Drina, contra Orientalem plagam, vsque ad Lapiam, quam Ruſſam vocauit. *(b)* Vnaquaque autem in prouincia Banum ordinauit, id eſt Ducem, ex ſuis conſanguineis Fratribus, et Iupanos, id eſt Comites, et Sednicos, id eſt Centuriones, ex Nobilioribus earundem Prouinciarum. Dedit autem vnicuique Bano, id eſt Duci poteſtatem ſub ſe habere ſeptem Centuriones, qui recte, ac iuſte Populum iudicarent, et tributa acciperent, et Banis praeſentarent; Bani poſt haec medietatem Regi perſoluerent, et medietatem ſibi tenerent. Comitibus vero, id eſt Iupanis iuſſit ſub ſe habere vnum Sednicum, qui cum eo ſimiliter iudicarent Populum cum iuſtitia, et duas partes tributorum Comites, id eſt Iupani, Regi vt ſoluerent, tertiam vero ſuo vſui retinerent; *(c)* Banis autem ſiue Ducibus nullam rationem facerent, ſed vnusquisque teneret, et dominaretur Iupanis earundem Prouinciarum, ac Regionum; ſed ſoli Regi rationem redderent. Multas leges, et bonos mores inſtituit, quos qui velit agnoſcere, Librum Sclauorum, qui dicitur Methodius, *(d)* legat, ibi reperiet, qualia bona inſtituit Rex beniguiſſimus. Itaque perfectis omnibus Cardinales, et Episcopi, ac Legati Imperatoris, accepta a Rege licentia, et agentes gratias DEO, et Regi, cum honore magno, et cum pluribus donis a Rege datis reuerſi ſunt ad loca ſua. Similiter Bani, et Iupani, atque Centuriones nouiter ordinati, cum vniuerſo Populo laudantes DEVM, et ſalutantes Regem abierunt vnusquisque in Pouinciam, et Regionem ſuam.

XXVII.
SYNODVS REGIA SPALATENSIS,
Anno Chriſti DCCCCXXV. Praeſentibus Apoſtolicae Sedis Legatis celebrata, e Codice M. S. Barberino.

I.
Praefatio.

Tempore Ioannis Papae Sanctiſſimi, Conſulatum peragente in Prouincia Chrobatarum, et Dalmaticarum finibus Tamislao Rege, et Michaële

(a) Ex hoc loco etiam patet Serbliam, vel Seruiam legendam fuiſſe, vti ſuperius monuimus.

(b) Ioannis Lucii animaduerſionem hic ſubiicere operae pretium eſt. Ait ia: „Ex his Salonitani, et Diocletani Archi-Eppatuum iurisdictionibus Presbyter Diocleas ſuum Regnum, quod commentus eſt, diuidere cognoſcitur, ſed in ipſo Regiones confudit. Nam quamuis maritimam in duas partes recte diuidat, prout ex Eccleſiaſticis iurisdictionibus diuidebatur eius tempore, tamen quam Croatiam Albam hic Dalmatiam inferiorem vocat, eandem Croatiae partem Maritimam dicere debebat. Quam veto Croatiam Rubeam, ſiue Dalmatiam ſuperiorem, eandem non Croatiae, ſed Seruiae partem Maritimam fuiſſe conſtat. Transmontanam autem Sumbriae, ſiue Seruiae ſoli tribuit, quam, quamuis in Bosniam, et Raaciam recte diuidat, tamen Croatiae Mediterraneae, et Interamnenſis, nunc Sclauoniae dictae mentionem omiſit; et ſi Croatia in Albam, et Rubeam diuidenda eſt, quam ipſe Albam, ea Rubea dicenda eſſet, reliqua vero, quam omiſit, Alba.

(c) In Conſtitutionibus Colomanni Regis, Lib. I. cap. 25. ſimilis occurrit diſpoſitio legis. Ait enim Lex memorata: „*de tributis autem, et vectigalibus, ſicut Comitibus tertiam partem dari praecipimus, ita decimam quoque Episcopis cenſemus.*

(d) Lucius ſuſpicatur Librum hunc a S. Methodio dictum, qui vtilia etiam politica monita tradidit populo, illi cognomen reſeruaſſe.

chaële *(a)* in his finibus praeſidente Duce. Reuerendiſſimo igitur Ioanne Romanae Eccleſiae praeſidente in Cathedra, dictus Chrobatarum Rex, et Michaël cum ſuis Proceribus, ſimulque Epiſcopis Dalmatiarum: Item Ioannes Archi-Epiſcopus p. *(b)* Spalato, Forminus Gregorius, ceterique Epiſcopi conſulentes propoſuerunt *(c)* d. *(d)* Venerabilem Papam, vt ad eos deſtinare dignaretur Epiſcopos hos, et Monitorium Chriſtianae Religionis dogma continens. Quorum poſtulationibus ſoepefatus Pontifex aſſenſum praebens, Ioannem Venerabilem Epiſcopum Anconitanae Eccleſiae, Leonem vero Praeneſtinenſem Epiſcopum cum ſuis epiſtolis melliflua ructantibus eloquia deſtinauit, vt cum praefatis Perſonis, Iudicibus, et Epiſcopis Synodaliter congregati, perpera *(e)* exſtirpare, et DEO placita Canonice ſancire deberent, quoque peruenientes dicti Epiſcopi, Dalmatiarum peragrantes ciuitates, Chroatorum, atque Serborum Proceres conuenientes, congregatis in Spalato Epiſcopis, et Iudicibus celeberrimum Concilium peregere. Vbi Diuino inamine freti, haec quae ſequuntur Capitula obſeruanda cenſuere.

II.
Decreta Concilii Spalatenſis.

1. Quoniam antiquitus B. Domnius ab Apoſtolo Petro praedicare Salonam miſſus eſt, conſtituitque, vt ipſa Eccleſia, et Ciuitas, vbi ſancta eius membra requieſcunt, inter omnes Eccleſias Prouinciae huius, Primatis habeat, et Metropolis nomen Epiſcopus legitime ſortiatur; ita vt duntaxat ad eius iuſſionem Epiſcopi, qui per Diuinam gratiam Cathedram ipſam *(f)* retinuerit, et Synodus celebretur, et cenſuratio *(g)* Epiſcoporum dicente Domino: vbi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae.

2. Vt in cunctis Eccleſiis, in quibus ſupra *(h)* recolitur Epiſcopus habitaſſe, nunc autem Clerus, Ordines, et Populus ſufficiens adeſt, intra Dioeceſeos limites Epiſcopus habeatur; quia iuxta decreta Patrum non licet in modicis ciuitatibus, vel villis Epiſcopos ſtatuere, ne nomen Epiſcopi vileſcat, et vt Epiſcopus vacans vacantem Dioeceſim cum conſilio Metropolitani, et ceterorum Epiſcoporum Cōe. *(i)* accipiat.

3. Quoniam minime termini a Patribus ſtatuti transferri debent, vnusquisque Epiſcopus deſcriptos ſibi terminos poſſideat, et alienam Dioeceſim nullatenus inuadat; Iure proprio ſeruato in regnandis, *(k)* conſecrandis Eccleſiis, vel Sacerdotibus promouendis, atque a ſuo Epiſcopo Chriſma accipiendum.

4. Vt Poſſeſſiones Eccleſiarum, quae pro peccatis Conditorum oblatae ſunt ad honorem Sanctorum, ſecularibus minime mancipentur, quia res ſemel DEO dedicata humano dominio ſubdi non debet.

5. Vt

(a) Michael erat Dux Serbliae.
(b) Farlatus putat legendum: *Primas*, ſed forte legendum: *pro*.
(c) Poposcerunt.
(d) Dictum.
(e) Etſi non moneret Farlati, quiuis intelligeret praua, vel praepoſtera intelligi.
(f) Intellige Spalatensem.
(g) Id eſt: Iudicium Epiſcoporum. Cenſuram enim eſſe iudicium Epiſcoporum ſat notum eſt. In Synodis Epiſcoporum diiudicatas fuiſſe illorum cauſas aeque conſtat.
(h) Id eſt: olim ante vaſtitatem Dalmatiae illatam.
(i) Farlatus vult legi *conſenſu*, ego mallem legere *communicatione*, vel *conſenſione*, abreuiationis enim ratio id ſuadet.
(k) Farlati vult legi: *regenerandis*; forte non male. Poſſet etiam dici: *regnandis*, iuxta illud: *Vtinam vobiscum regnemus*.

5. Vt ſi qua Eccleſia, vel Poſſeſſio per Priuilegium a Fidelibus ſub anathemate *(a)* principali Eccleſiae S. Petri Apoſtoli ſubditae ſunt, minime ſubtrahantur, q̄tus *(b)* et offerentes, et res ipſas tuentibus Chriſti Clauigeri Petri tueantur ſuffragiis, *(c)*

6. Vt ſi Diuino Iudicio in tumultu plebis Princeps Prouinciae occidatur, quia quod a multis committitur, inultum manet, tamen pro ipſo reatu, qui ſe cognoſcunt obnoxios, debent pro ipſa anima eleemoſynas facere, et ſi quam Eccleſiam dedicauit, vel Libertos fecit, defendere vxorem, aut filios ſouere benigne.

7. Vt ſi quis malignus Diaboli ſpiritu afflatus *(d)* ſingulari conſilio, ſicut Iudas Dominum ſuum occiderit, lapideo collo *(e)* ſuſpenſo ferro corpore praecinctus, exul poeniteat.

Tt 2 8.

(a) Id eſt: Execratione in Donationalibus pro more ſeculi apponi ſolita.

(b) *Quatenus.* Id ſecum fert ratio abreuiationis.

(c) Farlati vellet legi: *quatenus afferentes, et res ipſas tuentes* &c. Ego autem puto, de offerentium, et rei ipſius tutela agere Canonem.

(d) Id eſt: cum aliis non communicato conſilio.

Poenitentia publica ſeculo X. et XI.

(e) Auſteritatem poenitentiae publicae Seculo X. vigentem Canon hic perhibet. Farlatus in notis ſubiungit, quod haec poena Canonica huiusmodi reos a capitali ſupplicio, ſi caperentur, infligenda nequaquam eripuerit. Quatuor ergo tractanda ſunt hoc loco, quid ſit lapideum collum? quid ſit ferro praecinctum eſſe? agendum dein de exilio, ac demum de extremo ſupplicio. Quod ad lapideum collum attinet, puto in textu errorem cubare, vt loco verborum: „*lapideo collo ſuſpe ſ* „ legendum ſit: „*lapide e collo ſuſpenſo*„ niſi forte textus accipiat τὸ *collum*,„ prouti apud Du Cange ſumitur, pro colli ornamento; vel ſicut apud Euardum (verum mendoſe) pro calculo, ſilice, vel tandem apud eundem Du Cange pro onere, et pondere., Sed vtcunque ſint haec omnia, in vnam eandemque redeunt ſententiam. Scimus enim poenae genus fuiſſe, lapides catenatos collo impoſitos ferre. Probat id multis Du Cange; verum adulteris ſolum haec poena dictabatur, niſi forte exiſtimemus, quod etiam ex textu cenſendum videtur, talem poenam ignominiae cauſa homicidis quoque iniunctam fuiſſe. Siue ergo ſumatur pro lapideo collo, ſeu ornamento, ſiue pro onere, eadem erit ſemper ſententia, homicidis lapidem e collo ſuſpenſum fuiſſe. Graue profecto id erat tormenti genus, grauius illud ferro praecingi. Excell. Dominus Comes Garampi, nunc ad Aulam Caeſaream Nuncius Apoſtolicus in memoriis ſuis Eccleſiaſticis de Beata Clara Ariminenſi, Diſſertatione 12. de auſteritatibus beatae huius, poſtquam narraſſet ipſam circulis ferreis praecinxiſſe vtrumque brachium et genu, ſubiungit: „*Erat hoc vnum ex acerbiſſimis Canonicis poenis, quae Parricidis, et aliorum enormium delictorum reis ab Eccleſia imponebatur, et conſiſtebat in quibusdam circulis ferreis, qui vltra pondus, quod corpori incumbebat, aliquando tantopere ſubibant carnem, quae penes, et ſupra eosdem excreſcebat, vt dein abſque graui dolore, et ſanguinis effuſione ex plaga emanantis tolli non potuerunt.*„ Genus hoc poenitentiae quatuor ad minimum ſeculis vigebat in Eccleſia, a ſeculo videlicet octauo, vsque ſeculum duodecimum. Videbimus enim infra talismodi poenitentiae ſeculo vndecimo iniunctae exemplum. Acerbitatibus his addebatur exilium, vt nimirum referrent imaginem Adae, e Paradiſo depulſi, vel adimpleretur in ipſis, quod Caino dictum fuit a Domino: *eris profugus ſuper terram.* Monachis quoque grauius delinquentibus ſimilem poenam iniunctam fuiſſe legimus apud Eckehardum Iuniorem de caſibus S. Galli cap. 16. *in curtes longius ſitas panno ſordidiore, aquaque alendos exiliauerat.* In Hungaria ſeculo XV. affine genus poenitentiae obtinuiſſe docet formula hic ex formulis Thomae de Nyirkállo deprompta: „*Nos &c. Memoriae commendamus tenore praeſentium ſignificantes, quibus expedit, vniuerſis: Quod noſtri veniens in praeſentiam T. de T. nobis humiliter detexit, quomodo ipſe ex ſuggeſtione Diabolica homicidium laicale perpetrauit, ſupplicans nobis, quatenus de Abſolutionis beneficia miſericorditer ſibi prouidere dignaremur. Nos igitur audita eius confeſſione, viſaque cordis ſui contritione, ipſum ab huiusmodi homicidii reatu fecimus abſoluere, iniuncta ei pro modo culpae poenitentia ſalutari: Ingreſſui Eccleſiae, ac communioni Fidelium eundem reſtituendum, inter alia ſibi iniungen. ex voluntate ſua, quod ipſe infra annum pro vberiori abſolutionis beneficio obtinendo Sedem Apoſtolicam debeat viſitare. Interim vero a communione Fidelium, et participationis Sacramenti Euchariſtiae, niſi in mortis articulo debeat abſtinere. Datum.*„

Vtrumque, exilii nimirum, et circuli ferrei genus egregie illuſtrat Du Cange in voce: *Circuli Ferrei* ex Libro MS. miraculorum SS. Floriani, et Florentii „*Conſuetudine antiqua partibus interioris Franciae vsque hodie mos inoleuit, vt quisquis propinquiorem ſibi Parentem gladio iugulauerit, et poſtea poenitentia ductus, ad Pontificem crimen admiſſi facinoris detulerit, ipſo decernente Pontifice, ex ipſo gladio ferrei nexus componantur, et collum peccatoris, venter, et brachium ſtrictim annectantur ex ipſis ferreis vinculis, ſicque de propria Patria, et ſolo Patrio expellatur. Interimque vsque Diuina pietas eadem vincula ſolui praecipiat, primum Romae, dehinc per diuerſa Sanctorum Loca, veniam criminis efflagitando, peregre proficiſci cogitur.*„ Diſruptorum huiusmodi vinculorum exemplum refert Caſarius Monachus illuſtr. Miracul. Lib. 2. cap. 29. de quodam, qui ante conuerſionem concubinam habuerat, „*quia ſimul*

8. De Epiſcopis Raguſitano, et Catharitano, quorum manifeſte vna Sedes dignoſcitur, ipſam Dioeceſim aequa lance inter ſe diuidant, ita vt ſi vnus dictae Eccleſiae Paſtor obierit, donec ordinetur Epiſcopus, reſidens Epiſcopus ipſius Eccleſiae Eccleſiaſticam curam gerat.

9. De

peccauerant, *ſimilem ſusceperunt poenitentiam adeo durum, vt vterque circulo ferreo ventrem ſuum ligaret; In hora vero, qua exſpiranit, vinculum eius dirupit.*„ Splendidiſſimum aliud exemplum nobis ſuppeditat legenda S. Emerici Ducis Hungariae: „*Conradus quidam natione germanus, homo flagitioſiſſimus, tandem magno Dei munere compunctus, quum ſe ad meliorem frugem recipere cuperet, Romam adiit, Pontifici peccata ſua, cum ingenti cordis contritione confeſſus eſt, animae ſalutarem ab eo petiit medicinam. Pontifex ad immanitatem criminis eius obſtupeſcens hac eum mulctauit poena: vt loricam ferream, ad nudum corpus quinis catenis ferreis adſtringeret, et chartam, in qua eius peccata enormia ſcripta erant, Pontificis annulo obſignatam, ad loca, in quibus Sancti quieſcerent, ſecum circumferret, donec Diuinitus catenae diſſoluerentur, et ſcriptura chartae penitus oblitteraretur. Fecit homo, vt erat iuſſus. Nihil enim arduum videtur ex animo ſuo peccata luenti, et cum Deo in gratiam redire cupienti. Inuiſit Loca Sacra, etiam Hieroſolymam, et Saluatoris ſepulcrum non praetermiſit. Tandem venit in Pannoniam, vbi Beati Regis Stephani tum celebre nomen erat: Orat ad ſepulcrum eius, nec inde recedere conſtituit, donec ruptis vinculis, et charta abolita ſentiat Domini miſericordiam impetraſſe. Poſtquam autem multum delaſſato inter orandum ſomnus obrepſit, a prima enim hora vsque ad nonam in preces incubuerat: Sanctus Rex ei apparens, ſurge, inquit, amice, et Emerici filii mei monumentum, quod iuxta eſt, adito: Ille, quod carnis ſeruata integritate praecipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit. Ex eorum enim numero eſt, qui non inquinarunt veſtimenta ſua, ſequunturque Agnum, quocunque ierit, et ante Thronum DEI cantant canticum nouum. Euigilat homo, illico ad beati Emerici ſe ſacellum confert, fundit ibi preces, atque opinione celerius diſſiliunt ferrei nexus, charta reſignata nullum habet litterae ſcriptae veſtigium.*„

Poenitentes huiusmodi nudos inceſſiſſe, ac etiam (quemadmodum fieri aſſolet) vtili remedio animarum in earundem degenerante perniciem, vagabundos oberaſſe diſcimus ex Capitularibus Regum Francorum, in quibus frequentes in *nudos, et ferropraecinclos* homines latae recurrunt leges. In Capitulari 1mo Anni 789. cap. 77. „*nec illi nudi cum ferro, qui dicunt ſe dato ſibi poenitentia ire vagantes (ne ſinantur vagari, et deceptiones hominibus agere) melius videtur, vt ſi aliquid inconſuetum, et capitale crimen commiſerint, vt in vno loco permaneant laborantes, et ſeruientes, et poenitentiam agentes ſecundum quod Canonice ſibi impoſitum ſit.*„ Hoc capitulum a Benedicto Leuita Lib. 6. cap. 370. totidem verbis reperitur. In Capitulari 1. incerti anni cap. 44. ſtatuitur: „*Vt nudi homines, qui cum ferro vadunt, non ſinantur vagari, et deceptiones in hominibus agere.*

Semper ea fuit peccata ſua coram DEO deplorantium anxia cura, vt in ſe plecterent delicta eo modo, quo Eccleſia publicae poenitentiae addictos expiabat. Hinc factum eſt, quod Sancti poenitentes auſteritatis normam ab Eccleſiae inſtitutione ſumentes ferro ſe praecinxerint, qualis inter ceteros eminet S. Dominicus Loricatus, cui inde cognomen adhaeſit. S. Gulielmus Eremita, S. Petrus Damiani, B. Michaelina Piſaurenſis, B. Clara Ariminenſis, B. Helena Vtinenſis. Non poſſum omittere feruorem Ordinis Minorum S. Franciſci, de quo author Florum S. Franciſci cap. 49. memoriae mandauit, innotuiſſe S. Franciſco (in Capitulo) quod multi Fratres ferro eſſent praecincti, inde aliquos aegrotare, aliquos obiiſſe, aliquos ab oratione impediri, S. Franciſcum vero vti diſcretiſſimum Patrem praecepiſſe in virtute Sanctae obedientiae, vt quiuis tolleret loricam, et ad eum adferret, et fuerunt connumeratae loricae 500. et longe plures circuli ferrei, aliqui ad ventrem, aliqui ad brachia ſtringenda, ita vt fieret magnus monticulus. Quia autem Deus noua ſemper inſtaurat exempla virtutum, inuentus eſt diebus noſtris Canonicus Strigonienſis Ioannes Ippoly, qui pene emortuam veterum in ſe excitauit virtutem. Ante ipſum idem fecit Ladislaus Szörényi Epiſcopus Sirmienſis, de quo placet recitare Apoſtolicum Benedicti XIV. Breue ad Comitem Antonium Graſſalkovics Camerae Hungaricae Praeſidem datum: „*Benedictus XIV. Papa. Dilecte Fili, Nobilis Vir! ſalutem et Apoſtolicam Benedictionem. In Nobilitatis tuae humaniſſimis litteris, quas die decima quinta Menſis Martii proxime elapſi, ad nos dare ſtuduiſti, ſingularis Filialis tuae erga Nos, et Apoſtolicam hanc Sacram Sedem obſeruantiae teſtimonium complexi ſumus. Hinc quoque addere voluiſti inſigne munus, quod Paternae Noſtrae caritati obueniret acceptiſſimum, autem manuſcriptum librum, in quo continetur totius vitae ratio, actorumque ſeries bonae memoriae Ladislai Szörényi, dum in humanis ageret, Epiſcopi Sirmienſis, et duas quoque tanti Antiſtitis effigies, quae ad viuum exhibent, quae in ipſo manuſcripto libro conſignata ſunt: atque tunicellam ex crinibus equinis, et ferreas Catenas eis, quas ille deferebat ſimillimas miſiſti, vt omnia magis magisque confirmarentur. Non poſſumus omni procul dubio ſatis aptis verbis explicare, quam effuſa laetitia affecti, in humilitate cordis Noſtri gratias egerimus immortales Supremo Paſtorum Principi Ieſu Chriſto, (cuius vices immerenter gerimus) quod in diebus noſtris eum largitus fuerit Antiſtitem, qui omnibus Paſtoralibus virtutibus inſtructus, verbo, et exemplo ita praeluxit in Eccleſia DEI, vt Eccleſiarum Paſtores, Populique vniuerſi habeant quem admirabilem praedicent, atque imitentur. Fore autem in Domino confidimus, vt Bonorum omnium Largitor Deus, miſericordiarum Pater, qui illum dedit in terris ad exemplum, receperit ad coelum, vt nobis etiam ſit interceſſor. Quamobrem maximopere cum Nobilitate Tua gratulamur non ſolum de amicitia veteri, et familiari conſuetudine, quae tibi cum optimo Praeſule ſemper interceſſit: Verum etiam de ſanguinis arcta quadam neceſſitudine, quae iam inde ex maioribus veſtris orta,*

9. De Licinio Epiſcopo, vt in Eccleſia, in qua ordinatus eſt, contentus permaneat, et nullus deinceps in ea Epiſcoporum, vel Presbyterorum Miſſam celebret, donec proprius Epiſcopus eam conſecret canonice. Si quis poſtmodum praeſumptorum in ea contra praemiſſa fecerit, a noſtro collegio excludatur. Quod ſi dictus Licinius nec Legaliter in ſua Eccleſia perſtiterit haeres; ſed eueutatus, vt extraneus accedens, et in ſua mallet prima adhaerere Eccleſia, vt Presbyter permaneat.

10. Vt nullus Epiſcopus noſtrae Prouinciae audeat in quolibet gradu Sclauinica lingua promouere; tamen in Clericatu, et Monachatu DEO deſeruire. *(a)* Nec in ſua Eccleſia ſinat eum Miſſas facere; praeter ſi neceſſitatem Sacerdotum haberet, per ſupplicationem a Romano Pontiſice licentiam ei Sacerdotalis miniſterii tribuat.

11. Vt Epiſcopus *(b)* Chroatorum, ſicut nos omnes, noſtrae Eccleſiae Metropolitanae ſubeſſe ſe ſciat.

12. Quod ſi Rex, et Proceres Chroatorum, omnes Dioeceſes Epiſcoporum infra limites noſtrae Metropolitanae ſuo cupiunt vindicare Pontifici, nullus ex noſtris per omnem Prouinciam eorum, neque regenerationes faciat, neque Eccleſias, vel Presbyteros conſecret, tum in ſuis Sedibus commorantibus *(c)* pro miae opus. Quisquis ad nos acceſſerit conſecrari, regenerari, chriſma ſibi dari popoſcerit, abſque ſcrupulo omni totam Prouinciam ipſa tribuant. De cetero autem ipſi cum ſuo Pontifice DEO reddant rationem de his omnibus, quae in eis Chriſtianae Religionis dogmati deſuerint; noſtra coram DEO conſcientia eſt abſoluta.

13. Vt in Eccleſia, vbi Presbyter occiſus eſt, ante ſanctificationem ipſius, vel plebis, vt congruum ipſi Epiſcopo videtur, nullus Miſ. faciat; et vt a Presbyteris res Eccleſiae non deſtruantur; neque ſemel ſuſcepta Eccleſia ſine cauſa reliuquatur. Quod ſi aliter ſuerit, donec perdita reſtituat, et Eccleſia propria accipiat, excommunicetur.

14. Vt vxores propriae deinceps non dimittantur, niſi propter fornicationem; quod ſi quis dimiſerit, ſic permaneat; et vt haeredes ſuos, ſeruos ſuos litterate *(d)* ſtudiis tradant, quicunque Chriſtianitatem perſectam habere cupiunt; vt illi eos inſtanter corripiant, et ipſi eos libenter exaudiant, non vt peregrinos, ſed vt proprios.

15. Quod ſi Sacerdotes incontinenter propter ipſam continentiam primam,

in vobis poſtremo magis etiam munito, et confirmata fuit. Perſuaſum vero Nobilitati tuae eſſe cupimus, Nos pro litterarum officio, et huiusmodi munere, Tibi gratum, obſtrictumque animum profiteri, ſtudioſamque ad Nobilitati tuae per opportunas occaſiones gratificandum gerere voluntatem, cuius pignus eſſe volumus Aplicam benedictionem, quam vberrima coeleſtium cum Charismatum copia coniunctam, Tibi Dilecte Fili, Nobilis Vir, tuaeque Domui peramanter impertimur. Datum Romae vigeſima primo Maii MDCCLIV.

Illud adhuc reſtat discutiendum, an recte aſſerat Farlati, nudos hos noſtros, ferroque praecinctos capitali ſupplicio, ſi in manus incidiſſent, fuiſſe obnoxios? errat profecto grauiter, et toto, vt aiunt, errat oſtio. Capitulare enim Anni 789. cap. 14. poſtquam priori capitulo de ſeruis Dominorum ſuorum interfectoribus ſermonem habuiſſet, inquit: „*Si quis vero pro his mortalibus criminibus latenter commiſſis aliquis ſponte ad Sacerdotem confugerit, et confeſſione data agere poenitentiam voluerit, teſtimonium Sacerdotis de morte excuſet.*„ In Capitulari Ludouici Pii Anni 819. cap. 2. de interfectore propinquorum: „*Interfectoris haereditas in Fiscum redigatur, ipſe vero ordinante Epiſcopo publicae poenitentiae ſubdatur.*„ Denique ſi ſpectetur Synodo noſtrae interfuiſſe Principem, et Proceres, quis dubitare poteſt homines hos tam durae poenitentiae ſubiectos a capitali poena, ſuffragio poenitentiae fuiſſe immunes?

(a) Subaudi. admittimus.

(b) Id eſt: Nonenſis Epiſcopus.

(c) Recte ait Farlatus Oedipo opus eſſe ad dirimendum hunc ſenſum.

(d) Farlati vult legi: *litterarum ſtudiis*, ſed forte *litteratum*, idem ſonat ac *latinum*.

mam, quam fortitus eſt, ſeparati a conſortio cellae, teneat vxorem; ſi vero aliam duxerit, excommunicetur. *(a)*

Haec ita habita deliberatione, quae ſupraſcripta continentur, cuncta per ordinem Sancta Synodus Romano Pontifici confirmanda per dictos ſuos Legatos Epiſcopos, et Petrum Presbyterum Spalatenſem inſertis litteris nunciare decreuit: quatenus Diuinitus antiquae Religionis dogma in Eccleſiis Dalmatiarum arbitrio Summi Pontificis vniuerſa praelibata ſortirentur. Sed quum terminare cuncta legitime antiquo more praeſtolaremur - - - fuit Fratris Noſtri Epiſcopi Nonenſis, qui ſibi vindicare cupiens primatum Dalmatiarum Epiſcoporum, hoc, quod non expediebat, contra dictam Synodum in auribus Apoſtolicis iniuſtum iniecit certamen. Quam obrem diuerſa, et Nunciis recitantibus de his praeſentibus, et litteris patentibus non aequalia, ambiguitas Romanae Eccleſiae factam, non definita ad nos, et finienda adhuc epiſtola a Reuerendiſſimo Papa Ioanne, per Legatum noſtrum remiſſa eſt, cuius vero epiſtolae tenor hic eſt:

III.
Epiſtola Ioannis X. Summi Pontificis ad Archi-Epiſcopum Spalatenſem.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum DEI, Reuerendiſſimo, et Sanctiſſimo Confratri Noſtro Ioanni, S. Salonitanae Eccleſiae Archi-Epiſcopo, omnibusque Suffraganeis.

Quum Religio Veſtrae Dilectionis per tot annorum curricula, et menſium ſpatia Sanctam Romanam, et Apoſtolicam, atque vniuerſalem Eccleſiam, in cuius Cathedra DEO Auctore Nos praeſidemus, viſitare neglexit, omnino miramur. Quum per caritatis augmentum omnis Religio ad ſoliditatem Fidei, et ad lapidem pertinet, ſicut ſcriptum eſt: „Tu es Petrus, et ſuper hanc Petram aedificabo Eccleſiam meam;„ meam videlicet, quod aliud dicere, niſi abſque reprehenſione, et in Fidei robore ſolidatam; non habentem maculam, aut rugam, a qua omnes Eccleſiae augmentum intelligentiae, atque ſaporem bonae doctrinae ſuſcipere debent. Et quia fama reuelante cognouimus per confinia Veſtrae Parochiae aliam doctrinam pullulare, quae in ſacris voluminibus non reperitur, vobis tacentibus iuxta illud Apoſtoli: Si quis aliud docuerit, praeter id, quod in Sacris Canonibus, atque voluminibus reperitur, etiamſi Angelus de coelo fuerit, anathema ſit. Sed abſit hoc a Fidelibus, qui Chriſtum colunt, et aliam vitam per operationem ſe credunt poſſe habere; vt doctrinam Euangelii, atque Canonum volumina, Apoſtolicaque etiam praecepta praetermittentes, ad Methodii doctrinam confugiant, quem in nullo volumine inter Sacros auctores comperimus. Vnde hortamur Vos Dilectiſſimi, vt cum Noſtris Epiſcopis, Ioanne ſcilicet Sanctae Amonitanae, et Leone Sanctae Paleſtrinae Eccleſiarum Dei iuncti, cuncta per Sclauinicam terram audacter corrigere ſatagatis: ea videlicet ratione, vt nullo modo ab illorum ſupradictorum Epiſcoporum doctrina in aliquo deuiare praeſumatis. Ita vt ſecundum mores Romanae Eccleſiae Sclauinorum terra miniſterium Sacrificii peragant, in Latina ſcilicet lingua, non autem in extranea,

(a) De Canone hoc dicit Farlatus: Nihil ſanum eſſe in hoc Canone; ſed puto facile reſtitui poſſe ſenſum, ſi legatur: *quod ſi Sacerdotes incontinentes propter ipſam continentiam, quam quis primam ſortitus eſt, ſeparati a conſortio cellae teneant vxorem, tolerantur: ſi vero aliam duxerint, excommunicentur.* Neque hoc mirum videbitur, ſi incontinentiae peſtem inter Clericos ſe-

nea, *(a)* quia nullus Filius aliquid loqui debet, vel ſapere, niſi vt Pater ei inſinuauerit; et quia Sclaui ſpecialiſſimi Filii Sanctae Romanae Eccleſiae ſunt, in doctrina Matris permanere debent, ſicut ait Apoſtolus: Filioli, quos per doctrinam Euangelii ego genui; et iterum: Filius ſapiens laetificat Patrem. In hoc vtique gaudemus, ſi Sclaui noſtram doctrinam ſequi delectentur, vt DEO Sacrificium gratum exhibeant. Quoniam qui non Fide ſacrificant, et DEO pura libania offerunt, vereor ne illis veniat, quod ſcriptum eſt: „maledictus homo, qui opera DEI negligenter facit.„ Vnde Vos moneo, vt mala radix in veſtris partibus minime pullulet; ſed Veſtra praedicatione aſſidua defaecata maneat; vt DEO fructum offerre valeatis per praedicationem Veſtri miniſterii, alius centeſimum, alius ſexageſimum; qui habet aures audiendi, audiat.

IV.

Epiſtola Ioannis Papae X. ad Regem Croatarum, et Epiſcopos, atque Optimates.

Ioannes Epiſcopus, Seruus Seruorum DEI Dilecto Filio Tamislao Regi Croatorum, et Michaëli Excellentiſſimo Duci Chulmorum, nec non Reuerendiſſimo et Sanctiſſimo Confratri Noſtro Ioanni Sanctae Salonitanae Eccleſiae Archi-Epiſcopo, omnibusque Epiſcopis, ſuffraganeis; verum etiam et omnibus Zupanis, cunctisque Sacerdotibus, et Vniuerſo Populo per Sclauoniam, et Dalmatiam commorantibus, Dilectiſſimis Filiis Noſtris.

Diuina Omnipotentis DEI diſpenſatione hoc factum eſt, vt ſollicitudo omni-

---

culo X. ſerpentem expenderit. Adhuc ſeculo XI. ſcribit Vdalricus Abbas Tegernſeenſis epiſt. 8. poſt annum MXLI. data apud Pezium in Codice Dipl. Hiſtorico epiſt. pag. 229. de Presbytero quodam: „*quod vero vxore ſua adhuc viuente aliam duxit, quantum in hoc populum ſibi creditum deſtruxit, Noſtra licet ſuper hoc Intimatio taceret, Veſtrae tamen prudentiae id perſcrutanti non lateret.*

Liturgia Sclauonica.

(a) De Liturgia Slauonica nobis animus non eſt ab aliis decantata rurſus occinere. Aliquas tantum obſeruationes depromamus. Et quidem primo obſeruare iuuat Summos Pontifices Graeci Ritus depreſſioni non ſtuduiſſe. Ioannes enim VIII. ſcribens Sancto Methodio ait: „*Prohibuimus, ne ea lingua* (Sclauonica) *Sacra Miſſarum ſolennia celebrares, ſed vel in latina, vel graeca lingua.* Ioannes X. hoc loco extraneam vetat; quum Ioannes VIII. ſcripſerit: *Fecit* (Deus) *tres linguas principales: Hebraicam ſcilicet, Graecam, et Latinam.* Si itaque Papa Ioannes VIII. liberum fecit ſiue Graeca, ſiue Latina lingua officium Diuinum peragere: Si Ioannes X. vlum duntaxat Sclauicae linguae aegre tulit; noluit proculdubio Graecum Ritum ſupprimere. Tantoque id luculentius euadit, quo certius eſt ex citatis verbis, vnicum eius temporis diſcrimen inter Orientalem, et Occidentalem interceſſiſſe Eccleſiam, quod haec Latine, illa Graece Sacra faceret. Hinc diſcas, velim, et id, Illyrios etiam tunc, dum vſus Idiomatis Sclauonici controuerteretur, ad Ritum Graecum non deſciuiſſe; omnis enim reprehenſio circa neglectas linguas principales verſabatur. Ab Innocentio IV. petierat Epiſcopus quidam in Sclauonia, vt hoc idiomate vti poſſet. Reſcribit autem Pontifex apud Raynaldum ad Annum Chriſti MCCXLVIII. „*vt terrae conſuetudinem, in qua exiſtis Epiſcopus, imiteris, celebrandi Diuina ſecundum praedictam litteram a Nobis licentiam poſtulaſti; Nos igitur attendentes, quod ſermo rei, et non eſt res ſermoni ſubiecta, licentiam Tibi in illis duntaxat partibus, vbi de conſuetudine obſeruantur praemiſſa, dummodo ſententia ex ipſius varietate litterae non laedatur, auctoritate praeſentium concedimus poſtulatam.*„ Quod Liturgia Sclauonica omnis ſolo idiomate differat a Latina, et inde ſatis patet, quod Daniel Papebrochius in Propylaeo adnotauit ſcribens: „*Cyrilli verſio facta eſt ſecundum vulgatam, probatamque in Patriarchatu Romano verſionem Latinam.*„ Latinorum ergo conſuetudini ſeſe homo ceteroquin Graecus adcommodauit. Et ſane in hodiernum diem Illyrii Noſtri eodem Miſſali vtuntur, quo nos. Sed Illyricos, ſeu Illyrios ab initio conuerſionis ſiue Latini Ritus fuiſſe ſuadet etiam id, quod Latina

omnium Eccleſiarum Nobis commiſſa eſſe credatur; ea videlicet ratione, vt ſpirituali augmento valeamus nequitiae caliginem radicitus extirpare ab omni coetu Chriſtianorum, praeſertim ab illis, qui ſpecialiſſimi Filii S. R. Eccleſiae comprobantur. Quis enim ambigit Sclauinorum Regna in primitiis Apoſtolorum, et vniuerſalis Eccleſiae eſſe commemorata, quum a cunabulis eſcam praedicationis Apoſtolicae Eccleſiae perceperunt cum lacte carnis, ſicut Saxones nouo tempore, a Noſtro anteceſſore piae memoriae Gregorio Papa doctrinam pariter, et litterarum ſtudia; in ea videlicet lingua, in qua illorum Mater Apoſtolica Eccleſia inſulata manebat. Vnde hortamur Vos Dilectiſſimi Filii, vt caritas DEI per zelum rectitudinis in Veſtris reſplendeat cordibus, quatenus ab omni torpore mentis expulſi DEO Omnipotenti placere poſſitis; et quia in Decalogi Mandato commiſſum eſt, vt Decimas, et Primitias ex noſtris facultatibus contuliſſemus; in nouo quippe praeceptum eſt, vt non ſolum ex facultatibus, verum etiam ex noſtris diebus, in ſpatio vitae praefixis, DEO decimas offeramus. Vnde hortamur Vos Dilectiſſimi Filii, vt veſtros tenerrimos pueros a cunabulis in ſtudio litterarum DEO offeratis: Quatenus diuinitus informati Vos ſuis admonitionibus valeant releuare ab illecebris delictorum ad ſupernam Patriam, in qua Chriſtus eſt cum omnibus electorum agminibus. Quis etenim ſpecialis Filius Sanctae Romanae Eccleſiae, ſicut Vos eſtis in barbara, ſeu Sclauinica lingua DEO Sacrificium offerre delectatur? Non quippe ambigo, vt in eis aliud maneat, qui in Sclauinica lingua ſacrificare contendunt, niſi illud, quod ſcriptum eſt: „Ex nobis exierunt, et non ſunt ex nobis. Nam ſi ex nobis eſſent, manerent vtique nobiſcum„ niſi in noſtra conuerſatione, et lingua. Vnde iterum, atque iterum Vos monemus Dilectiſſimi Filii, vt in Veſtra conuerſatione maneatis, et linguam, et praecepta Reuerendiſſimorum Epiſcoporum, Ioannis Sanctae Anconitanae Eccleſiae, et Leonis Noſtri familiariſſimi a Noſtro Latere Vobis transmiſſis, in omnibus Nobis creduli, atque perſpicaci induſtria ſuffulti Sanctae Paleſtrinae Eccleſiae audiatis. Quod Vobis attentius commendamus, vt illorum admonitionibus obediatis, et quidquid Vobis ab illis iniunctum fuerit ex Diuinis, ſiue Canonibus argumentis, ſub omni celeritate obedienter adimplere fatagite, ſi non vultis ſequeſtrari a Noſtro collegio.

XXVIII.

lingua ibidem vulgare idioma fuerit apud pleroſque, quemadmodum totius Occidentis lingua exſtitit. Vidimus in ſuperiori Recenſione interfuiſſe Synodo Regiae *Latina lingua loquentes*. Et hinc vetat Canon 10. „*vt nullus Epiſcopus audeat in quolibet gradu Sclauonica lingua promouere*„ extra caſum tamen neceſſitatis. Non debebat ergo eſſe communis, et quotidianus hic Latinam linguam callentium defectus. Sed neque iure poterant Illyrii Graeco Ritui ſubiici, quum omnes, praeter Serblos, ad ipſa vrbe Roma Euangelium acceperint, vt nil dicam de Iure Patriarchatus Occidentalis.

XXVIII.
EPISTOLAE IOANNIS PAPAE.

I.
Ad Salonitanos Clericos.

Reuerendiſſimis, et Sanctiſſimis Episcopis: Vitali Andranſi, Dominico Abſarensi, ceterisque Episcopis Dalmatinis, ſeu Ioanni Archi-Presbytero Sanctae Sedis Salonitanae, omnibusque Sacerdotibus, et Senioribus Populi, habitatoribus Spalatenſis Ciuitatis, atque Zadarenſis, ceterarumque Ciuitatum.

Paſtorali ſolicitudine moti, Vos quaſi Oues Dominicas Nobis in beato Petro Apoſtolorum Principe commiſſas, dicente Domino: *Si diligis me Simon Petre! Paſce oues meas:* licet pro aſſidua Gentium perſecutione nunc vsque impediti, his modo Apoſtolatus Noſtri litteris viſitare curauimus, admouentes Fraternitatem Veſtram, vt more Praeceſſorum Veſtrorum, ad Sedem beati Petri Apoſtoli, quae Caput, et Magiſtra eſt omnium Eccleſiarum DEI, et ad Nos, qui ei Diuinitus praeſidemus, toto animo, libentique voluntate reuerti ſtudeatis: Quatenus inde ſummi honorem Sacerdotii, totius Inſtitutionis Eccleſiaſticae formam ſumatis, vnde Parentes, ac Praeceſſores Veſtros melliflua Sanctae praedicationis, et doctrinae Apoſtolicae potaſſe fluenta recolitis. Reminisci namque debetis, quanta eosdem Praeceſſores Veſtros proſpera euidentisſime comitabantur, quando ad limina Petri coeleſtis Regni Clauigeri deuoto pectore, quaſi proprii filii confluebant; et quanta poſtmodum nunc vsque ſuſtinueritis aduerſa, quum ab ea Vos quaſi alienos ſeparare non dubitaſtis. Quapropter Vos plurimum diligentes, non ea, quae veſtra, ſed Vos quaerentes, Paterna benignitate monemus, atque hortamur, vt ſicut diximus, ad gremium Sanctae Romanae Eccleſiae, Matris Veſtrae redire ouanter attendatis, vt electus a Vobis Canonice Archi-Episcopus vna cum Veſtro omnium conſenſu, et voluntate ad Nos veniens, gratiam Epiſcopalis conſecrationis, Sacrumque pallium a Nobis more priſtino incunctanter percipiat; vt gratiam, et benedictionem S. Petri, ac Noſtram habentes, a malis omnibus liberi, et bonis vniuerſis repleti, et hic in praeſenti ſeculo gaudeatis, et in futuro cum Domino ſine fine proculdubio exultetis. Porro ſi aliquid de parte Graecorum, vel Sclauorum ſuper Veſtra ad Nos reuerſione, vel conſecratione, aut de pallii perceptione dubitatis; ſcitote pro certo, quoniam Nos ſecundum Sanctorum Patrum, Deceſſorumque Noſtrorum Pontificum ſtatuta, Vos adiuuare auctoritate curabimus. Quod ſi forte hanc Noſtram Apoſtolicam admonitionem, imo Canonicam praeceptionem, pro nihilo ducentes, ad Sedem Apoſtolicam Romanae Eccleſiae redire, et inde ſecundum antiquam normam, conſecrationem Epiſcopalem, Sacrumque Pallium recipere contempſeritis, omni Eccleſiaſtica Vos communione ſcitote penitus excommunicandos. Interim tamen auctoritate DEI, et Sancti Petri Vobis praecipimus, vt non habeatis licentiam aliunde conſecrationem, palliumque recipere. Nam ſi

fece-

feceritis, quaſi transgreſſores, et inobedientes Vos ſine dubio iudicabimus. Hanc autem Noſtri Apoſtolatus epiſtolam Fraternitati Veſtrae per hunc praeſentem Ioannem Venerabilem Presbyterum, fidelem familiarem Noſtrum direximus, cui ſcilicet aliqua iniunximus vobis verbotenus referenda; et ideo illi omnia, quae de parte Noſtra dixerit Vobis, credere nullatenus dubitetis. Ipſamque epiſtolam, vt ad omnium Veſtrum notitiam ferant, Bulla Noſtra iuſſimus in calce ſignari. Data X. die Menſis Iunii, indictione XII.

II.

Ad Tuventarum de Marauna.

Tuventaro *(a)* de Marauna.

Scire volumus, quia Nos, qui per DEI Gratiam Beati Petri Apoſtolorum Principis vicem tenemus, pio amore Vos quaſi Cariſſimos Filios amplectimur, et Paterna Dilectione amamus, Noſtrisque aſſiduis precibus Vos omnes Ieſu Chriſto Domino commendamus, orantes ſemper pro Vobis, vt DEVS Omnipotens, qui corda Veſtra illuminauit, et ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet, et vsque ad finem in recta fide, bonaque actione decoratos Vos, atque incolumes dignetur perducere. Quod autem, ſicut Ioanne Presbytero Veſtro, quem Nobis miſiſtis, referente didicimus, in recta fide dubitetis; monemus Dilectionem Veſtram, vt ſic teneatis, ſic credatis, ſicut Sancta Romana Eccleſia ab ipſo Apoſtolorum Principe didicit, tenuit, et vsque in finem ſeculi tenebit, atque per totum mundum quotidie Sanctae Fidei verba, rectaeque praedicationis ſemina mittit, et ſicut Anteceſſores Noſtros, Sanctos videlicet Sedis Apoſtolicae Praeſules, Parentes Veſtros ab initio docuiſſe cognoſcitis. Si autem aliquis Vobis, vel Episcopus veſter, vel quilibet Sacerdos aliter annunciare, aut praedicare praeſumpſerit, Zelo DEI accenſi omnes vno animo, vnaque voluntate doctrinam falſam abiicite, ſtantes, et tenentes traditionem Sedis Apoſtolicae. Quia vero audiuimus, quia Methodius Veſter Archi-Episcopus ab Anteceſſore Noſtro, Hadriano ſcilicet Papa ordinatus, Vobisque directus, aliter doceat, quam coram Sede Apoſtolica ſe credere verbis, et litteris profeſſus eſt, valde miramur: tamen propter hoc direximus illi, vt absque omni occaſione ad Nos venire procuret; quatenus ex ore eius audiamus, vtrum ſic teneat, et credat, ſicut promiſit, aut non. Data vt ſupra, XVIII. nempe Kalendas Iulii, Indict. XII.

III.

Ad Methodium Archi-Episcopum Pannonienſem.

Reuerendiſſimo Methodio Archi-Episcopo Pannonienſis Eccleſiae.

Praedicationis Tuae doctrinis populum Domini, Tibi quaſi Spirituali Paſtori commiſſum ſaluare, inſtruereque quum debeas, audiuimus, quod non ea, quae Sancta Romana Eccleſia ab ipſo Apoſtolo-

(a) Suatopluco; ille enim ſolus regnabat apud Moranos. hunc Zwentibaldum, Zwentibolchum, Zundiboſchum, Sphendoplocum, Sfentopulchrum, Sfetopelechum, Swetopolim, Suetupulcum, Suatocopium vocabant.

ſtolorum Principe didicit, et quotidie praedicat, Tu docendo doceas, et ipſum populum in errorem mittas. Vnde his Apoſtolatus Noſtri litteris Tibi iubemus, vt omni occaſione poſtpoſita, ad Nos de praeſenti venire procures, vt ex ore tuo audiamus, et cognoscamus vtrum ſic teneas, et ſic praedices, ſicut verbis, et litteris Te Sanctae Romanae Eccleſiae credere promiſiſti, aut non; vt veraciter cognoscamus doctrinam Tuam. Audimus etiam, quod Miſſas cantes in Barbara, hoc eſt in Sclauina lingua, vnde iam litteris Noſtris per Paulum Episcopum Anconitanum Tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua Sacra Miſſarum ſolemnia celebrares; ſed vel in Latina, vel in Graeca lingua, ſicut Eccleſia DEI toto terrarum orbe diffuſa, et in omnibus gentibus dilatata cantat. Praedicare vero, aut ſermonem in populo facere Tibi licet, quoniam Pſalmiſta omnes admonet, Dominum gentes laudare, et Apoſtolus: *Omnis*, inquit, *lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt DEI Patris.* Data vt ſupra, eodem Anno, die, quo prior.

IV.

Ad Sfentopulcrum Comitem.

Dilecto Filio Sfentopulcro Glorioſo Comiti.

Induſtriae Tuae notum eſſe volumus, quoniam Confratre Noſtro Methodio Reuerendiſſimo Archi-Episcopo Sanctae Eccleſiae Morauenſis, vna cum Semiſisno fideli Tuo, ad limina Sanctorum Apoſtolorum Petri, et Pauli, Noſtramque Pontificalem praeſentiam veniente, atque ſermone lucifluo referente didicimus Tuae Deuotionis ſinceritatem, et totius populi Tui deſiderium, quod circa Sedem Apoſtolicam, et Noſtram Paternitatem habetis. Nam Diuina Gratia inſpirante, contemptis aliis ſeculi huius Principibus, Beatum Petrum Apoſtolici ordinis Principem, Vicariumque illius habere patronum, et in omnibus adiutorem, ac defenſorem pariter cum Nobilibus Viris fidelibus Tuis, et cum omni populo terrae tuae, amore fideliſſimo elegiſti, et vsque ad finem ſub ipſius, et Vicarii eius defenſione colla ſubmittens, pio affectu cupis, auxiliante Domino, vtpote Filius deuotiſſimus permanere. Pro qua ſcilicet tanta fide, ac deuotione Tua, et populi Tui, Apoſtolatus Noſtri vlnis extenſis, Te quaſi vnicum Filium amore ingenti amplectimur; et cum omnibus fidelibus Tuis Paternitatis Noſtrae gremio, veluti oues Domini Nobis commiſſas, recipimus, vitaeque pabulo clementer nutrire optamus, atque Noſtris aſſiduis precibus Omnipotenti Te Domino commendare ſtudemus: quatenus Sanctorum Apoſtolorum ſuffragantibus meritis, et in hoc ſeculo aduerſa omnia ſuperare, et in coeleſti poſtmodum Regione cum Chriſto DEO Noſtro valeas triumphare. Igitur hunc Methodium Venerabilem Archi-Episcopum Veſtrum interrogauimus coram poſitis Fratribus Noſtris Episcopis, ſi Orthodoxae Fidei Symbolum ita crederet, et inter Sacra Miſſarum ſolemnia caneret, ſicuti Sanctam Romanam Eccleſiam tenere, et in Sanctis ſex vniuerſalibus Synodis, a Sanctis Patribus, ſecundum Euangelicam Chriſti DEI Noſtri auctoritatem, promulgatum, atque traditum conſtat. Ille autem profeſſus eſt, ſe iuxta Euangelicam, et Apoſtolicam doctrinam ſicuti Sancta Romana Eccleſia docet, et a Patribus traditum eſt, tenere, et pſallere. Nos autem illum in omnibus Eccleſiaſticis doctrinis, et vtilitatibus orthodoxum, et proficuum eſſe reperientes, Vobis iterum ad regendam commiſſam ſibi Eccleſiam DEI remiſimus, quem veluti Paſtorem proprium vt digno honore, et reuerentia, laetaque mente

recipiatis, iubemus: quia Noſtrae Apoſtolicae auctoritatis praecepto Archi-Epſcopatus et Priuilegium confirmauimus, et in perpetuum, DEO iuuante, firmum manere ſtatuimus, ſicuti Anteceſſorum Noſtrorum auctoritate, omnium Eccleſiarum DEI iura, et priuilegia ſtatuta, et firmata conſiſtunt: ita ſane, vt iuxta Canonicam traditionem, omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam habeat ipſe, et ea, velut DEO contemplante, diſpenſet. Nam populus Domini illi commiſſus eſt, et pro animabus eorum, hic redditurus erit rationem: ipſum quoque Presbyterum nomine Wichinum, quem Nobis direxiſti, electum Epiſcopum conſecrauimus Sanctae Eccleſiae Nitrenſis, quem ſuo Archi-Epiſcopo in omnibus obedientem, ſicuti Sancti Canones docent, eſſe iubemus: et volumus, vt pariter cum ipſius Archi-Epiſcopi conſenſu, et prouidentia, alterum Nobis apto tempore vtilem Presbyterum, vel Diaconum dirigas, quem ſimiliter in alia Eccleſia, in qua Epiſcopalem veſtram noueris eſſe neceſſariam, ordinemus Epiſcopum, vt cum his duobus a Nobis ordinatis Epiſcopis, Praefatus Archi-Epiſcopus Veſter, iuxta decretum Apoſtolicum, per alia loca, in quibus Epiſcopi honorifice debent, et poſſint exiſtere, poſtmodum valeat ordinare. Presbyteros vero, Diaconos, ſeu cuiuscunque ordinis Clericos, ſiue Sclauos, ſiue cuiuslibet gentis, qui intra Prouinciae Tuae fines conſiſtunt, praecipimus eſſe ſubiectos, et obedientes in omnibus, iam dicto Confratri Noſtro Archi-Epiſcopo Veſtro, vt nihil omnino praeter eius conſcientiam agant. Quod ſi contumaces, et inobedientes exiſtentes, ſcandalum aliquod, aut ſchiſma facere praeſumpſerint, et poſt primam, et ſecundam admonitionem ſe minime correxerint, quaſi zizaniorum ſeminatores, ab Eccleſiis, et finibus Veſtris auctoritate Noſtra praecipimus eſſe procul abiiciendos, ſecundum auctoritatem Capitulorum, *(a)* quae illi dedimus, et vobis direximus. Litteras denique Sclauonicas a Conſtantino quodam Philoſopho repertas, quibus DEO laudes debite reſonent, iure laudamus; et in eadem lingua Chriſti Domini Noſtri praeconia, et opera, vt enarrentur, iubemus. Neque enim tribus tantum, ſed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate ſacra monemur, quae praecipit, dicens: *Laudate Dominum omnes gentes, et collaudate eum omnes populi.* Et Apoſtoli repleti Spiritu Sancto locuti ſunt omnibus linguis magnalia DEI. Hinc et Paulus coeleſtis quoque tuba inſonat, monens: *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt DEI Patris.* De quibus etiam linguis in prima ad Corinthios epiſtola ſatis, et manifeſte nos admonet: quatenus linguis loquentes Eccleſiam DEI aedificemus. Nec ſane Fidei, vel Doctrinae aliquid obſtat, ſiue Miſſas in eadem Sclauonica lingua canere, ſiue Sacrum Euangelium, vel lectiones diuinas noui, et veteris Teſtamenti bene translatas, et interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia pſallere: Quouiam qui fecit tres linguas Principales, Hebraeam ſcilicet, Graecam, et Latinam, ipſe creauit et alias omnes ad laudem, et gloriam ſuam. Iubemus tamen, vt in omnibus Eccleſiis terrae Veſtrae propter maiorem honorificentiam Euangelium latine legatur; et poſtmodum Sclauonica lingua translatum in auribus populi latina verba non intelligentis, annuncietur; ſicut in quibusdam Eccleſiis fieri videtur. Et ſi tibi, et iudicibus tuis placet Miſſas latina lingua magis audire, praecipimus vt latine Miſſarum tibi ſolemnia celebrentur. Data Menſe Iunio, Indictione decima tertia.

V. *Ad*

(a) Ex hoc loco puto colligi poſſe, quod quandam Capitulorum, ſeu Canonum collectionem miſerit, ſicut Hadrianus Carolo.

V.

Ad Methodium Archi-Epiſcopum.

Methodio Archi-Epiſcopo pro Fide.

Paſtoralis ſollicitudinis Tuae curam, quam in lucrandis animabus fidelium Domino DEO Noſtro exhibes, approbantes, et Orthodoxae Fidei Te cultorem ſtrenuum exiſtere contemplantes, nimis in eodem Domino iocundamur, et ei immenſas laudes, et gratias agere non ceſſamus: Quia Te magis, ac magis in ſuis mandatis accendat, et ad Sanctae ſuae Eccleſiae profectum ab omnibus aduerſitatibus clementer eripiat. Verum auditis per Tuas litteras variis caſibus, vel euentibus Tuis, quanta compaſſione tibi condoluerimus, ex hoc aduertere poteris, in quo Te coram Nobis poſitum, Sanctae Romanae Eccleſiae doctrinam, iuxta Sanctorum Patrum *(a)* probabilem traditionem, ſequi debere monuimus, et tam Symbolum, quam rectam fidem a Te docendam, et praedicandam ſubdidimus; Noſtriſque Apoſtolicis litteris glorioſo Principi Sfentopulco, quas Ei aſſeris fuiſſe delatas, hoc ipſum ſignificauimus, et nequae aliae litterae Noſtrae ad eum directae ſunt, neque Epiſcopo illi palam, vel ſecreto aliud faciendum iniunximus, et aliud a Te peragendum decreuimus: quanto minus credendum eſt, vt Sacramentum ab eodem Epiſcopo exegerimus, quem ſaltem leui ſermone ſuper hoc negotio allocuti non fuimus. Ideoque ceſſet iſta dubietas, et DEO cooperante, ſicut Euangelica, et Apoſtolica ſe habet doctrina, Orthodoxae Fidei cultum fidelibus cunctis inculca, vt de labore Tui certaminis Domino Ieſu Chriſto fructum afferas abundantem, et gratia eius remuneratus, mercedem recipias competentem. Ceterum de aliis tentationibus, quas diuerſo modo perpeſſus es, noli triſtari; quin potius hoc ſecundum Apoſtolum, omne gaudium prorſus exiſtima. Quia ſi DEVS pro te, nemo eſſe poterit contra te: tamen quum D E O Duce reuerſus fueris, quidquid enormiter aduerſum Te eſt commiſſum, quidquid iam dictus Epiſcopus contra ſuum miniſterium in Te exercuit; vtramque audientiam *(b)* coram Nobis diſcuſſam, adiuuante Domino, legitimo fini trademus, et illius pertinaciam iudicii Noſtri ſententia corripere non omittemus. Data Decimo Kalendas Aprilis, Indictione decima quarta.

XXIX.
CONCILIVM PROVINCIALE, a Mladalberto Apoſtolicae Sedis Legato celebratum A: C: DCCCCXXVIII.

Et ex Hiſtoria maiori Salonitana editum.

I.

Vnde frequenter *(c)* eadem poſcentibus Nobis definitionem recipere, hac de cauſa terminando iniunctam ſibi operis Bulgariam petentes Romano-

(a) Caue ſis voci huic ſignificationem eam imprimere, quam ſuis opinionibus laxi quidam Theologi morales dederunt; *probabilis* id eſt: *rectae, probatae fidei*,

(b) Videtur hoc dicere, quod vbi vtrumque audiuerit, legitime definiet.

(c) Exordium Synodi deeſt.

manorum Legati Mladalbertus Ven. Epiſcopus, et Ioannes Dux, Illuſtris Dux Cumas; quae ſequuntur epiſtolae, ad Nos poſt biennium deuenerunt. Peruenientes igitur praefati Legati ad confinia noſtra, et ſicut illis opus iniunctum Apoſtolica iuſſione fuit, Bulgariam perrexerunt, quique peracto negotio pacis inter Bulgaros, et Croatos, repetito itinere ad Nos Venerabil. Mladalbertus Epiſcopus in Eccleſia Spalatenſi aduenicns, Synodaliter Nos Epiſcopos Ioannem, Forminum, Gregorium, cum Croatorum Principe, et eius Proceribus congregauit; cum quibus reſidens cuncta Prouinciae antiquae conſuetudinis iuſto moderamine perſcrutans, firmauit omnia ſecundum veterum ſtatuta in omnibus Eccleſiis Epiſcoporum Priuilegia redintegrari. Ita duntaxat, vt Eccleſia S. Domnii *(a)* ſicut ab initio, primatum obtineat, et intra limites Dioeceſis ſuae cuncta Canonice peragat. Similiter vnaquaeque Eccleſia, vel Ciuitas, quae Pontificali munere conſtipata *(b)* conſiſtit, ſimul ſedem retineat, et cum praefinitis terminis Dioeceſi ſuae a Patribus iuſtitutis regulariter vtatur; tam Jadertina Eccleſia, quam ceterae Eccleſiae Dalmatiarum, Arbenſis, Vedenſis, *(c)* Abſarenſis, quae ſunt in Occidentali parte poſitae. Eccleſiae vero aliae, quae in Oriente habentur, id eſt: Stagneuſis, Raguſiana, et Catharitana eamdem plenitudinem ſedibus, et terminis ſuis in omnibus Catholicae Fidei dogma tenentibus adſequautur. Nonenſis vero Eccleſia non Epiſcopum antiquitus, ſed Archi-Presbyterum ſub ditione Epiſcopi habuiſſe cognoscitur. Conſtat legitime, vt ipſe Epiſcopus in qualibet Eccleſia ex his Eccleſiis, quas primis temporibus habuiſſe Epiſeopos omnibus patet; quum ſint vtrinque omnes populatae, et DEO adiuuante Sacerdotum, et Plebium copiam habentes proponatur, ſiue in Scardonitana Eccleſia, vel Sisciana *(d)* aut certe in Delminenſi Eccleſia. Quod ſi immenſum Pontificii *(e)* ſubire delectat, et vnam ſibi Dioeceſium ſufficere non vult, harum trium magnitudinem Dioeceſei ponderis ad interitum ſuum, et eorum ſuſcipiat; dum neque plebs perſecte ab eo Pontificali munere percipere valeat gratiam iuxta Sanctorum Patrum ſtatuta, neque ipſe adimplere ſuum in eis officium valeat, quum ſit propter multa terrarum ſpatia difficile peragrari. His ita ſecundum Apoſtolicam iuſſionem Mladalbertus Venerabilis Epiſcopus perſcrutatus omnia, et comperta veraciter, feliciter ſanciuit, ita vt nullus vnquam huius ordinationis violator exiſtat; quum cuncta, quae praelibata, vt dictum, per Apocriſarium Romano Pontifici fuerint praeſentata, et ab eo Diuina auctoritate, et Sancti Petri per ſuas litteras, et Pallii miſſione confirmata.

II. *Epi-*

(a) Spalatenſis nimirum.

(b) Forte legendum: cohoneſtata, niſi forte conſtipata diceretur Eccleſia ex frequentia populi, quae ad habendam Cathedram Epiſcopalem neceſſaria eſt; vel conſtipatum idem ſit, ac participem eſſe. Apud Du Cange enim *conſtips* idem eſt, ac *particeps*. Senſus ergo eſſet, quae Pontificali munere coniuncta eſt.

(c) Vegleuſis.

(d) Nunc Zagrabienſi.

(e) Subintellige: onus.

II.

Epiſtola Leonis VI. in qua confirmat ſtatuta Mladalberti A: C: 928.

Leo Episcopus Seruus Seruorum DEI Formino Sanctae Jadaretenſis Ecclesiae Episcopo, et Gregorio Sanctae Nonenſis Eccleſiae Epiſcopo, omnibusque Episcopis per Dalmatiam commorantibus Dilectis Fratribus, et Fidelibus Noſtris.

Quia gratuita DEI Omnipotentis miſericordia Vos in Episcopali *(a)* infula conſtituit, dignum eſt, vt Veſtro Metropolitano Sanctae Spalatenſis Eccleſiae Archi-Episcopo ſummam reuerentiam exhibere delectemini, quatenus per ordinem, et normam Iuſtitiae gradientes ſecuri, et intrepidi valeatis ad Diuinam contemplationem *(b)* peruenire. Nam quid deterius eſſe cernitur, quam Episcopus proprio Metropolitano inobediens, quum ſcriptum ſit in Africano Concilio: Nihil Episcopum praeter conſcientiam proprii Metropolitani agere debere. Et ſi ita eſt, quum ſcimus, quia ita eſt, vt nullus Episcopus debeat proprium ſuum Metropolitam ignorare; cur Vos Dalmatiarum Episcopi contemptores, *(c)* et quaſi per latrocinium alienas Parochias diripientes vſurpatis Vobis profano more nomen, quod ab antiquis Patribus Vobis ereptum *(d)* eſſe cernitur. Vnde monemus Vos, vt omnes Episcopi in propriis limitibus ſint contenti. Forminum namque monemus, ita ſuam Parochiam retinere, quemadmodum in antiquis temporibus manſit. Similiter Abſarenſis Eccleſiae Episcopum, et Arbitanum, atque Raguſitanum, Spalatensem etiam Archi-Episcopum in Croatorum terra volumus, vt propriam ſuam Parochiam retineat, quemadmodum antiquitus Salonitana Eccleſia retinebat. Quia non poteſt Parochia infra muros ciuitatis terminari, *(e)* ſed per longinqua ſpatia terrarum in plebibus, et villis, et curis, *(f)* et Eccleſiis, et in populo antiquitus determinato. Gregorium vero, qui improbitate temporis in Croatorum terra Episcopus effectus eſt, praecipimus in ſola Scardonitana Eccleſia tantummodo miniſtrare, alienas Parochias ei praecipimus nullo modo amplius vſurpare, quia ſi fecerit, ſine dubio a Noſtro Pontificio *(g)* excommunicatus manebit. Pallium vero, et vſum Pallii Ioanni Sanctae Spalatenſis Eccleſiae Archi-Epiſcopo, ſicut antiqua conſuetudo fuit, conceſſimus. Cui volumus, vt tota mente obediatis, eumque, vt Veſtrum Patrem ametis, quia nunc DEI gratia ſubditis illuxerit, quum ſuis Praepoſitis curam obedientiae exhibere delectantur. Amen.

SY-

(a) Id eſt: *In Episcopali dignitate.*

(b) Plaudant, qui eſſentialem vitae beatae felicitatem in viſione DEI conſtituunt: ſed attendant, haec non eſſe verba definientis, adeoque ſaluam manere ſententiarum libertatem.

(c) Subaudi: *eſtis.*

(d) Intellige: *interdictum*, et ideo, quaſi exeptum.

(e) Non oportet ergo eſſe nimis anguſtas Dioeceſes.

(f) Ego mallem legi: *curtis.*

(g) Farlatus ait: *a Noſtro Pontificio*, id eſt: communione; ego autem puto: *a Sede Noſtra* intelligendum eſſe.

XXX.
SYNODI PANNONIAE SECVLI X.

Epiſcopi Bauariae ad Ioannem IX. Tom. II. Concil. Labb. col. 236. edit. Venet. Pataùienſis Epiſcopus ciuitatis, in cuius Dioeceſi ſunt illius terrae (Pannoniae, et Morauiae) Populi ab exordio Chriſtianitatis eorum, quando voluit, et debuit, illuc nullo obſtante intrauit, et Synodalem cum ſuis, et etiam inibi viuentibus conuentum frequentauit, et omnia, quae agenda ſunt, potenter peregit.

XXXI.
EPISTOLAE EPISCOPORVM GERMAmaniae, de Statu Eccleſiarum Morauenſium, et Pannonicarum.

I.

Epiſtola Hattonis Moguntinenſis Archi-Epiſcopi, eiusque ſuffraganeorum ad Ioannem IX. Papam.

Domno Sanctae, et Apoſtolicae, et vniuerſalis Romanae Eccleſiae Papae, Hatto indignus Praeſul Moguntinenſis Eccleſiae, cum vniuerſis Suffraganeis Noſtrae exiguitati adiunctis, debitum Orationis officium, et fidelem ſeruitutem.

Nouerit igitur Sublimitas Sanctitatis Veſtrae, quod nulla Fratrum *(a)* vnanimitas Sanctae Romanae Eccleſiae poteſtati ſubiecta, fidelior, atque deuotior, ac ſubiectior apparet, quam Nos, qui Veſtrae Dominationi, et Capiti omnium Eccleſiarum omni mentis intentione ſubiicimur, plurimum gaudentes in Domino, et in dono gratiae ipſius, quod per Veſtram Sanctitatem, et ſapientiam magnifice, et ampliſſime ſedes eiusdem Eccleſiae dilatatur in Religione diuina: et in hoc inſtantiſſime precibus incumbimus, deprecantes Diuinam clementiam, vt ad altiora ſemper conſcendere Vos, et de die in diem meliora ſectari, atque perficere concedat. De cetero Veſtrae Clementiae innoteſcimus, *(b)* Seniorem Noſtrum *(c)* Arnulphum Imperatorem de huius vitae exilio migraſſe. Sed quamdiu in hoc mundo ſubſiſtimus per incerta ferimur, nescientes vbi quorundam animae poſt hanc lucem manſio-

(a) *Vnanimitas* licet concordiam ſignificet alias. hic tamen pro congregatione ſumendum.

(b) *Innoteſcimus*: Significamus.

(c) Alibi diximus Reges appellari Seniores, ſeu Dominos. In actis Concilii Ticinenſis anni DCCCLXXVI. Iuramentum Anſperti Mediolanenſis Archi-Epiſcopi: „*Promitto ego, quia de iſto die in antea iſti Seniori meo, quamdiu vixero, fidelis etc.* (iurauit autem fidelitatem Carolo Regi.) Sic in Concilio Ticinenſi altero anni 889. *Rege, et Seniore Noſtro Vuidone in aula Ticinenſi* et Cap. 13. *Seniorem piiſſimum, et Regem excellentiſſimum pari conſenſu etc.*

ſionem recipiant: Veſtris quaſi *(a)* prouoluti veſtigiis ſubnixe poſcimus, vt animam ipſius Veſtrae auctoritatis poteſtate a vinculis peccatorum *(b)* abſoluatis, quia *quaecunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta in coelo.* „Mat. 16. Tali vero Domino, Rectore, et Gubernatore amiſſo, in Noſtris partibus vacillauit nauis Eccleſiae. Quem Regem eligeret paruo tempore inſcia manſit; et quia timor magnus aderat, ne ſolidum regnum in partes ſe ſcinderet, Diuino, vt credimus, inſtinctu factum eſt, vt Filius Senioris Noſtri quamuis paruiſſimus, communi conſilio Principum, et totius populi conſenſu in Regem eleuaretur. Et quia Reges Francorum ſemper ex vno genere procedebant, maluimus priſtinum morem ſeruare, quam noua inſtitutione inſidere. Sed cur hoc ſine Veſtra iuſſione, *(c)* et permiſſione factum ſit, Veſtram baud dubitamus latere prudentiam.

Nulla ſcilicet alia cauſa actum conſtat, niſi quia paganis inter Nos, et Vos conſiſtentibus, impeditum eſt iter Noſtrum ad Sanctam Matrem Noſtram Romanam Sedem: ita vt nec Legati a Noſtra paruitate ad Veſtram Dignitatem dirigi potuiſſent. Sed quia tandem occaſio, et tempus aduenit, quo Noſtra epiſtola Veſtris obtutibus praeſentaretur: rogamus, Noſtram communem conſtitutionem, Veſtrae Dominationis *(d)* benedictione roborari. Inſuper etiam pietati Veſtrae intimamus, quod Fratres, et Coepiſcopi Noſtri Bauarienſes ſe apud nos conquerentes, et alta ſuſpiria trahentes gemebant, qualiter Marauenſes populi Francorum poteſtati rebelles, iactent ſe ab illorum conſortio eſſe diuiſos, et ſeorſum Metropolitano glorientur a Veſtra conceſſione eſſe ſublimatos, quum nunquam Metropolitana Sedes inter illos haberetur, ſed ſemper illorum Prouinciae, et Dioeceſi cohaererent. Dolebant ſe etiam apud nos, quod quorundam machinatione, magna infamia circa *(e)* Veſtram Celſitudinem eſſent denotati, ſcilicet, vt cum Paganis foedus, et pacem inirent, et ipſi Pagani conſilio eorum agerent tam multa nefaria, et illicita.. De his omnibus conſilium a nobis quaerentibus Bauarienſibus Epiſcopis, iuſtum reſpondimus eſſe, Fratrum ſolatio ſemper adhaerere; quia Propheta inquit: Pſ. 131. *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare Fratres in vnum.* Illi vero non in vnum habitant, qui Fratrum ſe ſolatio ſubtrahunt, aut Fratribus inſidias praeparant.

Nos illorum triſtitiae compatientes, noluimus illis conſilium de talibus obiectionibus praebere, priusquam ad Veſtram interrogationem per epiſtolam noſtram veniremus. Semper noſcimus, carnales ſpirituales ſolere perſequi, et maleuolos beneuolos infirmare, et lacerare. Praeuidere ergo ſummopere debent omnes, qui Sacerdotes Domini perſequuntur tam occulte, quam manifeſte, ne ad illos pertineat, quod Propheta dixit Pſal. 139. *Cogitauerunt malitias in corde ſuo, tota die conſtituebant praelia, exacuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Et paulo poſt: *Cadent ſuper eos carbones, in ignem deiicies eos.* Et iterum: *Vir linguoſus non dirigetur in terra, virum iniuſtum mala capient in interitu.* Et per Ieremiam inquit Dominus: *Omnes in ſanguine iudicantur. Vnusquisque proximum ſuum tribulat. Omnes in malum manus ſuas*

 prae-

(a) Quaſi ſignificat vere; eſt Phraſis ſcripturiſtica iuxta illud S. Ioannis: *quaſi vnigeniti a Patre.*

Quid dicendum de abſolutione mortuorum?

(b) Haec abſolutio nil vltra Orationem importat. vnoe mortuos abſoluere dicimus, dum conſuetas pro illis preces perſoluimus. Ceterum apud S. Greg. exemplum habemus abſolutionis ab excommunicatione poſt mortem conceſſae, quae tamen eo reduci debet.

(c) Agnoſcebant ergo ius Papae aliquod: Et poſt haec, quid mirum, ſi deſtituendi ius eo pariter reuocarint?

(d) Leo VIII. Papam Gregorium Dominum vocat; forte inde manauit, vt Papa diceretur Domnus Apoſtolicus.

(e) Apud.

praeparant. Non debent enim alieni, Episcoporum aut accuſatores, aut iudices fieri. Vnde de Loth eſt ſcriptum: Gen. 13. *Ingreſſus es vt aduena; nunquid vt iudices?* Accuſator autem Epiſcoporum nullus ſit ſeruus, aut libertus, nullaque perſona ſuſpecta, aut infamis; repellantur inimici, et omnes Laici. Iſti Fratres, et Coepiſcopi Noſtri Bauarienſes, veraces DEI Cultores, et boni Paſtores, peruigili cuſtodia cuſtodiunt gregem ſibi commiſſum, ne lupi rabies aliquam Sancti gregis ouiculam rapiat in praedam ſuam. Stant pro muro domui Iſraël, ne aliqua vis inimica firmamentum Eccleſiae diſſoluat. Qui tales inquietat, et ſua malitia impugnat, licet praeſentem, futuram tamen non euadet poenam, quia ſcriptum eſt Zachar. 3. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Haec autem omnia perſcripta vobis ideo dirigimus, qui eſtis Caput totius Sanctae Eccleſiae, quaecunque per orbem diffunditur, et ſolamen moerentium, quaecunque triſtia nobis contigerunt membris veſtris: quia Sanctiſſimi Paſtores Chriſti, in nulla re a Catholica Fide deuiantes, ſed eandem Sanctis operibus, et Eccleſiaſticis officiis ornantes, apud nos querentes poſtulauerunt, vt veſtrae notitiae manifeſta faceremus, quia et illi per ſe ipſos vobis eadem innoteſcere, vita comite, promittebant. Vnde poscimus, vt Veſtra conſolatio illorum moerorem ad laetitiam reformet, et ſemper talia membra ſummo Chriſti, quod eſtis Vos, ſe gaudeant adhaerere. Illi autem Marauenſes, vt noſtris auribus illatum eſt, in occaſionem ſuperbiae ſuae aſſumunt, quia a Veſtra conceſſione dicunt ſe Metropolitanum ſuscipere, et ſingulariter degentes, aliorum Epiſcoporum conſortia refutant. Si hac confidentia diutius inflantur, vsque ad ſanguinis effuſionem, vt multi arbitrantur, proſilient. In quantum praefuimus, admonemus, quatenus Veſtra auctoritas, priusquam hoc contingat, ad humilitatis viam illos corrigendo deponat; vt tandem cognoſcant, cui dominatui ſubiici debeant. Nos ſiquidem debitores eſſe cognoſcimus, ſiquid a Sanctae Matris, Romanae Eccleſiae ſcilicet contigerit elabi, vos inde certificari, vt veſtra potentia ad rectitudinis lineam perducatur. Quod ſi veſtra admonitio illos non correxerit, velint, nolint, Francorum Principibus colla ſubmittent, et credimus absque effuſione ſanguinis, et mutua caede ex vtràque parte, tunc poſſe bene contingere. Iterum, iterumque Veſtrae Dignitatis auribus replicamus, quod tam Epiſcopi, quam Laici Bauarienſes in Religione Chriſtianitatis nulla gente inferiores eſſe probantur, neque vnquam Franci absque illorum auxilio, aut in Eccleſiaſticis rebus, vel in bellicis negotiis nominatim, vel fama dignum aliquid peregerunt. Sicut neque illi absque iſtis.

II.

Epiſtola Theotmari Iuuauienſis Eccleſiae Archi-Episcopi, et aliorum Episcoporum ad Ioannem IX.

Summo Pontifici, et vniuerſali Papae, non vnius vrbis, ſed totius orbis, Domino Ioanni, Romanae Sedis Gubernatori Magnifico, humillimi Paternitatis Veſtrae Filii, Theotmarus Juuauienſis Eccleſiae Archi-Episcopus, Vozedo Friſingenſis, Erchenpaldus Cyſtatenſis, Zacharia Saebonenſis, Tutto Ratisponenſis, Richarius Patauienſis Eccleſiae Episcopus, nec non et vniuerſus Clerus, Populus,

pulusque Chriſtianus per totam Noricam, quae et Bauoaria vocatur, proſperum in Saluatore Noſtro profectum, Catholicae pacis augmentum, et Regnum optamus aeternum.

Anteceſſorum Veſtrorum Decretis, et Catholicorum Patrum inſtitutis pleniſſime inſtruimur in omnibus Noſtro miniſterio Sacerdotali obſtantibus, et aduerſantibus Romanum appellare Pontificem; vt quod ad vnitatem concordiae, et ad cuſtodiam pertinet diſciplinae, nulla diſſenſione violetur, ſed ab ipſo ſumma prouiſione diſcernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti ſoepe audimus, vt de illa Sancta, et Apoſtolica Sede, quae Nobis Sacerdotalis Mater eſt Dignitatis, et origo Chriſtianae Religionis, profluxerit quippiam peruerſitatis, ſed doctrina, et auctoritas Eccleſiaſticae rationis. Sed venerunt, vt ipſi promulgauerunt, de latere veſtro tres Epiſcopi, videlicet Ioannes Archi-Epiſcopus, Benedictus, et Daniel Epiſcopi in terram Sclauorum, qui Maraci dicuntur, quae Regibus Noſtris, et Populo noſtro, Nobis quoque cum habitatoribus ſuis ſubacta fuerat, tam in cultu Chriſtianae Religionis, quam in tributo ſubſtantiae ſecularis, quia exinde primum imbuti, et ex Paganis Chriſtiani ſunt facti. Et idcirco Patauienſis Epiſcopus ciuitatis, in cuius Dioeceſi ſunt illius tempore populi, ab exordio Chriſtianitatis eorum, quando voluit, et debuit, illuc nullo obſtante intrauit, et Synodalem cum ſuis, et etiam ibi inuentis Conuentum frequentauit, et omnia, quae agenda ſunt, potenter egit, et nullus ei in faciem reſtitit. Etiam et noſtri comites illi terrae confines placita ſecularia illic continuauerunt, et quae corrigenda ſunt, correxerunt, tributa tulerunt, et nulli eis reſtiterunt; vsque dum inceſſente corda eorum diabolo, Chriſtianitatem abhorrere, et omnem iuſtitiam detrectare, belloque laceſſere, et obſiſtere ſaeuiſſime coeperunt, adeo vt via Epiſcopo, et Praedicatoribus illo non eſſet, ſed libitu ſuo egerunt, quae voluerunt. Nunc vero, quod graue nobis videtur, et incredibile, in augmentum iniuriae iactitant ſe magnitudine pecuniae id egiſſe, qualia de illa Apoſtolica Sede nunquam audiuimus exiiſſe, neque Canonum decreta ſanxiſſe, vt tantum ſchisma vna pateretur Eccleſia. Eſt enim vnus Epiſcopatus in quinque diuiſus. Intrantes enim praedicti Epiſcopi in nomine Veſtro, vt ipſi dixerunt, ordinauerunt in vno, eodemque Epiſcopatu vnum Archi-Epiſcopum, (ſi tamen in alterius Epiſcopatu Archi-Epiſcopium eſſe poteſt) et tres ſuffraganeos eius Epiſcopos, abſque ſcientia Archi-Epiſcopi, et conſenſu Epiſcoporum, in cuius fuerunt Dioeceſi. Quum in Concilio Africano cap. 20. Decretum ſit, vt plebes, quae in Dioeceſibus ab Epiſcopis retinentur, quae nunquam Epiſcopos habuerunt, nonniſi cum voluntate eius Epiſcopi, a quo tenentur, proprios accipiant Rectores, vel Epiſcopos. Et item in eodem Concilio cap. 65. vt plebes, quae nunquam habuerunt ſuos Epiſcopos, niſi ex Concilio plenario vniuscuiusque Prouinciae, et Primatis, atque conſenſu eius, ad cuius Dioeceſim eadem plebs pertinebat, Epiſcopos minime accipiant. In Decretis Papae Leonis cap. 15. ſcriptum eſt: nulla ratio ſinit, vt inter Epiſcopos habeantur, qui a Prouincialibus Epiſcopis, cum Metropolitani iudicio non conſecrantur. Item cap. 49. Si indignis quibusque, et longe extra Sacerdotale meritum conſtitutis, paſtorale faſtigium, et gubernatio Eccleſiae detur: non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere, nec praeſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Et in eodem capite poſt pauca: Difficile eſt, vt bono peragantur exitu, quae malo ſunt inchoata principio. Et in Decreto Papae Coeleſtini Anteceſſoris Veſtri, Zuen-

tibaldo Duce impetrante, Vuichingum conſecrauit Epiſcopum, et nequaquam in illum antiquum Patauienſem Epiſcopatum eum transmiſit, ſed in quandam Neopbytam gentem, quam ipſe Dux domuit bello, et ex Paganis Chriſtianos eſſe patrauit. Quum autem eisdem Sclauis locus familiaritatis apud Legatos veſtros dabatur, accuſabant nos, et diffamabant nos in multis, et verbis mendacibus inſtabant, quia nemo eis vera respondebat, dicentes nos, et cum Francis, et Alemanis ſcandalum, et diſcordiam habuiſſe: quum hoc falſum eſſe ex hoc conuincitur, quia amiciſſimi noſtri ſunt, et caritatiue cooperantes; et etiam cum ipſis impacatos eſſe accuſabant.

Quod non noſtra culpa exigente, ſed ſua proteruia ſaciente, ita ſatemur eſſe. Quia quando Chriſtianitas illis coepit vileſcere, et inſuper debitum tributum Senioribus Noſtris Regibus, et Principibus eorum ſoluere respuerunt, belloque reſiſtere, et gentem noſtram coeperunt laceſſere; orta eſt ſeditio inter illos. Et quoniam armis ſibi eos defenderunt, et in ſeruitium redegerunt: idcirco iure proprio tributarios habere debuerunt, et debent, et ſiue velint, ſiue nolint, regno Noſtro ſubacti erunt. Quapropter oportet Vos ab alto ſpeculari, et moderaminis temperiem prae omnibus tenere, ne peior pars conſortetur, et melior infirmetur. Progenitores namque Sereniſſimi Senioris Noſtri, Ludouici ſcilicet Imperatoris, et Reges ex Chriſtiana Francorum gente prodierunt. Moimarii vero Schlaui a Paganis, et Ethnicis venerunt. Illi potentia imperiali Romanam Rempublicam ſublimauerunt, iſti damnauerunt. Illi Chriſtianum regnum conſortauerunt, iſti infirmauerunt. Illi toti mundo ſpectabiles apparuerunt, iſti latibulis, et vrbibus occultati fuerunt. Illorum conſilio Apoſtolica Sedes pollebat, iſtorum percuſſione Chriſtianitas dolebat. In omnibus his iuuenculus Rex noſter, nulli praedeceſſorum ſuorum inferior, ſecundum virtutem a DEO ſibi datam, Sanctae Romanae Eccleſiae, et Vobis Summo Pontici, cum omnibus regni ſui Principibus adiutor optat eſſe fortiſſimus. Omne namque regnum diuinitus ſibi commisſum, ad DEI ſeruitium, ſuumque adiutorium vnum vult, et operatur. Vnde et pace viget, et concordia gratulatur, atque ad Veſtram Paternitatem, ſicut Patres ſui ſe pertinere laetatur. Quod nos praeſati Schlaui criminabantur, cum Vngaris fidem Catholicam violaſſe, et per canem, ſeu lupum, aliasque nefandas, et ethnicas res *(a)* Sacramenta, et pacem egiſſe, atque vt in Italiam tranſirent, pecuniam dediſſe: ſi vobis coram poſito, ratio inter nos agitaretur ante DEVM, qui cuncta nouit, antequam fiant. et coram vobis, qui vicem eius Apoſtolicam tenetis: eorum falſitas manifeſtaretur, et innocentia noſtra probaretur. Quia enim Chriſtianis noſtris, longe a nobis poſitis, ſemper imminebant, et perſecutione nimia affligebant, donauimus illis nullius pretioſae pecuniam ſubſtantiae, ſed tantum noſtra linea veſtimenta, quatenus aliquatenus eorum feritatem molliremus, et ab eorum perſecutione quieſceremus. Talia namque, vt praeſcripſimus, iuxta malitiam cordis ſui argumentantes, et Pontifices Noſtros ad iniuriam noſtram incitantes, adeo, vt directa Nobis epiſtola, quaſi ab Apoſtolica Sede, haec omnia inproperabant. et diuerſas iniurias ingerebant, atque inter alia diuino gladio feriendos dignos nos dicebant. Impletur enim in nobis, quod quidam ſapiens ait: „Iuſtus tulit crimen iniqui.„ Ipſi enim crimen, quod nobis falſo ſemel factum impoſuerunt, multis annis peregerunt. Ipſi Vngarorum

non

(a) Huic narrationi aduerſatur Epiſtola S. Pilgrami.

non modicam multitudinem ad ſe ſumpſerunt, et more eorum capita ſuorum pſeudo-Chriſtianorum penitus detonderunt, et ſuper nos Chriſtianos immiſerunt, atque ipſi ſuperuenerunt, et alios captiuos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum fame, et ſiti perdiderunt, innumeros vero exilio deputarunt, et Nobiles viros, et honeſtas mulieres in ſeruitium redegerunt, Ecclefias DEI incenderunt, et omnia aedificia deleuerunt: ita vt in tota Pannonia noſtra maxima Prouincia tantum vna non appareat Eccleſia, prout Epiſcopi a vobis deſtinati, ſi fateri velint, enarrare poſſunt, quantos dies tranſiuerunt, et totam terram deſolatam viderunt. Quando vero Vngaros Italiam intraſſe comperimus, pacificare cum eisdem Schlauis, teſte DEO, multum deſiderauimus, promittentes eis propter DEVM Omnipotentem, ad perfectum indulgere omnia mala contra nos, noſtrosque acta, et omnia reddere, quae de ſuis noſtros conſtaret habere, quatenus ex illis ſecuros nos redderent, et tam diu ſpatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, et res Sancti Petri defendere, populumque Chriſtianum Diuino adiutorio redimere liceret. Et nec ipſum ab eis obtinere potuimus, vt poſt tanta maleficia haberent beneficia: et ſunt falſi accuſatores, qui ſemper fuere Chriſtianorum perſecutores. Si quis in toto mundo alior ſum nos oberraſſe, et inſtitiae reſtitiſſe probare conetur, veniat praeſens, et eum ludificaſſe, nosque de hac re ſanctietis puriſſimos eſſe. Idcirco ſinguli, omnesque admonendo precamur, ne vllo modo alicui falſo, de nobis aliquam ſuſpicionem referenti, creduli ſitis, antequam opportunitas exigat, vt huius rei gratia Miſſus de Veſtra Celſitudine nobis, aut a noſtra paruitate directus appareat Vobis. Communis gemitus, et generalis dolor anguſtat, quos Germania, et tota tenet Norica, quod vnitas Eccleſiae diuiditur ſciſſura. Eſt enim, vt praemiſimus, vnus Epiſcopatus in quinque diuiſus; ideo ſi quid fraus maligna Schlauorum calliditate adduxerat, iuſtitia vertat: Vosque virtute ex alto induti, et Apoſtolica poteſtate armati, iuxta Prophetam; *Quod fractum eſt, alligate, quod infirmum, conſolidate, quod abiectum, reducite*, vt deinceps populus, et fidei integritate gratuletur, et Sancta Eccleſia tranquilla deuotione laetetur.

Theotmarus indignus Archi-Epiſcopus, et Apoſtolicarum rerum Procurator promptiſſimus, pecuniam veſtro iuri debitam, propter infeſtam Paganorum ſaeuitiam, nec per me poteram, nec per alios transmittere: ſed quia DEI gratia liberata eſt Italia, quantocitius potero, Vobis tranſmittam. Precatur noſtra humilitas, vt dignetur Veſtra ſublimitas reſpondere per ſingula tranſmiſſa cum epiſtola.

Alme Pater mundi dignus pro nomine Petri.
Nomine quem ſequeris, vtinam virtute ſequaris!
Sisque tuis famulis protector verus, et impos;
Commendes Domino, coelo qui praeſidet alto.

XXXII.
LEONIS SEPTIMI PAPAE EPISTOLAE.

I.

Ad Gerardum Laureacenſem Archi-Epiſcopum.

Leo Epiſcopus Seruus Seruorum DEI, Reuerendiſſimo, et Sanctiſſimo Confratri Noſtro Gerardo, Sanctae Laureacenſis Eccleſiae Archi-Epiſcopo, omnibus diebus vitae tantum Tuae, et hinc a modo.

Si Paſtores ouium ſolem, geluque pro gregis ſui cuſtodia die, ac nocte ferre contenti ſunt, et nequa ex eis aut er

errando pereat, aut ferinis laniata morſibus rapiatur, oculis ſemper vigilantibus circumſpectant: quanto ſudore, quantaque cura debeamus eſſe peruigiles Nos, qui Paſtores animarum dicimur; attendamus, et ſuſceptum officium exhibere erga cuſtodiam Dominicarum ouium non ceſſemus, ne in die diuini examinis pro noſtra deſidia ante Summum Paſtorem negligentiae reatus excruciet. Vnde modo honoris reuerentia ſublimioris inter ceteros iudicamus. Pallium autem Fraternitati Tuae ad Miſſarum ſolennia celebranda concedimus, quo tibi *(a)* non aliter, Eccleſiae Tuae priuilegiis in ſuo ſtatu manentibus, vti largimur, non ſolum in die conſecrationis Chriſmatis, ac Sanctae venerandae Reſurrectionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ſeu in Natalibus Sanctorum Apoſtolorum, atque Ioannis Baptiſtae, nec non in Feſtiuitatibus Sanctae DEI Genitricis Mariae, ſimulque in Domini Noſtri Natiuitatis die, pariterque in ſolemnitatis Eccleſiae tuae die, et Natalitio tuo die: verum etiam in Conſecratione Epiſcoporum, et Presbyterorum, et quando a te Synodus celebratur, ſi forte conuenticulum illic fuerit Neophytorum, *(b)* qui ad fidem tua exhortatione ſunt producendi, nec non in Feſtiuitate Sancti Stephani Protomartyris, Sanctique Laurentii; et illorum Sanctorum, qui corporaliter in Tua requieſcunt Parochia, vti concedimus die, ſicut a Praedeceſſore Noſtro Domino Gregorio, huius almae Sedis Praeſule ſancitum eſt. In Secretario vero Tua Fraternitas Pallium induere debet, et ita ad Miſſarum ſolemnia proficiſci, et nihil tibi auſu, temeritate praeſumptionis arrogare; ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate, etiam quae licere poterant, amittantur. Cuius quoniam indumenti honor modeſta actuum viuacitate ſeruandus eſt; hortamur, vt et morum tuorum ornamenta conueniant, quatenus auctore DEO recte vtrobique poſſis eſſe conſpicuus. Itaque vita tua filiis tuis ſit regula; in ipſa ſiqua tortitudo *(c)* illis ingeſta eſt, dirigant; in ea quod imitentur aſpiciant, in ipſa ſe ſemper conſiderando proficiant, vt tuum poſt DEVM videatur eſſe beneficium, quod vixerint. Cor ergo neque proſpera, quae temporaliter blandiuntur, extollant, neque aduerſa deiiciant; ſed quidquid illud fuerit, virtute patientiae deuincatur. Nullum apud te locum odia, nullum fauor indiſcretus inueniat. Benignum te ſentiant boni, diſtrictum mali cognoſcant; inſontem apud te culpabilem ſuggeſtio mala *(d)* non faciat; nocentem gratia non excuſet. Remiſſum te delinquentibus non oſtendas, ne quod vltus non fueris, perpetrare permittas. Sit in te et boni Paſtoris dulcedo, ſit et iudicii ſeuera diſtrictio. Vnum ſcilicet, quod innocenter viuentes foueat, aliud, quod inquietos feriendo a prauitate compeſcat. Sed quod nonnunquam Praepoſitorum ſcelus, dum diſtrictus malorum vult vindex exiſtere, tranſit in crudelitatem correctio: Iram iudicio reſrena, et cenſurae diſciplina ſic vtere, vt culpas ferias, et a dilectione perſonarum, quas corrigas, non recedas. Miſericordem te prout *(e)* virtus patitur, pauperibus exhibe. Oppreſſis defenſio tua ſubueniat, opprimentibus modeſta correctio contradicat. Nullius faci-

---

(a) Deeſſe videntur aliqua, videlicet: *modo ſubinſerto, et non aliter*, hac enim ratione conceditur Pallium, et non aliter, vt certis duntaxat diebus vtatur.

(b) Hungaros intelligit, in quorum conuerſione laborabant Laureacenſes Praeſules.

(c) Tortitudo idem ſonat, quod apud S. Auguſt. in Ps. 146. *torticordius, ſeu cor peruerſum habens;* et apud Plautum: *tortiloquium detorta oratio dicitur.* Tortitudo ergo peruerſitas mentis eſt.

(d) Iam alias monuimus ſuggeſtionem ſonare preces, ſupplicationem, quod ex hoc loco palmare fit.

(e) Virtus eſt facultas, prouti ad Decreta S. Stephani adnotauimus.

faciem contra iuſtitiam accipias, nullum quaerentem iuſtitiam deſpicias, cuſtodia in te aequitatis excellat, vt nec diuitem potentia ſua aliquid extra viam apud vos ſuadeat rationis audere; nec pauperes de ſua faciat humilitas deſperare: quatenus DEO miſerante talis poſſis exiſtere, qualem ſacra lectio praecipit: 1 Tim. 1. dicens: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Sed his omnibus ſalubriter vti poteris, ſi magiſtram caritatem habueris, quam qui ſecutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce Frater cariſſime, inter multa alia, iſta ſunt Sacerdotii, iſta Pallii; quae ſi ſtudioſe ſeruaueris, quod foris accepiſti, intus habes. Fidem autem, quam in tuis epiſtolis breuiter aſſignaſti, licet latius explanare debueras, Redemptori tamen Noſtro gratias agimus, quod eam in ipſa breuitate ratam eſſe cognouimus. Sancta Trinitas Fraternitatem Veſtram gratiae ſuae protectione circumdet, atque in timoris ſui via nos dirigat, vt poſt huius amaritudines, ad aeternam ſimul peruenire dulcedinem mereamur. Amen.

II.

Eiusdem ad Gallos, et Germanos de Reſponſis Gerardo Laureacenſi Epiſcopo datis.

Leo Epiſcopus Seruus Seruorum DEI, Regibus, Ducibus, Epiſcopis, Ab- batibus, Comitibus, pari etiam modo Egilolpho Iuuauienſis, Iſingrimo Ratisponenſis, Lantberto Friſingenſis, Wiſundo Sebonenſis Eccleſiae Venerabilibus Epiſcopis, et ceteris per Galliam, Germaniam, Bauariam, Alemanniam commorantibus.

Si inſtituta Eccleſiaſtica, vt ſunt a beatis Apoſtolis tradita, integra vellent ſeruare Domini Sacerdotes, nulla diuerſitas in ipſis ordinibus, et conſecrationibus haberetur. Sed dum vnusquisque, non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, exiſtimat eſſe tenendum: inde diuerſa in diuerſis locis, vel Eccleſiis, aut teneri, aut celebrari videntur. Hac de re fit ſcandalum populis, dum multa in veſtra prouincia contra Canones Eccleſiaſticos, decretaque maiorum vſurpari videntur: quae quidem poſſent facile reſecari, ſi Epiſcopi in his non viderentur auctores, qui ſecularibus intenti, humanum fauorem captantes, religionem violant, ordinesque corrumpunt. Nos ſiquidem diuinis praeceptis, et Apoſtolicis incitamur monitis, vt pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu. Idcirco Fraternitati Veſtrae cognitum facimus, quod Gerardus Sanctae Laureacenſis Eccleſiae Archi-Epiſcopus, cauſa orationis ad limina veniens Apoſtolorum, Noſtram Apoſtolicam praeſentiam viſitare, et benedictionis gratiam a Nobis percipere ſollicite ſtuduit. Multa, quae reprehenſione digna ſunt, Noſtris auribus, lachrymoſe intimauit: tota cordis intentione, a Noſtra Apoſtolica auctoritate, de his, quae contra Canonum regulam, et decreta maiorum in Veſtris geruntur Prouinciis, quaerens conſilium. Scitis enim, quod ab ipſo Domino, Beato Petro Principi Apoſtolorum (eiusque Vicariis) omnium Eccleſiarum cura commiſſa eſt, veritatis voce dicente: Math. 16. *Tu es Petrus, et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam.* Cui etiam proprias oues commendauit dicens: Ioan. 21. *Si diligis me, paſce oues meas,* et idcirco pro vniuerſis Eccleſiis ſollicitudinem gerimus;

et

et veluti in ſpecula poſiti, quid per totius orbis Prouincias geratur, vigilanti cura inſiſtimus. De quibus ergo Apoſtolicam Sedem conſuluit, et qualia nos ei reſponſa dedimus, per hos noſtros apices vobis intimare curamus. Eius namque interrogatio ſeriatim talis erat:

De auguratoribus, et incantatricibus, et maleficis vario modo *(a)* mortificatis a populo, ſi aliqua poenitentia debeat exigi. De talibus namque perſonis, quid veteris, ac noui Teſtamenti pagina cenſeat, manifeſtum eſt. In lege namque Moſaica ſcriptum eſt: Exod. 22. *Maleficos non patiaris viuere.* Similiter in Samuelis libro legitur, quia exterminauit Saul omnes Pythoniſtas de terra, et alia, quae enumerare longum eſt. Sed nos etiam tales noſtris exhortationibus ad poenitentiam trahere debemus, vt magis Eccleſiaſtico iudicio poenitendo viuant, quam gladio vindice moriantur, dicente beato Paulo Apoſtolo 1 Theſſal. 5. *Non enim poſuit nos Deus ad iram, ſed in acquiſitione ſalutis.* Quod ſi Eccleſiaſtica iudicia ſpreuerint, *(b)* humanis ſubiaceant legibus. Meminiſſe enim debent a DEO poteſtates fuiſſe conceſſas, et ad vindictam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum, et DEI miniſtrum fuiſſe datum in huiusmodi vindictam. Et dum in talibus improbis legum exercetur auctoritas, dicente Beato Innocentio, erit dictator immunis.

Conſultum eſt etiam, vtrum Epiſcopi *Pax vobis*, an *Dominus vobiscum* pronunciare debeant. Sed non aliter per omnem Veſtram Prouinciam tenendum eſt, quam in Sancta Romana Eccleſia. In dominicis enim diebus, et in praecipuis feſtiuitatibus, atque Sanctorum Natalitiis, *Gloria in excelſis* DEO, et *Pax vobis* pronunciamus. In diebus vero Quadrageſimae, et in quatuor temporibus, ſiue in Vigiliis Sanctorum, et in reliquis Ieiuniorum diebus, *Dominus vobiscum* tantummodo dicimus.

Poſt haec conſuluit: Si Dominica Oratio in benedictione eiborum debeat vſitari? quod fieri non oportet, quia in Sanctificatione Corporis, et Sanguinis Domini Noſtri Ieſu Chriſti hanc ſolummodo orationem Sancti Apoſtoli decantabant: et in Euangelio legitur, quia poſt Coenam a Domino factam Hymno dicto exierunt in montem Oliuarum.

Poſt haec interrogauit de eo, qui Matrem, et Filiam ſpirituales in coniugio ducit: quod ne fiat, Sacri Canones per omnia vetant. In Canonibus Zachariae ita habetur: Vt Presbytera, Diacona, Monacha, vel etiam ſpirituali Commatre, aut ſpirituali filia nullus vtatur. Nam qui huiusmodi opus perpetrauit, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, et DEI iudicio condemnatum, atque a Corpore, et Sanguine Domini Noſtri Ieſu Chriſti alienum: et quicunque Sacerdotum, eius communicare praeſumpſerit, eorum iudicio condemnatus, Sacerdotii ſui honore priuetur.

Dehinc intulit lamentabile, et nimis lugendum, vt Domini Sacerdotes *(c)* publice ducant vxores, et ſi filii eorum valeant promoueri. Quod ſcelus, quia omnis Sacra Scriptura contradicit, quia ſacrum, et venerandum Nicaenum Concilium vetat, ne Sacerdotes cum foeminis habitare praeſumant, multo magis, ne copulari, vel ſociari mulieribus debeant, iuxta Sacros Canones modis omni-

(a) Id eſt: *occiſis*, ideo enim ſubiungit: *vt poenitendo viuant, non autem vindice gladio puniantur.*

(b) Habes ciuiles leges appellari humanas, quod etiam S. Stephanus fecit.

(c) Neſcio, an deinceps Graecum apud Hungaros ritum viguiſſe dicet, qui legerit aliquando vxoratos fuiſſe Presbyteros Gallos, et Germanos, ipſos etiam Italos, quos tamen Graeco ritui addictos fuiſſe inconſulte adſtrueretur. De vxoratis Presbyteris.

omnibus prohibemus. In Neocaeſarienſi namque Concilio ita habetur: Presbyter ſi vxorem acceperit, ab ordine deponatur. Et qui in tali ſcelere fuerint reperti, Noſtra Apoſtolica auctoritate ab omni priuentur honore. Filii vero eorum immunes ab eorum peccato ſunt, dicente Propheta Ezechiele. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris:* et in Sacro Baptismate omnia dimittuntur peccata.

Dehinc perquiſiuit, ſi a Chorepiscop. Eccleſiae debeant conſecrari, aut Presbyteri ordinari, vel conſignatio Chriſmatis, et manus impoſitio fieri. Quae omnia a Chorepiscopis ne fiant, interdicimus iuxta Canonum decreta. In Concilio Antiocheno capite deci no ſic habetur: „Qui in vicis, et poſſeſſionibus Chorepiscopi nominantur, quamuis manus impoſitionem Episcoporum perceperint; tamen Sanctae Synodo placuit, vt modum proprium recognoſcant, et gubernent ſubiectas ſibi Eccleſias, ordinent etiam Lectores, et Subdiaconos, atque etiam Exorciſtas, quibus promotiones iſtae ſufficiant, nec Presbyterum, nec Diaconum audeant ordinare. Si quis autem transgredi ſtatuta tentauerit, depoſitus, quo vtebatur honore, priuetur.„

Perquiſiuit etiam, ſi vir, et mulier tertio, vel quarto gradu conſanguinitatis coniuncti, et inſcii, coniugio copulantur, poſtea DEI reſpectu compuncti, oſtendunt ſe Sacerdoti, ſecrete confitentes peccata ſua, vtrum valeant eleemoſynarum largitione, ac bonorum operum exhibitione purgari. De talibus enim perſonis in veteri, et nouo Teſtamento multa reperiuntur exempla, maxime in Conciliis Gregorii, et Zachariae, in quibus haec continentur, vt conſobrinam, nouercam, neptem, Fratris vxorem, nurum, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus coniugio praeſumat ſibi copulare. Si quis vero hoc nefario coniugio conuenerit, et in eo permanſerit, ſciat ſe auctoritate Apoſtolica anathematis vinculo innodatum, et nullus Sacerdos ei tribuat communionem: et ſi inclinatus, diuiſusque fuerit ab illicita copula, poenitentiae ſubmittatur, vt Sacerdos loci conſiderauerit.

De vaſtatoribus autem Eccleſiarum, vnde inquiſiuit, nihil aliud ſcribimus, niſi quod Paulus Apoſtolus ad Timotheum ſcribens ait: „argue, increpa, obſecra cum omni imperio.„

His vero omnibus praelibatis, Fraternitatem Veſtram monemus per hanc Noſtram Apoſtolicam iuſſionem, vt huic Gerardo Archi-Episcopo, cui vicem noſtram in cunctis finibus veſtris commiſimus in omnibus, quae ad Eccleſiaſticum ordinem pertinent, obedientes, et adiutores ſitis, quatenus in vna concordia perſiſtentes, vt Eccleſiaſtica iura, et Chriſtianitatis religio in veſtris partibus, quae Paganorum incurſione, et malorum Chriſtianorum perſecutione corrupta, et deprauata eſſe videntur, Domino largiente, et B. Petro Apoſtolorum Principe cooperante, ad rectitudinis normam valeant reformari, et vos in futuro examine ſecuri poſſitis audire vocem Domini dicentis: *Euge ſerue bone, et fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

Praeter haec Eberardo Duci Bauariorum Noſtra auctoritate iniungimus, vt praefato Gerardo Archi-Episcopo in omnibus auxilium praeſtet, vt ſuae Eccleſiae status, et rectitudo, ac proprius vigor ad integrum culmen, et priscum decorem ſuo iuuamine valeat peruenire, ſi DEI indulgentia, et S. Petri etiam, ſuorum delictorum a Nobis vult accipere remiſſionem.

XXXIII
EPISTOLA AGAPITI PAPAE. II.

Agapitus Episcopus Seruus Seruorum DEI, Fratri Dilectiſſimo, et Reuerendiſſimo Gerardo, Sanctae Laureacenſis Eccleſiae Archi-Epiſcopo in Chriſto Salutem.

Ptitiones Tuas pro renouandis, ſeu approbandis Eccleſiae Tuae Priuilegiis Venerabilis Fuldenſis Monaſterii Abbas Hadamarus huc cauſa orationis veniens, cum magna beneuolentia Noſtrae experientiae ſuggeſſit, pariterque iurgia, et disceptationes grauiſſimas inter te, et Heroldum Archi-Episeopum, pro vtrinque ſuscepta in vna Prouincia Pallii auctoritate exortas, flebiliter nunciauit, quod et ipſi ex debita paſtorali cura, nimio cordis moerore dolemus, deteſtabiliterque profanamus. Quippe Sancta, et vniuerſalis Eccleſia, cui auctore DEO praeſidemus, a Religioſis, atque pacatis Sacerdotibus ſuis, in caritate non ficta ſolidatis, quaſi totidem columnis innixa fulcitur; discordantibus autem, et aduerſum ſe hoſtiliter, inſtante ſuperbia, animum tollentibus, praeſertim tantis Pontificibus, velut euulſis ſuſtentaculis caſura, non ſine magno periculo, et vigoris ſui detrimento a proprio ſtatu concutitur. Inſuper etiam, dum de foris inter vos pro Pallii honore pertinaciter huiusmodi contentio exercetur, agitur, vt in Fraterna aemulatione decor Sacerdotii intus euacuetur. Inde ergo Frater, officium noſtrum illud eſſe perpendentes, ne inimicitiarum fomite in vobis ſuccrescente, diſſidium Sanctae DEI Eccleſiae, atque ſcandalum ſine conſilii, et vtilitatis veſtrae respectu diutius nutriatur, ad ſequeſtrandum litem veſtram accedimus nos arbitri, tam ex ſollicitudine a Domino regiminis iniuncti, quam amborum veſtrorum amore ad hoc permoti; ita videlicet, vt de praelibata conflictus veſtri querimonia, rationabilibus iudiciis rite iuſtitiae ſatisfaciamus, et vos omni exploſa controuerſia in Fraternam concordiam Chriſto moderante reuocemus. Notum eſt igitur, litterisque penes nos commendatum, quibus Eccleſiarum locis dignitas Pallii ab hac Apoſtolica Sede debeatur. Laureacensem autem vrbem antiquitus Metropolitanam fore, et Archi-Episeopi Sedem, cui Sanctitas Tua praeeſſe dignoscitur, ſicut in Priuilegiis authenticis ad nos vsque a te directis legimus, ita quoque inuentis quibusdam exemplaribus chartae, vetuſtate admodum attritis in Archiuo S. Petri reperimus. Hanc etiam in exordio naſcentis Eccleſiae, et immaniſſima Chriſtianorum perſecutione, a Doctoribus iſtius Sedis Catholicae ſidei nouimus rudimenta percepiſſe, et exinde a ſuccedentibus Praedicatoribus in ſuperioris, atque inferioris Pannoniae Prouincias eiusdem ſidei emanaſſe gratiam. Quibus etiam duabus Prouinciis, illarumque Pontificibus vsque ad tempora Huunorum non alius, quam Sanctae Laureacenſis Eccleſiae praefuit Archi-Episcopus, quorum barbariea feritas non ſolum praedictam Laureacensem ciuitatem, verum etiam in circuitu adiacentes Regiones depopulauit, atque funditus deſolauit. Inde quidem contigit, vt Episcopi hac neceſſitate compulſi, ſede illa deſerta, atque alio translata, ſimul etiam Archi-Episcopalem ipſius ſedis deſererent honorem. Modernis autem, nec multo retro elapſis temporibus, vacante ab Apoſtolico Vicario Ba-

noariorum Regno, Arno primus Sanctae Salzburgenſis Eccleſiae ſubrogatur Archi-Epiſcopus. Haec teſtatur annoſa memorialis ſacri ſcrinii hiſtoria; modo autem mortalibus, propitiante Chriſto, ab hoſtibus Sanctae Laureacenſis Eccleſiae quiete, et inhabitandi ſecuritate conceſſa, non alibi, quam ibidem Fraternitatis Tuae Cathedram oportet haberi. Quapropter reinthronizamus Te eidem Eccleſiae, Sanctorum Patrum, videlicet Praedeceſſorum noſtrorum, ſed et beatae memoriae Domini Leonis Papae, a quo Excellentia Tua Pallio, ac Priuilegio donata eſt, ſanctiones, atque ſtatuta exequentes: ac ſoepe dictam Sanctam Laureacensem Eccleſiam poteſtate, et vice Beati Petri Apoſtolorum Principis abſoluimus, et Archi-Epiſcopamus, et in culmen Metropolitanum ſublimamus, et Priuilegia nobis transmiſſa manu propria munimus, et corroboramus, ac rata eſſe firmamus: denuoque Tibi Pallium, cum praeſenti praecepto, ſecundum vſum prius conceſſum, ſucceſſoribusque tuis perpetim tenendum tradimus. Hisque ex amuſſi ita ad iuſtitiam reintegratis, decreuimus rixas veſtras, et diſſenſiones, praefata ex cauſa deriuatas dirimere, atque in Fraternum amorem vos reconciliare, ſie vt vtrique veſtrum modo ſusceptus ſeruetur Pallii honor illaeſus: hortantes, quatenus Apoſtolice inſtituti, a modo non in contentione, et aemulatione maneatis. Conſtat quidem, quod Canonice ſingulis prouinciis ſinguli ordinantur Metropolitani: Proinde diſtribuere, atque determinare ita vobis Parochias, bonum, et pacificum aeſtimamus, vt diuiſis duabus Noricae Regionis Prouinciis, Heroldo Archi-Epiſcopo Occidentalis Pannoniae cura committatur, et cuſtodia; Tibi autem, ſucceſſoribusque tuis, propter emeritam antiquitatem Sanctae Laureacenſis Eccleſiae, cui iure iuniorum reuerentia aſſurgit, in benedictionis, et Sedis ordine Praelatis, atque Praepoſitis, prouidentiam Orientalis Pannoniae, Regionemque Auarorum, atque Marahauorum, ſed et Sclauorum, qui modo Chriſtiani, vel adhuc per Baptisma Chriſto lucrandi ſunt, circum quaque manentium credimus, Noſtramque Apoſtolicam vicem in illis partibus praedicandi, et pro arbitrio veſtro, vbi opus eſt, Epiſcopos conſtituendi, omniaque diſponere, atque ordinare tali auctoritate, atque poteſtate delegamus, ac ſi ipſi praeſentes aſſuiſſemus. Quod ſi iam dictus Heroldus Archi-Epiſcopus deinceps, ſuorumue quiſpiam ſucceſſorum minime diſſinito limite contentus, ſed interdictam, atque in ſua poteſtate ſeparatam Dioeceſim repetere pertinaciter conatur, nec a prohibitae contentionis ſchismate per iſtas Noſtras Apoſtolicas traditiones, atque determinationes compeſcitur; ipſa etiam pie conceſſa dignitatis munificentia penitus priuetur, atque ſecundum ius priſtinum ſuperior Pannonia continuetur inferiori, atque tuae, tuorumque ſucceſſorum ambae perpetualiter ſubiaceant ditioni. Allubescentes autem, aſſenſumque praebentes iſtis noſtris ſaluberrimis decretis benedicimus, et Catholicos approbamus. Reſiſtentes vero, atque infirmare, vel omnino peruertere contendentes anathemate, Maranatha Sanctae Trinitatis diſtricte percutimus, et Apoſtolica ſententia, qua mulctati Anania, et Saphira exſpirauerunt, damnamus, et cum blaſphematoribus Sancti Spiritus ſempiternis cruciatibus puniendos deſtinamus.

XXXIV.

BENEDICTI PAPAE VI. EPISTOLA AD Fridericum Salisburgenſem Epiſcopum, et eius Comprouinciales.

Benedictus Diuina fauente Gratia, atque totius populi Romani electione Apoſtolicus *(a)* Friderico Salisburgenſis Eccleſiae Archipraeſuli, vna cum ſuis Fratribus, videlicet Noricae Prouinciae Epiſcopis, manſuram in Chriſto felicitatem.

Protoplaſto generis humani, atque eius ſemine ſerpentina ſuaſione in gemina cadente morte, multas DEVS miſericordia ductus medicinas miſit in hunc mundum, Patriarchas ſcilicet iuſtos, Prophetas veridicos, Legiferum cum lege, et his omnibus mundum ſaluare non valentibus, nouiſſime Filium ſuum humana carne indutum ad redemtionem generis humani ad terras transmittere dignatus. Eo itaque inter homines conuerſante, duodecim elegit Apoſtolos, quos ad ſeminandum Verbum DEI in corda fidelium, per vniuerſum transmiſit orbem: quorum, atque totius Eccleſiae Sanctum conſtituit Petrum Principem, cui gregem commiſit Eccleſiaſticum, tertio ei dicens: „Paſce oues meas:„ cui etiam ligandi, atque ſoluendi tradidit poteſtatem dicens: „Quodcunque ligaueris ſuper terram ,erit ligatum et in coelis; quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum et in coelis.„ Et non ſolum Sancto talis conceſſa eſt Petro potentia, ſed etiam ſuis Succeſſoribus, eius vicem *(b)* in Eccleſia tenentibus, eadem ligandi, atque ſoluendi a DEO tradita eſt poteſtas. Sancti itaque Petri Apoſtoli Succeſſores per loca, prout opus erat, atque decuit, conſtituerunt Archi-Epiſcopos, qui eorum vicem tenerent in Eccleſiis, quia ipſi vniuerſas regere non poterant Eccleſias. Nos quoque vicem B. Petri Apoſtoli, prout hominibus iſtius temporis poſſibile eſt, in Eccleſia tenentes, ſtatuta illorum Anteceſſorum Noſtrorum confirmare, quantum poſſumus, libenter deſideramus. Concedimus itaque vicem Apoſtolicam Friderico Salisburgenſis Eccleſiae Antiſtiti, eiusque Succeſſoribus in tota Norica Prouincia, et in tota Pannonia, ſuperiori videlicet, et inferiori, quomodo ſui Anteceſſores eandem poteſtatem a Noſtris habuere Anteceſſoribus: ita ſcilicet, vt nulli liceat in praeſatis Prouinciis ſibi vſurpare Pallium, nec Epiſcopos ordinare, nec vllum officium, quod ad Archi-Epiſcopum pertinere debet, praeter praeſatum Archi-Epiſcopum, eiusque Succeſſores. Quicunque autem huic refragari, vel

---

Papa Apoſtolicus ſcribitur.

(a) Theodoritus Epiſcopus anno DIX. ſcribens ad Summum Pontificem: „*Domino Sancto, Beato, Praedicabili, et adorando Apoſtolico Patri Hormisdae Papae Vrbis Romae, humilis famulus tuus Theodoritus*„ Flodoardus hiſt. lib. 2. cap. 19. (mihi pag. 140.) *quamdiu manſit Apoſtolicus Papa*„ Ioannes XII Papa in Reſcripto (pertinet autem id ad annum DCCCCXCII.) pro excommunicatione Iſuardi, et Sociorum eius ait: „*Ego in Dei Nomine Ioannes Papa Sedis Apoſtolicae, et Romanae Apoſtolicus.*

(b) Iam alias oſtendimus, quomodo in ſenſu Catholico Summus Pontifex Vicarius S. Petri dici poſſit; vices tenet ſui Deceſſoris, quicunque ei ſuccedit.

Papa Vicarius S. Petri.

vel contendere voluerit Decreto, quod Nos vice Beati Petri Apoſtoli fungentes, conſenſu Noſtrorum Epiſcoporum, ac totius Cleri Romanae Eccleſiae decreuimus; ſciat ſe Beato Petro, eiusque Vicario eſſe contrarium, atque fore anathema vsque ad ſatisfaćtionem, ſiue ſit Epiſcopus, aut Presbyter, ſiue Clericus cuiuscunque ordinis, ſiue Laicus cuiuscunque fuerit dignitatis: quia Sanćta Sanćtorum Anteceſſorum noſtrorum ſoluere nolumus, neque valemus. Sed quomodo illi conſenſu ſuorum Epiſcoporum, et totius Cleri conſtituerunt, ſiat et eorum pariter, et noſtro decreto firmum, atque perpetuum. Quicunque autem Epiſcopi per amicos, ſiue clam per aliquam fraudem, aliquando eiusdem dignitatis petierunt, ſiue petierint priuilegium, illos ſuſpendimus ab ea dignitate: quia illicitum iudicamus, vt aliquis Epiſcopus ſine totius ſuae Prouinciae, atque ſuffraganeorum ſuorum conſenſu, pallium, ſiue aliquod Archi-Epiſcopatus priuilegium a Romano Pontiſice aquirere praeſumat.

XXXV.

PILGRIMI LAVREACENSIS ARCHI-EPIſcopi Epiſtola ad Benedićtum Papam VII. De conuerſione Hungarorum A: C: DCCCCLXXVIII.

I.

Ordinis, ac Nominis Chriſmate praerogato *(a)* Sanćtae Romanae Sedis vniuerſalis Pontifici Benedićto, Pilgrimus Sanćtae Laureacenſis Eccleſiae humilis Seruitor *(b)* fidelitatem precum, deuotumque ſeruitium.

Notum fieri dignetur Vobis, Summe Sacerdotum Praeſul, quod ſuper omne animi mei deſiderium nunc delećtarer, et Apoſtolorum viſitare limina, Veſtraque optabili perfrui praeſentia, et ea facie ad faciem, quae litteris et internunciorum committo indiciis, Sanćtisſimae

(a) Id eſt: *Donato, aucto, honorato*, quaſi diceret, qui ordinis, ac nominis chrismate donatus es; obuium enim apud ſcriptores medii aeui donationem praerogationem vocare. Vnde etiam illi, quos nunc dispenſatores dicimus, praerogatores appellabantur.

(b) Memores erant Episcopi ſublimitatem ſuam haud eſſe dominatum: vtpote quum illius Perſonam referant, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Hinc in more poſitum fuiſſe video, vt Episcopi ſe Eccleſiarum ſuarum ſeruos, famulos, miniſtros ſcriberent; apud Cl. Petz in codice diplomatico hiſtorico epiſtolari relatae Episcoporum epiſtolae luculentiſſima perhibent omni aetate exempla. In epiſtola formata Ruodberti Epiſcopi Metenſis ad Willibertum Episcopum Agrippinenſem data ante annum 889. talis habetur ſalutatio: *Reuerendiſſimo, cultu, ac almificae Religionis ſinceriſſimo Williberto, Sanćtae Agrippinae Sedis Episcopo, Ruodbertus Reuerendae Metenſis Eccleſiae, ac plebis ipſius famulus.*„ Sanćtus Otho Epiacopus Banbergenſis Archi-Epiſcopo Moguntino circa annum MCXI. ſcribens ita orditur epiſtolam: „*Benedićto Domini A. Sanćtae Moguntinae Eccleſiae Archi-Epiſcopo, per patientiam Dei Babenbergenſis Eccleſiae humilis ſeruus.*„ Conradus I. Archi-Episcopus Salisburgenſis circa annum MCXXVII. ad Hartmannum Episcopum Brixinenſem ſcribens inquit: „*Venerabili Fratri H. Brixienſis Eccleſiae Episco-*

Epiſcopi ſerui Eccleſiarum.

ſimae Paternitati Veſtrae coram rationari: *(a)* niſi quod a Neophyta Vngarorum Gente huc ire prohibeor, apud quam foedere pacto, ſub occaſione pacis fiduciam ſumpſimus operam exercere praedicationis. Huius enim terror Gentis ex longo tempore etiam aliarum Prouinciarum, praedicatoribus meae dioeceſis, hactenus aditum clauſit, ad quas nihilominus praeſentis opportunitas temporis ire me vocauit. Quibus DEVS Omnipotens, quoniam ſolita ſua pietate ſemper diſperſa congregat, aperire dignatus eſt ianuam cordis ſui, diu clauſam: vt diſciſſo velamine duritiae ſuae, depoſitaque ferina crudelitate, leni iugo Domini colla ſubmittant. A qua ergo praefata Vngarorum Gente *(b)* multis precibus ipſe inuitabar venire, aut miſſos meos in opus Euangelii illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem ſatis idoneos *(c)* viros ex Monachis, Canonicosque *(d)* Presbyteros, atque de ſingulis Eccleſiaſticis gradibus Clericos, et vita, omnique conuerſatione illorum ſic ordinata, quemadmodum in geſtis Anglorum didici: tantum Diuina gratia fructum ſtatim miniſtrauit, vt ex eisdem Nobilioribus Vngaris vtriusque ſexus Catholica Fide imbutos, atque Sacro lauacro ablutos circiter quinque millia Chriſto lucrarentur. Chriſtiani autem, quorum maior pars Populi eſt, qui ex omni parte mundi illuc tracti ſunt captiui, quibus nunquam ſoboles ſuas licuit, niſi furtiue Domino conſecrare: modo certatim, nullo obſtante timore, offerunt eos baptizare, et gratulantur omnes tanquam de peregrinatione ſua in Patriam reducti, quod Chriſtiano more Oratoria audent conſtruere, et licen-

---

po C. *Salisburgenſis Eccleſiae Dei gratia Miniſter*." Eberhardus itidem Archi-Epiſcopus Salisburgenſis: "*L. Dei gratia Sanctae Salzburgenſis Eccleſiae Miniſter H. Comiti illuſtri viro ſalutem, et benedictionem in Chriſto.*

(a) Id eſt: *Referre*, et quaſi rationes miniſterii ſui reddere. Quod Epiſcopi iam tunc, et pridem antea Summo Pontifici facere lege Eccleſiae adſtricti erant.

An Pilgrimum Geyza euocauerit?

(b) Debeo hic aſſentiri Cl. Schwarzio exiſtimanti ex his verbis erui non poſſe, quod ipſe Geyze Pilgrimum in Hungariam euocauerit; ſecus enim Pilgrimus idipſum memoriae prodidiſſet. Neque obeſt Tō: *gente*. Neque enim ita ſumendum eſt, quaſi ex communi aliquo gentis placito, ſtatuto vocatus fuiſſet. Id enim abaque eo, vt Geyza primas partes non habuiſſet, fieri non poterat. Recte autem dicitur a Gente vocari aliquis, quem multi ex Gente nunciis, non quidem illis ſolemnibus, ſed talibus, quales inter priuatos miſſitari ſolent, vel epiſtolis vocatur, quod vtique nihil agente, ac etiam inſcio Geyza fieri potuit.

An lingua Latina in Hungaria vulgaris fuerit?

(c) Sed quomodo idonei, qui linguam Gentis ignorarunt? Cl. Katona opinatur Hungaros condidiciſſe linguam Latinam, quum reliquarum Europae Nationum idioma non calluerint, vt cum illis agere, loqui valerent. Mihi quidem non videtur eo confugiendum. Sat certum enim eſt, linguam Latinam, quae totius occidentis idioma erat, adhuc apud multos etiam in Pannonia fuiſſe vulgarem; prouti paulo ante ex actis Synodi Delmenſis, et Spalatenſis obſeruauimus. Adoptauerint ergo eandem maiores noſtri. Non audeo tamen plene vulgarem dicere, vtpote quum ex Biographo S. Gerardi conſtet, eum per interpretem dixiſſe ad concionem. Neque mirum: plures enim ſimiles conuerſiones per interpretes factae in Annalibus Eccleſiaſticis occurrunt.

Quae Sacerdotum opera ad Hungaros conuertendos.

(d) Deinceps vitam Canonicam apud Hungaros diſcutiemus. Ab his ergo Fidem edocti ſumus. Errant itaque, qui ſeculo X. in Germania exoleuiſſe vitam Canonicam putant. Non poſſum ſatis mirari Syluestrinas litteras, quas nunc habemus, vti et Werböczium ita loquentes. quaſi ſolus Rex S. Stephanus Sacerdotum vicem ſuppleuerit, neque Apoſtolicis Sacerdotum laboribus plantata fuerit in Hungaria Fides Orthodoxa. Sanctum Stephanum Apoſtolum Gentis colo, et aduoaco; Sancti tamen Wolffgangi, Pilgrimi, Adalberti, ac aliorum Monachorum, Canonicorumque Presbyterorum obliuiſci non poſſum; nil detrahitur praeclarae laudis Sancto Stephano, dum alii in conſortium Apoſtolatus admittuntur.

centia percepta linguam ligatam in laudem Saluatoris praeſumunt ſoluere. Ipſi enim barbari mira Omnipotentis DEI operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate ſint quidam detenti, nullum tamen ex illorum ſubditis vetant baptizari; nec Sacerdotibus inuident, quocunque libet, proficiſci. Sed ita concordes ſunt Pagani cum Chriſtianis, tantamque ad inuicem habent familiaritatem, vt illic videatur Iſaiae impleri prophetia; *Lupus, et agnus paſcentur ſimul: Leo, et bos comedent paleas.* Factum eſt ergo, vt poene cuncta Vngarorum natio ſit prona ad percipiendum Fidem Sanctam, ſed et aliae Sclauorum Prouinciae ad credendum promptae; et eſt ibi meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Inde quoque viſum eſt, iam neceſſarium eſſe, quatenus Sanctitas Veſtra illic iubeat aliquos ordinari Epiſcopos: quia et quondam Romanorum, Gepidarumque tempore proprios VII. Antiſtites eadem Orientalis Pannonia habuit, et Moeſia, *(a)* meae Sanctae Laureacenſi, cui ego indignus miniſtro, Eccleſiae ſubiectos: quorum etiam quatuor, vsquedum Vngari Regnum Bauariorum inuaſerunt, ſicuti praeſenti cognitum eſt aetati, in Marauia manſerunt. Quod nimium graue, ac valde oneroſum eſt mihi, vt mei Pontificii *(b)* Parochias ſolus praedicando circumeam: quibus neceſſitate, et adiutorii inopia cogor nunquam meam ſubtrahere praeſentiam. Ecce Dominorum amantiſſime, huiuſmodi Eccleſiaſticis mancipatus officiis detineor; et ne feciſſem moram ſaepe dictae Gentis conuerſioni, ire, et proſterni ad Veſtra Sanctiſſima veſtigia diſtuli. Legatos autem meos praeſentium ſcilicet portitores, ad veſtram deſtinaui Serenitatem: quos audire dignetur, quaeſo, Clementia Veſtra, et eorum, meiſque mixtim precibus praebere aſſenſum, quatenus pallium, Infulamque Pontificalem, quod ſpeciale munus honoris ab hac Sede tantum dirigitur Metropolitanis, quod etiam mei Praedeceſſores a glorioſis huius principalis Cathedrae Primatibus accipere ſoliti erant, mihi vero hoc ipſum benigno animo per illos dirigere dignetur; Pariterque etiam Priuilegia Apoſtolicae auctoritatis meae Eccleſiae, per eosdem miſſos meos Veſtris praeſentata Sacris obtutibus, more Praedeceſſorum veſtrorum roborari ſupplico, et confirmari; Vt hac Apoſtolica Sanctione, et benedictione munitus, mihi commiſſi populi gubernationem Canonice exſequi valeam; et veſtris in die iudicii rationibus imputetur, quod in illis finibus ex Paganis noua Eccleſia Domino lucratur. Quoniam variae, et peruerſae haereticorum Sectae timendae ſunt, quos ſoepe contigit deprehendi, alios, quibus praeſunt, errore ſuo corrumpere, quos agnitione Orthodoxae veritatis debuerant illuſtrare: Vt haec tam peſtifera de me amputetur ſuſpicio, ſolemne Symbolum *(c)* Catholicae Fidei, quam ipſe teneo, ac doceo, Veſtro Apoſtolatui profitendum ſalubre cenſeo.

Confiteor, et credo Sanctam, atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, et Filium, et

(a) Improprie ſumptam hic intelligas velim, tractum nempe illum terrae, qui Danubio, et Tybisco intercipiebatur. Hoc poſt Hanſizium confidenter aſſero, ad quem te remitto.

Pontificium quid?

(b) Id eſt: *Meae Prouinciae Dioeceſes. Pontificium* ſoepe a ſcriptoribus medii aeui pro poteſtate, et iurisdictione, iure ſumitur. Cl. Petz cod. Dipl. hiſt. epiſt. col. 41. precariam inter Hitpaldum Archi-Epiſcopum, et Aepram anno 809. initam refert, vbi dicitur: „*non habeam Pontificium ipſas res alicui vendere, nec condonare, nec alienare.*„

(c) Hoc ſenſu vocem *Symbolum* aliquando acceptam apud Du Cange fruſtra requires. Iſto enim loco profeſſionem Fidei notat, qualis a Metropolitanis ad Summos Pontifices mitti ſolebat; non quaſi Pilgrimus tunc primum ad Cathedram Laureacenſem euectus fuerit, ſed quod Metropolitana iura tunc capeſſere ſtuduerit; quia ſolemne Symbolum dicit, ſcimus profeſſionem fidei deſignare. Symbolum enim Pilgrimi ſolenne dici non poteſt, vtpote a nulla Synodo editum, profeſſio ſolennis merito dici poteſt.

Symbolum quid?

Digitized by Google

et Spiritum Sanctum, vnum DEVM naturaliter eſſe, vnius Subſtantiae, vnius Naturae, vnius Maieſtatis, et Virtutis: et Patrem quidem non genitum, non factum, ſed ingenitum profiteor. Fons ergo, et Origo ipſe eſt totius Trinitatis; Pater namque ineffabili Subſtantia Filium genuit, nec tamen aliud, quam quod ipſe eſt, genuit, DEVS DEVM, Lux Lucem. Filium quoque de Subſtantia Patris, ſine initio, natum ante ſecula, nec tamen factum fateor. Igitur non ſicut Filius a Patre, ita Pater a Filio eſt: quia non Pater a Filio, ſed Filius a Patre generationem accepit. Filius ergo DEVS de Patre, Pater autem DEVS, ſed DEVS non de Filio. Si enim Pater fuit, ſemper habuit Filium, cuius eſſet Pater DEVS: et ob hoc Filium de Patre natum ſine initio confiteor. Spiritum autem Sanctum, qui eſt tertia in Trinitate perſona, vnum, atque aequalem cum DEO Patre, et Filio credo eſſe DEVM, vnius Subſtantiae, vnius quoque Naturae, nec tamen genitum, vel creatum, ſed a Patre, Filioque procedentem, amborum eſſe Spiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de Filio tantum procedit ad ſanctificandam creaturam: ſed ab vtriſque procedere monſtratur, quia Caritas, ſiue Sanctitas amborum eſſe cognoſcitur, et nec Patris tantum, nec Filii tantum, ſed ſimiliter Patris, et Filii Spiritus dicitur. In relatiuis vero perſonarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad vtroſque refertur. Quae quum relatiue tres Perſonae dicantur, vna tamen Natura, vel Subſtantia creditur. Nec ſicut tres Perſonas, ita tres Subſtantias praedico: ſed vnam Subſtantiam, tres autem Perſonas. Quod enim Pater eſt, non ad alium, ſed ad Filium; et quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt; ſimiliter Spiritus Sanctus non ad ſe, ſed ad Patrem, et Filium relatiue refertur, in eo quod Spiritus Patris, et Filii praedicatur. In hac ergo Sancta Trinitate tres Perſonas vnum DEVM confiteor. Ergo non ipſum, qui Pater eſt, dico etiam Filium, vel Spiritum Sanctum; nec ipſum Filium Patrem, aut Spiritum Sanctum fateor; vel eum, qui eſt Spiritus Sanctus, Patrem, et Filium dicere volo: ſed quod Pater eſt, hoc Filium eſſe, hoc eſſe Spiritum Sanctum ſine vlla ambiguitate pronuncio. Perſonas enim diſtinguo, non naturam Deitatis ſeparo. Tres ergo illas vnius, atque inſeparabilis naturae perſonas, ſicut non confundo, ita ſeparabiles nullatenus praedico. Quum nulla ante aliam, nulla poſt aliam, nulla ſine alia vel exſtitiſſe, vel quippiam operata fuiſſe aliquando credatur. Inſeparabiles enim inueniuntur in eo, quod ſunt, et in eo, quod faciunt. Habet enim Pater aeternitatem ſine natiuitate, Filius aeternitatem cum natiuitate, Spiritus vero Sanctus aeternitatem proceſſionis a Patre, et Filio ſine natiuitate. De his ergo tribus Perſonis, ſola Filii perſona hominem verum ſine peccato, pro liberatione generis humani ex Maria Virgine, nouo ordine, nouaque natiuitate ſumpſit. Nouo ordine, quia inuiſibilis in Diuinitate, viſibilis monſtratur in carne; noua autem natiuitate eſt genitus, quia incorrupta Virginitas, et virilem coitum neſciuit, et fœcunda per Spiritum Sanctum carnis materiam miniſtrauit. DEI enim Filius non perſonam hominis accepit, ſed naturam. Naturam enim noſtram in vnitatem ſuae perſonae aſſumpſit: et idcirco Filius DEI, et Filius hominis vnus eſt Chriſtus. In eo namque, quod Filius eſt DEI, aequalis eſt Patri; et in eo, quod Filius eſt hominis, minor eſt Patre. Qui etiam ex quo homo eſt, pro delictis noſtris paſſionem ſuſtinuit: mortique addictus, et cruci, veram carnis mortem accepit:

cepit: tertia quoque die virtute propria ſuſcitatus de ſepulcro. Hoc ergo exemplo Capitis noſtri, in hac carne, qua nunc ſum, et moueor, reſurrecturum me credo. Idem autem Dominus, et Saluator noſter, peracto reſurrectionis ſuae triumpho, Paternam Sedem repetiit, a qua per Diuinitatem nunquam receſſit. Inde in fine ſeculorum venturus iudicabit viuos, et mortuos, reddetque ſingulis, prout geſſit quisque in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Eccleſiam ſane Catholicam, pretio ſui ſanguinis redemptam, cum eo credo in perpetuo regnaturam. Credo, et confiteor vnum Baptisma in remiſſionem omnium peccatorum. Hanc ergo Fidem profeſſionis meae inuiolatam me retinere, et ab ea nunquam deuiare promitto.

Qualiter ergo ex praelibata Fide idiotas erudire debeam, et ipſe in ſuſcepta nouitiorum Eccleſia conuerſari, reſcripto Paternitatis Veſtrae cautus flagito, vt merear edoceri. Memetipſum enim iterum, iterumque Sanctitatis Veſtrae Fidei, precibusque ſubnixe commendo. Dignam autem Veſtrae Sublimitatis memoriam, quam tota per orbem frequentat Eccleſia, ego cum omnibus mihi ſubditis, votis, et orationibus celebrare non deſiſto. Quidquid etiam humani ſeruitii, quod Veſtram deceat Magnitudinem, ex me conferri poſſit, totum, et ex toto, pro libitu voluntatis Veſtrae liberaliter expendere Pater Dilectiſſime ſatago.

II.

Benedicti Papae VII. Epiſtola ad Gallos, et Germanos.

Dilectiſſimis Nobis in Chriſto Filiis, Hrodberto Sanctae Moguntinae Eccleſiae, et Diotrico Sanctae Treuerenſis Eccleſiae, atque Adalberto Sanctae Magdeburgenſis Eccleſiae, parique modo Gereoni Sanctae Colonienſis Eccleſiae, atque Friderico Sanctae Iuuauenſis Eccleſiae; ſed et Adaldago Sanctae Bremenſis Eccleſiae, Archi-Episcopis. Pariterque Domino Ottoni Glorioſiſſimo Imperatori Auguſto, atque Nepoti ſuo Henrico Praecellentiſſimo Duci Bauariorum, ceterisque omnibus Episcopis, et Abbatibus, Ducibus, atque Comitibus Galliae, atque Germaniae. Benedictus Diuina gratia praeditus Apoſtolicae Sedis Pontifex, Seruus autem Seruorum DEI, in Domino ſalutem.

Oportet iuſtis ſupplicationum petitionibus Nos ſemper faciles, et humiles exhibere: et praecipue, quum Fraternis religioſorum Conſacerdotum precibus ſollicitamur, qui paſſim ab omni mundi termino tenorem, et regulam, atque proprii officii vigorem ab hac vniuerſali (a) Sancta Romana Eccleſia, eiusque fortiuntur Miniſtro, Vicario (b) ſcilicet Beati Petri Principis Apoſtolorum: cuius quamuis indigni, eiusdem tamen gratia, et dono, poteſtati ſucceſſimus, et ordini, cui voce Dominica di-

citur:

(a) Eo modo, et ratione vniuerſalem dicit Romanam Eccleſiam, quo ſenſu Papa dicitur Catholicus Episcopus, quod hic ſit Caput, illa Magiſtra Eccleſiarum.

(b) Non deſunt aliqui Theologi, qui Sedis primae Episcopum Vicarium beati Petri appellare, erroris condemnarent, ignorantia nimirum antiquitatum Eccleſiaſticarum ducti. Wratislaus

An Papa Vicarius S. Petri?

citur: „Tu es Petrus, et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam.„ Quapropter dignum aeſtimauimus, aſſenſum praebere congruis poſtulationibus Reuerendiſſimi Archi-Epiſcopi, quas per probabiles perſonas Nobis intimauit *(a)* Reſponſalium ſuorum duorum Presbyterorum, quatenus ſibi Pallium, et Metropolitanum honorem Cathedrae ſuae, Sanctae Laureacenſi Eccleſiae reſtitueremus, confini Ungrorum adiacenti: quod omnino Nos eidem Eccleſiae debere teſtantur antiquiſſima ſecum apportata priuilegiorum teſtimonia; in quibus enim continebatur, quod aetate Pontificatus Beati Symmachi huius almae Sedis Apoſtolici Praeſulis, praefata Sancta Laureacenſis habetur Eccleſia Metropolis: et in quantum tam exinde, quam etiam de paſſionibus beatorum Martyrum, *(b)* qui illic plures in tempore perſecutionis pro fide Chriſti variis ſunt tormentis mulctati, colligere poſſumus. ex omnibus Eccleſiarum Dioeceſibus Pannoniae, haec antiquitate, et Archi-Epiſcopii dignitate eſſe primitiua creditur: quae iam multis retro actis temporibus ex vicinorum frequenti populatione barbarorum deſerta, et in ſolitudinem redacta, nullum Chriſtianae profeſſionis habitatorem meminit, vsquedum inuictiſſimus Auguſtus, et Pater Gratiae, Genitor quippe Pii Imperatoris Noſtri, quem adhuc ſupereſſe, et diu dominari mundus exoptat, bellico trophoeo eorum vires retudit. Nunc autem, quamobrem votis exultantibus in laudem Omnipotentis DEI erumpimus, non ſolum ſoepe dicta Sancta Laureacenſis Eccleſia, hoſtium ceſſante terrore, cum accolis ſuis pace, et tranquillitate potitur; verum etiam ipſi dudum inimici, illum, quem perſecuti ſunt more gentili, iam iam Chriſtum baptizati profitentur, et Sacerdotes modo habere deſiderant, ac prout ſcire rudes poterunt, venerantur, et Eccleſias quasdam in ſua terra, quas Patres incendio dederunt, poſteri reſtaurare videntur. Hac ergo ſuadente ratione, quod praenominati Sanctae Laureacenſis Eccleſiae Archi-Epiſcopi poſtulatio, antiqua Apoſtolica authoritate commendatur; et praeterea, quod quum iuſtum eſſet, pariter etiam vtile viſum eſt, vt ad fructificandas DEO Gentes ex nouitiis cultoribus Fidei Ungrorum, atque Morauorum, *(c)* ſiue etiam aliis multis Prouinciis Sclauorum ſuae Parochiae finitimis, illic ordinatis Epiſcopis, ſecundum quod antiquitus depoſiti erant, eis hunc conſtitueremus Archi-Epiſcopum. Quoniam autem Salisburgenſis Eccleſia Metropolis abuſa eſt ſubiectione Sanctae Laureacenſis Eccleſiae, Pontificii obliterata, et attenuata ſua dignitate ex deuaſtatione barbarorum, quam propterea perceptis Apoſtolicis priuilegiis nequaquam patimur priuari: quum et priora ſint Salzburgenſibus, et ideo *(d)* authoritatiua, vel authorabiliora. Quae conditio teſtimonii etiam apud ſecularia viget, et praeualet. Nos vero in huiusmodi conſtitutionibus omnem calumniam, atque contentionis occaſionem, Domino adiuuante, facile

Rex Bohemiae ad Clementem Antipapam, quem tamen vt legitimum Pontificem habebat, ſcribens inquit: „*quia ergo altiſſimus, vos mi Reuerende Pater! conſtituit in hac arce praelationis, vt vice magni illius Petri ſitis Caput totius Eccleſiaſticae poteſtatis.*„ Fidem adhibere licet Benedicto Papae aſſerenti, ſe eſſe Vicarium Apoſtolorum Verticis, et ille vtique Vicarius dicitur, qui locum ſuſtinet. An non Patres Concilii Chalcedonenſis dixerunt Petrum per os Leonis locutum? Innocentius II. appellationes primae Sedis vendicans in epiſtola ad Archi-Epiſcopum Remenſem ſcripta, apud Petz col. 309. ait: „*Priuilegium Beati Petri infringere.*„ Beati Petri ergo Priuilegio vtuntur. Nil tamen id impedit, quo minus vere ſint Vicarii Ieſu Chriſti.

(a) Alibi adnotauimus Reſponſales Apocriſiarios, ſeu Legatos Epiſcoporum.

(b) Confirmant haec argumentationem doctiſſimi Salagi, Epiſcopatus Pannoniae ex copia Martyrum, hinc inde ſupplicio pro Chriſto affectorum, Eccleſias Cathedrales deſignantem.

(c) Vide doctiſſimum Salagi oſtendentem partem modernae Hungariae hoc veniſſe nomine.

(d) Id eſt: vel ſola valeant, et praeualeant

facile propulſamus, ambabus Parochiis ab inuicem certis limitibus ſequeſtratis, et tamen Apoſtolicis Sanctionibus vbique ſtabilitis; quas noſtrum eſt ſemper defendere, et ſecundum Euangelicam ſententiam nihil ex eis ſoluere, ſed adimplere. Vnde ergo auctoritate, et poteſtate B. Petri Principis Apoſtolorum, atque exemplo Beatorum Pontificum, ſcilicet Praedeceſſorum Noſtrorum, eandem Sanctam Laureacenſem Eccleſiam, eiusque Rectores iam Archi-Epiſcopos, a modo perpetim ob omni Salzburgenſis Eccleſiae, eiusque Praeſulum ſubiectione, ac ditione abſoluimus, et honore Metropolitano ſublimamus. Et ſicut modernis temporibus Sanctae memoriae Agapitus Papa terminos earundem Parochiarum ab inuicem diſtinxit, ſic et ipſi diſfinimus; ita quoque, vt Sancta Salzburgenſis Eccleſia ſuperioris Pannoniae Epiſcopos habeat ſuffraganeos, quibus vsque huc ſui Pontifices praeeſſe videbantur, cum tanta, talique Dioeceſi, quali hactenus in inferiori vſi ſunt Pannonia: Sancta autem Laureacenſis Eccleſia in inferioris Pannoniae, atque Moeſiae Regiones, quarum Prouinciae ſunt Bauaria, atque Morauia, in quibus ſeptem Epiſcoporum Parochiae antiquis temporibus continebantur, ſuique Antiſtites Archi-Epiſcopalem deinceps habeant poteſtatem, cum tanta, talique Dioeceſi, quali hacteaus in ſuperiori vſi ſunt Pannonia. Quibus vtique in Superni praeceptis iniungimus, vt iuxta B. Gregorii decretum, Anglorum Archi-Epiſcopis directum, alter illorum, qui prior ſit in ordinatione tempore, et quoad viuat, prioratum teneat et in ordine. Penitus enim determinatis vtriusque Eccleſiae Dioeceſibus, omnique excluſa altercandi occaſione: Canonica ſub diſtrictione interdicimus, vt neuter earundem Eccleſiarum Archi-Epiſcopus inuadere alterius Parochiam praeſumat, vel quibuscunque iurgiis, aut diſceptationibus, ſuper diffinitis a nobis modo rebus, alter alterum ſollicitare audeat. His igitur ſedatis, Venerabilem Confratrem Noſtrum Pilgrimum Archi-Epiſcopum, Canonicis litteris munitum, Sedi Sanctae Laureacenſis Eccleſiae inthronizauimus, palliumque ei ſecundum antiquum eiusdem Eccleſiae vſum direximus: atque in Prouinciis Bauariae, regionum quoque inferioris Pannoniae, ſiue Moeſiae, et in contiguis ſibi Sclauorum nationibus circumquaque manentium, Noſtram Apoſtolicam authoritatem, et vicem exercere committimus, atque delegamus; quatenus illic, more anteceſſorum ſuorum Sanctae Laureacenſis Eccleſiae Archi-Epiſcoporum, habeat poteſtatem Presbyteros, et Epiſcopos ordinare, atque conſtituere, et ex praedictis gentibus ſua Sancta praedicatione parare Domino plebem perfectam.

XXXVI.
SYLVESTRI II. LITTERAE AD SANctum Stephanum Regem datae anno Chriſti Milleſimo.

Sylueſter Epiſcopus Seruus Seruorum DEI Stephano Duci Vngarorum Salutem, et Apoſtolicam benedictionem.

Legati Nobilitatis (a) Tuae, in primis vero Cariſſimus Confrater Noſter Aſtri-

Nobilitatis axioma. (a) Axioma Nobilis Viri a Summis Pontificibus, medio praeſertim aeuo, Ducibus tribui ſolebat. Quod in pluribus litteris a nobis vulgandis occurret. Apud Petz in codice Diploma-

Aſtricus, Venerabilis Colocenſis Epiſcopus, tanto maiori cor Noſtrum gaudio affecerunt, ac minori officium ſuum labore confecerunt, quanto Diuinitus praemoniti, cupidiſſimo animo illorum aduentum de ignota *(a)* nobis Gente praeſtolabamur. Felix legatio, quae coeleſti praeuenta nuncio, atque Angelico pertractata Miniſterio, prius DEI concluſa eſt decreto, quam a Nobis audita fuiſſet. Vere non volentis, neque currentis, ſed ſecundum Apoſtolum miſerentis eſt DEI, qui teſte Daniele mutat tempora, et aetates; transfert Regna, atque conſtituit, reuelat profunda, et abſcondita, et nouit in tenebris conſtituta, quia lux cum eo eſt, quae ſicut dicit Ioannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primum ergo gratias agimus DEO Patri, et Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui temporibus noſtris inuenit ſibi Dauid, *(b)* Filium Geyzae hominem ſecundum cor ſuum, et luce irradiatum coeleſti, ſuſcitauit illum paſcere Israël Populum ſuum, electam Gentem Vngarorum. Deinde laudamus pietatem ſublimitatis Tuae in DEVM, et reuerentiam erga Sedem Apoſtolicam, cui Diuina patiente miſericordia, nullo meritorum noſtrorum ſuffragio praeſidemus. Tum vero largitatem liberalitatis, qua B. Petro Apoſtolorum Principi, Regnum, ac Gentem, cuius Dux es, cuncta tua, ac teipſum per eosdem Legatos, et litteras perpetuum obtuliſti, digno praeconio commendamus. Hoc enim facto egregio aperte teſtatus es, et reuera talem Te merito eſſe demonſtraſti, qualem vt nos Te declarare dignaremur, ſtudioſe expetiuiſti. Sed parcimus. Neque enim neceſſe, vt quem tot, ac praeclara pro Chriſto geſta facinora voce publica clamant, quemque DEVS ipſe commendat, amplius commendemus. Quare glorioſe Fili! cuncta a Nobis, et Sede Apoſtolica expoſtulata, diadema, nomenque Regium, Strigonienſem Metropolim, et reliquos Epiſcopatus, de Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum eius authoritate, praemonente, atque ita iubente Omnipotente DEO, cum Apoſtolica Noſtra benedictione *(c)* libenter conceſſimus, concedimus, et impertimur, Regnum quoque munificentia Tua S. Petro oblatum, Teque vna, ac Gentem, et Nationem Vngaricam praeſentem, et futuram ſub protectionem Sanctae Romanae Eccleſiae acceptantes, Prudentiae Tuae, Haeredibus, ac legitimis Succeſſori-

tico Hiſtorico Epiſtolari col. 246. Alexander II. ad Wratislaum Ducem Bohemiae ſcribens ait: „*Nobilitatis tuae cor, et animum ea deuotione erga reuerentiam Sanctae Romanae Eccleſiae inſtitutum eſſe cognouimus.*„ Non Summi ſolum Pontifices, ſed alii etiam Duces hoc honorabant axiomate. Apud eundem Petz col. 144. Peringerius Abbas Tengerseenſis epiſt. 7. circa annum MIII. ſcripta Duci Bauariae, ita orditur ſermonem: *Domino H. Chriſticoi agminis Ductori Nobiliſſimo.*„ Comitibus etiam ſi ſupremam haberent poteſtatem, idem axioma obuenit. Modo memoratus Abbas loco citato epiſt. 2. *Domino V. Comiti Nobiliſſimo.*„ Ipſi etiam Imperatores hoc axiomate gauiſi videntur; Poſſideo enim nummum Conſtantini cum inſcriptione: *Conſtantinus Nobilis Caeſar.* Apud Mediobarbam occurrit nummus Commodi: *Nobilis Auguſtus P. M. &c.* *Nobilitas* autem *Auguſti* in Getae, Commodi, et Philippi nummis identidem occurrunt. Ipſae Diuinae litterae habent: „*Abiit homo, quidam Nobilis accipere ſibi Regnum, et reuerti.*

(a) Inchofferi, Timonis, ac aliorum ingenia mire torſit haec ignotae Gentis compellatio. Facile eſſe exiſtimo reſpondere, ſi dicatur, ideo ignotam vocari, quod coeleſti illa viſione nomen Gentis non fuerit deſignatum, quod vtique in viſionibus fieri aſſolet. Viſionis huius meminit Chartuitius cap. 2. num. 11. Hiſtorici Poloni: Ioannes Dengoſsus, Michael de Michouia, Martinus Cromerus et viſionem, et ſuo Duci negatam coronam fatentur.

(b) Per quandam alluſionem, et virtutis aemulationem. Ceterum Dauid nusquam reperio Sanctum Regem noſtrum appellatum fuiſſe, quamuis non vno nomine veniat. Innuit quippe Lazius de migratione Gentium lib. 7. pag. 255. ante Baptismum Toxum fuiſſe vocatum; Idem tradit etiam Geyzam vocatum. Wait dicitur a Ditmaro, ſed erronee, vt putat Brunner lib. 2. pag. 571. Nomina S. Stephani Regis.

(c) Benedictionis, et Coronae meminit Ditmarus coaeuus.

ſoribus Tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac poſſidendum reddimus, *(a)* et conferimus, qui quidem Haeredes, ac Succeſſores Tui quicunque, poſteaquam per Optimates legitime electi fuerint, teneantur ſimiliter Nobis, et Succeſſoribus Noſtris per ſe, vel per Legatos debitam obedientiam exhibere, ſeque Sanctae Romanae Eccleſiae, quae ſubiectos non habet, vt ſeruos, ſed vt filios *(b)* ſuſcipit vniuerſos, ſubditos eſſe oſtendere, atque in Catholica Fide, Chriſtique Domini, ac Saluatoris noſtri Religione firmiter perſeuerare, eandemque promouere. Et quia Nobilitas Tua Apoſtolorum gloriam aemulando, Apoſtolicum munus Chriſtum praedicando, *(c)* eiusque Fidem propagando, gerere non eſt dedignata, Noſtrasque, et Sacerdotii vices ſupplere ſtuduit, atque Apoſtolorum Principem prae ceteris ſingulariter honorare: Idcirco et Nos ſingulari inſuper priuilegio Excellentiam *(d)* Tuam, Tuorumque meritorum intuitu Haeredes, ac Succeſſores Tuos legitimos, qui ſicuti dictum eſt, electi, atque a Sede Apoſtolica approbati *(e)* fuerint, nunc, et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes: vt poſtquam Tu, et illi Corona, quam mittimus, iuxta formulam Legatis Tuis traditam coronatus, vel coronati exſtiteritis, crucem ante ſe Apoſtolatus Inſigne geſtari facere poſſis, et valeas, atque illi poſſint, valeantque. Et ſecundum quod Diuina Gratia *(f)* Te, et Illos docuerit, Eccleſias Regni tui praeſentes, et futuras Noſtra, ac Succeſſorum noſtrorum vice *(g)* diſponere, at-

 que

(a) De hac Regni oblatione plura, vbi de epiſtolis S. Gregorii VII. agemus.

(b) Haec verba repetit S. Gregorius VII.

(c) Quomodo haec cum Chartuitii teſtimonio congruant, diximus in recenſione.

Excellentiae axioma.

(d) Haec verba videtur innuere Chartuitius cap. 2. num. 13. dum ait de S. Stephano: „*Poſt acceptum Regalis Excellentiae ſignum, qualis vitae vir &c.* Axioma Regibus conſtanter a Summis Pontificibus tributum video. Summis etiam Pontificibus datum reperio in codice Diplomatico Hiſtorico epiſt. Petzii col. 288. vbi Wratislaus Rex Bohemiae ad Clementem Antipapam, quem pro legitimo Pontifice habuit, ſcribens inquit: *Vnde nouerit Excellentia Veſtra, quam intimo affectu Nos reſpicimus Sanctiſſimum Apoſtolatum Veſtrum.*„ Karolus M. ad Leonem III. A. C. DCCXC. ſcribens apud Bal. cap. Tom. I. col. 195. „*perlectis* inquit *Excellentiae Veſtrae litteris.*

(e) Si haec in ſenſu obuio ſumantur, neſcio, cur S. Stephano denegari debeat Priuilegium Eccleſiae Nitrienſis, in quo ſe ſcribit Apoſtolicae Sedis gratia Regem. Alibi adducemus Concilium Budenſe anni MCCCVIII. in quo profitentur Praelati, ac ceteri Optimates, „*quod etiam perpetuis futuris temporibus veri Summi Pontifices, et ipſa Romana Eccleſia haberent ius confirmandi, et coronandi Reges Hungariae.*„ Illud mirum, neque legatum Apoſtolicum, neque Optimates Syluestrinarum litterarum meminiſſe. *Antiquorum habet relatio,* ita ait Legatus Apoſtolicus, *declarat quoque Hiſtoria inclyti Confeſſoris Beati Stephani Regis Hungariae.*„ Suſpicor neque S. Gregorium VII. has litteras vidiſſe vnquam. Multum profecto valuiſſet argumentum a Iure confirmandi petitum.

(f) Haec eadem verba habet Chartuitius, dum Summam Apoſtolici reſponſi refert.

(g) Hoc loco videntur Syluestrinae litterae innuere Sancto Regi, ac etiam (quum ante conſummationem operis coepti mori potuerit.) Succeſſoribus nouellas Eccleſias diſponendi, fundandi, ſtabiliendi factam eſſe poteſtatem. Haec mea ſententia eſt de his verbis, ſi tamen in primaeuis Syluestrinis litteris eadem fuiſſe admittamus. Non videtur autem illis ſiue ius nominandi Epiſcopos, ſiue ius Legationis Apoſtolicae Sancto Regi noſtro tributum fuiſſe. Quod quidem ad ius nominationis attinet: *Primo:* Werböczio, et Kollario teſtibus haec verba non videbantur ſufficientis roboris eſſe ad euincendum ius praefatum. Et recte: Etenim tum obſcura ſunt, et mini meplana; tum aliae litterae, ad Optimates datae, quae rem omnem plenius, et explicatius continere dicuntur, non exſtant. Vnde ſuapte conſequitur de ſenſu verborum horum nos nil certi, et inconcuſſi ſtatuere poſſe. *Secundo:* Summus Pontifex vices ſuas tribuendo, id cenſendus eſt attribuiſſe, quod ipſe ſua auctoritate facere poterat; quis neſcit autem ſpectata ſaeculi X. et XI. ineuntis disciplina Syluestrum II. non potuiſſe paſſim Eccleſiis Paſtores dare? Porro quantum ad ius Legationis Apoſtolicae: neque illud videtur ex his verbis deduci poſſe. Scimus in Concilio Pontigonenſi, An. 876. dixiſſe Carolum Caluum: „*quod Dominus Apoſtolicus ei vices ſuas commiſit in Synodo.*„ Sanctam Pulcheriam Auguſtam Legati munere auctam fuiſſe, idemque munus Rogerium Comitem ab Urbano II. ſuſcepiſſe pariter nouimus. Sanctus tamen Rex non exiſtimauit aliam poteſtatem, quam Eccleſias diſpeſcendi, et erigendi poteſtatem ſibi factam fuiſſe. In Priuilegio enim Monaſterio S. Martini conceſſo id palam profitetur. Vt primum autem alia quaepiam ſtatuit, ordinauit, confeſſus eſt: id ſe facere de conſenſu Apoſtolici in praeſentia Nuntii ſui. Quare verba haec Syluestrinarum litterarum eum duntaxat videntur reddere ſenſum, quem ſupra poſui.

An S. Stephano ius nominationis, vel legationis conceſſum.

que ordinare, Apoſtolica authoritate ſimiliter conceſſimus, volumus, et rogamus; ſicuti in aliis litteris, quae in communi ad Te, et cunctum fidelem Populum per nuncium noſtrum, quem ad Te dirigimus, deferendis plenius haec omnia explicata continentur. Oramus Omnipotentem DEVM, qui Te de vtero Matris tuae vocauit nomine tuo ad Regnum, et coronam, quippe Diadema, quod Duci Polonorum per nos confectum fuerat, Tibi dandum mandauit, augeat incrementa frugum iuſtitiae tuae, nouellas plantas Regni tui rore ſuae benedictionis perfundat largiter; Regnum tuum Tibi, Teque Regno ſeruet incolumem, ab hoſtibus viſibilibus, et inuiſibilibus protegat, ac poſt terreni Regni moleſtias in coeleſti Regno corona adornet aeterna. Datum Romae VI. Kal. Aprilis, Indictione decima tertia.

XXXVII.
DIPLOMATA S. STEPHANI REGIS EC-
cleſiis Hungariae conceſſa.

I.

Diploma S. Stephani Regis, Abbatiae S. Martini de Sacro Monte Pannoniae conceſſum Anno M I.

In Nomine Domini DEI Summi Stefanus ſuperna prouidente Clementia Vngrorum Rex.

Credimus, et vere ſcimus, ſi locis Diuino cultui mancipatis poteſtates, atque honores adaugmentauerimus, id non ſolum laude humana praedicandum, verum Diuina mercede remunerandum. Quocirca omnium Sanctae Eccleſiae DEI fidelium, Noſtrorumque praeſentium, atque futurorum ſolers comperiat intentio, quod nos interuentu, conſilio, et conſenſu Domini Anaſtaſii (a) Abbatis de Monaſterio S. Martini, in monte ſuper Pannoniam (b) ſito, ab Genitore noſtro incepto, quod nos per DEI ſubſidium, ob animae noſtrae remedium, pro ſtabilitate Regni Noſtri ad finem perduximus, talem conceſſimus libertatem, qualem detinet Monaſterium Sancti Benedicti in monte Caſſino, quia propter orationes ſanctas Fratrum eiusdem Monaſterii, conſilianțe Domino Anaſtaſio praeſcripto Abbate, et iugiter adiuuante, confortati, et lau-

Aſtricus quisnam? (a) Anaſtaſius hoc loco commemoratus ſecernendus eſt ab Aſtrico Colocenſi Episcopo, cui teſte Chartuitio, etiam Anaſtaſii nomen erat. Ex eodem enim Chartuitio discimus, Aſtricum antes Breunouiensem Abbatem, dein Monaſterii ad radicem Montis Ferrei fuiſſe conſtitutum Abbatem. Ait enim: *Aſtricus Abbas cum ſuis honorifice ſusceptus, ad radicem Montis Ferrei Monaſterium conſtruxit;* deinde mox inſequenti numero ait: *noſcens vero prudens Dux praedicti Aſtrici Religionem, Pontificalis ipſam Dignitatis inſula decorauit.*„ Mox rurſus ait: *Eundem Aſtricum Praeſulem, qui alio nomine Anaſtaſius dictus eſt, ad limina Sanctorum Apoſtolorum miſit.*

(b) Recte: infra montem enim erat ſita Pannonia teſte Sancto Ladislao apud Nicolaum Schmidt in Episcopis Agrienſibus Tom. I. pag. 134. „*Ego Rex Ladislaus Monaſterium Sancti Martini ſupra montem Pannoniae ſitum multis condonauimus opibus.*„ Dein Praedia recenſens inquit: *Primum Praedium Pannonia eſt, vbi Monaſterium ſitum eſt.* Pannonia praedium.

laureati *(a)* ſumus: ſingulare namque ſuffragium, quod per merita B. Martini in pueritia mea *(b)* expertus ſum, memorie poſterorum tradere curaui. Ingruente namque bellorum tempeſtate, qua inter Theutonicos, et Vngaros ſeditio maxima excreuerat, praecipueque quum Ciuilis belli ruina vrgeret, volente Comitatu *(c)* quodam nomine Sumigienſi paterna me ſede repellere, quid fluctuanti animo conſilii darem, quaque me verterem, tanta tractus verecundia, *(d)* adſtantibus Ducibus videlicet Poznano, Vntio, Orchio, Domino quoque Dominico Archi-Epiſcopo, *(e)* votum voui Sc̄o Martino, quod ſi de hoſtibus interioribus, *(f)* et exterioribus eius meritis victor exiſterem, ſupra nominati Comitatus decimationem de omnibus negotiis *(g)* praediis, terris, vineis, ſegetibus, vectigalibus, vinumque hoſpitum, quod in praediis eorum excreſceret, ne Parochiano Epiſcopo pertinere videretur, ſed magis Abbati eiuſdem Monaſterii, ſub teſtimonio praefatorum Ducum, multorumque Comitum, abſque vlla mora ſubiugarem, dumque poſt cogitatum victoria potirer, quod animo reuolueram, operis efficacia complere ſtudui. Necdum enim Epiſcopatus, et Abbatiae, *(h)* praeter ipſum locum in Regno Vngarico ſitae erant. Quodſi vos fideles licuit mihi, quo volui, loco, Epiſcopatus, et Abbatias ſtatuere, an non licuit cuipiam loco, quod volui, vt facerem? Et ne adhuc Ec-

cleſia

Laureatae litterae.

(a) Id eſt: *victores* euaſimus. Laureatae enim litterae victoriae indices erant. Sic Ammianus Marcellinus lib. 16, Nro. 12. ſub finem de Conſtantio ſcribens ait: *Si verbi gratia eo agente tunc in Italia, Dux quidam egiſſet fortiter contra Perſas, nulla eius mentione per textum longiſſimum facta, laureatas litteras ad Prouinciarum damna mittebat, ſe inter primores verſatum cum odioſa ſui iactatione ſignificans.* „ Eaedem hae litterae a Liuio *Tabellae Laureatae* vocantur. Poteſt etiam Tò: *Laureati ſumus* ita intelligi, quaſi diceret Principes facti ſumus. Et ſane deuicto Cupa in Paterno throno firmius ſedere coepit Sanctus Rex. Scimus autem laureatas imagines Principum, tempore adepti Regiminis ad Prouincias ſubditas miſſas fuiſſe.

Quando natus S. Stephanus?

(b) Haec verba faciunt, vt Chronotaxia Cl. Pray, qua natiuitatem S. Regis ad an. DCCCCLXXXIII. collocat, prae ceteris arrideat. Clariſſimi enim Hellii non admittit, vt Rex hic in pueritia ſua dicatur profligaſſe Cupam. Conſentit Chartuitius, qui adhuc adoleſcentem appellat, et toties Tyronem Chriſti vocat. Neque obeſt coniectura P. Timonis, quod 15. annos natus adoleſcens throno aptus non videatur. Non vnus enim Regum tot annos natus thronum conſcendit, et glorioſe tenuit. Adde his illud S. Ambroſii: *neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.*

Comitatus vocabulum ab Anglis acceptum.

(c) Hinc videtur erui totum Comitatum, ſeu Prouinciam Simegienſem in S. Stephanum arma ſumpſiſſe, ac ideo etiam Decimam prolem S. Martino dare iuſſos accolas illius. Licet autem Comitatus nomen iam tempore Caroli M. obtinuerit, in eo tamen ſenſu, quo nos Hungari illo vtimur apud Anglos duntaxat reperio. De Aluredo enim Rege Angliae habet apud Du Cange hac voce: *Comes*, Ingulfus: „*totius Angliae Pagos, et Prouincias in Comitatus primus omnium commutauit.*

(d) Id eſt: *timore.* Verecundiari enim hoc aeuo idem erat, ac timore percelli, vti a Du Cange iam demonſtratum habetur.

(e) Diſtinguenda ſunt tempora. Sanctus enim Rex non pro tempore victoriae, ſed pro tempore editi Priuilegii talem nominat. Neque Chartuitii teſtimonio repugnat Dominicum iam tunc fuiſſe deſtinatum Archi-Epiſcopum; quum teſte eodem Nro. 20. mihi pag. 343. Geyza fuerit „ſollicitus de rebellibus domandis, et Ritibus ſacrilegis deſtruendis, et Epiſcopatibus ſecundum aeſtimationem ſuam ad profectum Eccleſiae Sanctae ſtatuendis.„ Et ideo ni fallor, videtur potiſſimum lateri S. Regis adhaeſiſſe.

(f) Videtur S. Rex exprimere ſenſum Sylueſtrinarum litterarum, quibus dicitur: „*Regnum tuum tibi, teque Regno ſeruet incolumem, ab hoſtibus viſibilibus, et inuiſibilibus te protegat.*„ Nullos enim habebat externos hoſtes S. Stephanus, quum teſte Chartuitio fuerit pacem cum illis habens.

Decimae Perſonales.

(g) Decimas Perſonales in Hungaris etiam deinceps viguiſſe ex decretali *cap. ad Apoſtolicae* 30. *de Decimis* relata, et ad Hungaros miſſa patet, imperitus autem ſit, qui neſciat nomine Decimarum perſonalium venire omne id, quod teſte Coeleſtino III. *Cap.* 22. *Non eſt:* de negotiatione, ipſa militia, ac venatione Miniſtris Eccleſiae tribuebatur.

An Eccleſiae, et Monaſteria ante S. Stephanum?

(h) Eccleſias iam complures fuiſſe aedificatas tum alias docuimus, tum ex Chartuitio patet num. 4. pag. 345. poſtquam S. Adalberti in Hungariam aduentum deſcripſiſſet, ſubiungit: „*baptizantur Alumni Patriae, ſtatuuntur multis in locis Eccleſiae.*„ Forte etiam Caenobium Benedictinorum exſtabat; inquit enim Turoczius Chron. par. 2. cap. XI. de Volphgero, ac Fratre eius Hedrico, cui Dux Geycha montem Kiacen, (nunc Kitze) et inſulam Danubii circa Iaurinum dedit pro deſcenſu aeterno; vbi caſtrum ligneum faciens, fecit quoque in eodem monte Caenobium, vbi eſt tumulatus. Abbatiae tamen, et Epiſcopatus nulli erant.

cleſia S. Michaëlis vacua (a) eſſe videretur, vel Epiſcopus Parochianus iniurias, quaerimoniasque in collectione decimationis pateretur, Ei Curtem (b) quae vocatur Corton, cum hominibus eidem pertinentibus tradidi. Quod ſi ipſe contra mea ſtatuta quid inique agere, vel acquirere voluerit, ante DEVM Iudicem viuorum, et mortuorum in die iudicii ſe contendere mecum ſciat. Ad huc autem ſubiungens dico: ſit idipſum Monaſterium ab omni inquietudine ſemotum, habeantque Monachi, poſt tranſitum ſui cuiusque Abbatis, alium Abbatem ſecuriter eligendi, et a quocunque velint Epiſcopo conſecrandi eum, ſitque eis licitum ordines (c) recipere in quouis loco, et a quocunque Epiſcopo. Ante neminem vero Abbatum Capella (d) incedat, niſi ante Patrem eiusdem Mona-

---

(a) Quarta pars Decimarum iuxta mores illius temporis fabricae Eccleſiarum deputata erat. Ne itaque iniurias, et querimonias pateretur eo, quod ex Comitatu Simegienſi nulla pars decimarum ad fabricam Eccleſiarum pertineret, dedit S. Rex Villam, ſeu Curtem. Dabimus in decurſu operis huius decretales Innocentii III. ex qua patebunt ea, quae de quarta parte decimarum hoc loco ſcripſimus.

(b) Huius meminit S. Ladislaus in Priuilegio Eccleſiae Veſprimienſi conceſſo: „*De libera Villa*, ita inquit, *Sancti Regis, habet etiam terram ad vnum aratrum cum ſeruitoribus.*„ Villae huic nomen: *Szent Kiraly Szabadja.* Scimus

Libera villa. Curtes, id eſt, Villas Regias fuiſſe liberas appellatas; Quod quia ex Du Cange alibi demonſtrauimus, hic repetere ſuperfluum foret.

(c) Huic Priuilegio deinceps per Summos Pontifices derogatum fuit.

(d) Duas in hac voce explicandas video eſſe ſententias, vnam P. Deſericii de initiis, et maj. Hung. Tom. 5. pag. 102. Intelligit in hoc

De Capella. loco Cappam, ſiue operimentum capitis S. Martini. Aliam Cl. Katona Tom. I. pag. 99. qui adſerit intelligendum apparatum Eccleſiaſticum, itineri adaptatum, quaſi ſoli Abbati Capellae itinerariae facultas a Sancto Rege conceſſa fuiſſet. Ego aliud ſub nomine Capellae latere ſuſpicor: antequam tamen mentem meam pandam, quid in vtraque ſententia mihi diſpliceat? depromam. Per Capellam venire non poſſe Cappam S. Martini clarum eſſe puto. Capella enim S. Pontificis, ſeu breuior Cappa aſſeruatur in Sancta Capella Pariſienſi, quod Mabillonius in eruditiſſimo ſuo opere de re Diplomatica ex Placito Theodorici Regis Franciae, et Placito Childeberti Regis docet, vbi Reges laudati teſtantur ſuper Capella Domini Martini in Palatio Regis iuramenta fuiſſe depoſita, hocque fuiſſe vſu receptum tenemus ex Marculfi Formulario lib. 1. for. 38. mihi pag. 271. vbi ait: „*Tunc in palatio noſtro ſuper Capella Domini Martini, vbi reliqua Sacramenta percurrunt, debeant coniurare.*„ Si Capella itaque S. Martini in Hungariam translata non fuit, quod dubio caret, ridiculum fuiſſet priuilegium Abbati S. Martini datum, vt duntaxat ante ipſum incedat, ſeu geſtetur Capella laudati Pontificis. Haec eſt autem illa ipſa Cappa, qua poſt detractum ſibi, vt nudum veſtiret, habitum indutus Miſſam peregit, et Spiritus Sanctus in forma globi igniti capiti eius imminens apparuit. Deſericius ergo mentem Diplomatis noſtri non eſt aſſecutus. Alterius ſententiae fundamentum depromitur ex Onomaſtici Sacri verbis his: „*Antiqui mobiles Eccleſiolas in itinere de pellibus caprarum factas habebant, quas inde capellas vocabant.*„ Nunquam ſane mihi perſuadebit Anonymus Ciſtercienſis Eccleſiolas ambulatorias fuiſſe a veteribus appellatas Capellas. Ex ſeculi enim IV. ſcriptore Ammiano Marcellino diſcimus conuiciandi cauſa Iuliano hoc nomen inditum fuiſſe, vti lib. 17. n: XI. pag. 119. ait: „*in odium venit cum victoriis ſuis Capella, non homo, vt hirſutum Iulianum carpentes, adpellantesque*„ Vnde habemus primo conuicium id fuiſſe; dein ex tentoriis pelliceis Eccleſiolis ambulatoriis nomen Capellae adhaerere non potuiſſe, quum hirſuta haud fuerint tentoria. Ad Canonem 36. Synodi celebratae ſub Seraphimo, laudabimus Sozomeni locum clariſſimum lib. 1. cap. 8. vbi Tabernaculum vocat huiusmodi Eccleſiam Conſtantini M. Idem aſſerit Euſebius, quem antea nominare debuiſſem: „*Tabernaculum*, ita loquitur, *in ſpeciem Eccleſiae ambitioſo cultu, ad huius belli*, (Perſici) *vſum praeparauit, in quo preces ad Deum victoriae authorem vna cum Epiſcopis fundere decreuerat.*„ Certum ergo eſt a veteribus huiusmodi Eccleſiolas non fuiſſe appellatas Capellas. Ceterum non multum moror Anonymum: neque enim Honorius Auguſtodunenſis Anonymo opitulatur: neque Durandus hic in rationali Diuinorum officiorum lib. 2. cap. 10. mihi folio 26. „*Sunt etiam, qui dicunt, quod antiquitus in expeditionibus, in Tentoriis fiebant domunculae de pellibus caprarum, in quibus Miſſam celebrabant, et inde Capellae nomen tractum eſt.*„ Durandus certe, vti mox videbimus, veriorem aliam rationem aſſignat, et hinc ex aliorum ſententia ſe loqui oſtendit inquiens: „*ſunt etiam qui dicunt*„ Auctoritas ergo Anonymi hanc ſententiam non firmat. *Secundo*: Multis euicerunt, et demonſtrarunt tum Du Cange, tum Thomaſſinus Capellas Regum Galliae ita dictas a Cappa, ſeu Capſa B. Martini, quae ibi aſſeruabatur, et deinceps tam Oratoria quaeuis, quam capſas relliquiarum dictas eſſe Capellas. Audeo aſſerere cum Thomaſſino, ante Marculphum, qui ſeculo VII. vixit, ignotam hoc ſenſu fuiſſe vocem Capella. *Tertio*: Capellas Tentoriales, vt ita dicam, certum eſt, ante ſeculum XI. tantopere inualuiſſe vbique, vt ſeculo XI. deſinente in Synodo Seraphimi Archi-Epiſcopi Strigonienſis Canone 36. debuerit vſus Tentoriorum ad itinera reſtringi. „*Nullus extra Eccleſiam in Tentorio &c. niſi Rex, aut Epiſcopi, et Comites, et Abbates &c. et hoc tantum modo, quando ſunt in via.*„ Tam promiſcuus itaque e-

Monaſterii, propter reuerentiam, et ſanctitatem Loci ipſius; moreque Episcopi in Sandaliis *(a)* Miſſam celebret. Praecipimus itaque ſub teſtificatione Saluatoris Domini Noſtri Ieſu Chriſti, vt nullus Archi-Episcopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vice-Comes, ſeu aliquis homo magnus, ſiue paruus, de iam fato Monaſterio aliquo modo ſe intromittere, in mancipiis, terris, vineis, decimationibus, piscationibus, ripis, placitis, *(b)* ſine commiſſione Abbatis eiusdem Monaſterii audeat. Quod ſi qui fecerit; componat centum *(c)* libras auri optimi, medium Camerae Noſtrae, ac medium praefato Monaſterio, ſuisque Rectoribus; maledictionisque perpetuae vinculo feriatur. Quod vt verius credatur, hanc paginam manu propria roborantes ſigillari iuſſimus.

Signum Domini Stefani incliti regis.  *Dominicus Archi-Episcopus viceCancerrarius. (d) fecit.*

Anno Dominicae incarnationis - - MI. Indictione *(e)* XV. anno Stephani primi

Aaa Re-

rat vſus huiusmodi Eccleſiolarum, vt reſtriogi
debuerit, tantum abeſt, quod Abbatibus ampli-
us aliquid admiſſum fuerit. Si itaque hoc Ab-
bati S. Martini conceſſum fuit, quod omnibus
commune fuerat, quale illud priuilegium? Ab-
bati Petro Varadienſi S. Rex inter reuqua dona
etiam Altaria ad viam quinque donauit. vnde
liquet nihilo plus licuiſſe Abbati S. Martini,
quod aliis pariter non licuiſſet. Dico itaque
verbis his: „*ante neminem Abbatum Capella in-*
cedat.„ Priuilegium Archi Capel:n Abbati S.
Martini fuiſſe collatum. Quod aſſertum meum
ſequentibus comprobo ratin.um momentis. *Pri-*
mo: Certum eſt: Reges a temporibus Conſtantini
M. ad expeditiones bellicas accepiſſe reliquias
Sanctorum. De Conſtantino M. teſtatur id Eu-
ſebius, et Socrates, de Regibus Francorum,
quos S. Rex praecipue imitandos ſumpſit, res
eſt eliquatiſſimae veritatis. Conſtat pariter ex
Du Cange Capſas Reliquiarum fuiſſe dictas Ca-
pellas: Prout enim Bignonius obſeruat, Cap-
ſella, et Capella promiscue vſurpabatur. Dubi-
um ergo vix eſſe poteſt, Sanctum Regem hoc
loco dicere, vt Reliquiae ante nullum alium Ab-
batem portentur, quod omnino peculiarem ho-
noris gradum Abbati S. Martini fuiſſe referun-
tum deſignat. Vt autem Capella itineraria an-
te Abbatem geſtetur, non videtur vlla eſſe ho-
neris praerogatiua. *Secundo*: Ex Honorio Au-
guſtodunenſe, Walfrido Strabone, Durando li-
quet Capellanos dictos fuiſſe illos, qui Cappam,
ſeu Capellam S. Martini geſtabant, officiumque
illorum fuiſſe Reliquias Sanctorum deferre. Au-
diamus Durandum loco prius citatn: „*In ple-*
risque Locis Sacerdotes Capellani vocantur. Nam
antiquitus Reges Franciae ad bella procedentes Cap-
pam beati Martini ſecum portabant,„ quam ſub
quodam Tentorio ſeruabant, quod ab ipſa Cap-
pa dictum eſt Capella. Et inde Clerici, in quo-
rum cuſtodia ipſa Capella erat, Capellani voca-
bantur. Ad Archi-Capellani autem partes per-
tinuiſſe Reliquiarum praecipuam cuſtodiam, pa-
tet ex vita S. Berthari Carnotenſis Episcopi,
vbi de Clothoria II. Rege dicitur: „*qui audiens*
famam beatiſſimi Viri (Berthari) *ſuum conſtituit*
Archi-Capellanum, et Pignora multa Sanctorum,
quae ſecum deferebat, vt mos eſt Regum, Ditioni il-
lius conſtituit.„ Quando igitur S. Rex Stepha-
nus Capellam ante Abbatem. S. Martini ince-
dere, ſeu geſtari iuſſit, proculdubio Pignora San-
ctorum Ditioni eius conſtituit, et quod conſe-
quens eſt, Archi-Capellanum deſignauit. Quod
munus Abbates plerumque geſſerunt adeo, vt
teſte Du Cange Summi Capellani Abbates dice-
rentur, etiamſi Episcopali honore fulgerent.

(a) Nolim aliquis exiſtimet hoc loco Sanctum Regem Pontificalium vſum Abbati conceſſiſſe. Sandaliorum quippe vſus tam Episcopis, quam Sacerdotibus communis erat, ſed forma differebant. Apud Baluzium Tom. I. lib. 5. Capitularium 361. cap. mihi pag. 604. praecipitur, vt vnusquisque Presbyter Miſſam ordine Romano cum Sandaliis celebret. Idem eſt in Capitulis Heroldi Turonem cap. 105. apud eundem Baluzium Tom. I. mihi pag. 684. Alminus lib. 2. de Diuinis officiis id ipſum aſſerit: „*Episcopi, et Sacerdotis poene vnum eſt officium. Et quia nomine, et honore discernuntur, etiam et varietate Sandaliorum, vt viſibus noſtris error auferatur, Episcopus habet ligaturam in ſuis Sandaliis, quam non habet Presbyter*.„ Id vnum ergo conceſſit Sanctus Rex, vt Sandaliis Episcopalibus vtatur. Varius Sandaliorum vſus.

(b) Vitium ſcribentis corrigendum, vt legas pratis.

(c) Magna videtur haec mulcta, ſed a S. Henrico longe maiorem ſub initium huius ſeculi conſtitutam video apud d' Acherii in Spicilegio Tom. XI. pag. 385. Abbati enim S. Michaelis in Porcariana anno MXLV. priuilegium concedens ait: „*Sciat ſe compoſiturum auri optimi Libras mille*,„ medietatem Camerae noſtrae, et medietatem Abbati.

(d) Errorem Librarii hic cubare puto; licet in autographo ita exaratum ſit manifeſtis elementis. Hinc forte exiſtimari poteſt legendum eſſe: „*Vice Cancellarii*,„ Cancerrarium tamen pro Cancellario ſcribi, magni erroris argui non poteſt, cum apud Papiam feſtus dicat: „*Cancri dicebantur ab antiquis, qui nunc per diminutionem Cancelli*.„ Cancerrarius.

(e) Cum hic Indictionem XV. pro XIV. legis, recurrat tibi in mentem, Indictionem Caeſaream, qua Reges Franciae, et Germanici Imperatores vtebantur, caepiſſe a 24. Septembris. Quare eodem anno vtraque Indictio locum habebat. Hic recte appoſitam Indictionem contendo, cum enim annus Regni ſecundus poſitus ſit, et Sanctus Rex decima quinta Augu-

Regis Vngarorum ſecundo hoc priuilegium ſcriptum et traditum eſt. Hae ſunt nominatae Villae in dedicatione Eccleſiae ab Archi-Epiſcopo Sebaſtiano *(a)* et a Comite Ceba: piſcatores Fizeg, Baluanos, (nunc Barſonyos) Temerdy, (hodie Tömörd) Chemudi, Wiſetcha, Vuoſian (nunc Varsan) Murim, Curton Wag, (hodie Deaki, olim enim vagus ibi defluebat) tertia pars tributi de rebus praeſentibus et futuris. *(b)*

II.

Priuilegium Eccleſiae Nittrienſi, anno Domini M VI. conceſſum ex MS. Ladiſlai Szörényi, Epiſcopi Sirmienſis.

In Nomine Sanctiſſimae Trinitatis Amen. Nos Stephanus, DEI miſeratione, et Apoſtolicae Sedis *(c)* Gratia Hungarorum Rex.

Vniuerſis damus ad notitiam, per hanc Noſtram ordinationem: quod vbi Diuina Nobis aſſiſtente benignitate, in omnibus Regni Noſtri partibus, veram, et vnicam ſaluificam Ieſu Chriſti Fidem ſtabilire modis omnibus adniteremur, venimus *(d)* ad Caſtrum Noſtrum Nittra, vbi indicibili cordis Noſtri ſolatio, qua extra quamlibet exſpectationem accidit Nobis, quod nouem Sanctae Romanae Eccleſiae Secerdotes Presbyteros inuenimus, qui ſe Capitulares Canonicos Eccleſiae Beati Emerami M. in dicto Caſtro noſtro Nitra ſituatae nominabant, et dictae Eccleſiae, ac Populo, vsque ex partibus Marcomanorum *(e)* illuc confluenti inſeruiebant. Laudes Diuinas, adinſtar nouem chororum Angelicorum, aſſidue decantantes, quibus nos vltro aſſociati, diebus compluribus compſallere, veniamque peccatorum noſtrorum, ac verae Fidei robur, et incrementa deprecari non deſtitimus. Et quia dicti Sacerdotes Presbyteri, Capitulares Canonici, nullam ſtabilem haberent Fundationem, ſed liberis tantum populorum tribuitionibus prouiderentur, ne per eorum conquirendi victus a Diuino obſequio abſtraherentur, donauimus ipſis Vicum cum hoſpitibus *(f)* intra ſuburbium, et caſtrum noſtrum, ad defluxum minoris fluminis Nittra exiſtentibus, ac directe ad Nos, et dictum Caſtrum noſtrum ſpectantem, cum omni macellatione, educillatione, foro publico, reliquisque ſeruitiis, datiis, obuentionibus: et iuribus. Similiter etiam donauimus Vicum paruum Tormás *(g)* trans decurſum maioris fluminis Nittra, ex parte inferiori radicis fontis S. Martini conſtitutum, cum

ſti coronatus credatur, recte poſt dictam diem 24. Septembris, et Indictio XV. et annus Reginus ſecundus appoſitus fuit.

(a) Additiunculam hanc circiter anno MV. appoſitam exiſtimo, dum Eccleſia conſecraretur. Hoc enim anno Sebaſtianum iam fuiſſe Archi-Epiſcopum dubio vacat, et Stibtiagus ex Chartuitio docet, Dominici in Cathedra Strigonienſi Succeſſorem fuiſſe Sebaſtianum.

(b) Ne haec liberalitas etiam futura donantis Regis inſolita videatur, laudandum eſt priuilegium Sancti Henrici paulo ante allatum vbi sit: „*Cum vniuerſis aliis rebus mobilibus, et immobilibus, quae nunc habere videntur, et in ſequenti Deus ibidem augere voluerit.*„

(c) Titulus hic merito ſuſpicionem mouet, addi tamen potuit ab imperito Librario.

(d) Conſona ſuot haec illis, quae Turoczius, et Bonfinius de Eccleſiis quotannis a Sancto Rege luſtratis ſcribunt; non crediderim tamen ſoepe id factum, ſecus comperiſſet antea tam Nittriae, quam Budae nullum ſuae pietatis exſtare monumentum.

(e) Niſi hanc ſeculo XI. inſolitam nomenclationem Librarius ex ſuo adiecit, aut veterum ſcripturarum ignarus ſubſtituit, neſcio, quomodo genuinum exiſtimari poſſit hoc diploma.

(f) In meo Apographo apparent duo N. ex quo apparet; non ſat diligenter eſſe exſcriptum. Vnde ad reliqua etiam menda coniectura ſat tuto fieri poteſt.

(g) Vicum hunc hodiedum poſſidet Eccleſia Nittrienſis.

cum omnibus hoſpitibus, et territorio, eiusdemque vineis, commodo, vſu, et Dominio, ac vineis, *(a)* Creacsa cum montano iure, ac decimis vsque ad viam planam, montem Zubur, *(b)* per latus diuidentem, donec perueniatur ad alium fontem Gurkona *(a)* nominatum, ſecundum cuius riuuli defluxionem, terminantur ipſae vineae, vsque dum reflexo tramite veniatur ad tertium fontem, iuxta viam Draza, *(d)* ſub radice vinearum, ab inde per fluxum *(e)* aquae fontis illius, vsque ad fluuium maiorem Nittra, ac ſecundum curſum illius vsque adaduerſum Ciuitatis Nittra, vbi tumulus eſt, et arbor de quercu proſtat. Ab hac recte orientem verſus ad ſyluam maioris Tormás, vbi transeundo aquam paludoſam, per medium cespitem, intra vtrumque Tormas progreditur ad viam Pohranicza *(f)* et ex hac directe ad viam plauam, montem Zubur per latus diuidentem. Item etiam donauimus ipſis decimas vini et frumenti Ciritatis Nittra, *(g)* vici Parwca, *(h)* Moluos, Konyék, Kereſzkiny et Gurgona. Et vt tanto amplior Donatio haec noſtra habeatur, ordinamus, vt praeſentes, et futuri Sacerdotes Presbyteri Eccleſiae Beati Emerami M. de Caſtro Noſtro Nittran Capitulares Canonici, in omnibus tam Synodalibus, quam Regis, et Regnicolarum Conuentibus, ab Eccleſia et Capitulo Strigonienſi, per Nos in Metropolitanum erecto, ſtatim ſecundum locum teneant, et vocem habeant. Anno Domini MVI.

III.

Conſtitutio Limitum Dioeceſis Veſprimienſis An. MVIII. facta.

Ex MS. Cl. Patris Xyſti Shier, ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini.

In nomine Sanctae, et indiuiduae Trinitatis. Stephanus DEI Gratia Hungarorum Rex.

Si pietatis magnitudinem non ſolum Dilectiſſimis, *(i)* verum etiam aduenientibus ſidelibus digne poſtulata largimur, praecipue conuenit, vt animi culmen ad ſupernas ampliantes *(k)* deuotiones, Sanctarum Eccleſiarum poſtulationibus acclinemus, Ipſasque Praediis, atque Poſſeſſionibus ſublimando *(l)* procurare flagitemus. Proinde omnium Sanctae DEI Eccleſiae Fidelium, noſtrorumque, praeſentium ſcilicet, ac futurorum nouerit induſtria, quod Nos pro animae noſtrae remedio quatuor Ciuitates, nempe Veſzprim, in qua ipſiusEpiſcopatus Sedes eſt conſtructa, atque Albam Ciuitatem, Colon *(m)* et Viſſegrad Ciuitates, S. Michaëlis Vezprimienſi ſubiicimus Eccleſiae, cum omnibus Ec-

cle-

(a) Haec in apographo Deſericiano deſiderantur.

(b) Lectio mea magis antiquitatem ſpirat, vbi u pro o adhibetur. Deſericius enim habet Zobor.

(c) Deſericius habet *Gymkona*.

(d) Deſericius habet *Daras*.

(e) Deſericius legit *defluxum*.

(f) Cl. Katona ait: Hodie *Pongrátz* vocari, Ladislaus Szörényi *Poerán* vocat.

(g) Deſericius legit *Nittrienſis*.

(h) Hodie *Pár-úttza* dicitur. Et hac ratione legit Deſericius voce ad hodiernam Orthographiam deflexa.

(i) Recte monet Cl. Katona, forte legendum: *domeſticis*.

(k) Cl. Katona habet: *aſpirantes*. Lectio mea mihi praeplacet, cum aliquam deuotionis exprimat amplitudinem.

(l) Et recte; ſublimantur enim Eccleſiae, dum ita dotantur, vt externum poſſint praeſeferre decorem.

(m) Suſpicor harum quatuor Ciuitatum deſignatione fines Dioeceſeos deſcribi, praeſertim ſi *Colon* ſit illud *Courten*, cuius mentio fit in

cleſiis, capellis, atque titulis, *(a)* et terminis, atque finib is: nec non concedimus, donamus, atque largimur e Regali nutu, atque Donatione praelibatae Sanctae Eccleſiae Vezprimienſi Villam vnam, nomine Can, in Vezprimienſi Comitatu, in quo Episcopalis, vt praedictum eſt, conſtructa eſt Sedes; atque tres Villas, nomine Oſi, Can, Sac, Beren, in Comitatu Albenſi ſitas, et Marzalfö; in pago Colocenſis Ciuitatis *(b)* vnam Villam, nec non in Comitatu Viſsegradienſis Ciuitatis Villam vnam, ſitam ſuper Danubium, e cuius dextro latere rinus, qui Apzug nominatur, discurrit; pariterque Villam vnam Tylei nomine, ſitam in comparte *(c)* Urbida Ciuitatis, cum omnibus vtenſilibus, cunctisque pertinentiis, ſcilicet famulis, famulabusque, pratis, vineis, areis, aedificiis, campis, terris, agris cultis, et incultis, piscationibus, venationibus, aquis, aquarum decurſibus, molendinis, viis, et inuiis, tam exitibus, quam inexitibus *(d)* habeat omnium firmitatem perpetuam, ſicut eſt donatum poſſidendorum. Habeat etiam praelibata S. Michaëlis Vezprimienſis Eccleſia, quam Stephanus Sanctiſſimus *(e)* regit Episcopus, praedicta-

---

Diplomate Monaſterii Sancti Martini. Facile enim aſſentior Cl. Katona id *Curtem* eſſe, quod nunc Simeghinum vocamus. Suspicionem inquam mihi mouet, cum quatuor illae Ciuitates ita mancipentur Episcopatui, vt ſpiritualis potiſſimum iuriadictio commemoretur; hinc dicitur: „*Subiicimus Eccleſiae cum omnibus Eccleſiis, capellis, titulis.*„ Nulla hic emolumenti temporalis mentio, quam tamen in Villis donatis, et conceſſis abunde enarrat S. Rex. Et ſane deincepa videbimus Ciuitatem pro Comitatu ſumi. Seoſus ergo Diplomatis eſt: *ad Dioeceſim Veſzprimiensem pertineat Comitatus Veſzprimien. Alben, Simegienſis, et Viſegradienſis.*

(a) Titulus hoc loco aliud ſonare non poteſt, quam partes illas Eccleſiarum, quas nunc Sacella vocamur, antiqui cubicula dicebant. Poſſet quidem etiam terminum ſignificare titulus, ſed quum ponatur, „*cum terminis atque finibus.*„ certe ſuperfluum foret tertio idipſum dixiſſe.

Quid Pagus? Ciuitas. *(b)* Duo hic examinanda ſunt, quid ſit Pagus? quid Ciuitas? Iam alias monui, dum vetera explanantur monumenta, ea nequaquam ad noſtri ſeculi vſus reuocanda. Pagus ergo non minus, quam Ciuitas hoc loco aliud ſignificat, ac hodie per has voces intelligamus. Quid enim foret in Pago Villam poſſidere? A Ciuitatibus Comitatus nomina accepiſſe omnibus notum eſt, et ſequentibus Diplomatis verbis perhibetur: „*nec non in Comitatu Viſſegradienſis Ciuitatis.*„ Pagus autem Comitatum ſignificat. Recte ait Du Cange hac voce: „Pagus pars eſt Regionis, atque vt Regio in Pagos, ita Pagi in Villas, Oppida, diſtributi erant.„ Pagus ita pergit Du Cange: „Territorium Comitatus;„ Diſtrictus, quomodo pars dicimus.„ Clarum id eſt ex Marculfi lib. 1. formula 28. „*Fidelis Deo propitio noſter ille ad praeſentiam noſtram veniens Clementiae Regni noſtri ſuggeſſit, eo quod pagenſis veſter ille eidem terram ſuam in loco illo nuncupato per fortiam tuliſſet.*„ Formula 34. habetur: „*Relatio Pagenſium ad Regem directa.*„ Dicunt ibi Pagenſes: „*pene omnibus patet Regionem noſtram ab hoſtibus depopulatam eſſe.*„ Capitularium lib. 3. cap. 73. „*Vaſſalos ſuos cuſatos ſecum non retineat, ſed cum Comite, cuius pagenſes ſunt, ire permittat.*„ Lex Salica titulo primo de illis, qui manniri poſſint. „*Si in iuſſione Regis fuerit occupatus, manniri non poteſt, ſi vero infra Pagum in ſua ratione fuerit, poteſt manniri.*„ Apud P. Petz in codice Diplomatico pag. 17. in traditione Friduwalch anno DCCLXXII. „*in Villa, quae dicitur Chalpabo in pago Quinzigaue cum omni Marcha, atque iacentiis ſuis.*„ Qui plura voluerit, adeat Freherum Pithaeum. Tenemus ergo Pagum idem eſſe ac Comitatum. Donat ergo S. Rex Villam Marczalfö in Comitatu Colocenſi ſitum. Nec obeſt, quod nunc Colocenſis Comitatus nullus ſit, quemadmodum nec Wiſſegradienſis a Sancto Rege diſertis verbis nominatus datur. Hinc patet, qua ratione quatuor Ciuitates Eccleſiae S. Michaëlis ſubiecerit, adeoque quatuor Comitatibus definitam fuiſſe Dioeceſim Veſzprimiensem.

(c) Id eſt vicinia; comparietici enim apud Papiam ſunt vicini.

(d) Exitus eſt vectigal, quod pro vehendis mercibus ſoluendum erat, vt docet Du Cange. Quid ergo ſunt inexitus? Nil aliud, quam regreſſus. In tot enim Diplomatibus occurrit haec vox exitibus, et illico ſubiicitur, et regreſſibus. Vnde puto inexitum idem eſſe, ac regreſſum. Et ſane vectigal tam in exitu, quam in regreſſu ſoluendum erat.

(e) Nullam rationem inuenio, cur axioma Sanctiſſimi errori ſcribarum tribuatur; aetate enim illa dubium non eſt, Episcopos hoc axiomate fuiſſe conſpicuos, cuius conſuetudinis aliquot proferam exempla ex Cl. Petz codice Diplomatico Epiſtolari deprompta. In Wigonis Decani Epiſt. ad Liutoldum Epiſcopum Auguſtanum pag. 124. dicitur: *auctoritate Sanctitatis Veſtrae Summe Paſtor lepide perſuaſi.*„ In Epiſtola Thietpaldi ad S. Adalbertum Pruſſienſis Eccleſiae Episcopum data circa annum DCCCCXCVI. „*Noui Praeſul verende, nil ſanctitatem Veſtram Philoſophicae compilationis a me exigere.*„ In epiſtolis . Ellingeri Abbatis datis ab anno MXIX. epiſt. 5. ad Nitkerum Friſingensem Episcopum pag. 154. „*amplectenda meritorum San-* Episcopi Sanctiſſimi vocantur.

ſtarum Ciuitatum, atque Villarum, vt praediximus, poteſtatem habendi, atque vsque in perpetuum poſſidendi, nec non praelibato Stephano Epiſcopo, cuius ipſa eſt regimini commiſſa, ſuisque Succeſſoribus perpetuo ſubiiciendi, omnium hominum contradictione funditus remota. Regali denique iubemus poteſtate, vt nullus Dnx, Marchio, (a) Comes, Epiſcopus, Archi-Epiſcopus, Vice-Comes, Iudex, vel Exactor, aut aliqua magna perſona, vel parua Regni Noſtri, audeat coutra ſtatuere praenominatae S. Michaëlis Vezprimienſi Eccleſiae, aut ſubripere de omnibus rebus ſuis mobilibus, vel immobilibus, quaeſitis, vel acquirendis, cum omnibus, quae illi in praelocutis Ciuitatibus, earumque pertinentiis, et iuribus, nec non in Villis pertinentibus, vel in aliquibus locis ſubiiciuntur, aut Stephano illius S. Eccleſiae Epiſcopo, ſuisque Succeſſoribus aliquid moleſtiae inferre praſumat. Si quis igitur huius Noſtri praecepti paginam frangere tentauerit, aut praelibatae S. Michaëlis Vezprimienſis Eccleſiae Stephanum almificum (b) Epiſcopum, ſuosque Succeſſores, ex cunctis praenotatis rebus Eccleſiaſticis, nec non dotibus moleſtare conanerit, octo millia (c) librarum auri cocti ſciat ſe compoſiturum; medietatem Camerae Noſtrae, et medietatem praelocutae S. Michaëlis Vezprimienſi Eccleſiae, nec non Stephano celebri Epiſcopo, ſuisque Succeſſoribus, trecentorum decem et octo Patrum anathemate feriendum, atque perpetuali ſupplicio tradendum, ingiterque barathri poena perpetuo fore concremandum. Quod vt verius credatur, diligenterque ab omnibus obſeruetur: paginam hanc manu propria corroborantes, annuli Noſtri impreſſione ſubter conſignari curauimus. Datum in Sol (d) apud Capellam B. Stephani Proto-Martyris, anno ab incarnatione Domini, Milleſimo octauo. (e)

IV.
Conſtitutio Limitum Dioeceſis quinque Eccleſienſis A: C: MIX.

In nomine Sanctae Trinitatis, et indiuiduae vnitatis. Stephanus Hungariae Rex.

Nouerint omnes Fideles Noſtri, praeſentes ſcilicet et futuri, qualiter Nos cum conſenſu Sauctiſſimi Apoſtolici, (f) et

ſtuario condigne ſubrogato Vicario Chriſti,, Epiſt. 6. sd eundem: ,,*Domino deſiderabili meritorum Sanctuario digno Apoſtolorum Vicario*.,,

(a) Erat Comes Marchiae, qui Marchiam, ſeu fines Regni tuebstur.

Almifici qui? (b) Hoc honoris epithetum ait Du Cange, non ſemel tribuitur Illuſtrioribus viris, & mxxime Prseſulibus. Hoc axiomste honorat Vrbanus V. Sanctum Benedictum. Vnde coniici poteſt, qualis quantusque fuerit Stephanus, et sn errori Librarii tribui poſſit titulus Sanctiſſimi a Rege eidem delatus.

(c) Exiſtimo ingentes has mulctas eorſum referendas, quorſum reuocsndae ſunt inprecationes tranſgreſſoribus Diplomatum appoſitae, vt nimirum ingentibus temporalibus, et Spiritualibus detrimentis propoſitis vnuſquiſqe in officio contineatur.

(d) Locus iſte nunc Soly dictus, vno milliari, vt Cl. Kstons ait, verſus ortum ſeſtiuum diſtat Vesprimio.

(e) Nos ob rationem a Cl. Katons allegatam hunc annum poſuimus, quamvis in apogrspho P. Schier fuerit snnus nonus.

(f) Licet olim paſſim Epiſcopi Apoſtolicss non tenerent Csthedras, Apoſtolici tamen dicti ſunt. Fortunstus enim ad Gregorium Turonenſem ſcribens, eundem Dominum Apoſtolicum vocst, ita tamen medio aeuo Summo Pontifici hoc proprium euaſit, vt in Concilio Remenſi ſub medium ſeculi XI. Gallicenſis S. Iscobi Archi-Epiſcopus excommunicatus fuerit, quod ſibi contrs fas vendicaret *Culmen Apoſtolici nominis*. Apoſtolici dicti Epiſcopi.

et in praeſentia eius Nuncii Atonis Epiſcopi, et aliorum Noſtrorum omnium fidelium Epiſcoporum, Marchionum, Comitum, nec non minorum quoque perſonarum, erectionem Epiſcopatus, qui vocabitur Quinque Eccleſienſis, ſtatuimus in honorem DEI, et omnium Sanctorum, Bouiperto ibi Epiſcopo facto, priuilegiis, *(a)* terminisque ordinauimus, et confirmauimus. Primum terminum Zemogny Viculum vsque ad Thapeon Vicum poſuimus. Secundum, Ozora, donec perueniatur ad aliam aquam, quae Lupa nuncupatur; Tertium, Kopus, vsque ad Almás aquam: Quartum, vt dicitur Kw Arok, ſicuti incipiens a Danobyo ſuper Zaum fluuium terminatur. Et vt haec Noſtrae ingenuitas *(b)* authoritatis, ſtabilis, et inconcuſſa permaneat, hanc chartam inde *(c)* conſcriptam, Sigilli Noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus. ✠ Signum Stephani Regis Hungarorum.

Quos terminos ſiquis violare praeſumpſeritim poſterum, componat centum libras auri optimi, medium Camerae Noſtrae, ac medium praefato Epiſcopatui, ac Rectori eius. Et vt plus Diuinae irae occurſum paueat, ſciat ſe a DEO Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, et glorioſa DEI Genitrice Maria, et Sancto Petro Apoſtolo, in cuius honorem ſupra memoratus conſtructus eſt Epiſcopatus, perpetuo anathemate damnandum, et ante Tribunal Chriſti rationem redditurum. Datum X. Kalendas Septembris, Indictione VII. anno Domini Milleſimo nono. Pio Stephano regnante anno nono. Actum in Ciuitate Iauryna.

V.

Fundatio Monialium ordinis S. Baſilii in Valle Veſprimienſi circa annum MXI.

In nomine Patris, et Filii, et Sancti Spiritus.

Conſtituo ego Stephanus Chriſtianus, *(d)* qui et Rex totius Vngariae, curantem, et adminiſtrantem, et gubernantem Monaſterium ſuperſanctae DEI Parae Metropolitanum, *(e)* quod eſt in Veſprem, et in illo collectam multitudinem Monialium pro animae meae ſalute, vna et

(a) Hinc patet iam antea Priuilegiis, terminisque ordinatam, et definitam fuiſſe Dioeceſim Quinque Eccleſienſem, ſed hoc duntaxat anno priuilegium ſcripto conſignatum, aut appendiculam Monogrammati ſubiectam fuiſſe. Quomodo enim ſecus Chartuitii adſertio ſtabit, qui ante Legationem Romanam Aſtrici Prouinciam in decem Epiſcopatus diſtributam fuiſſe aſſeuerat.

(b) Senſus ille eſt, vt haec noſtrae libertatis auctoritas ſtabilis permaneat. Priuilegia enim, quibus libertates conferebantur, chartae ingenuitatis vocabantur. Ingenuitas quidem etiam pro nobilitate ſumitur, vti in Chronico Reichersbergenſi an. 1084. et prout S. Gregorius VII. ingenuitatis titulum conceſſit Reginae Angliae. Huic tamen loco ſenſus iſte accumodari vix poteſt. — Ingenuitas quid?

(c) Id eſt deſuper, vel ſuper eo.

(d) Honoris cauſſa. Hoc enim honore affici gaudebant Reges; et licet axioma Chriſtianiſſimi peculiari quodam iure proprium ſit Regibus Franciae, tamen aliis quoque tributum legimus. Etiam Reges noſtri Chriſtianiſſimi appellabantur, exemplo nimirum: a Sancto Rege ſumpto.

(e) Cl. Katona ex his verbis eruit, Monaſterium iſthoc a iuriſdictione Epiſcopi Veſprimienſis fuiſſe exemptum, et Strigonienſi Metropolitae ſubiectum; Ego autem cum bona venia eruditiſſimi viri exiſtimo id haud recte deduci; tum ideo, quod S. Rex ne verbo quidem exemptionis per decurſum priuilegii meminerit, quod tamen ampliſſimis etiam verbis in aliis ſuis litteris factitare ſolebat; tum ideo, quod teſte Colomanno Rege, ordinario Veſprimienſi ſubiectum fuerit, ait enim: „*haec ſunt ea, quae inuenta ſunt eſſe ipſius Eccleſiae ſine omni contradictione, Simone Quinque Eccleſiarum Epiſcopo, iuſſu Regis, et conſenſu Veſprimienſis Epiſcopi.*„ Conſentit itaque tanquam Ordinarius; neque ſcio aliter quid valeret eius conſenſus? aut quo operae praetio ſiue adhibitus, ſiue relatus fuerit? Metropolitanum itaque vocat, quod reliquis Monaſteriis Magiſtram conſtituerit. Dubium mihi nullum eſt, plura Sancti Monialium etiam Graecaum exſtitiſſe Domicilia, quemadmodum Monachos Graecos ex Biographo S. Gerardi tum Aradini, tum Csanadini fuiſſe patet. — Monaſterium Sanctimonialium Veſprimienſium, an exemptum?

Digitized by Google

et contoralis, et Filiorum meorum, et Pannoniae vniuerſae, et do annuas eidem Monaſterio nonas cum Proediorum numeris. Iſtud iure iurando affirmo. Nomina ideo Proediorum illorum ſunt iſta: primum Zaurberen, habens Caminos quadraginta octo &c. et alia plura do ad honorem Sacro Sanctae DEI-Parae Metropolitano Monaſterio, vt donec ſteterit coelum et terra, vt ſint Monaſterii; Do etiam poteſtatem in hac habitatione, vt nolentes habitare ſub diſciplina ſanctae manſionis, impatiens ordinationis Abbatiſſae, et ſororum, vt expellatur ex loco inuita, et non valens. Si vero quis praeſumpſerit ex illis, quae dedi cum hanc habitationem abſcindere, aut abalienare aliquid, aut ex generatione mea, aut alter aliquis, ſiue Reges, ſiue Principes, ſiue Belliduces, ſiue Epiſcopi, ſiue alii aliqui, vt habeat anathema a Patre, Filio, et Sancto Spiritu, glorioſa Domina *(a)* Noſtra DEI-Para, et ſemper Virgine Maria, glorioſis Apoſtolis, et trecentis decem, et octo Patribus, et omnibus Sanctis, et a me peccatore. *(b)*

VI.

Priuilegium Monaſterio S. Mariae et Benedicti ad Radices Montis Ferrei conceſſum, anno MXV. ex Apographo Cl. Wagner.

In nomine Domini DEI Supremi, Stephanus, ſuperna fauente Clementia, Hungarorum Rex.

Credimus, et vere ſcimus, ſi locis, Diuino cultui mancipatis, poteſtates, atque honores augmentauerimus: id non ſolum laude humana praedicandum, verum etiam Diuina mercede remunerandum. Quocirca omnium Sanctae DEI Eccleſiae, et fidelium Noſtrorum, praeſentium, atque futurorum ſolers comperiat intentio, quod Nos per DEI ſubſidium, ob animae noſtrae remedium, et pro ſtabilitate Regni Noſtri, Monaſterium Sanctae DEI Genitricis MARIAE, et S. Benedicti ad Radicem montis Ferrei diligenter conſtruximus. Omni autem cura adhibita, ne Monaſticae religionis contemplatio, aliqua temporalium neceſſitate compreſſa, mutaretur ad laeuam, idem Monaſterium ex Donatiuis Noſtris, conſenſu, et confirmatione auctoritatis Apoſtolicae, dotauimus terris, ſiluis, piſcinis, vineis, villis, populis, tam liberis, *(c)* quam ſeruis. Liberis ſcilicet ducentis militibus, *(d)* quos ſub talem redegi-

(a) Hoc nomine glorioſa Dei Genitrix plerumque in Hungaria compellabatur, quin magua Domina in hodiernum diem audit. Seculo certe XI. vsque adeo Dominae axioma obtinuit Beatiſſima Virgo, vt religioſiores ſerui, mancipia eius in litteris ſemet eſſe profiterentur. Cl. Bernardus Petz in codice Diplomatico Hiſtorico epiſtolari profert pag. 202. Epiſtolas Bernonis Abbatis Augienſis circa annum MXIV. ſcriptas, quarum ſecundae Initium tale eſt: „*B. DEI, Matris, ac Virginis ſeruus intimae deuotinis cultum.*„ Epiſt. 7. pag. 210. „*B. etſi indignum DEI Matris, ac Virginis mancipium.* — Beatiſſima Virgo Domina vocatur.

(b) Licet non dubitem Sanctum Regem intimo humilitatis ſenſu hoc adprobaſſe: exiſtimo tamen potius auctori priuilegii homini Graeco tribuenda eſſe, quibus familiare erat praeſertim Monachis ſe ſe peccatores ſcribere. Graecum autem conciuaſſe priuilegium hoc, Colomannus Rex perhibet inquiens: „*Vetus autem Priuilegium iuxta linguam auctoris Monaſterii graece ſcriptum.*

(c) Iam alias inſinuauimus omnes, qui e Scythia prodiuerunt, nobiles fuiſſe, demptis illis, qui in ſeruitutem, id eſt, ruſticitatem redacti erant ob neglectum Ducis Imperium. Qui ergo in Hungaria liberi populi? Aduenae. Docet hoc Priuilegium noſtrum in verbis: „*liberorum denariorum tertiam partem, quae ab aduenis in terra Eccleſiae habitantibus debentur, ad calceamenta Fratrum conceſſimus.*„ — Liberorum denarii.

(d) Dum in Synodos Regias commentarer: monui, fuiſſe inter colonos, quibus proprium erat militare, quod hic etiam vides.

degimus militiam, vt, ſi forte in regione ſuboriatur Seditio, ad Monaſterii armata manu concurrant cuſtodiam; et Abbati regalem viſitanti praeſentiam, duodecim equites ſeruitium ſtudeant exhibere: Miniſtris, *(a)* qui ſeruiunt cum equis 156. item miniſtris, qui ſeruiunt cum equis, curribus 469. vinitoribus 110. aratoribus 36. apiariis 12. tributariis *(b)* fori 20. piſcatoribus 50. et fabris 10. praeparatoribus - - - ad cellarium 6. tornatoribus 12. piſtoribus 9. cocis 9. figulis 3. ceriariis 6. *(c)* piſtardis 5. *(d)* aurificibus 5. carpentariis 8. molendinariis 4. opilionibus 13. agaſonibus 3. ſubulcis 3. miniſtris hoſpitum 3. miniſtris infirmorum 4. pulſatoribus 5. balnearum ſeruituti deputatis, quos a ſtuba ſtubarios *(e)* vocare poſſumus 6. Quorum omnium, militum videlicet, miniſtrorum quoque, et ceterorum cuiusque ordinis mancipiorum loca, locorum nomina, et numerus in praeſenti priuilegio continentur; manſiones *(f)* mille centum ſedecim, quae ſimul adunatae faciunt villas 41. Prima Fallo nominatur, quae ab Oriente terminatur Salſuk; ab auſtro Aruc; ab Occidente Chuminky, Cheto; a Septentrione Ruſſy. Secunda Chomur nominatur, quae ab Oriente terminatur Baluanus; ab Auſtro Aruk, Czwto; ab Occidente Nogwtholy; a Septemtrione Megye. Tertia Zomba nominatur, quae ab Oriente terminatur Nagu, Aruk; ab Auſtro Kowzluk; ab Occidente Bukanzona; a Septemtrione Naguth. Quarta Sagarth nominatur, quae ſub Nagyſzeg ſita eſt, et ter - - - tam viis, quam ſiluis, vineis, et piſcinis arundinetis, et foenis, excepto nemuſculo quodam, quod contiguum eſt Eccleſiae S. Benedicti, quod ſibi ſoli pertinet. Quinta Ilſehai nominatur, quae ab Oriente terminatur Knyeza; ab Auſtro Syrma; ab Occidente Totbys; a Septentrione Fermogis. Sexta Bathatwo nominatur, quae ab Oriente Duna; ab Auſtro Aruhſye; ab Occidente Utku; a Setemptrione Peſeſch. Septima Kelkedy, quae ab Oriente terminatur Klunouetz; ab Auſtro Sylſa; ab Occidente Kukukeretu; a Septemtrione Kubalmai. Octava Dalut; et nona Kanas nominatur, quae ad Oriente terminatur Duna, ab Auſtro Aruk; ab Occidente Sylſa; a Septemtrione Aruk vsque ad Dunauiz. Decima nominatur Velentha, quae ab Oriente terminatur Aruk; ab Auſtro Karumholz; ab Occidente Thulſa; a Septemtrione Deteſchai. Vndecima Zajar

Duo-

Liberorum officia.

(a) Obſeruari hic volo, liberorum dupplex fuiſſe officium, militare nimirum, et miniſtrare; manifeſte enim paulo poſt mancipia diſtinguit, ſeu ſeruos. Patet idipſum etiam ex Teſtamento Rufinae. ſororis Ephibi Abbatis an. DCXCVI. pro Eccleſia Viennenſi condito, vbi dicitur: „*transfundo ſeruos vtriusque ſexus, MCCCC. ſed et liberos, qui obſequium faciunt, quingentos.*

Tributarii.

(b) Licet plerumque tributarii appellentur Coloni liberi, tributis pendendis obnoxii, hoc loco tamen nequaquam tales intelligi poſſe exiſtimo, ſed collectores tributorum fori, ſicut nunc Teloniatores appellamus, qui telonium exigunt. Ratio eſt, quum duntaxat viginti aſſignentur tributarii.

(c) Forte illis, qui ceram luminaribus Eccleſiae aptabant, quos nunc Ceroplaſtas compellamus.

(d) Quid officii habuerint. non ſatis aſſequor. Piſtare enim idem erat. ac contundere. Niſi forte idem ſit ac piſtantiarius, ſeu pictantiarius, qui pictantias, ſeu cibos Monachorum componebat.

(e) Stuba medii aeui Scriptoribus eſt balneum, quod Du Cange, voce Stuba, multis docet. Stuba.

(f) Manſio quidem aedes, ſeu Domos ſignificare videtur. Vnde ortum illud gallicum *maiſon*, ideſt Domus. Ex ſenſu tamen Leguleiorum Anglicorum, loqui cenſeo Sanctum Regem. Bractonus enim apud Du Cange ait: „*manſio eſſe poterit conſtructa ex pluribus Domibus, vel vna. quae erit habitatio vna, et ſola ſine vicino, etiamſi et alia manſio fuerit vicinata, non erit Villa, quia Villa eſt ex pluribus manſionibus vicinata, et collata ex pluribus vicinis.* P. Petz in codice Diplomat. profert Donationem Ottillonis Ducis, vbi hia affinia reperiuntur: „*illa Odorico Caſa V. Caſatos cum ipſa maria tota, et ad Hildrago Caſa ſuper ipſa is ara cum tota ſua marca cum V. Caſatos, et IV. Cidlarios ſuper ripam Danubii, et ad Suvarzaba, Hucipaldus, Cidlarius, et Adalperth faber, et ad Coſſinpah ille faber, et de Chalpalia ille faber, et illo coco noſtro Popone de Piſtilespach, et Kerhelm vinitore.*„ Manſio.

Duodecima Zenen. Tredecima Babarzi. Quatuordecima Nadajſa, quae ab Oriente terminatur Szabi, et Sylſa; a Meridie Szedultz; Ethulſa, ab Occidente Vnelge. Quintadecima Gyoko nominatur, quae ab Oriente terminatur Horescbo; ab Auſtro Sylſa; ab Occidente - - - a Septemtrione Zedii. Sextadecima Nogurad nominatur, quae ab Oriente terminatur Seyr, Dabrota, Thubana, Nagiwezi vsque ad metas Sedech. Septima decima Gurombona nominatur, et terminatur ab Oriente Gethys, Butzelhulſa; et a Meridie Sylſa, Nognacs - - ab Occideute, Kurthudſa, Pawsita. Octaua decima Sedluz. Nona decima Nenteck. Viceſima Silagh. Viceſima prima Palub. Viceſima ſecunda Smulu, quae ab Oriente terminatur Harumkur, Thwel, et Seyr, Harum Thulſa, et Pousliku. Viceſima tertia Szanthu. Viceſima quarta Mikusek. Viceſima quinta Herusdbukatuz. Viceſima ſexta Kalſoith. Viceſima ſeptima Hethen. Viceſima octaua Varkon. Viceſima nona Qveſthi; quae ab Oriente terminatur Zeua abbatis; a Septemtrione Toff; àb Oriente Verwz, ſiue Madnez, ſiue Ageſey, vsque ad Nowgwtw. 30. Beliz, qnae ab Oriente terminatur in Dal, Teluk, Athut, ſiue Owlu, ſiue Hoſzuſa, ſiue Kentelſa; a Meridie ſimiliter Arwe, ſiue Toth vltra Kukis, ſiue Tulſa, ſiue Sayr, - - et Thulſa, ſiue Hede - - - et Het Sylya ad parturam (a) beſtiarum. 31. Smene, 32. Hirek nominatur, quae ab Oriente terminatur Sarlorgis; ab Auſtro Szecei; ab Occidente Noguthw, ſeu Kwhwlſa; a Semptemtrione Hudus. 33. Hawazod nominatur, quae ab Occidente Apati Thwtel terminatur; a Septemtrione Mednesch, et Kava, Thuhala, et ſic demum Kumasly 34. Vrmandy. 35. Thetey. 36. Martyn. 37. Brekud. 38. Bekesd. 39. Schawolak. 40. Hagmascb Kert ab Oriente terminatur Aruk, et Etbu, ad partem videlicet Breth; a Meridie Baluanus, ſiue Bachuto, et Aruk; ab Occidente terminatur cum Almás; a Septemtrione - - ſiue Szeruk, ſiue Gegurutha. 41. eſt Villa Newegh, iuxta Kana dimidio milliario in montibus ſita. Praeterea ex conſenſu, et confirmatione autoritatis Apoſtolicae non ſolum praeſcripti populi, verum etiam infra terrae ipſius Monaſterii circumſcriptionem poſſeſſiones habentium decimationibus curauimus praeditare. Eadem etiam auctoritate (b) Apoſtolica mediante decreuimus, vt praefati Coenobii Abbas generali tantum (c) et ſollemni duntaxat

 Syno-

(a) Proculdubio legendum: paſturam, quod idem eſt, ac pascuum.

(b) Imitatus eſt Sanctus Rex in eo etiam Auguſtos antiquos. Pipinus Anno DCCLV. Monaſterio Figiaci apud d' Acherii Tom. 3. pag. 320. immunitates concedens ait: „*placuit etiam Nobis, et Domino Reuerendiſſimo Apoſtolico hanc immunitatis praerogatiuam, quam huic Sanctae Eccleſiae induſſimus, per duo milliaria circa ipſum extendere.*

(c) Eximuntur hic Monachi a iurisdictione ordinarii. Displicet id aliquibus, et ſublestum videtur contendentibus nullas ante ſeculum XI. fuiſſe Regularium exemptiones. Ego autem quo magis antiquitates Eccleſiaſticas ſcrutor, eo clarius perſpicio id non eſſe nouitium. Septimo enim, et octauo ſeculo reperio Regularium exemptiones. Seculo VII. id eſt, anno ſecundo Clodovei Regis, ſiue Chriſti DCXCII. Bertoendus Cataulanenſis Episcopus dum Monachos, ac Moniales Deruenſes iurisdictioni Episcoporum ſubtrahit, huiusmodi exemptionum, aeuo ſuo inualescentium teſtimonium perhibet luculentiſſimum; ait itaque: „*ne ſuccidua* (id eſt, ſucceſſiua) *Fraternitas Sacerdotum haec nos in regionibus propriae deliberationis inſtinctu, aut noua inuentione aeſtimet decreta feciſſe; cum ſub huius conſtitutionis norma Sanctorum Agaunenſium locus, imoque, et Monaſterium Liuense, ſeu Monaſterium Luxouienſe, multaque alia Monaſteria, nec non, et Baſilica Domini Marcelli, et innumera in partibus Orientis, Monaſteria propriis ex Decreto Pontificum ſeruantur Priuilegiis: ergo vno conſpirationis conſenſu, DEI nutu antedictorum Patrum religionem penſantes, ita ab omnibus decretum eſt, vt nullam dominationem Nos, Succeſſoresque Noſtri in ſuperſcripta Monaſteria virorum, ſeu puellarum virginum, vbi ſunt congregati, habeamus: quatenus eis liberius liceat, Deo adiuuante ſine impedimento rei alicuius contemplatiuam viuere vitam. Et cum Pater Monaſteriis fuerit de ſeculo euocatus, quem vnanimiter omnis congregatio ipſorum Seruorum DEI vndecunque ſibi optime regulam compertum elegerint, Seniorem ſibi, Abbatemque conſtituant. Seu et cum*

Synodo Strigonienſis Archi-Episcopi intereſſe teneatur. Attamen ſeu a Metropolitano, ſeu a quolibet alio Episcopo, omni contradictione ceſſante, confirmationem, conſecrationem ſuſcipiat, et eius Monachi ad ordines promoueantur. More etiam Episcoporum, cum mitra, ſandaliis, et annulo, ſine in ſollemni curia, (*a*) ſiue Episcoporum conuentu, vel in quolibet loco religioſo, liberrime poſſit aſſiſtere, et Diuina officia celebrare. Duas praeterea Capellas *(b)* Regias,

---

Mater Virginum de ſeculo fuerit euocata, quam vnanimiter omnis congregatio ipſarum ancillarum Chriſti, vndecunque ſibi regulam optime compertam elegerint, ſibi ſeniorem Matrem vna cum conſilio Monachorum Dernenſium Fratrum instituant, et ſi eis opportunum fuerit Abbatem benedicendi, aut chriſma conſecrandi, vel ſacros ordines percipiendi, hoc tantum modo nobis propter Canonicam inſtitutionem, et praeiudicium Eccleſiae noſtrae absque vllo motu reſeruamus. . Ceterum vero vt ſuperius continetur, nullam poteſtatem, aut dominationem neque nos, vel Archidiaconus, Succeſſoresque noſtri, vel quaelibet perſona habere non debeat, aut quamcunque de eodem Monaſterio, vel Cellulis eius, et Parochiis, aut ceteris Monaſterii cauſam audeat praeſumere, aut auferre. Et ſi aliquid ipſa eorum congregatio de earum religione tepide egererint ſecundum regulam S. Benedicti, vel Domni Columbani ab eorum Abbate, vel Abbatiſſa, qui pro tempore ſpiritalis Pater, vel Mater extiterint, corrigantur. Nam nullum Pontificium Nobis, neque a Succeſſoribus noſtris in eodem Monaſteria pro cauſa cupiditatis, aut quod abſit, auaritiae habeatur, ſed propria in Dei nomine fruantur Priuilegio.„ Seculo VIII. Anno videlicet DCCLV. Pipinus Rex Monaſterium Figiaci ſolius Pontificis Romani reſeruat poteſtati, „*liceat memorato Abbati Anaſtaſio, et eius Monachis, earumque ſucceſſoribus res, et mancipia praedicti Monaſterii cum omnibus hominibus ad ſe pertinentibus ſub noſtra, et Romani Pontificis tuitione, atque defenſione, remota totius iudiciariae poteſtatis inquietudine, quieto ordine poſſidere, et noſtro, atque Romani Pontificis Succeſſorumque noſtrorum ſolummodo, ſi neceſſitas euenerit, fideliter parere imperio.„* In his adſequentia animum aduerti volo: primo: a Bertoendo diſertis verbis dici, exemptionem non fuiſſe *noua inuentione decretam.* Secundo; *Non fuiſſe proprio arbitrii instinctu decretam, ſed communi ſtatuto ſancitam.* Tertio complura exempla allegat. et quidem *in Oriente innumera Monaſteria.* Quarto: Vt libertatis datae ampli ſines pateant. penſandum eſt, quod nec auctoritatem, tepiditatem, aliosque exceſſus corrigendi poteſtatem ſibi reſeruat. Tandem illi, qui exemptiones Summis Pontificibus crimini vertunt, diſcant, Episcopos fuiſſe illius auctores. Admittent itaque Vicario Chriſti licere id, quod Episcopi ſibi integrum eſſe exiſtimarunt. Summis etiam Principibus culpam dicant, ſi culpa dici poteſt. Monachis plenius vitae, contemplatiuae arbitrium indulgere. Agendum certe habebunt cum Sanctiſſimis, et probatiſſimis Regibus.

(*a*) Id eſt: Praelatorum, ac Optimatum conuentu, a Regibus tum Franciae, tum noſtris certis anni feſtiuitatibus celebrari ſolito, de Pontificalium vſu addenda videntur verba Ioannis XIII. quibus Primatum Germaniae adſerit Archi - Episcopo Magdeburgenſi: „*Ceteram more Romanae Eccleſiae Eccleſiam tuam duodecim Presbyteros, et ſeptem Diaconos et viginti quatuor Subdiaconos Cardinales, qui ſandaliis, et biſſinis veſtibus vtantur habere volumus, ſuper hoc vero iisdem Presbyteris, Eccleſiae S. Ioannis Baptiſtae in ſuburbio eiusdem ciuitatis constructae tunicis vti concedimus.*

(*b*) Sanctus Rex antiquos, et modernos in eo quoque imitatus eſt Auguſtos. Habebant enim Reges Franciae non tantum in Palatiis ſuis, verum etiam in Villis Dominicis capellas, quarum tamen praecipua, et magiſtra erat Sancta Capella. Eduardus quoque primus Angliae Rex apud Du Cange ait de Abbatia Wattmonaſterienſi, „*quae omnium Capellarum noſtrarum eſt Domina, et Magiſtra.*„ Sanctus quoque Rex teſte Chartuitio cap. 3. num. 17. mihi pag. 356. „Eccleſiam Albenſem tanta venuſtate in propriam Capellam ſibi retinens ampla libertate dotauit. De Vecenslao quidem Rege Bohemiae, et Hungariae Interrege lego, in Bohemia Sacra pag. 82. quod Viſegradienſem Capellam ſuam, Specialem conſtituerit. Eccleſia Albenſis ſub Regibus noſtris honorem Capellae Regiae retinuiſſe videtur; quamvis non ſatis ſciam. cui Eccleſiae praefuerit Comes Capellae, qui ſoepius in Diplomatibus occurrit. Scimus etiam Capellam hanc bona poſſediſſe. Inſignitos etiam toties legimus Praepoſitos, et Canonicos (vt nil dicam de Boniperto Sacellano S. Stephani, ſi tamen Catalogus Archi-Abbatum S. Martini, in hanc rem a Cl. Katona laudatus antiquitatis habet commendationem) fuiſſe inſignitos honore capellanorum Regiorum. In ſtylo Cancellariae Ferdinandi I. a nobis alias laudato ſequentem reperio Donationem, quam huc attexere non putaui otioſum: „*Nos Ferdinandus &c. memoriae commendamus tenore praeſentium ſignificantes, quibus expedit vniuerſis: quod inducti eruditione, vita, moribus honeſtis, et aliis virtutibus fidelis noſtri honorabilis Georgii Maythyn, Canonici Eccleſiae Zagrabienſis, quibus ab altiſſimo decoratus eſſe certarum hominum fidelium noſtrorum teſtimonia comprobatur, eundem in numerum aulae noſtrae Sacellanorum familiarium adſcripſimus, aſſumpſimus, et accepimus, annuentes ei. et ex gratia noſtra ſpeciali concedentes, vt ipſe a modo, et deinceps ab omnibus ſubditis noſtris Titulo Sacellanatus noſtri honeſtari, et honorari, atque omnibus illis iuribus, priuilegiis, praerogatiuis, quibus alii aulae noſtrae Sacellani, ſiue de iure, ſiue de conſuetudine, ſiue priuilegio vtuntur, ipſe quoque tam in Curia noſtra, quam extra eam vbique libere vti, frui, et gaudere poſſit, et valeat. Immo adſcribimus aſſumimus, et accipimus. Harum noſtrarum vigore, et teſtimonio litterarum. Datum Pragae XX. Auguſti, An. MDXLIX.*

Vehementer ſuspicor hoc loco villas intelligendas, tum ideo, quia has Capellas cum ea-

gias, Capellam videlicet B. Petri, Monaſterio connexam, et alteram, quae vulgo Alba Eccleſia vocatur, cum earum Parochiis, et ouibus (a) pertinentibus contulimus praefato Monaſterio, in quibus Sacerdotes, ab Abbate conſtituti, praedicto Populo diuinam plenarie exhibeant ſeruitutem. Chriſmata vero, et oleum infirmorum quilibet Archi-Epiſcopus, vel Epiſcopus dare teneatur. Praefati vero Monaſterii populum, iam ſoepe dictum, de ſpiritualibus inſtruendum, et iudicandum tantum Strigonienſi Archi-Epiſcopo, et Abbati commiſimus; in ciuili autem cauſa nulli liceat iudicare, quam Abbati; niſi forte, pro qua ſanguis effundi debeat. Forum et iam bis in hebdomada ſtare conceſſimus, duobus quidem locis; vnum Lepeticis, iuxta Sanctum Petrum die Dominico; aliud vero in Vmco inferiori quarta feria; omneque tributum, ex eis proueniens, vſui iam dicti Monaſterii contulimus, nec non et Salicidio ab omni inquietudine liberrimo, quod nec tributariorum cupiditas, nec poſſit potentum violentia perturbare: inſuper et liberorum denariorum tertiam partem, quae ab aduenis in terra Eccleſiae habitantibus debentur, ad calceamenta Fratrum conceſſimus: Syluarum quoque prouentus, vbique Eccleſiae pertinentes, vt in tributis porcorum, arundinetorum, nulli omnino liceat poſſidere, niſi Abbati. In fontibus vero, iuxta terminos dicti Monaſterii exiſtentibus, molendina, ſiue piſcinas, abſque Abbatis permiſſione, nulli liceat facere. Nobiles autem, ſiue ignobiles, infra terrae ipſius Monaſterii circumſcriptionem poſſeſſiones habentes, ſi poſt temporum curricula ex donatione noſtra obtinuiſſe dixerint, et contumelia affecti, Eccleſiae contrarii, vel eius populo exſtiterint, cum rebus mobilibus expellantur; quia quod DEO contulimus, idem homini nequaquam debemus. Quod ſi Abbatis imperio non exceſſerint; poteſtas Regis Abbatis rebus omnibus eos crudeliter expellat; ne palliata iniquitas in Monaſterii pullulet excidium. Aquae etiam conductu, qui omnino Fratrum officinas arriget, idem decorauimus Monaſterium. Altaria his decorauimus: videlicet 29. caſulis; Dalmaticis (b) 14. tunicis, (c) 10. et 8. cappis,(d) 60. palliis altarium 27. mantilibus 39. palliis ad cooperiendum ſedilia 4. albis, 50. camiſiis, (e) 22. cortinis,

rum Parochiis confert Sanctus Rex; tum ideo, quia exempla ſuppetunt, quibus haec docemus. Sanctus enim Odo in vita S. Geraldi Comitis Aureliacenſis lib. 1. cap. 12. latifundit ipſius ampla fuiſſe narrans ait: „*vt vsque ad montem marnum Greonem poſſet in eundo, et redeundo ſemper in propriis manſitare capellis.* „Suſpicionem auget, quod multa loco occurrant, quae Capellae hodie quoque vocantur noſtro idiomate *Kapolna.* In codice Diplomatico hiſtorico epiſtolari refert P. Pecc part. 1. pag. 16. traditionem Ihhonis, cuius haec eſt clauſula: „*actum in loco, qui dicitur Eccleſia S. Martini.*

(†) Manifeſtus error hic cubat. Legi enim debet: *et omnibus pertinentibus.*

(*) Pontificale indumentum, quod poſt aſſumptam ſtolam, et tunicam accipiebat Epiſcopus, aut alter Pontificalibus inſignitus indumentis. Inter indumenta Epiſcopis propria merito connumeratur Dalmatica, cum Diaconis nonniſi ſolennioribus anni diebus, et quidem ex conceſſione Eccleſiae Romanae vti fas fuerit. Cum Dalmatia ad Hierarchiam Eccleſiae Hungaricae pertineat. Omittere non poſſum ideo Dalmaticam dictam, quod in Dalmatia inuenta, et colobio ſubſtituta ſit. Colobium autem a Dalmatica differt, quod illud manicis careret, haec amplas habeat; manuum enim nuditas indecora eſt viſa quibusdam. Veterum quippe veſtes brachia vix tegebant.

Dalmatica vnde dicta?

(c) Rurſus Pontificale indumentum, quod nunc tunicellam vocamus. Recentiori enim Inſtituto breuior eſt, cum antea talaris eſſet, et ideo poderis diceretur. Differebat a Dalmatica, quod manicas haud videatur habuiſſe. *Quidam* ait Durandus lib. 3. cap. 9. *Pontifices duabus vtuntur.* Neque illud praetereundum, quod aliquando tintinabula habuerit appenſa.

Tunicella

(d) Monitum te volo amice Lector, ne exiſtimes Cappas, ſiue Monachis proprias, ſiue veſtem Eccleſiaſticam fuiſſe. Vtebantur enim Cappis plerumque Mercatores, ac ipſae etiam Faeminae.

Cappa an veſtis ſacra?

(e) Id eſt: albis teſte Petro Bleſſenſe, et Durando lib. 3. cap. 39. „*poſt amictum Camiſiam, ſiue albam Sacerdos induit, quae membris corporis conuenienter aptata nihil ſuperfluum, aut diſſolutum*

Alba, ſeu camiſia.

tinis, *(a)* de pallio, 10. et aliis 15. tapetibus ante altaria, 10. crucibus, 9. puluinariis, 7. altaribus ad viam, 5. thuribulis, 4. candelabris, 6. calicibus, 11. bacollibus, *(b)* 12. vrceis, 4 ſcriniis, *(c)* de argento, 3. ſtolis, et manipulis, 30. libris vero, quorum praecipua auctoritas viget in Eccleſia cum bibliotheca *(d)* cum tribus voluminibus, nocturnalibus, *(e)* 4. antiphonariis 5. lectionariis, *(f)* 2. cum Euangeliis, Miſſalibus, *(g)* 6. pſalteriis, 4. gradualibus, 5. regulis, *(h)* 2. baptiſteriis, *(i)* 2. gloſſariis, 3. omeliarum volumine vno. Equis 120. vaccis 84. porcis 102. capris 92. Et vt ipſum Monaſterium ab omni inquietudine ſit remotum, praecipimus, vt nullus Archi-Epiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, ſeu aliqua perſona nobilis, aut ignobilis, de iam facto Monaſterio aliquomodo ſe intromittere in mancipiis, terris, vineis, ripis, pratis, piſcinis, cultis, et incultis, ſalicidiis, decimationibus, et omnibus his, quae in ſupra ſcriptis reperiuntur, ſine conceſſione Abbatis eiusdem Monaſterii audeat; quod ſi fecerit, componat centum libras auri optimi; medium Camerae Regiae, medietatem vero Abbati. Et vt plus Diuinae irae occurſum paueat; ſciat, ſe a Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, et a Genitricae DEI, Sanctisque Apoſtolis

Petro,

---

in vita Sacerdotis, aut eius membris eſſe debere demonſtrat,, de Camiſiis ex eodem Durandi rationali. *,,Habet autem alba Capicium, ſeu Capucium, quod eſt profeſſio caſtitatis.*

Cortinae et earum vſus.

(a) Vt hic locus intelligatur, verba Durandi recitanda ſunt. Ait is lib. 1. cap. 3. *,,Ornamenta Eccleſiae in tribus conſiſtunt, ſcilicet: in ornatu Eccleſiae chori, et Altaris. Ornatus Eccleſiae conſiſtit in cortinis ſericeis, purpureis, et ſimilibus. Ornatus chori in dorſalibus tapetis ſubſtratoriis, et bancalibus. Dorſalia ſunt panni, in choro pendentes a dorſo clericorum. Subſtratoria, quae pedibus ſubſternuntur. Tapeta etiam ſunt panni, qui pedibus ſuoſternuntur, quaſi ſtratorium pedum, et praecipue Epiſcoporum, qui mundana pedibus calcare debent. Bancalia ſunt panni, qui ſuper ſedes, vel bancas in choro ponuntur.,,* De Cortinis inferius pluribus differens inquit: *,,Triplex genus veli ſuspenditur in Eccleſia videlicet, quod ſacra operit, quod Sanctuarium a Clero diuidit, et quod Clerum a populo ſecernit,,* aliquibus interpoſitis, *,,rurſus cortinae in feſtiuitatibus extenduntur in Eccleſiis propter ornatum.,,* Ex his habemus, cui vſui deſeruierint cortinae. Ritum quoque Eccleſiae Hungaricae diſcimus. Quid ſint autem cortinae de pallio, quamuis ex his ſatis pateat. clarius tamen explicandum eſt. Pallium paſſim ſeculo XI. ac antea, et deinceps pro panno ſericeo vſurpatum fuiſſe, quamuis aulaea quoque hoc nomine fuerint compellata.

(b) Dubium eſſe non poteſt mendoſam hanc eſſe lectionem. Legendum enim foret, baccallibus, vel baccilibus. Baccale enim, vel baccile eſt peluis ad manus lauandas. Lanfranchus in Decretis pro ordine S. Benedicti Sect. 4. apud Du Cange, *,,poſtea accipiens Abbas baccilia, et manutergium.,,*

Scrinia.

(c) Id eſt: Arculis pro condendis reliquiis. Harum meminit Honorius Auguſtodunenſis lib. de Miſſa, cap. 69. *,,arca teſtamenti a Sacerdotibus portabatur, et ſcrinium, vel feretrum tum reliquiis a portitoribus portatur.* et Cap. 70. *,,Cum circa Monaſterium Scrinium, vel Feretrum cum cantu, et compulſatione ferimus, quaſi cum arca Hierica, cum ſono tubarum, et clamore populi circumimus.,,* Has ex argento fuiſſe docet inter reliqua Chronicon latinenſe, *,,Scrinium argenteum ſuper altare.*

Bibliotheca.

(d) Durandus lib. 6. cap. 1. Rationalis *,,Bibliotheca a graeca nomen accepit, et eſt nomen aequiuocum, ſcilicet locus, in quo libri reponuntur, et volumen ex omnibus libris noui, et veteris Teſtamenti.,,* S. Hyeron. Epiſt. 6. *,,quoniam largiente Domino multis Sacrae Bibliothecae codicibus abundantes,, vt adnotare hic pariter operae pretium, codicem Euangeliorum teſte Durando ſuper altare exponi ſueuiſſe, et penes crucem collocatum eo quod ab ipſo ſcilicet Chriſto ſit editum, et ipſi perhibeat teſtimonium.*

Nocturnales.

(e) ſunt libri continentes, pſalmos nocturnorum per annum, et Feſtis recitandos. Aliqui horum libri etiam lectiones complectebantur, et hi plene ſcripti dicebantur. Necdum erant horae Canonicae in vnum contractae volumen.

Lectionarii.

(f) Quamuis lectionarii etiam illi Libri dicebantur, qui continebant lectiones Eccleſiaſticas, ad horas Canonicas recitandas; hoc tamen loco intelligendi ſunt Libri illi, qui lectiones in Miſſa legendas complectebantur. Ait enim S. Rex ſe dare lectionarios cum Euangeliis. Hi Libri vocantur a Flodoardo Lectionarii ad Miſſas.

Miſſale.

(g) Vgotius ait: *Miſſale, vbi continetur myſterium Miſſae,,* Canon nimirum collectae, ſecretae, et poſtcommuniones; Introitus enim in antiphonariis, Lectiones cum Euangeliis in lectionariis, gradualia in huius nominis libris occurrebant. Ritus tamen aliqui Sacramentorum deprehenduntur, prouti videre eſt in Miſſali ſeculi XII. quem propria manu deſcripſimus, et Sacramentarium appellari malumus.

(h) Id eſt: codicibus regularum. Quot diebus enim ad primam Caput regulae legebatur. Poteſt etiam intelligi Necrologium, etiam aliquando regula dictum.

(i) Sunt Libri, orationes, et Ritum, formamque Baptiſmi continentes, quos Burkhardus a Presbyteris memoria teneri iubet.

Petro, et Paulo, et a S. Benedicto, in cuius honorem praedictum conſtructum eſt Monaſterium, perpetuo anathemate damnandum, et ante tribunal Chriſti rationem redditurum. Quod vt verius credatur; hanc paginam manibus propriis roborantes, Sigilli Noſtri munimine, in ipſo die conſecrationis dicti Monaſterii, per miniſterium (a) Domini Aſtrici, Colocenſis Archi-Epiſcopi, et Pauli, Abbatis praedicti Monaſterii, nobiſcum omnibus regni Principibus ibidem aſſiſtentibus, confirmauimus vnanimiter. Circumſcriptio Noſtrae Donationis ante Noſtram coronationem fuit aſſignata ante annos 15. priusquam fundamentum foderetur; quinto decimo vero anno a fundatione Monaſterium iam dictum eſt conſecratum anno ab incarnatione Domini Millesimo decimo quinto.

Signum Domini Stephani  *incliti Regis.*

VII.

Priuilegium Monaſterio S. Adriani de Szala, anno incerto conceſſum.

In nomine Domini DEI Summi, Stephanus ſuperna prouidente Clementia Hungarorum Rex.

Credimus, et vere ſcimus, quod ſi locis Diuino cultui mancipatis poſſeſſiones, atque honores adaugmentauerimus, id non ſolum laude humana praedicandum, verum Diuina mercede remunerandum. Quorcirca omnium Sanctae Eccleſiae fidelium Noſtrorumque praeſentium, atque futurorum ſolers comperiat intentio: Quod Nos Diuino inſtinctu fundauimus Monaſterium in Inſula Szaladienſi ordinis Sancti Benedicti, quod ab anno (b) incarnationis Domini Milleſimo decimo nono, per DEI ſubſidium ob animae noſtrae remedium, pro ſtabilitate Regni Noſtri ad finem perduximus, in quo iuſſu noſtro dedicata eſt Eccleſia beati Adriani, quae eſt in Szala, ſimul cum duabus Capellis: vna, quae eſt in honorem Sancti Georgii; altera, quae eſt in honorem S. Laurentii a duobus Epiſcopis Modeſto, et Boniperto, vbi ordinauimus Abbatem Latinum, (c) nomine Petrum, conferendo eidem poteſtatem, vt in Diœceſi (d) Capellarum antedictarum, proceſſu temporis, quod neceſſe eſt fieri, plures Capellae poſſint aedificari, quae tamen ad iam nominatas Capellas tenebuntur habere reſpectum. Contulimus etiam eidem, auctoritate Apoſtolica Nobis annuente, vt in praecipuis ſolennitatibus ornamentis Pontificalibus vteretur. Condonauimus (e) etiam, vt Capellas Sacerdotibus poſſit inueſtire, et dedimus San-

(a) Hinc patet Aſtricum Colocensem Epiſcopum fuiſſe Cancellarium, cum per illius miniſterium Sigilli Regii munimine confirmatum fuerit hocce Priuilegium.

(b) Patet non rite ab editorum Priuilegiorum tempore epochas fundationum ſubduci, quod probe tenendum eſt.

Latinus id eſt indigena. (c) Itali apud noſtros ſcriptores Latini vocabantur. Sic latina Villa eſt in Diplomatibus, quae Olaſzi appellatur. Miror certe, cur hic S. Rex nationem exprimat; vnde patet latini nomine indigenam vocari, quod haud inſolitum fuiſſe Du Cange hac voce demonſtrauit.

(d) Dioeceſis hoc loco Parochiam ſignificat. Hae enim habebant Capellas, ideſt Filiales, quod alibi demonſtrauimus. Hac ratione vſurpatur Dioeceſis lib. 7. Capitularium cap. 248. „*ſtatutum eſt, vt facultates Eccleſiae, et Dioeceſes, quae ab aliquibus poſſidentur Sacerdotibus, iure ſibi vendicent, quod tricennalia Lex concluſit, et vltra triginta annos nulli liceat.*„ Et rurſus cap. 465. „*placuit, vt vnusquisque Epiſcopus per ſingulos annos cunctas Dioeceſes, Parochiasque ſuas circuire non negligat.*„ Dioeceſis.

(e) Id eſt: vna etiam donauimus.

Sancto Adriano ad ſeruiendum Praedia, Decimas, et Piscinas, quorum nomina haec ſunt: Tisciam cum Eccleſia Sancti Adriani, Raada, Sniger, *(a)* Szalavár, Chaz *(b)* Borul, *(c)* Cendy, Nimygh, Beſſyenew, Fizek, cum duodecim aratris. Et etiam dedimus redditus Fori Cháu, Csorgow, et Redditus Colonien *(d)* aquae, et pontis Ciuitatis, et decimam Equorum Noſtrorum in Inſula, quae vocatur Csepel, in poledris, *(e)* et ducentas vlnas de ſubtili panno pro indumentis Fratrum, de Camera Noſtra. Villae decimarum hae ſunt: Popor, Kurkow, Szóllös, Kuſtyán, Mand, Deuecser, Egrugh, Patsch, Keſztel, Koruntbal, Varvus, Hidvégh, Mayarad, Sklot, Kolon K már, Kolumbok, Schopii, Stoltz, Biqui, Wolupna, Reche, Merenye, Karus, Sobor, Zobor, Uruſtun, Urugh, vel Ung, Kerechen, Gelſe alias Gerſe, Rayk, Bigug, Patha, Igruz, Raduk, Geſtred, Sfauonica Rakolyan, Hungarica Rakolyán, Lengyel, Getbye, Piſteka, Horvath Iſtehor, Kal, Poklonya, Aracha. Etne Episcopus Parochianus iniurias, querimoniasue, in collatione *(f)* decimationis praedictarum Villarum pateretur, ſibi alios terminos decimationis aſſignando contulimus. Quod ſi ipſe contra Noſtra ſtatuta, quod abſit, inique agere, vel quaerere voluerit, ante DEVM Iudicem viuorum, et mortuorum in die iudicii ſe contendere nobiscum ſciat. Sit idipſum Monaſterium ab omni inquietudine ſemotum. Praecipimus etiam ſub teſtificatione Domini Noſtri IESV Chriſti, vt nullus potentum, vel aliquis magnus, ſiue paruus de iam dicto Monaſterio aliquo modo ſe intromittere, in mancipiis, aut terris, vineis, decimationibus, piscationibus, rippis, placitis *(g)* ſine conſenſu eiusdem Abbatis audeat, vel praeſumat. Piscinae autem hae ſunt: Alba piscina cum quinquaginta piscatoribus, in Villa Podgrad. Aliae minores Piscinae, Madacsa pro Uzonibus, piscina Ciuitatis iuxta Drauam in Boka cum 12. piscatoribus, et in Inſula. Item in Draua 12. libras cerae, et 12. pelles vulpinas, cum 200. pellibus ſpilonorum. *(h)* Si quis autem potens voluerit auferre, aut abſtulerit, vel deſtruere de hoc, quód Nos Rex Stephanus dedimus S. Adriano, ira DEI, et Noſtra ſit contra illum, et componat quinquaginta libras auri optimi, medium Camerae Noſtrae, ac medium praefato Monaſterio, ſuisque Rectoribus, maledictionisque perpetuae vinculo aeternaliter feriatur. Et vt verius credatur, hanc paginam Sigillo Noſtro authentico corigiae appenſione *(i)* iuſſimus ſignari.

VIII.

Priuilegium ſuper inabalienabilitate, et immunitate Bonorum Monaſterii S. Adriani de Zala conceſſum Anno MXXIV.

In

(a) Cl. Katona legit *Steiger.*

(b) Idem legit *Chasch.*

(c) Aliter *Bonul.*

(d) Credo aquam a loco, cuius decima aſſignatur, videlicet Kolon dictam fuiſſe, quae nunc Zala dicitur, cuius nullam mentionem hic fieri video. Exiſtimo etiam Comitatum Zaladiensem tunc Koloniensem dictum fuiſſe, cum hoc loco dicatur Prouentus Pontis Ciuitatis Kolon, Sancto Adriano donatos fuiſſe.

Adiacet autem S. Adrianus fluuio Zala.

(e) *Poledri* ſunt pulli equorum, quos nunc hinnulos vocamus.

(f) Id eſt: *Collectione.* Dicitur enim medio aeuo collationem ſoluiſſe, ſubiuiſſe, qui id, quod exigebatur, perſoluit.

(g) Lege *pratis*, niſi forte placitum hic pro iure adhibeatur, quaſi diceretur: Iuribus, emolumentis.

(h) Legendum certe *Spiculorum.*

(i) Corigia enim nectebantur membranae Sigilla cerea, et hac ratione appendi dicebantur.

In nomine Domini DEI Supremi Stephanus Superna *(a)* prouidente Clementia Hungarorum Rex.

Quia ex Officio Nobis incumbenti tenemur inuigilare, ne iura, libertates, et decimationes Eccleſiarum, et Monáſteriorum Regni Noſtri, Nobis a Sancta Sede Apoſtolica Commiſſarum, et praecipue Eccleſiae B. Adriani Martyris pretioſi de Inſula Szalaienſi per nos ob ſpecialem deuotionem fundatae per Miniſtros earundem diſpergantur, vna cum Praelatis, *(b)* et Baronibus Regni Noſtri, ad petitionem Viri, *(c)* Fratris Petri primi Abbatis eiusdem Eccleſiae, anno Domini Milleſimo, vigeſimo quarto, craſtino Feſti Aſſumptionis Beatae Virginis, quum eſſemus in Alba, inito conſilio diligenti, cum matura deliberatione duximus decernendum: quod nullus Abbatum, aut Conuentus, dictae Eccleſiae decimas, poſſeſſiones, aut conditiones *(d)* manumittere, et ab eorum conditionibus *(e)* liberos reddere, absque Regia licentia, et conſenſu ſpeciali alienare, ſeu diſtrahere habeat facultatem. Si quid vero contrarium per quemlibet Abbatum, aut Conuentum proceſſu temporis actum, vel factum fuerit, eorundem acta, vel facta, et etiam Inſtrumenta litteralia, ſi quae per quempiam confecta fuerint, ſuper eo volumus, vt - - - (nulla) ſint, et omni ſtabilitate caritura. Sacerdotes vero Capellarum Sancti Georgii. et S. Laurentii de Patha, et Rakollyan, cum ceteris Sacerdotibus ad ipſum Monaſterium ſpectantibus Congregationi *(f)* ipſius Abbatis, propter verbum DEI, et bonum obedientiae, ad praeceptum ipſius, quoties viſum fuerit, teneantur intereſſe; et quia idipſum Monaſterium amplectimur dilectione ſpeciali etiam libertates, et exemptiones eidem Eccleſiae conceſſimus infraſcriptas, in ſecula ſtatuendo, videlicet: vt nullus praeter perſonam Regiam, vel eum, quem elegerit Abbas, populos ipſius Monaſterii praeſumat iudicare, ſed a iudicio, et poteſtate, ac iurisdictione omnium Iudicum, et vniuerſorum Comitum Parochialium, ſeu

---

(a) Cl. Katona habet *Suprema;* ſed hanc meam lectionem praeualere debere exiſtimo.

(b) Eu Synodum Regiam, vnde Priuilegium hoc inter publicas Legum tabulas collocari poteſt.

(c) Forte *Venerabilis* legendum foret, ab imperito Librario in ly *viri* transformatum.

(d) Legendum: *Conditionales*, quorum mentio ſoepius deinceps nobis occurret.

Conditio ſeruitus.

(e) *Conditio*, eſt obnoxietio, debitum, reddendi alicuius tributi, vel etiam ſeruitus perſonalis. Palmare id fit ex cap. 119. lib. VI. Capitularium, vbi dicitur: „*Conſecratio Episcopos, et reliquos Domini Sacerdotes tam a ſeruilibus, quam a ceteris adſcriptis conditionibus ſemper liberos facit. Idcirco praecipimus, vt nullus ab eis alia, niſi Diuina ſeruitia exigat*„ cap. 128. „*Lector, Subdiaconus, Diaconus, Praesbyter, ſi Clericatus honorem contempſerint, curiali conditioni cum ſuis facultatibus ſubiiciantur.*„ Ibi dicitur Episcopos, et Sacerdotes ab omni conditione liberos, et ideo aliqua ſeruitia ab ipſis exigi vetat. Hic Clerici ſuum deſpicientes ordinem deiectione ad conditionem caſtigantur: Clariſſimum eſt Capitulum 51. lib. 7. Capitularium, „*qui originali, aut alicuius conditione obligati ſunt, non debent ab Episcopis ordinari, niſi forte eorum petitio, aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eos vendicant, poteſtatis. Debet enim eſſe immunis ab aliis, qui Diuinae militiae fuerit adgregandus.*„ Hic ſermonem de ſeruis fieri quis negabit? Dicit itaque Sanctus Rex conditionales a ſuis ſeruitutibus non eſſe eximendos.

(f) Ius celebrandarum Synodorum tribuitur Abbatibus, quod ipſum Ius territorium ſeparatum habentibus, qualis fuit Abbas S. Adriani de Zala, indubie id competit etiam ſecundum Ius commune, minus miraberis hoc ius ſeculo XI. conceſſum, ſi perpenderis ab Abbate Eccleſiam chrismate delibutam, cuius rei ſeculo VII. ſeu anno DCXLVI. in vita S. Columbani Abbatis occurrit apud Mabillonium in actis Sanctorum Tom. II. pag. 221. hunc in modum, „*Beatus Colomannus iuſſit, aquam afferri, et benedicens illam, aſperſit eo Templum, et dum circuirent pſallentes dedicauit Eccleſiam, deinde inuocato nomine Domini vnxit altare, et beatae Aurelianae reliquias in eo collocauit, veſtitoque Altari Miſſas legitime compleuerunt.*„

Abbas Eccleſiam conſecrat.

ſeu vice Iudicum, et Curialium, *(a)* Comitum Regni, et etiam a grauaminibus, quae per collectores tam victorialium, *(b)* quam denariorum, ſeu quarumlibet aliarum exactionum, tam in praeſenti, quam in futuro Camerae, et Fiſco regali exigendarum, quae eis poſſent imponi, penitus ſint exempti. Volumus etiam, vt quum neceſſitas poſtulauerit, contra importunitates, Iura, vel Poſſeſſiones impugnantium, ſeu occupantium, et ne propter occupationes talium laus Diuina intercipiatur, et caſui tali obuietur Regia Maieſtas, quoties locus, aut tempus ſe obtulerit dictae Eccleſiae teneatur in pugili *(c)* de ſua benignitate prouidere, et ipſum Pugilem per omnia expedire. Inſuper etiam ne ipſis Fratribus, vel ad eosdem pertinentibus pro alimentorum, et aliarum rerum neceſſitatibus ad victum, vel amictum pertinentibus remotius quaerendi, vel emendi incumbat neceſſitas; dedimus eisdem in die lunae in Villa Barand, et die veneris in Villa Szalavár, ad quae Fora quilibet liberum veniendi, mercedendi nullo penitus grauamine obſtante, vel tributo, et in omnibus Poſſeſſionibus ipſius Eccleſiae, contra fures, et malefactores, officiales eorundem ſingulis ſingulas poenas condignas iudicandi, exercendi, et infligendi ſecundum demerita eorum habeat plenarie poteſtatem. Contulimus etiam praelato Monaſterio piſcines ſimul cum inſulis aquae Balatini, vna cum ſyluis adiacentibus ipſius Eccleſiae Balavár, et Murul nuncupatis cum duodecim piſcatoribus in portu eiusdem aquae commorantibus pro menſa Fratrum. Addidimus etiam piſcinam Plyske, (Peletske) cum Villis, et Praediis, videlicet: Sornuk, Magnum Bok, Sargan, Akur Pataka cum terris, et ſyluis adiacentibus Kour Velegh, Rokolyán, Odornuk, Boyuk, reditus Fori Chán, prope fluuium Szala, Kaina cum viginti quatuor Conditionariis Appathi *(d)* penes Remuk, Budun, Bath, Culcus-

(a) Comes Curialis eſt is, qui nunc Iudex Curiae. Officium hoc, obſeruat Du Cange Reges Hungariae mutuaſſe a Regum Croatiae palatiis. vbi etiam occurrit Comes Curialis apud Lucium. Recte autem hic dicitur *Comitum Curialium*, prouti enim alias videbimus, erat minor Comes, quem nunc forte vice Iudicem Curiae diceremus.

(b) Alias *Victualium.*

Pugil Monaſterii.

(c) Vt pateat, quid ſit *pugili Monaſterium prouidere*, oſtendendum habeo, pugilis, et campionis eadem fuiſſe, et nomina, et munia, dein, quae illa fuerint, enarrandum. Pugilem idem eſſe ac Campionem. Patet ex Iſidori gloſſa, et pluribus a Du Cange probatur. Campio autem dictus eſt, qui in campo pugnabat. Reuocanda ſunt hic in mentem ea, quae in differt. de Synodis Regiis, de Iudicio Dei, ſeu iudicio duelli diximus, vbi oſtendimus ex Capitularibus Regum Francorum ad nos quoque morem illum tranſiiſſe, vt pleraeque cauſae, praeſertim inuaſionum, aut Sacramento, aut pugna duorum finirentur. Haec pugna cum facta fuerit in campo, dicebantur *campo contendere, campo acquirere*, hinc pugnantes campiones dicti, quod nomen tamen illis proprium fuit, qui pro aliis pugnabant, licitum quippe erat demptis cauſis criminalibus ſubſtituere pugnatores. Lege Baiuuariorum Tit. 8. cap. 2. §. 3. „*Si negare voluerit* (inuaſionem rei alienae) *duo campiones propter hoc pugnent.*„ Tit. 9. cap. 4. §. 4. de igne immiſſo, et extincto: „*ſi negare voluerit, cum campione ſe defendat.*„ Tit. 12. cap. 9. §. 2. „*cum campionibus ſuam quaerat iuſtitiam.*„ Hos campiones datos fuiſſe, non autem ſortitos, aut electos perhibere videtur eadem Lex Baiuuariorum. Tit. 11. cap: 5. de Metalibus controuerſiis dirimendis: „*ſi alia probatio nusquam inueniri dignoſcitur, nec vtriusque ſponſionem compenſare voluerint, tunc ſpondeant inuicem*, (pugnam) *et in campiones non ſortiantur, ſed cui Deus fortiorem dederit, et victoriam.* Monachos, et Clericos nunquam pugnaſſe certum eſt, licet ipſorum quoque cauſſae pugna duorum, ſeu campionibus finirentur, dabant itaque campiones. Iam cum campiones hi mercede conducendi, et exquirendi fuerint, onus in Regem coniicit, et *pugilem prouideri* vult S. Rex, quemadmodum etiam in carta Caroli Comitis Flandriae An. MCXXI. dato pro Abbatia S. Winoci apud Du Cange dicitur: „*praeterea nouerit vnusquisque, ſi opus fuerit iam dictae Eccleſiae - - - pugiles prouidebit, quos de ſuo nihilominus faciet pugnare.*„ Sanctus quoque Rex, et pugilis ſtatutionem, et expenſas in illum faciendas aſſumit, dum ait: „*teneatur in pugili de ſua benignitate prouidere, et ipſum pugilem per omnia expedire.*„ Vno ergo hoc monumento, et benignitatem S. Regis, et iudiciorum ritus diſcimus.

(d) In hoc loco nunc exſtat Monaſterium S. Adriani de Szala. In Inſula enim nil, niſi triſtia rudere conſpicias, vixque iam acceſſus eo patet.

Culcus prope aquam Balatini, Bulcsen cum piſcinis ſuis in fluuio Drava, Praedium Szent Adrian-Martyr vocatum, terram Tityam cum capturis piſcium, ac vtilitatibus vniuerſis, et ex omnibus, et de omnibus de terra naſcentibus plenam decimam de praedictis Poſſeſſionibus. Et ſicut idipſum Monaſterium deuotionis affectu ſegeſtratim (a) propter religionis diſciplinam deuote ſeruandam, et ab ipſis Fratribus in eodem conuerſantibus deuotius tenendam, ac cuſtodiendam, in Inſula ad hoc apta locauimus, et fundauimus, ita ab omnibus inquietudinibus, ac moleſtiis volumus idipſum eſſe ſemotum, quietum ac exemtum. Si quis autem potens infringere voluerit, vel praeſumpſerit donationes, libertates, exemptiones, et decimationes eidem Monaſterio per nos traditas, et conceſſas, ante Dominum Iudicem viuorum, ac mortuorum in die iudicii ſe contendere nobiſcum ſciat; componatque centum libras auri puriſſimi medium Camerae Noſtrae, ac medium praefato Monaſterio, ſuisque Rectoribus; maledictionisque perpetuae vinculo aeternaliter feriatur. Et vt verius credatur hanc paginam perpetuis futuris temporibus duraturam propriis manibus ob reuerentiam B. Adriani Sigilli Noſtri authentici munimine roborauimus conſignando.

IX.

Priuilegium Monaſterii S. Mauritii, de Bakonbél, Anno Chriſti MXXXVII.

In nomine Domini DEI Summi. Stephanus ſuperna prouidente Clementia Vngarorum Rex.

Vniuerſorum Chriſti Fidelium ſane (b) intendat diſcretio, quod dum in terra Hungariae, Chriſtianae religionis per DEI gratiam noua pullularet profeſſio, multi Catholici, et Religioſi Viri ex vicinis prouinciis Sancti Spiritus dono illuminati, coeperunt ad me confluere, quorum conſilio, et monitione, in diuerſis locis, ad DEI ſeruitium aptis, Eccleſias, et Monaſteria cepi conſtruere, in quibus e ſeculo fugientes, regulariter poſſent conuerſari, et DEO Omnipotenti famulari. Igitur inter cetera in illo loco, qui Beel dicitur, in ſylua Bocon, quia Diuino cultui videbatur mancipari valde idoneus, ſub titulo Beati Mauritii, Chriſti Martyris, Monaſterium incepi conſtruere, quod et per DEI adiutorium conſummaui, (c) Regiis quoque munificentiis ſicut potui, dotaui: in quo Gerardus Monachus de Venetia veniens, primus coepit conuerſari, et, ſicut habui poteſtatem, vt vbicunque, vel in quocunque loco vellem, Eccleſias, aut Monaſteria conſtruerem: ita nihilominus a Romanae Sedis Supremo Pontifice habui authoritatem, vt quibus vellem Eccleſiis, ſeu Monaſteriis libertates, et dignitates conferrem. Quamobrem in futurum praecauens, ne idem Monaſterium multorum temporum ſuc-

(a) Forte legendum: *Sequeſtratum*.

(b) Legendum videtur: *Sana*.

(c) Ex hoc contextu manifeſte patet: Sanctum Regem etiam hoc Monaſterium primis ſui Regni annis coepiſſe aedificare; neque video, cur negemus Sanctum Gerardum in hoc Monaſterio habitaſſe, cum diſertis verbis id adferat Priuilegium hoc noſtrum. Si dicas eum Eremiticam coluiſſe vitam, reſpondebo, non fuiſſe inſolitum hoc Monachis etiam in Monaſterio degentibus ſecedere, non fuiſſe autem conſtantem ſeceſſum illius, patet ex eodem Biographo S. Gerardi, qui etiam Eremiticam vitam litteris conſignauit, ait enim ipſum aedificaſſe Eccleſiam. Etiamſi capere non poſſim, quomodo libros dictabat, quos manu propria ſcribebat, minus tamen capere poſſum, quomodo Eccleſiam ſolus aedificauerit. Non erat ergo conſtans ſeceſſus illius, ſed certis anni temporibus aſſumptus.

S. Gerardi vita ſolitaria.

ſucceſſione aliquomodo grauaretur, ab omnium Episcoporum poteſtate, ac iurisdictione illud liberum eſſe ſtatui. Quae autem in dotem ipſius contuli, popriis volui vocabulis exprimere: videlicet tributa de foro Reginae, et de foro Zill, et de portu Arpas in Raba: de portu, et de foro in Comarin: piscinas duas in Draua, cum piscationibus; quarum vna Zvalin, et altera Toplunea, quae ſeparatur riuulo, nomine Burzv. In portu Madocsa (a) dedi liberam piscationem, quae vulgo Tana (b) dicitur. Praeterea ſtatui, vt in Zellib detur ſeptimus piscis Uzonum, et de piscina Nandur in Tizia detur ſimiliter ſeptimus piscis, ſiue ſeptimus annus ad piscandum: de frugibus vero arborum. quae ibi ſunt, detur ſeptima pars. Piscinam autem Tener ere dedi totaliter. Has omnes piscinas cum piscatoribus ſuis dedi beato Mauricio. Villarum autem, ſiue Praediorum nomina ſunt haec, quae Sancto Mauricio contuli: Cuppan. Pannana, (c) Arpas, Magos, Quiarnul, Ocol, Paloznuk. In his Villulis, ſiue Praediis, cuiuscunque conditionis homines ſunt ad me pertinentes. Sancto Mauricio dedi, qui ſecundum ordinem conditionis ſuae, ita plane ſeruiant Abbati Sancti Mauricii, ſicut ſolebant ſeruire Regiae Maieſtati. Do etiam licentiam famulis eiusdem Monaſterii in ſylua Bocon ligna incidere, ad omnia opera Monaſterii, et Praediorum eius. Porci quoque Abbatis in eadem libere pascantur. Sunt praeterea quatuor lapides viciniores ad Monaſterium, qui vulgariter his vocabulis nuncupantur: Hegyes-Kuw, Kertes-Kuw, Fejér-Kuw, Odoos Kuw. In his a quocunque homine fuerint ferae interſectae, dimidiam partem illarum Miniſtri Abbatis accipiant cum cutibus, (d) earundem. Adhuc autem ſubiungens ſtatuo, ſit ipſum Monaſterium ab omni inquietudine ſemotum, Abbasque a Monachis illius loci partis ſanioris libere eligatur, electus vero a quo voluerit Episcopo conſecretur, Infula quoque, annulo, baculo Paſtorali decoretur. Nullius Episcopi ſubiaceat poteſtati, niſi Strigonienſis Archi-Episcopi tantummodo generali (e) aſſiſtat Synodo, vt vbi ſalutaria monita audiendo, ſe, ſuosque ſubiectos valeat ſalubriter inſtruere, ſitque illius loci Monachis, et Clericis licitum, Sacros ordines accipere, a quo voluerint Epiſcopo, dummodo Catholicus ſit: populus quoque eidem loco ſubiectus, et omnes ſuperuenientes hospites, qui ad eiusdem Monaſterii Capellas, Terras, Praedia, ſeu quascunque poſſeſſiones habitandi gratia acceſſerint, in cuiuscunque Episcopi Dioeceſi fuerint, decimas ſuas de vino, de ſegetibus, ſiue aliis nascentiis, et de pecudibus, vel animalibus, nulli Episcopo (f) dent, niſi proprio Monaſterio, ſuoque Abbati. Liceat etiam eidem in Praediis, et Poſſeſſionibus Monaſterii ſui Oratoria, et Capellas conſtruere; conſecrationes vero eorum, a quo voluerint Episcopo petere, et ille Episcopus, vt Diuinae bene-

(a) Cl. Katona legit: *Madoſa.*

(b) Forte hungaricum *Tanya*, quod circulum aliquem, ſeu peripheriam, in aqua notat, in qua retia aliquot vicibus iactari, et pisces comprehendi ſolent.

(c) Cl. Katona habet *Pazanad.*

(d) Non erat itaque tam promiscuum tunc temporis ius venandi.

(e) Generalia Synodus forte ideo vocatur, quia aliae fuerunt, in quibus Vicarii, Presbyteri examinabantur.

(f) De ſimili quaeſtione interpellatus Alexander III. cap. *cum ſint* 18. de Decimis respondet: „*non eſt nobis facile ſuper hoc certum tibi dare responſum, cum auctoritates Sanctorum Patrum etiam ſint diuerſae.*„ Ex his S. Stephani Regia verbis intelligimus vſuueniſſe tunc, vt Praedia in aliena Dioeceſi habentes darent decimas reales; De perſonalibus enim dubium eſſe non poterat, illi Eccleſiae, vbi Sacramenta percipiebant, contrarius certe vſus in Hungaria firmatus eſt, quem Lucius III. ad Strigonienſem Archi-Episcopum ſcribens valere iuſsit. cap. 20. *ad Apoſtolicae Sedis* de Decimis: „*tu eligas in hoc caſu, quod per conſuetudinem diu obtentam ibidem noueris obſeruatum.*

Decima e praediis.

benedictionis partem habeat, petenti ſatisfaciat, alioquin vltionem Diuinae indignationis incurrat. Praecipio itaque firmiter ſtatuendo ſub teſtificatione Saluatoris Domini Noſtri Ieſu Chriſti, vt nullus Archi-Episcopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Praefectus, *(a)* nec aliquis potens homo ſiue magnus, ſiue paruus, de praefato Monaſterio, et eius iure infraſcripto ſe aliquomodo intromittat, in tributis, in redditibus, in praediis, in mancipiis, in terris, in vineis, in decimationibus tam populi ſui, et hoſpitum ſuorum, quam Praediorum, in piscationibus, in ripis, in plaxtis, *(b)* et vniuerſis bonis ſibi collatis, ſiue conferendis, ſed ita libere poſſideat, ſicut Episcopi ſua poſſident iura. Si quis autem Chriſtianae religionis de huius Monaſterii libertate, et Noſtra conſtitutione aliquid ſubtrahere, vel imminuere tentauerit, circumuallet (illum) anathema perpetuale, et componat viginti marcas puriſſimi auri, medium Camerae Regiae, mediumque Abbati, et Rectoribus ſoepe dicti Monaſterii. Cunctis autem ſeruantibus illius iura ſit pax a DEO Patre, et Ieſu Chriſto Filio eius. Amen. Anno Dominicae incarnationis MXXXVII. Indictione V. Epacta I. concurrentia V. Exiſtentibus Hungariae Primatibus, Dominico Archi-Episcopo, Modeſto Episcopo, Urzyo, Chuncio, Tomoyno Comitibus. Signum Domini Stephani Regis Inclyti.



Dominicus Archi-Episcopus, Vice Cancellarius pater eſt.

Ccc 2 SY-

Praefectus. (a) Militarem Dignitatem, quae honori Generalis, ſeu Colonelli respondet, hic deſignari clarum eſt, more proculdubio ex Palatio Regum Franciae deſumpto. In Karlomanni Principis Capitulari primo Anni DCCLXVI. cap. 2. de Sacerdotibus ad Exercitum non ducendis; praeter illos, qui Sacramenta miniſtraturi ſunt: „*vnum, vel duos Episcopos cum Capellanis, Presbyteris Princeps ſecum habeat, et vnusquisque Praefectus vnum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus &c.* quod ipſum Benedictus Leuita lib. 9. Capitularium cap. 2. recitauit, totidem verbis; et Karolus Rex in Capitulari Anni DCCLXIX. innouauit, prouti laudatus Benedictus Leuita lib. 7. Capitularium cap. 123. retulit.

(b) Cl. Katona putat corrigendum *pratis.* Ego certum habeo, nullum hic eſſe admiſſum errorem. *Plaxitium* enim, teſte Du Cange eſt locus ſepe ex virgulis implexis confecta clauſus; talium autem ſepium mentionem in Diplomatibus occurrere idem ipſe docet; Sic ex Tabulario Maiori S. Sergii Ardaegauen adfert ſequentia: „*dedit Eccleſiam cum toto Plaxitio in circuitu Eccleſiae ſito.*„ Legendum tamen eſſet forte *plaxitiis*; quamuis huiusmodi Sepes, iisque cinctae Domus ſuburbanae, aliaque ſpatia etiam *plaidurae*, et *pleiſſicia* dicantur; occurrit etiam *pleiſtura*, quae omnia eundem ſenſum reddunt, et forte ex implexione virgultorum dictae ſunt Sepes plaxta, ſeu plaxitia, et rectius *plexa*, *plexta*, et *plexitia*, *plextitia*. Plaxitium.

SYNODI REGIAE
Sancti Stephani Regis incerto Loco, et Anno celebratae,

ſiue

Recapitulationis Liber Eiusdem.



Praefatio.

Regnante Diuina Clementia Opus Regalis dignitatis, alimonia Catholicae Fidei effectum amplians ſolidius, alterius dignitatis ſolet operibus adeſſe: et quoniam vna quaequae Gens propriis regitur Legibus, idcirco Nos quoque DEI nutu, Noſtram gubernando Monarchiam, antiquos, et modernos imitantes Auguſtos; decretali meditatione Noſtra ſtatuimus Genti Noſtrae, quemadmodum honeſtam, et inoffenſam ducerent vitam, vt ſicut Diuinis Legibus ſunt ditati, ſimiliter etiam ſecularibus ſint addicti, vt quantum boni in Diuinis ampliantur, tantum mali et rei in iſtis viliteutur. Quae autem decreuimus, in ſequentibus ſubnotauimus.

I. (a) Quisquis faſtu ſuperbiae elatus, Domum DEI ducit contemptibilem, et Poſſeſſiones DEO conſecratas, atque ad honorem DEI ſub Regia immunitatis defenſione conſtitutas in honeſte tractarit, vel infringere praeſumpſerit, quaſi inuaſor, et violator Domus DEI excommunicetur. Decet enim (b) vt indignationem ipſius Domini Regis ſentiat, cuius beneuolentiae contemptor, et conſtitutionis praeuaricator exſtitit. Nihilominus tamen Rex ſuae conceſſionis immunitatem ab hominibus (c) ditioni ſuae ſubiectis, illaeſam conſeruari praecipiat, aſſenſum vero non praebeat, improuide affirmantibus, non debere eſſe res Dominicas, id eſt: Domino dominantium traditas. Itaque ſub defenſione Regis ſit, et ſicuti ſuae propriae haereditati, (d) magisque aduertat. Quia quanto

(a) Caput hoc ex Concilii Monguntini Can, 6. deſumptum eſt.

(b) Recte monet Ill. Kollár legendum eſſe „*etiam*„ quod ſententia ipſa poſtulat, et codex MS. ſeculi XV. ſic legit.

(c) Legendum: *omnibus.*

(d) Hanc lectionem putat Illmus Kollár vitioſam, mihi probatur, bene enim dicitur: „*alicui rei aduertere*„ ſubaudiendo *animum.* Vide in his Capitulis morem aeui illius, vbi nil frequentius per omnes cartas Regales, quam immunitatis defenſio occurrit, et excommunicatio etiam a Laicis intentatur, non quod illam ferre poſſent, ſed quod ſe a communione talis remouerent, et abſtinerent, vnde etiam dicitur in Conciliis, *talem abſtinendum duximus,* hoc quoque Capitulo nequaquam poenam Eccleſiaſticam infert, cum ſubdatur illico: „*decet enim, vt indignationem ipſius Domini Regis ſentiat,*

Quid ſit excommunicatio a Laicis intentata.

quanto DEVS excellentior eſt homine, tanto praeſtantior eſt Diuina cauſa, mortalium poſſeſſione. Quocirca decipitur, quisquis plus in propriis, quam in Dominicis rebus gloriatur: quarum defenſor, et cuſtos Diuinitatis, *(a)* conſtitutis diligenti cura non ſolum eas ſeruare, ſed etiam multiplicare debet, magisque illa, quae diximus praeſtantiora, quam ſua defendere oportet, et augmentare. Si quis igitur infanus importunitate, improbitateque ſua *(b)* Regem a recto propoſito peruertere tentauerit, nullisque remediis mitigari poſſe viſus fuerit, licet obſequiis aliquibus, *(c)* et tranſitoriis ſit neceſſarius, abſcindendus ab eo, proiiciendusque eſt, iuxta illud Euangelium, *(d)* ſi pes, manus, aut oculus vnus ſcandalizat te, erue eum, et proiice abs te, *(e)*

2. *(f)* Vt Epiſcopi habeant poteſtatem res Eccleſiaſticas prouidere, regere, et gubernare, atque diſpenſare ſecundum Canonum authoritatem: volumus, vt Laici *(g)* eorum miniſterio obediant, ad regendas Eccleſias, viduas, et orphanos defenſandum, et vt obedientes ſint eis ad eorum Chriſtianitatem *(h)* ſeruandam, conſentientesque ſint Comites, et Iudices Praeſulibus ſuis, ad iuſtitias faciendas, iuxta praecepta legis Diuinae, et *(i)* nullatenus per aliquorum mendacia, vel falſum teſtimonium, neque per periurium, aut per praemium lex iuſta in aliquo deprauetur.

3. *(k)* Teſtes autem, et accuſatores ſine aliqua ſint infamia, vxores, et filios habentes, et omnino Chriſtum praedicantes. Teſtimonium Laici aduerſus Clericum nemo recipiat, nemo etiam quemlibet Clericum in publico, niſi in Eccleſia examinare praeſumat.

4. Scitote Fratres cuncti, quod ſupra omnes laborant Sacerdotes. Vnusquisque enim veſtrum ſuum fert laborem proprium; illi vero et ſuum, et ſingulorum. Ideo ſicut illi pro omnibus vobis, ita et vos omnes pro eis ſummopere laborare debetis, in tantum, vt ſi neceſſitas fuerit, animas veſtras pro eis ponatis.

5. Decreuimus Regali noſtra potentia, vt vnusquisque habeat facultatem ſua

(a) Absque dubio *Diuinitus* legendum foret; quia enim cuſtos Diuinitatis recte dici poterit, niſi Diuinitas ipſa? ſecundum illud: *niſi Dominus cuſtodierit &c.*

(b) Legendum: *importunitate improbitatis ſuae.*

(c) Ill. Kollàr monet ſecundum codicem Caeſareum, *et* omittendum eſſe. Et recte niſi forte deſideretur ly *his rebus.*

(d) Lege: *Euangelium.*

(e) Math. 18. vers. 6. et 7. Item cap. 5. vers 23.

(f) Caput hoc ex Capitularium lib. 5. pag. 573. deſumptum fuiſſe ambigere non licet. Id ipſum habetur Concilii Moguntini Anno DCCCXLVII. celebrati Canone VII.

(g) Deſideratur „*in*„

(h) Chriſtianitas pro Orthodoxa fide hic ſumitur, neque nouum eſt, quod in legibus noſtris ab hac fide alieni, neque Chriſtiani exiſtimentur.

(i) Deſideratur particula „*vt*„

(k) Hoc Capitulum eſt pars poſterior capitis 68. Canonum ſeptuaginta duorum ab Hadriano I. Papa, in gratiam Ingelrami Epiſcopi colſtorum, et ei communicatorum A. C. DCCLXXXV. iuuat locum deſcribere: „*teſtes autem ſine aliqua ſint infamia, vxores, aut liberos habentes, et omnino Chriſtum praedicantes. Teſtimonium Laici aduerſus Clericum nemo ſuscipiat. Nemo enim Clericum quemlibet in publico examinare praeſumat, niſi in Eccleſia.*„ Canon hic in coll. Harduini, Tom. 3. col. 2070. eſt finis Canonis LXXII. cui iunctus eſt LXXIII. vnde patet Capitulum S. Stephani non eſſe depromptum ex Moguntina Synodo Anni 888. vbi Capitulo 12. aliqua duntaxat verba noſtri Capituli exſtant. Ex hoc Capitulo, nolim, inferas: Presbyteros fuiſſe ea aetate vxoratos. Tria enim ſunt diſtinguenda: *primum*, vt teſtes ſint absque infamia; *ſecundum*, vt Laici teſtimonio Clericus non damnetur; *Tertium*, vt Clericus duntaxat in Eccleſia examinetur; quae tria, etſi vno Capitulo comprehenſa, neceſſarium nexum non habent. Aduertendum adhuc: licet Capitulum hoc inter Capitularia deſcriptum eſſe contendas, id ex collectione Adriani Papae eſſe deſumptum diffiteri non valebis, ex quo rurſum cognosces, in noſtris quoque legibus id occurrere, quod in Capitularibus Regum Francorum deprehenditur: multa videlicet e Sacris Canonibus eſſe decerpta.

An Presbyteri vxorati in Hungaria?

diuidendi, tribuendi vxori, filiis, filiabusque, atque parentibus, ſine Eccleſiae, nec poſt eius obitum, quis hoc deſtruere audeat.

6. *(a)* Si quis igitur Presbyter, vel Comes, ſiue aliqua alia perſona fidelis, die Dominica inuenerit quemlibet laborantem, abigatur. Si vero cum bobus, tollatur ſibi bos, et ciuibus ad manducandum detur. Si autem cum equis, tollatur equus, quem Dominus boue redimat, ſi velit, et idem bos manducetur, vt dictum eſt. Si qui aliis inſtrumentis, tollantur inſtrumenta, et veſtimenta, quae ſi velit cum cute redimat.

7. *(b)* A Sacerdotibus vero, et Comitibus commendetur omnibus villicis, ita vt ipſorum iuſſu, omnes concurrant die Dominica ad Eccleſiam, maiores, et minores, viri, et mulieres, exceptis illis, qui ignes cuſtodiunt. Si quis vero obſtinatus remanebit, vapulet, et depiletur. *(c)*

8. *(d)* Si quis quatuor temporum ieiunia *(e)* cunctis cognita carnem manducans violauerit, per ſpatium vnius hebdomadae incluſus ieiunet.

9. *(f)* Si quis in ſexta feria ab omni *(g)* Chriſtianitate obſeruata carnem manducauerit, per vnam hebdomadam incluſus ieiunet.

10. *(h)* Si quis obſtinatus eſt (quod abſit ab omni Chriſtiano) vt nolit confiteri ſua facinora, ſecundum ſuaſum Presbyteri, hic ſine omni diuino officio et eleemoſynis iaceat, quemadmodum infidelis. Si autem Parentes, et proximi neglexerint vocare Presbyteros, et ita ſubiaceat abſque confeſſione morti, ditetur orationibus, et conſoletur eleemoſynis, ſed parentes luant negligentiam ieiuniis, ſecundum arbitrium Presbyterorum, qui vero ſubitanea periclitentur morte, cum omni Eccleſiaſtico honore ſepeliantur. Nam occulta, et Diuina iudicia nobis ſunt incognita. *(i)*

11. *(a)*

(a) Hoc Caput ordine ſeptimum eſt. et docet Capitula haec non in vna aliqua Synodo condita, ſed aliunde deſumpta, niſi enim id foret, maior eſſet Capitulorum connexio, quod tum in hoc Capitulo tum alibi deſideres.

(b) Hoc octauum eſt caput.

Decaluationis poena. *(c)* Depilare idem eſt, ac decaluare, neſcio; cur hoc verbo Du Cange dicat: *hoc poene genus Hungaris fuiſſe familiare*, rectius dixiſſet hoc vocabuli genus fuiſſe Hungaris familiare, ipſe enim voce *decaluatio*, multis probat, quam communis fuerit haec poena apud quasuis gentes, praeſertim quoties id in Capitularibus occurrat. Apud Baluzium additione quarta XV. Capitulo, titulationis tertiae ſic habetur de inceſtis coniugibus: *Centena publice decaluati flagella ſuſcipiant*„ S. Paulus ad Cor. cap. 11. inſignem ducit ignominiam: *deturpat caput ſuum, vnum eſt ac ſi decaluetur.*

(d) Alias nonum caput.

(e) Hinc clarum fit. S. Gregorium VII. vti Micrologus aſſerere videtur, non ſanxiſſe ieiunia 4. temporum, verum certis defixiſſe temporibus.

(f) Caput decimum.

Sabathi ieiunium. *(g)* Ieiunium ſabathinum Romanae duntaxat Eccleſiae, et paucarum Occidentis fuiſſe, docet S. Auguſt. ad Caſulanum Episcopum 36. cap. 12. „*die quidem Sabathi, et Romana ieiunat Eccleſia, et aliae nonnullae. etiam ſi paucae, ſiue illae proximae ſint, ſiue longinquae.*„ Capite autem VIII. „*non tibi perſuadeat Vrbicus Vrbem Chriſtianam ſic laudare Sabatho ieiunantem, vt corporis orbem Chriſtianum damnare prandentem.*„ Orbis ergo Chriſtianus Sabatho non ieiunabat. Non recurrant ergo ad Capitulum hoc, qui inuitis nobis Graecum Ritum obtrudere volunt. Coyacenſe Concilium Anni 1050. cap. XI in coll. Hard. Tom. 6. col. 1028. „*mandamus vt Chriſtiani per omnes ſextas ferias ieiunent.*„ Non erat ergo paſsim per Occidentes Eccleſias Sabathi celebre ieiunium.

(h) Vndecimum.

(i) S. Aug. Serm. 393. alias 41. de poenitentibus: „*Si quis autem poſitus in vltima neceſſitate aegritudinis ſuae, voluerit accipere poenitentiam; et accipit, et mox reconciliatur, et hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non praeſumimus; quia bene hinc exit. Non praeſumo. Non vos fallo: Non praeſumo, fidelis bene viuens ſecurus hinc exit. Baptizatus ad horam ſecurus hinc exit. Agens poenitentiam, et reconciliatus cum ſanus eſt, et poſtea bene viuens ſecurus hinc exit. Agens poenitentiam ad vltimum, et reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus*„ rationem dubitandi inferius reddit: „*quare ſecurus es? quia egiſti poenitentiam eo tempore, qua et peccare potuiſti. Si autem tunc vis agere poenitentiam ipſam, quando iam peccare non potes: peccata te dimiſerunt, non tu illa*„ dein ad dubitationem, quare ergo datur poenitentia iam iam exituris, respondet: „*ideo tibi do poenitentiam, quia neſcio, nam ſi ſcirem tibi nihil prodeſſe, non tibi darem*

Digitized by Google

11. *(a)* Si quis obſeruatione Chriſtianitatis neglecta, et negligentiae ſtoliditate elatus, quid in eam commiſerit, iuxta qualitatem offenſionis ab Epiſcopo per diſciplinas Canonum iudicetur. Si vero rebellitate inſtinctus renuerit ſibi impoſitam poenam ſufferre, iterum eo iudicio reſtringatur, etiam vsque ſepties. Tandem ſi per omnia reſiſtens, et abnuens inuenietur, Regali iudicio ſcilicet defenſori Chriſtianitatis tradatur.

12. *(b)* Si quis autem caſu occiderit aliquem, duodecim *(c)* penſas auri perſoluat, et ſicut Canones mandant, ieiunet. Si vero liber alicuius occiderit ſeruum, reddat alium ſeruum, vel pretio componat: et ſecundum Canones ieiunet.

13. *(d)* Si quis Comitum obduratus corde, negligens animam (quod procul ſit a cordibus fidelitatem obſeruantium) vxoris homicidio polluetur, ſecundum decretum Regalis Senatus, cum quinquaginta Iuuencis parentibus mulieris reconcilietur, et ſecundum mandata Canonum ieiunet. Si autem miles alicuius *(e)* virtutis in eandem culpam inciderit, iuxta eundem Senatum ſoluat parentibus decem Iuuencos, ieiunetque vt dictum eſt. Si vero vulgaris in eodem crimine inuenietur, cum quinque Iuuencis cognatis concilietur, et ſubdatur praedictis ieiuniis.

14. *(f)* Si quis *(g)* valentium, fide commaculatus, corde pollutus, iuramento confractus, periurio addictus inuenietur, perdita manu periurium luat, aut quinquaginta Iuuencis manum redimat. Si vero vulgaris periurus extiterit, manu amputatus punietur, aut duodecim Iuuencis redimetur, et ieiunet vt Canones mandant.

15. *(h)* Si quis accenſus ira, ac ſuperbia elatus ſpontaneum commiſerit homicidum, ſciat ſe ſecundum Senatus noſtri decretum Centum, et decem daturum auri penſas, ex quibus quinquaginta ad Fiſcum Regis deferantur, aliae quinquaginta vero, parentibus dentur, decem autem arbitris, et mediatoribus condonentur. Ipſe quidem homicida ſecundum Inſtitutionem Canonum ieiunet.

16. *(i)* Si quis miſericordia ductus, proprios ſeruos, et ancillas libertate donauerit cum teſtimonio, decreuimus, vt poſt obitum eius, nemo inuidia tactus in ſeruitutem eos audeat inducere. Si autem libertatem promiſerit, et morte impediente teſtatus non fuerit, habeat mulier ipſius vidua, et filii poteſtatem, eandem *(k)* libertatem teſtari, et *(l)*

agape

(a) Duodecimum.

(b) Caput 13*tium* ex hoc Capitulo apparet prius ſermonem fuiſſe de homicidiis voluntariis, adeoque aliunde decerptam eſſe legem.

(c) De penſis diſputabimus, dum recenſebimus Synodum Varadienſem Anno MCXXXIII. celebratam.

(d) Alias caput decimum quartum.

(e) *Virtutis*: haec vox e capitolaribus, vbi frequens eſt, deprompta potentiam ſignificat, quaſi dicas: „*Miles, id eſt, Nobilis alicuius potentiae.*

(f) Caput decimum quintum.

(g) Nobilium conſpicuorum: hinc dicitur paulo poſt: „*ſi vero vulgaris periurus extiterit.* Valens apud Du Cange eſt Vir magnae auctoritatis.

(h) Caput decimum ſextum.

(i) Caput decimum ſeptimum.

(k) *Libertatem teſtari* hic ly teſtari non ſonat idem ac teſtamentum condere, ſed recognoſcere, chartam concedere, teſtamentum enim eſt donatio immunitatis, vel libertatis; vnde teſtamentorum Princeps olim is erat, quem nunc Regium diceremus Archiuarium.

(l) Agape non eſt qualecunque opus caritatis, ſed conuiuium pauperibus dari ſolitum. Opus hungaris valde familiare. Quid ſit agape facere, docet Sacramentarium Gelaſianum apud Muratorium Tom. I. pag. 718, „*Orationes pro his, qui agape faciunt, oremus, dilectiſſimi nobis Omnipotenti DEO, pro filio noſtro illo, qui recolens Diuina mandata de iuſtis laboribus ſuis victum indigentibus ſubminiſtrat: quatenus haec deuotio ipſius, vt nobis eſt neceſſaria, ita ſit DEO ſemper accepta. Per oremus, Sanctum ac venerabilem retributorem bonorum operum Dominum deprecamur pro filio noſtro illo, qui e ſuis iuſtis laboribus victum indigentibus adminiſtrat, vt Dominus coeleſti ſua miſericordia terrenam eleemoſinam compenſet, et ſpirituales diuitias largiatur, tribuat ei magna pro* Agape.

agape facere pro animae redemptione ſui mariti, qualitercunque velit.

17. *(a)* Si qui ad Eccleſiam venientes ad audiendum Diuinum officium, ibidem hora ſolennitatis Miſſarum inter ſe murmurant, et ceteros inquietant, exponentes fabulas otioſas, et non intendentes ad Diuinas *lectiones* cum Eccleſiaſtico nutrimento: ſi maiores ſunt, increpati cum dedecore expellantur de Eccleſia: ſi vero minores, et vulgares, in atrio Eccleſiae, pro tanta temeritate, coram omnibus ligentur, et corripiantur flagellis.

18. *(b)* Volumus vt vnusquisque ſenior (ſeu Dominus) ſuum habeat militem, (id eſt) *(c)* ſeruientem, nec aliquis alter illi ſuadeat antiquum deſerere *(d)* ſeniorem, et ad ſe venire. Inde enim litigium habet initium.

19. *(e)* Si quis hoſpitem cum beneuolentia accipit, et nutrimentum ſibi honeſte impendit, quamdiu ſecundum propoſitum nutritur, non deferat ſuum nutritorem, et nec ad aliquem alium ſuam deferat *(f)* hoſpitalitatem.

20. *(g)* volumus quidem, vt viduae, et orphani ſint noſtrae Legis participes tali tenore: vt ſi quae vidua cum filiis, et filiabus remanſerit, atque nutrire eos, et manere cum illis, quamdiu vixerit, promiſerit, hebeat poteſtatem a nobis ſibi conceſſam id faciendi, et a nemine iterum cogatur in coniugium. Si enim mutato voto iterum nubere voluerit, et orphanos deſerere, de rebus orphanorum nihil omnino ſibi vendicet, niſi tantum ſibi congrua veſtimenta accipiat. Si autem vidua ſine prole remanſerit, et ſe innuptam in ſua viduitate permanere promiſerit, volumus, vt poteſtatem habeat omnium bonorum ſuorum, et quidquid inde facere velit, faciat. Et poſt obitum eius, eadem bona ad ſui redeant parentes mariti, ſi parentes habet: ſi autem non: *(h)* Rex ſit haeres.

21. *(i)* Si quis militum impudicitia foedatus, puellam aliquam ſine conceſſione parentum ſibi in vxorem rapuerit, decernimus puellam parentibus reddi, etiam ſi ab illo aliqua vis ſibi illata ſit, et raptor decem ſoluat Iuuencos pro raptu, licet poſtea reconcilietur parentibus puellae, ſi vero pauper quis, aut vulgaris hoc aggrediatur agere, componatur raptus quinque bobus.

22. *(k)* Vt *(l)* genus vtriusque ſexus certa lege, et abſque iniuriis maneat, et vigeat, et in hoc Regali Decreto ſtatutum eſt, vt ſi quis proteruitate praeditus propter abominationem vxoris Patriam effugerit, vxor cuncta, quae in poteſtate mariti habebantur, poſſideat, dum velit expectare virum, et nemo

parais, pro terrenis coeleſtia, pro temporalibus ſempiterna. Per &c.

(a) Alias caput 18.

(b) Caput 21.

(c) Si Miles ſeruiens vocatur, et nobiles in Lege ſeruientium nomen habent, proculdubio nobilis miles eſt. Videtur ex hoc capite non obſcurum Inſurrectionis, id eſt, Exercituationis veſtigium.

(d) *Seniorem* dimittere, vetant quoque Capitularia, habetur ſuper eo in Capitulari Pipini Regis, anni DCCXCIII. titulo 5. et Capitulari ſecundo anni DCCCXIII. titulo 16. *quomodo liceat ſeniorem ſuum dimittere.*.

(e) Caput 22. Hoc Caput Euangelio congruit, *nolite tranſire* de Domo in domum.

(f) *Hoſpitalitatem*, id eſt, manſionem domicilium.

(g) Caput 24.

(h) *Rex ſit haeres* Parentum nomine veniunt conſanguinei cognati, et affines. Lampridius in vita Alexandri inquit: „*Parentis nomine non ſuperiores modo* (id eſt, quibus parendum ſit, inde enim parentum fluxit nomenclatio) *ſed cognatos affinesque comprehendi cenſuit.*

(i) Caput 25.

(k) Caput 28.

(l) *Genus*, videtur legendum *genu*, et videtur ſenſum hunc facere, „*vt generatio vtriusque ſexus certa lege &c.* nouimus enim *genu* ſignificare generationem, vnde geniculum, vel geniculum, ſeu gradus generationis paſſim occurrit,

mo in aliud coniugium eam cogere praeſumat. Sed ſi ſponte nubere velit, liceat ſumptis congruis veſtimentis, et dimiſſis ceteris bonis, ad connubium ire. Et ſi vir hoc audito redierit, ne liceat ſibi aliam ducere, propter ſuam culpam, niſi cum licentia Epiſcopi.

23. *(a)* Si qua ſtriga inuenta fuerit, ſecundum iudicialem Legem *(b)* ducatur ad Eccleſiam, et commendetur Sacerdoti ad ieiunandum, fidemque diſcendum: poſt ieiunium vero domum redeat. Si ſecundo in eodem crimine inuenietur, ſimili ieiunio ſubiaceat: poſt ieiunium vero in modum crucis in pectore, et in fronte, atque inter ſcapulas incenſa claui Eccleſiaſtica domum redeat. Si vero tertio, iudicibus tradatur.

24. *(c)* Vt creatura DEI ab omnium laeſione malignorum remota, et a nulla detrimentum ſui paſſura maneat, niſi a DEO, a quo augmentatur: ſecundum Decretum Senatus ſtatuimus ad magni cautionem terroris veneficis, et maleficis, vt nulla perſona maleficio, aut veneficio quemquam hominum ſubuertere a ſtatu mentis, aut interficere audeat. Aſt ſi quis, vel quae poſthac haec praeſumpſerit, tradatur in manus maleficio laeſi, aut in manus parentum eius, ſecundum eorum velle, ad iudicandum. Si vero ſortilegio vtentes inuenirentur, vt faciunt in cinere, et his ſimilibus, ab Epiſcopis flagellis emendentur.

25. *(d)* Decem villae Eccleſiam aedificent, quam duabus manſionibus, totidemque mancipiis dotent equo, et iumento, ſex bobus, et duabus vaccis, triginta quatuor minutis beſtiis. Veſtimenta vero, et corporalia, et coopertoria Rex prouideat, Presbyterum, et Libros Epiſcopi.

26. *(e)* Conſenſimus igitur petitioni totius Senatus, vt vnusquisque dominetur propriorum, ſimiliter et Donorum Regis, dum viuit, excepto, quod ad Epiſcopatum pertinet, et Comitatum, ac poſt eius vitam filii ſimili Dominio ſuccedant, nec pro nullius cauſa reatus detrimentum bonorum ſuorum patiatur quis, niſi conſiliatus mortem Regis, aut traditionem Regni fecerit, vel in aliam fugerit Prouinciam; tunc vero bona illius in Regiam veniant poteſtatem, ipſe

Strix ſtaga.

(a) Caput 31. de Strigibus. Hinc pro „*ſi qua Striga*„ legendum foret, „*Strix.*„ In Capitularibus tamen Regum Francorum Strigae appellantur: ſic in Capitulari Caroli M. de Partibus Saxoniae cap. 6. „*ſi quis a diabolo deceptus crediderit ſecundum morem paganorum virum aliquem, aut foeminam Strigam eſſe, et homines comedere, et propter hoc ipſam incenderit, vel carnem eius ad comedendum dederit, vel ipſam comederit, cum iis ſententia puniatur.*„ Apparet hinc, quo ſenſu aliqui negauerint dari huiusmodi genus hominum.

Lex iudicialis.

(b) Quaenam ſit iudicialis lex, non poſſumus melius ab alio condiscere, quam ab ipſo S. Stephano, ait is in praefatione libri *sui* ad filium ſuum S. Emericum dati: „*Regna, conſulatus, Ducatus, Comitatus, Pontificatus, ceterasque Dignitates partim Diuinis praeceptis, atque inſtitutis, partim Legalibus, partim Iuridicis, partim Ciuilibus, iurisdictionibus, ac Nobiliorum aetateque prouectiorum conſiliis, ſuaſionibus regi, defendi.*„ Monuimus iam alibi per Legem Diuinam intelligi Canonum ſancita. Hinc videtur S. Stephanus Ius poſitiuum humanum diuidere in Diuinum, ſeu Canonicum, et mundanum, ſeu profanum, et hoc in legale, ſeu Ius publicum, in iudiciale, ſeu criminale, in Ciuile, quod Ius tertii exequitur. His adminiculi inſtar adiicit reſponſa Iurisperitorum, quae vbique Gentium multum valuerunt ſemper, recte itaque dici poteſt, per iudicialem Legem intelligi Ius criminale. Neque abs re; prouti enim ex vita S. Mariae aegyptiacae adnotauit Du Cange *Iudicialis idem, ac Exitialis.* Inferius videbimus, cur ſtrigae fidem condiscere iubeantur.

(c) Alias 32.

Manſio, et manſus.

(d) Alias 34. legendum puto: „*duobus manſis, totidemque mancipiis donent* nunc diceremus duabus ſeſſionibus *manſus* inquit Papias: *dictus a manendo, quod integrum ſit a XII. iugeribus,* eſt itaque manſus, vel manſum fundus cum certo agri modo. Ceterum ſi vis, legas: *duabus manſionibus*, nil id nobis oberit, conſtat enim manſionem, pro manſo ſoepius accipi. Liberalius autem prouiſum voluit Eccleſiis S. Stephanus, atque prouiderint Capitularia, quae vnum duntaxat manſum aſſignant.

(e) Caput 35. hinc rurſus patet librum hunc S. Stephani meram eſſe collectionem hinc inde exiſtentium Legum.

vero ſubiaceat ſententiae, filiis innocentibus remanentibus.

27. *(a)* Si alicuius ſeruus ſeruum alterius occidit, ſenior homicidae medietatem ſerui componat ſeniori interfecti, ſi poteſt: ſi autem non, peracta vna quadrageſima, venundetur ſeruus, et pretium diuidatur.

28. *(b)* Si quis Comitum inuenta aliqua occaſione, quid iniuſte militi abſtulerit, reddat, et inſuper ex proprio tantundem ſoluat.

29. *(c)* Si quis autem militum, ſuum ſpontaneum donum dicens ſibi vi ablatum, mendax extiterit, et hoc careat, et inſuper tantumdem ſoluat.

30. *(d)* Si quis in Regem, aut Regnum conſpirauerit, refugium nullum habeat ad Eccleſiam. Si quis contra Regis ſalutem, aut dignitatem quolibet modo aliquid conſpirauerit, aut conſpirare aliquid tentauerit, ſeu tentanti ſcienter conſenſerit, anathematizetur, et omnium fidelium communione priuetur. Vel ſi quis huiusmodi aliquem nouerit, et probare valens non indicauerit, praedictae ſubiaceat damnationi.

31. *(e)* Si cui DEVS decem in anno decimam DEO det. Et ſi quis decimam ſuam abſcondit, nouem ſoluat. Et ſi quis decimationem Epiſcopo ſeparatam furatus fuerit, diiudicetur vt fur, ac huiusmodi compoſitio tota pertineat Epiſcopum.

32. *(f)* Si quis inter duos Comites mendacia protulerit, tacereque eos deprecatus fuerit, vt aſtutia diaboli ab inuicem eos ſepararet, ſoluat duas compoſitiones fallacis linguae pro reatu mendacii, ſi vni ſuli adulatus fuerit, priuetur lingua.

EADEM DECRETA S. REGIS, PROVT a Peterſio edita fuere.

Praefatio ad Decreta.

Regnante Diuina Clementia, opus regalis dignitatis, alimonia Catholicae fidei effectum, amplius, ac ſolidius alterius dignitatis ſolet operibus eſſe: et quoniam vnaquaeque gens propriis agitur legibus, idcirco Nos quoque DEI nutu Noſtram gubernando Monarchiam, antiquos, et modernos imitantes auguſtos, Decretali meditatione Noſtra ſtatuimus genti, et populo noſtro; quemadmodum honeſtam, et inoffenſam ducat vitam: vt ſicut Diuinis legibus ſunt ditati, ſimiliter etiam ſaecularibus ſint addicti: vt quantum boni in his Diuinis amplientur, tantum mali, et rei in iſtis vilitentur. Quae autem decreuimus, in ſequentibus ſubnotauimus. CA-

(a) Alias 36.
(c) Alias 44.
(c) Alias 45. Promiſſum cadit in debitum.
(d) Alisa 51.
(e) Alias 52. Caput hoc ex Libr. 5. Capitularium pag. 569. deſumptum eſt.

Senior. (f) Alias 54. hic de Comitibus, et Senioribus, quorum frequens mentio agendum, ſenior quiuis dominus vocabatur, proculdubio ideo, quod omnia Regna a Patris poteſtate ſumpſerint exordium, hinc Reges praecipue Seniores fuiſſe appellatos reperio, et forte inde illud *ſeneur.* et *ſire.* Hispanicum *ſennor* manarunt. Senior in Legibus noſtris hoc eſt, quod in Capitularibus ſenior feudalis. Comites. De Comitibus pauca adnutaſſe ſufficiet, Comites dictos eſſe a Comitatu, quod Principem Comitarentur, et Curia Principis Comitatus audiit. Sub Conſtantino Magno numerus Comitum magnopere auctus eſt, teſte Euſebio Lib. 4. Cap. 1. de vita Conſtantini M. is enim Claſsibus eos diſtinxit, illuſtrium, Clariſsimorum, Perfectiſsimorum, et Egregiorum. Ea aetate, et deinceps tam apud Romanos, quam Francos, et Hungaros, quicunque rei alicui praepoſiti erant, Comites vocabantur, vnde reperies Comitem horreorum, Comitem portus, et apud nos Comitem Capellae. Floduardus libr. 5. cap. 20. pag. 64. *quidam Warnerius pagi Wormacenſis Comes*, et libr. 4. cap. 16. pag. 352. *excommunicauerat hic praeſul* (Falco) *Erlebaldum Comitem Caſtricenſis pagi* etiam priuati habebunt apud nos Comites ſuos Curiales negotiis gerendis praepoſitos.

CAPVT I.

De ſtatu Eccleſiaſtico, et de veneratione Domus Dei. (a)

Quisquis faſtu ſuperbiae elatus Domum DEI ducit contemptibilem, et poſſeſſiones DEO conſecratas, atque ad honorem DEI ſub Regiae immunitatis defenſione conſtitutas, inhoneſte tractarit, vel infringere praeſumpſerit, quaſi inuaſor, et violator Domus DEI excommunicetur. (b) Decet enim, vt indignationem ipſius Domini Regis ſentiat, cuius beneuolentiae contemptor, et Conſtitutionis praeuaricator extitit. Nihilominus tamen Rex ſuae confeſſionis immunitatem ab hominibus ditioni ſuae ſubiectis illaeſam praecipiat conſeruari; aſſenſum vero non praebeat improuide affirmantibus, non debere eſſe res Dominicas, id eſt, Domino Dominantium traditas. Itaquae ſub defenſione Regis ſit, et ſicuti ſuae propriae haereditati, magisque adnertat. Quia quanto DEVS excellentior eſt homine, tanto praeſtantior eſt Diuina cauſa mortalium poſſeſſione; quocirca decipitur, quisquis plus in propriis, quam in Dominicis rebus gloriatur, quarum defenſor, et custos Diuinitatis conſtitutus, diligenti cura, non ſolum eas ſeruare, ſed etiam multiplicare debet, magisque illa, quae diximus, praeſtantiora, quam ſua defendere oportet, et augmentare. Si quis igitur inſanus importunitate, improbitateque ſua, Regem a recto propoſito peruertere tentauerit, nullisque remediis mitigari poſſe viſus fuerit, licet obſequiis aliquibus, et tranſitoriis ſit neceſſarius, abſcindendus ab eo, proiiciendusque eſt, iuxta illud Euangelium: „ſi pes, manus, aut oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, et proiice abs te.„ Math. 18.

CAPVT II.

De poteſtate, Episcoporum ſuper res Eccleſiaſticas.

Vt Episcopi habeant poteſtatem res Eccleſiaſticas prouidere, regere, gubernare, atque diſpenſare ſecundum Canonum

(a) Totum caput cum ſequente nullis mutatis, legitur in Concilio Moguntino I. ſub Rhabano Archi-Episcopo, tempore Leonis Pap. VI. et Lothario Impera. celebrato anno 847. cap. VI. apud Timium Tom. 3. par. 1. Sect. poſt.

(b) Grauiores poenae ſunt illae, quibus in fundationum clauſulis Diuus Rex comminatur. Tres, ne longius excurram, attuliſſe ſuffecerit: enarratis Epiacopatus Quinque-Eccleſienſis limitibus ait: *Quas terminos ſi quis violare praeſumſerit impaſterum, componat* 100. *libras auri optimi &c. et vt plus Diuinae irae occurſum paueat, ſciat ſe a Deo Patre, Filio, et Spiritu Sancto, et Glorioſa Dei Genitrice Maria, et a S. Petro Apoſtolo, in cuius honorem memoratus conſtructus eſt Episcopatus, perpetuo anathemate damnandum, et ante Tribunal Chriſti rationem redditurum. Datum X. Kall. Sep. Indictione VII. anno Chriſti MIX. Pio Stephano regnante an. IX. actum in Ciuitate Jauriana.* Donationem itidem Epiſcopatus Veſprimienſis ſic finit: *Si quis igitur huius noſtri praecepti paginam frangere tentauerit, aut praelibatae S. Michaelis Veſprimienſis Eccleſiae Stephanum Magnificum Epiſcopum, ſuasque ſucceſſores ex cunctis praenotatis rebus, Eccleſiis, nec non dotibus, moleſtare conanetur,* 800. *librarum auri cocti, ſciat ſe compoſiturum, medietatem Camerae noſtrae, et medietatem praetocutae S. Michaelis Veſprimienſis Eccleſiae, nec non Stephano celebri Episcopo, ſuisque ſucceſſoribus, trecentorumque decem, et acto Patrum, (* qui in Concilio Nicaeno I. Oecumenico an. 324. ſub Sylueſtro I. Pap. habito, interfuerunt *) anathemate feriendum, atque perpetuali ſupplicio puniendum, iugiterque barathri poena, perpetuo fore cremandum. Vt verius credatur, diligentiusque ab omnibus obſernetur, paginam hanc noſtram propriam corroborantes annuli impreſſiani ſubterconſignari curauimus. Datum in Sooly apud Capellam B. Stephani Prothomartyris, anno ab incarnatione Domini MIX.*

Denique fundationis litteras Monaſterii Vallis Veſprimi. Monialium, graeco idiomate ſcriptas, ſic terminat. *Si vero quis praeſumpſerit ex eis, quae dedi ab hac habitatione abſcindere, aut abalienare aliquid, ſiue ex generatione mea, ſiue alter quispiam, ſiue Reges, ſiue Principes, ſiue Episcopi, ſiue Duces militum, ſiue alii quidam, vt habeat anathema a Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, Glorioſa Domina Noſtra Dei Genitrice, et ſemper Virgine Maria, glorioſis Apoſtolis, et trecentis, et acto Patribus, et omnibus Sanctis, et a me peccatore.* Ex Tranſcriptione Colomani R. ad an. 1028. Aliorum Regum, Geyzae nempe I. et II. Belae I. et II. Andreae II. Stephani II. Caroli I. Ludouici I. et plurium, litteras praeterimus. Quid porro ad haec illi? qui inuadere Eccleſias malunt, quam ornare, diripere, quam ditare.

num authoritatem volumus, vt Laici eorum miniſterio obediant Epiſcopis, ad regendas Eccleſias, viduas, et orphanos defenſandum, et vt obedientes ſint eis, ad eorum Chriſtianitatem ſeruandam; conſentientesque ſint Comites, et Iudices Praeſulibus ſuis ad iuſtitias faciendas, iuxta praecepta legis Diuinae, et nullatenus per aliquorum mendacia, vel falſum teſtimonium, neque per periurium, aut per praemium lex iuſta in aliquo deprauetur.

CAPVT III.

Quales debeant eſſe accuſatores, et teſtes: et quod Laici Clericos accuſare non poſsint.

Teſtes autem, et accuſatores, ſine aliqua ſint infamia, vxores, et filios habentes, et omnino Chriſtum praedicantes. Teſtimonium Laici aduerſus Clericum nemo recipiat. Nemo etiam quemlibet Clericum in publico, niſi in Eccleſia, excommunicare praeſumat.

CAPVT IV.

De aſsiduo, et graui labore Sacerdotum.

Scitote Patres cuncti, quod ſupra omnes laborant Sacerdotes, vnusquisque enim veſtrum ſuum fert laborem proprium, illi vero et ſuum, et ſingulorum. Ideo ſicut et illi pro omnibus vobis, ita et vos omnes pro eis ſummopere laborare debetis, in tantum, vt ſi neceſſitas fuerit, animas veſtras pro eis ponatis. *(a)*

CAPVT V.

De conceſsione Regali propriarum rerum.

Decreuimus Regali noſtra potentia, vt vnusquisque habeat facultatem ſua diuidendi tribuendi vxori, filiis, filiabusque, atque parentibus, ſiue Eccleſiae; nec poſt eius obitum quis hoc deſtruere audeat. *(b)*

CA-

(a) Huc facit monitum a Diuo Rege, Emerico filio datum. Cap. 3. de Epiſcopi nomenclatura, et de impendeodo honore Pontificibus. Decerpo nonnulla: *Sine enim illis non conſtituuntur Reges, neque Principatus. Si illarum beneuolentium babebis, neminem aduerſariorum timebis. Ab hominibus interdixit reprehendendos eſſe per Dauid Deificum Regem: nolite tangere Chriſtos meos. Pſal. 140. Ille autem tangit Chriſtos Dei qui contra Diuinum, atque Canonum inſtitutum, Sacri ordinis viros falſis criminibus foedat, atque in publicum protrahit, quod te omnino, fili mi, agere probibeo, ſi vis beatus viuere, et tuum Regnum boneſtare, quia in his rebus imprimis offenditur Deus.*

(b) Mirum profecto collata, in Eccleſias, et Religioſorum domicilia, immenſa vi auri, argenti, fundisque opimis, quotidiana inter bella, luxum Regium, publicumque, nullius omnino Gentis ſubſidio Hungariam eguiſſe. Mos praeterea apud Hungaros inualuit, vt deficiente prole ad Sacras aedes, Coenobia, erigenda Monaſteria, patrimonium transferrent. *Imo piaculum grande ducebatur, nihil a morte, Deo in ſeruis ſuis legaviſſe.* Otrokoczii. Volumen nouum edideaim, ſi munificentiam Hungarorum in pios vſus commonſtrem. Ladislai IV. diploma, vt ſuprimam, a me non impetro. Quanta tum Regis, in peſsimos licet Cumanorum mores effuſi, pietas! *Ladislaus, Dei gratia, Hungariae &c. Rex. Libenter, et liberaliter accedente optimatum noſtrorum approbatione, conſilio, et conſenſu contulimus in ſequentibus annotatas. Annuimus equidem, et Regia liberalitate indulgendum ducimus, vt quicunque Nobiles, ſiue in Dioeceſi Strigon. ſiue alibi, in quacunque parte Regni Noſtri, quacunque Nobilitatis eminentia praefulgentes, liberorum ſorte ſolatio deſtituti, poſſeſſiones ſuas, emptionis, permutationis, ſeu Regiae donationis, ſeu alio quocunque iuſto titulo deuolutas ad eos; iura etiam Patronatus Monaſteriorum, quae quocunque praemiſſorum modorum, vel quaecunque iuſto titulo dignoscuntur, Eccleſiae Strigonien. S. Adalberti Martyris patrocinio ſe committens in bona valetudine, vel aegritudine, in ipſis etiam extremis relinquere, legare, ſeu donare per modum teſtamenti, donationis, ſeu cuiuscunque relicti titulo, voluerint; largam, liberalem, abſolutam, irreuocabilem, et immutabilem a Regia libertate conceſſam babeant facultatem, nec babeant neceſſe expreſſam, ſeu ſpecialem ſuper praemiſſis omnibus noſtram requirere voluntatem, ſeu permiſſionem; ſed baec praeſens permiſſionis noſtrae gratia, robur validum, et inuiolabilem in perpetuum obtineat facultatem, firmitatemque, iuxta tenorem gratiae factae Varadienſi Eccleſiae, per inclytae recordationis quondam Regem Stephanum Chariſſimum Patrem noſtrum &c. 1283.* Mus. Hiſt.

CAPVT VI.

De obſeruatione Dominicae diei, vt abſtineant a laboribus.

Si quis igitur, Presbyter, vel Comes, ſiue aliqua alia perſona fidelis die Dominica inuenerit quemlibet laborantem, abigatur: ſi vero cum bobus, tollatur ſibi bos, et ciuibus ad manducandum detur; ſi autem eum equis, tollatur equus, quem Dominus boue redimat, ſi velit; et idem bos manducetur, vt dictum eſt. Si quis aliis inſtrumentis, tollantur inſtrumenta, et veſtimenta, quae ſi velit, cum cute redimat.

CAPVT VII.

Vt eadem die Dominica omnes concurrant ad Eccleſiam.

A Sacerdotibus vero, et Comitibus *(a)* commendetur omnibus Villicis, *(b)* vt ipſorum iuſſu omnes concurrant die Dominica *(c)* ad Eccleſiam, maiores, et minores, viri, et mulieres, exceptis illis, qui ignes cuſtodiunt. Si quis vero obſtinatus remanebit, ob negligentiam vapulet, et depiletur. *(d)*

CAPVT VIII.

De obſeruantia quatuor temporum.

Si quis quatuor temporum ieiunia, cunctis cognita, carnem manducans violauerit, per ſpatium vnius hebdomadae incluſus ieiunet.

CAPVT IX.

De obſeruatione ſextae feriae.

Si quis in ſexta feria, ab omni Chriſtianitate *(e)* obſeruata, carnem manducauerit, per vnam hebdomadam lucae *(f)* incluſus ieiunet.

CAPVT X.

De his, qui ſine Confeſſione moriuntur.

Si quis tam obſtinatus eſt, (quod abſit ab omni Chriſtiano) vt nolit confiteri ſua facinora ſecundum ſuaſum Presbyteri; hic ſine omni Diuino officio, et eleemoſynis iaceat, quemadmodum infidelis. Si autem Parentes, proximi neglexerint vocare Presbyteros, et ita ſubiaceat abſque confeſſione morti, ditetur orationibus, et conſoletur eleemoſynis: ſed Parentes luant negligentiam ieiuniis, ſecundum arbitrium Presbyterorum. Qui vero ſubitanea periclitantur morte, cum omni Eccleſiaſtico ſepeliantur honore. Nam occulta, et Diuina iudicia nobis ſunt incognita.

CAPVT XI.

De obſeruanda Chriſtianitate.

Si quis obſeruatione Chriſtianitatis *(g)* neglecta, ſtoliditate elatus, quid in eam commiſerit iuxta qualitatem offenſionis

 ab

(a) Comes Parochianus, vel Parochialis, Regioni, ſeu Comitatui Praefectus.

(b) Villici dicti a villa, id eſt, vico, Pago, cui praeerant, Comitibus Parochialibus ſubiecti.

(c) Eſto peculiari Religione, ab Hungaris coleretur dies Dominicus, nundinationes tamen, et mercimonia annorum lapſu admiſſa ſunt. Hodiedum lingua Patria dicitur: *Vásár nap*, dies nundinarum. Mirum certe videatur, tot poenis per ſecutura etiam Concilia in transgreſſores ſtatutis, plebeculam, et qui hanc regunt, non ſapere.

(d) Depiletur, decaluetur, poena ignominioſa, et familiaris: Videtur Philippus Firmanus A. S. L. cum Ladislaum IV. ad frugem reuocare vellet, in Synodo Buden? an. 1279. poſtea recitanda, depilationem eiusmodi apud Hungaros inſtituiſſe, cum ad Cumanorum ritus deſciuerant. Radebantur porro etiam capite medio. *Anno 1228. vbi ſerui Eccleſiae S. Benedicti iuxta Granum, de villa Udvard, ſe a debita ſeruitute eiusdem loci, Abbatis Cend, nominati, alienaſſent, Andreas Rex cum Palatino Dionyſio ſententionauit contra infideles ſeruos Abbatis, quod ſemiraſis capitibus eidem Eccleſiae redderent.* Mus. Hiſt.

(e) Id eſt, ab omni populo Chriſtiano.

(f) Luca, carcer obſcurus. An ex Hungarico Luk, foramen, locus retruſus? An ex Lucus, vel Lucarius, arboretum denſum rari luminis?

(g) Inſtituta, praecepta Chriſtianae Religionis.

ab Epiſcopo per diſciplinam Canonum iudicetur. Si vero rebellitate inſtinctus, renuerit ſibi impoſitam ſufferre poenam, iterum eodem iudicio reſtringatur, etiam vsque ſepties. Tandem, ſi per omnia reſiſtens, et ambuens inuenietur, Regali iudicio, ſcilicet defenſori Chriſtianitatis tradatur.

CAPVT XII.

De conuentu ad Eccleſiam, et de his, qui murmurant hora Miſſae, vel loquuntur.

Si qui ad Eccleſiam venientes ad audiendum Diuinum officium, et ibidem hora ſolennitatis Miſſarum inter ſe murmurant, et ceteros inquietant, exponentes fabulas otioſas, et non intendentes in Diuinas lectiones cum Eccleſiaſtico nutrimento; ſi maiores ſunt, increpati cum dedecore expellantur de Eccleſia; ſi vero minores, et vulgares, in atrio Eccleſiae pro tanta temeritate coram omnibus ligentur, et corripiantur flagellis. *(a)*

CAPVT XIII.

De aedificatione, et dote Eccleſiae, a villis (b) compoſitae.

Decem villae Eccleſiam aedificent, quam duabus manſis, *(c)* totidemque mancipiis dotent, equo, et iumento, ſex bobus, et duabus vaccis, triginta quatuor minutis beſtiis. *(d)* Veſtimenta vero, et corporalia, et cooperatoria Rex prouideat; *(e)* Presbyterum, et libros Epiſcopi.

SY-

(a) Flagellatio virgis, vel loro fiebat: erat in emendationem poena Canonica: non in contemptum. S. Auguſtinus Epiſt: 159. ſcribit Marcellino tribuno de caſtigandis Donatiſtis, crimina ſua in quaeſtione confeſsis: *Noli perdere Paternam diligentiam, quam in ipſa inquiſitione ſeruaſti, quando tantarum ſcelerum confeſſionem non extendente aculea &c. ſed virgarum verberibus eruiſti. Qui modus coercitionis et a Magiſtris artium liberalium, et ab ipſis Parentibus, et ſaepe etiam in iudiciis ſolet ab Epiſcopis haberi.* Gregorius M. Anthemio Subdiacono lib. 9. epi. 66. *Fratrem noſtrum Paſchaſium volumus admoneri, vt eundem Hilarium prius Subdiaconatus, quo fungitur indignus, priuet officio, atque verberibus publice caſtigatum faciat in exilium deportari.*

Modeſtiam Hungarorum in aede Sacra, magnopere laudat Petrus Epiſcopus Valtarauenſis, ad reformandam pacem inter Fridericum Caeſarem, et Mathiam Coruinum a Sixto IV. Pap. A. S. L. Budam miſſus, in epiſto. Anno 1483. Pontifici ſcripta: *Habet (Mathias) Cantorum Capellam, qua nullam praeſtantiorem vidi; et pridie in Capella ſua ſolennem Miſſam iuxta ſuorum glorioſos mores cantari fecit, magno Praelatorum, et Nobilium praeſente caterua. Cum rediero, quanto ſilentio, quanta deuotione, quibus caeremoniis, quanta gloria Miſſa illa perfecta ſit, explicare ſtudebo. Confundebar ſane, arguebarque a ſeculari Principe in his, quae ad Diuinum cultum, et animarum maiorem aedificationem attinent, ſuperari. Obſtupui profecto.* Ex M. S. Vati.

(c) Id eſt: praediis, vel ſi mauis, villam dicito domorum plurium in campo collectionem. Sed quia credat 10. pagis vnum nonniſi Parraecum, vnamque Eccleſiam conſtitutam fuiſſe.

(d) Hic portio duorum agrorum: alias curia, praedium.

(e) Capris, ouibus, &c.

(f) Magnam S. Regis curam, et prouidentiam in ornanda Dei Domo docent ea, quae Eccleſiae S. Benedicti de radice montis Ferrei dono obtulerat, anno 1015. *Altaria bis decorauimus ornamentis; videlicet*: 29. *Caſulis, Dalmaticis* 14. *Tunicis* 18. Veſtis Epiſcopi, quam duplicem induit, aut Tunica Caputiata Monachorum. *Cappis* 60. erant diuerſae formae, et vſus varii: quaedam inſtar tunicae laxioris, et talaris: quid ſi veſtem dicam, quam Religioſi S. Benedicti, dum ad pſallendum conueniunt, ſibi imponunt? *Pallis altarium* 27. *Mantilibus* 29. *Palliis ad cooperiendum ſedilia* 4. *Albis* 50. *Camiſis de Pallia* 10. *et aliis* 15., *tapetibus ante altaria* 10., *Crucibus* 9., *Puluinariis* 7., *Altaribus ad viam*. 5., *Thuribulis*. 4., *Candelabris*. 6. *Calicibus*. 11., *Bacullibus*. 12., *Vrceis*, 4., *Scriniis*. (Feretrum conditorium, in quo reliquiae Sacrae reponebantur) *de argento tribus. Stolis, et manipulis* 30. *Libris vero, quorum praecipue authoritas fulget in Eccleſia: tum Bibliotheca, duobus voluminibus nocturnalibus*, 4. *Antiphonalibus*, 5. *Lectionariis cum Euangeliis*. *Miſſalibus* 6. *Pſalteriis*. 4. *Gradualibus*. 5. *Regulis* 2. *Baptiſteriis*, 2. *Gloſſariis*. 3. *Omeliar. volumine vno.* Sequitur dos Eccleſiae: Equis 120. Vaccis 84. Ouibus 464. &c.

Cl. Mat. Bel. in adparatu ad Hiſt. Hung, Mon. V. p. 193. in not. lit. *m*. cum ſimilem donationem Archi-Abbatiae S. Martini *a* D. Rege factam recenſet, et Jobbagiones, Udnarnicos, Coquos, &c. Caenobio adſcriptos, (quos nos in hac charta, non attulimus) poſita ſerie enumeraret, addit ſequentem periculum: En! vnius Coenobii Miniſteria! Miranti viro erudito

XXXVIII.
SYNODVS DALMATINA,
In cauſa Eccleſiae Antibarenſis Anno Chriſti
M XXX.

Factum eſt autem, vt illis diebus conuocarentur omnes ſuffraganei Dalmatiae ad Prouincialem Synodum, quae celebranda erat in Eccleſia Spalatenſi. Epiſcopis autem ſuperioris Dalmatiae viſum eſt, quod commodius ſuum poſſent iter peragere, ſi omnes vno nauigio ducerentur. Tunc praeparata naui, ex condicto acceſſerunt ad portum, et imponentes, quae erant nauigantibus neceſſaria, omnes fere Epiſcopi eandem nauem conſcenderunt: videlicet Catarienſis, Antibarenſis, Dulcinenſis, et Suacenſis. Cum autem circa Inſulas ventis impellerentur non multum aduerſis, ecce ſubito tempeſtatis turbo mediis fluctibus toto ſe fragore immerſit, ſtatimque attoniti nautae, confuſis clamoribus ad armamenta velorum manus accurrunt apponere, annitentes vela deponere, anchoras proiicere, ne nauis in aſperrima loca, quae iam erant proxima, incideret. Sed antequam poſſent quidquam conſulte agere, confeſtim nauis arrepta in ſiccum, tota illiſa eſt, intumeſcentibusque procellis minutatim quaſſata eſt, et confracta, ſicque Diuino iudicio miſerabiles Epiſcopi, et omnes, qui cum eis erant, perierunt. Tunc Ciues Vrbium praedictarum miſſa relatione ad Summum Pontificem nunciauerunt de naufragio Epiſcoporum, ſuorum, ſuppliciter poſtulantes, eximi a ſubiectione Eccleſiae Spalatenſis, ſatis probabilem praetendentes occaſionem, quia periculoſum illis erat tam remotam Eccleſiam viſitare: Quamobrem Romanus Pontifex annuit petitioni eorum, omnesque Epiſcopos a Raguſio ſuperius abſolnit a vinculo, quo tenebantur antiquae

quae

munificentiam S. Regis, vel cauſam ignoranti, tranſcribo occupandi marginis gratia ex P. Du Meſnil. S. J. Doctrina, et Diſci. Eccl. Tom. III. Lib. 48. pag. 305. n. 53. paucula: *Quia Pomeriani, quosdam Praedicatores, cenſu tenues, propter inopiam contempſerant, quaſi non pro ſalute hominum, ſed pro ſua neceſſitate releuanda, officio inſiſterent praedicandi, ſtudioſe procurauit, vt opulentus appareret* (S. nempe Otto Bamberg. Epiſc.) *Aſſumptis ergo Clericis idoneis, Miſſalia, alioſque libros, et calices, alia quoque vtenſilia, veſtes praetioſas &c. ſecum portare fecit; ne forte indigentiae cauſae videretur euangelizare. - - - a Rege* (Poloniae Boleslao III.) *ſusceptus eſt, - - - eique dedit Polonicae, et Teutonicae linguae gnaros ſatellites, ad diuerſa eius miniſteria currus etiam, qui illius farcinas portarent, et monetam illius terrae liberaliter contulit.* Et Reliqua. Ex vita S. Otto, apud Canis. Lect. ant. To. 3. Imo ſunt prae manibus inſignia Regum documenta, quibus tot vnius Coenobii miniſteria ad Regiae etiam Maieſtatis noſtrae, ſi ad Monachos huius loci nos diuerſari contigerit, (contigit ſaepenumero) magnificentiam, et pro Uduarnicorum, et Baronum noſtrorum ſeruitio vti poſsimus. Chartae Belae I. Stephani II. Caroli I. Quis demum ab infelici clade Ludouici II. tot miniſteria Coenobiorum peſſumdedit, diripuit, inuaſit?

Dux quoque Damoslaus (proditur fuiſſe Hungarus, aut inter hos multis annis conſediſſe) *duobus praediis ditauit Monaſterium, ſcilicet tabula argentea ante Altare S. Benedicti, et Altari argenteo, ad viam in Eccleſia, in honorem OO. SS. dedicata.* Mus. Hiſt.

Addo ex Bonfinio; de pietate S. Stephani, p. 125. *quot ter quot annis Baſilicas, et Coenobia, quae fundarat, reuiſere, ad aras primum omnes pias preces, et ſacra facere ſolitus fuerit, deinde ſingillatim templa luſtrare, ne qua negligentia collaberentur.* Imploro nunc aequitatem, fidemque iudicum! cui ſupplicio addicendus ſit Fride. Lampe. a pag. 25. vsque ad 31. ex his ipſis conſtitutionibus, in amurca ſua hiſtorico-Synodica probare contendentis *S. Regem Stephanum ad Euangelicos, et Reformatos*, ſeu virus Caluini quaſi praeguſtatum ea aetate, *in prima conuerſione Hungarorum magis acceſſiſſe, quam hodiernos Romano-Catholicos.* Caeci! et duces Caecorum!

quae Metropolitanae, ſtatuitque nouam Metropolim in Ciuitate Antibarenſi, et omnes Episcopatus praedictos ei ſubiecit. Inferior vero Dalmatia habuit Episcopatus ſuos more antiquo ſuae Metropoli Salonitanae Eccleſiae ſubditos: videlicet ab Apſarenſi Episcopatu, vsque ad Traguriensem. Veglienſis, Abſarenſis, et Arbenſis Episcopatus habuerunt Parochias ſuas in Inſulis ſuis; Sed Veglienſis obtinebat maiorem partem Parochiarum, quas nunc habet Signienſis Eccleſia, quae non erat tunc Episcopalis Sedes. Omnes enim Ciuitates praedictae ad Regnum Croatiae pertinebant. Iadrenſis Episcopatus non magnam habuit Parochiam, propter vicinitatem Nonenſis, et Belgradenſis Episcopatuum: cum autem Belgradenſis Ciuitas deſtructa fuiſſet a Venetis, mutauit Sedem ſuam in Scardonam, namque Veneti deſtruxerunt Belgradum prope Iadram Ciuitatem: Traguriensis Episcopatus, quia ſuae Metropoli vicinior erat, maiorem Dioeceſim ſortitus eſt, videlicet Caſtrum Sibenicenſe cum tota ſua Jupa: protendebatur enim ſere vsque ad fluuium Cetinensem. Fuit etiam Episcopalis Sedes apud Mucarum, eratque ſua parochia a confinio Crainae vsque ſtagnum. In ſtagno nihilominus fuit Episcopatus, ſuaque Parochia erat in Comitatu Chulmiae. Voluerunt etiam Croatorum Reges, quaſi ſpecialem habere Pontificem, petieruntque ab Archi-Epiſcopo Spalatenſi, et fecerunt Epiſcopum, qui Croatenſis *(a)* appellabatur, poſueruntque Sedem eius in campo in Eccleſia Sanctae Mariae Virginis iuxta caſtrum Tinienſe; Hic multas obtinuit Parochias, habuitque Praedia, et Poſſeſſiones per totum pene Regnum Croatiae: quia regalis *(b)* erat Episcopus, et Regis Curiam ſequebatur, eratque vnus ex Principibus Aulae, et ſua iurisdictio vsque ad Drauum fluuium extendebatur. Eccleſia nempe Metropolis has ſibi voluit parochias retinere: Comita-

tum

Episcopus Croatarum.

(a) In Diplomate Regis Demetrii, quo ſuppam, ſiue terram centenam dictam, Eccleſiae S. Domnis attribuit, poſt Helenam glorioſam Reginam ſubſcriptum eſt nomen *Gregorii Venerabilis Croatorum Episcopi.* in Diplomate Creſimiri Anno 1059. editi inter teſtes ponitur *Raynerius Croatinus Episcopus.* In alio eiusdem Creſimiri, ſed anni 1069. dicitur: „*Coram his teſtibus roboratur L. Archi-Episcopo R. (id eſt Raynerio) Croatico Episcopo.*„ Huius iurisdictio vsque ad fines Zagrabiae extenditur, hoc Decreto Synodali. Licet autem Chrobatenſia vocetur Episcopos, nemo tamen exiſtimet illum aut Sedem, aut limites ſuae iurisdictionis non habuiſſe; Diſertis enim verbis ait Archi-Diaconus: „*poſueruntque Sedem eius in Campo, in Eccleſia S. Mariae Virginis iuxta Caſtrum Tinienſe.* Et hinc deinceps Episcopus Tinienſis dictus fuit. Primus eſt apud Farlatum Tom. IV. pag. 282. Marcus indigus. Porro iurisdictionem illis haud quaquam per vniuerſam Croatiam diffuſam fuiſſe docet rurſus Archi-Diaconus in verbis: „*hic multas habuit Parochias, habuitque praedia, et poſſeſſiones per totum poene Regnum Croatiae.* Parochiae perhibent iurisdictionem Spiritualem, praedia, poſſeſſorium temporale.

Episcopus Regius.

(b) Quaeſtio hic occurrit, quid ſibi velit nomenclatura *Episcopi Regii* Tinienſi attributa Episcopo? Ait quippe Archi-Diaconus: *Regalis erat Episcopus, et Regis Curiam ſequebatur.*„ Reperimus nimirum in veteribus monumentis Episcopos Palatii, ſeu Episcopos Palatinos, Episcopos Regios, Episcopos Regalis Capellae in Concilio Agathenſi, Anno Chriſti DVI. ſubſcribit inter Episcopos Gothicos: „*Petrus Episcopus de Palatio.*„ In vita S. Adalberti Pragenſis occurrit *Leo Episcopus de Palatio.* in carta Caroli IV. Imperatoris, Anno MCCCLXVI. ſubſcribit: „*Iohannes Dei gratia Olomucenſis Episcopus Regalis Capellae.*„ Ideo autem Episcopi Regii dicebantur, quia Curiam Regiam ſequebantur, id quidem innuit Archi-Diaconus. Nos ſupra oſtendimus Capellanorum Regiorum Principem, aut Episcopi nomen, aut officium etiam habuiſſe. Non tamen male Archi-Diaconus. Neque aſſero omnes Episcopos Regios ſua caruiſſe Dioeceſi; cum enim hi Curiam Regiam ſequerentur, haec autem plerumque pro more aeui mobilis eſſet, vbicunque eſſent cum Rege, in Curiam Regia iurisdictionem exercebant. Simile Ius Archi-Episcopis Strigonienſibus ab Innocentio III. tributum fuiſſe deinceps videbimus; Is ergo Episcopus Regius eſſe, et dici debet. Episcoporum tamen Tinienſium praerogatiua cum Strigonienſis Archi-Episcopi iure contendi non debet. Non erat enim tam perpetua haec illorum praerogatiua, ut aliquando in alios non commigraret. Diplomati quippe Colomanoi Regia Anno MCXVIII. edito ſubſcribit: „*Petrus Abſarenſis Episcopus, et generalis Domini Regis Curiae.*

tum Cetinae, Cleunae, Cliſſae Maſſarum, Almiſium, et Corbauiam, et vltra alpes ferreas vsque ad confinia Zagrabiae, totamque Maroniam.

XXXIX.
SYNODVS REGIA
ſub Andrea I. circa Annum MXLVIII.

Andreas *(a)* Rex cum omnibus, qui tunc erant, Epiſcopis vouit, eſtatuit trium dierum vigiliam ad Feſtiuitatem S. Petri. Ita S. Ladiſlaus Li. 1. Cap. 37.

XL.
SYNODVS PRAESIDENTE LEGATO APOſtolico habita in cauſa Dabralis Archi-Epiſcopi Salonitani, quem Synodus haec Loco mouit, A: C: MXLIX. ex Archi-Diacono cap. 15.

Cum autem tam enormis vita Pontificis, Summo fuiſſet Pontifici nunciata, ſtatim miſit quendam Legatum Ioannem nomine, Virum valde prouidum, et diſcretum. Qui ad partes illas accedens, congregata Synodo, Inquiſitionem cepit facere in capite, et in membris, et cum crimen Dabralis Archi-Epiſcopi eſſet notorium, coepit ſe friuolis allegationibus excuſare. Dicebat enim praedictam mulierem ſibi fore legitimam, quam ex conſuetudine Orientalis *(b)* Eccleſiae ſecum poterat licite retinere, ſed Legatus excuſationes Dabralis nullius fore momenti conſiderans, auctoritate Apoſtolica ſententialiter remouit eum in perpetuum ab adminiſtratione Eccleſiae Spalatenſis.

 SY-

(a) Vide recenſionem noſtram ſub hoc numero.

Continentia Episcoporum.

(b) Friuola certe allegatio, ſcimus enim, quod ante conſtitutionem Eugenii III. in Concilio Rhemenſi, anno MCXLVIII. factam ordo Sacer nequaquam fuerit impedimentum derimens Matrimonium, licet ſemper fuerit impediens apud Latinos aeque, ac Graecos. Etenim teſte Socrate Hiſt. Eccl. Lib. 1. cap. 8. cui conſonat Hermias Sozomenus, Lib. 1. cap. 22. quamuis Paphnutius in Concilio Nicaeno obſtiterit, quominus continenti Clericorum Lege ſanciretur, dixit tamen: „*Satis eſſe, vt qui in Clerum ante adſcripti erant, quam duxerunt vxores, hi ſecundum veterem Eccleſiae traditionem deinceps ſe a nuptiis abſtinerent.*„ Hunç ferme ſenſum reddit inter Canones Apoſtolicos vigeſimus quintus: „*ex iis, qui non ducta vxore ad Clerum promoti ſunt, iubemus, ſi velint, vxorem ducere Lectores, et Cantores ſolos.*„ Longe maior erat ratio Epiſcoporum, quos Graeci ſuis cohabitare vxoribus nunquam permiſerunt. Diſcimus id ex ipſo continentiae hoſte Iouiniano; Hic enim teſte S. Hyeronimo: „*fatetur non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat.*„ Quemadmodum enim S. Ambroſius recte obſeruanit, S. Paulus vult eſſe Epiſcopum vnius vxoris virum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. „*Habentem dixit Paulus filios, non facientem.*„ Nullum ergo habuit Dabralis patrocinium in conſuetudine Orientalis Eccleſiae, quae alioquin in Occidentali Eccleſia viuenti prodeſſe non poterat.

XLI.

SYNODVS PRAESIDENTE LEGATO APOſtolico habita in cauſa Liturgiae Slauonicae, A: C: MLIX. ex Archi-Diacono cap. 16.



Temporibus Domini Laurentii Archi, Episcopi quaedam execrandi ſchiſmatis fuit ſuborta contentio, in Dalmatiae, et Croatiae Regno. Fuerat ſiquidem tempore Domini Alexandri Papae, et Ioannis deceſſoris Laurentii ſupradicti a Domino Maynardo, quondam Pompoſiano Abbate, et poſtea Epiſcopo Cardinali, quaedam Synodus omnium Praelatorum Dalmatiae, et Croatiae multum ſolenniter celebrata, in qua multa fuerunt conſcripta Capitula. Inter quae ſiquidem hoc firmatum eſt, et ſtatutum, vt nullus de cetero in lingua Slauonica praeſumeret Diuina Myſteria celebrare, niſi tantum in Latina, et Graeca, (a) nec aliquis eiusdem linguae promoueretur ad Sacros Ordines. Dicebant enim Gothicas litteras, a quodam Methodio haeretico fuiſſe repertas, qui multa contra Catholicae Fidei normam in eadem Slauonica lingua mentiendo conſcripſit; quamobrem Diuino iudicio repentina dicitur morte fuiſſe damnatus. Denique cum hoc ſtatutum fuiſſet Synodali ſententia promulgatum, et Apoſtolica auctoritate confirmatum, omnes Sacerdotes Sclauorum magno ſunt maerore confecti, omnes quippe eorum Eccleſiae clauſae fuerunt. Ipſi a conſuetis officiis ſiluerunt.

Quod diſcrimen inter Eccleſiam Graecam et Latinam.

(a) Hic obſeruari volo, nullum aetate huius Synodi adhuc inter Orientalem, ſiue Graecam, et Occidentalem, ſiue Latinam Eccleſiam fuiſſe diſcrimen, niſi vnius linguae. Et hinc tam liberaliter ſiue Latinam, ſiue Graecam linguam arbitrio permiſit Legatus Apoſtolicus. Diſcant etiam hinc Graeci, Sedem Apoſtolicam nil aduerſum eos ſtatuiſſe, accipiant inſigne moderationis exemplum, dum Latinis, et quidem in Occidentalis Patriarchatus Territorio, adeoque illius iuri obnoxiis Linguae Graecae vſus pro arbitrio admittitur.

XLII.

SYNODVS PRAESENTE LEGATO APOſtolico habita A: C: MLIX. in qua electus eſt Laurentius Archi-Epiſcopus Salonitanus.



1361.

I.

Ea tempeſtate quidem Apoſtolicae Sedis Legatus ad Eccleſiam Spalatenſem accedens Prouincialem Synodum congregauit, vbi cum omnes Spalatenſis Metropolis Epiſcopi conueniſſent, antequam dimitterentur, Concilium tractatum eſt de electione Metropolitani: quia Spalatenſis Eccleſia tunc vacabat. Et factum eſt Diuina gratia inſpirante, vt omnium mentes, et vota in perſonam Venerabilis Viri Laurentii Apſarenſis Epiſcopi, qui cum caeteris ſuffraganeis ad Synodum venerat, concordaret, ipſum in Patrem, et Archi-Epiſcopum vnanimiter proclamantes. Miſſa ergo relatione ad Romanam Curiam, poſtulationem de ipſo factam Domino Papae praeſentauerunt. Et quia teſtimonium habebat bonum ab omnibus facile admiſſa eſt petitio eorum. Deditque ei Summus Pontifex licentiam tranſeundi, mittens ei pallium dignitatis cum confirmatione Priuilegiorum Metropolicae auctoritatis. Fuit autem Laurentius iſte Dalmatinus origine, ſtatura quidem puſillus, ſed ſapientia magnus. *Archi-Diaconus. Cap.* 16.

II.

Sententia Acuzonis Sedis Apoſtolicae Legati A: C: MLIX.

In nomine DEI aeterni, futurae recordationis memoriae litteris notificare fatagimus, vt poſteris pateat, quod ſi quis a veritatis tramite exorbitare voluerit, ipſa littera eundem arguat. Notum ſit omnibus, quod Petrus Ven. Abbas Monaſterii S. Chryſogoni, adſtans ante conſpectum D. Acuzonis Apoſtolicae Sedis Apocriſarii, miſſi a Domino Nicolao Romano Pontifice, conqueſtus eſt de quadam cella in honorem S. Ioannis fundata, ac poſita in Inſula, quae dicitur Silagus, quam Eproſina obtulit Eccleſiae S. Chryſogoni. Nunc autem inſtigante diabolo vult eam ſubtrahere Coenobio S. Chryſogoni, ad quod prius deuota mente ſua ſponte contulerat. Tunc Apocriſarius Romanae Sedis interro-

Digitized by Google

terrogauit Clericos, et bonos Laicos, ſi res ita ſe haberet, quemadmodum Abbas retulit. Cuncti autem, qui aderant, vera aſſertione perhibent, Abbatem verum dixiſſe, et ſecundum Donationem Gorbinae, S. Chriſogonus omni cum iuſtitia debet habere, et in perpetuum poſſidere. Vnde quia Dominus Apocriſarius per Miniſtros DEI, ſcilicet Sacerdotes, et Clericos, et veridicos Laicos cognouit, hoc fore verum, protinus per virgam, *(a)* quam in manu ſua tenebat, inueſtiuit praefatum Abbatem de ipſa Eccleſia, ac de omnibus ad eam pertinentibus; tali vero modo, quod abſit, et auertat DEVS, quod ſi quis ex praefato Monaſterio Eccleſiam illam abſtrahere voluerit, maledictionem DEI, et S. Petri Apoſtolorum Principis, et noſtram habeat, et cum Iuda traditore Domini Noſtri Ieſu Chriſti damnetur, et cum diabolo, et ſociis eius in inferno concremetur. Hoc actum eſt in praeſentia Laurentii Abſarenſis Epiſcopi, a Spalatinis, et a cuncto Concilio Archi-Epiſcopi electi, et Andreae *(b)* con-

dam

Inueſtitura eiusque ritus.

(a) Ly: *inueſtire*, noſtris temporibus apud nos quidem Vngaros eo reſtrictum eſt, vt ſignificet chartam, ſeu Priuilegium tribuere, quo aliquis in beneficio Eccleſiaſtico confirmatur. Talis proin charta inueſtiturae cognomen accepit. Verum ſi veteres chartas conſulimus, ſi Iuris conſultos audimus, inueſtire, eſt tradere, ſeu mittere in poſſeſsionem. Inde ſicut veſtitura, ita et inueſtitura pro ipſa Poſſeſsione non raro vſurpatur. Sic in Longobardorum Legibus lib. 2. tit. 52. §. 12. „*volumus autem de his libertatibus, et rebus reddendis, quae in noſtra inueſtitura ſunt. vt primum quosque per optimos conquiratur.*„ Vbi obſerua: in *Noſtra inueſtitura* idem ſonare, ac ſi diceret, in noſtro poſſeſsorio, in noſtra poteſtate. Hae inueſtiturae, ſeu traditiones non ſiebant nudo verbo aut per ſimplex inſtrumentum, vel chartam, ſed per ſymbola quaedam, quae rei alicuius dominium translatum, traditum denotarent, et illa quidem Romanorum Iuris Conſultorum, qui omnia ex formula ſcribi, dici, ac forte etiam cogitari volebant, voluntate, et arbitrio fixa erant, vt ſi ſecus feciſſet quispiam, nil tradidiſſe cenſeretur. Vbi autem legis Ciuilis admiratione, quae homines velut extaticos tenebat, ceſſante, eius vigor hinc inde obſoleſcere coepiſſet, arbitraria facta ſunt haec ſigna, adeoque mirum in modum aucta, et in diuerſis Regionibus variis vſurpata modis. Fiebant itaque inueſtiturae per ceſpitem, per herbam, et terram, per ramum, et ceſpitem cum ramo, et gnaſone, id eſt, ceſpite per gazonem, andelaginem, et ramos de arboribus, per baculum, per fuſtem cum ligno, per cutellum, per cultellum plicatum, per berillum, per Bibliothecam, ſeu biblia, per Cambutam Epiſcopi, per candelabrum, canum venaticorum apprehenſionem, per capillos capitis, per chartam ſuper altare, per chirothecam, per claues Eccleſiae, per cochlear de Thuribulo, per colonnam, per coronam, per cornu, per corrigiam, cum crocia Abbatis, per capellum Prioris, per cuppam auream, per denarios, per digitum, per dextrum pollicem, per elemoſynariam, id eſt, marſupium, per folium nucis, per forfices, per funes, ſeu chordas campanarum, per furcam ligneam, per gladium, per grana incenſi, per iuncum, per lapidem, per librum qualemcunque, per librum Miſſalem, per librum Euangeliorum, et calicem cum libro regulae, per linteum, per manicam, per mappulam cum manutergio, per Martyrologium, per Mitram, per osculum, per oſtium Domus, per panem, et librum, per pannum ſericeum, per piſces, per ſcyphum, per ſceptrum, per gladii capulum cum verſu, per vexillum. Haec omnia apud Du Cange vberius deſcripta legere poteſt, cui vacabit. Eccleſiaſticae res potiſsimum per virgam, baculum, birretum, et annulum tradi ſolebant. Prouti etiam in hac noſtra Synodo videmus factum, vbi per virgam inueſtitio facta fuit. Virga autem hoc loco nil eſt aliud, quam baculus Paſtoralis, quem Legatus Apoſtolicus, pro dignitate ſua, et ritu aſsidendi, in Conciliis vſitato forte prae manibus habebat. Teſte Du Cange, aſſeruatur in Eccleſia Turonenſi baculus ligneus, plumbea lamina obtectus, in quo ſpirali linearum ductu inſcriptum legitur: „+ *Anno Incar. Dominice MCXLIV. Lucius II. Papa inueſtiuit Rome Indicio Sancte Apoſtolice Sedis cum baculo iſto + ligneo, Turonenſem Eccleſiam de ſubiectione Dolenſis Eccleſie, et Tregorenſis, et Briocenſis per manum Domini Hugonis Turon. Arciep.*„ Deinceps recurret grauis quaeſtio inueſtiturae, quam Reges de Epiſcopatibus dabant per baculum, et annulum; dein conferebant eandem per ſceptrum, prouti conuentum fuit inter Sacerdotium, et Imperium. Reges ipſi per vexillum, enſem, et ſceptrum inueſtiebantur; Proferemus infra Iuramentum Regis Demetrii, coram Synodo factum, vbi Rex per vexillum, enſem, ſceptrum, et coronam inueſtitur, et conſtituitur Rex. Inueſtiturae cum Sacro Euangelio exemplum habemus in Sententia Petri Archi-Epiſcopi Spalſenſis, An. Chr. MCLXIV. vbi Moniales ſuper Sacrum Euangelium confirmantur. In Hungaria plerumque beneficia Epiſcopatu inferiora per Birretum Capiti inueſtiendi impoſitionem tradi cenſebantur.

(b) Epiſcopus Jadrenſis, obſerua electionem non ſolum Epiſcoporum Prouincialium, ſed etiam Spalatinorum ciuium, et Magiſtratuum votis fuiſſe factam.

dam Epiſcopi, ac multorum bonorum hominum, et tempore Nicolae *(a)* Prioris, et Stratego *(b)* Ciuitatis Iadrae. Ind. III.

(a) Videlicet Nicolai. Priores autem erant praecipui Vrbium Magiſtratus. qui Dalmatiae, et Croatiae regebant Ciuitates.

(b) Error hic cubat. *Strategi* enim erat ſcribendum. Errant autem Strategi Vrbium Praefecti, quos iam Stratigos, iam Straticos, iam Straticotoa appellatos notat Du Cange, apud quem Stratigari idem eſt ac Regi, vel iudicari:

XLIII.
EPISTOLAE DECRETALES ALEXANDRI PAPAE II. a Dominico Mansi ad Annum MLXI. relatae.

Alexander Seruus Seruorum DEI Petro Venerabili Archi-Epiſcopo Diocliensis, atque Antibarenſis Eccleſiae Salutem perpetuam in Chriſto.

Si Paſtores ouium ſole, geluque pro gregis ſui cuſtodia die, ac nocte intenti ſunt, vt ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morſibus deficiat, oculis ſemper vigilantibus circumſpectant. Quanto ſudore, quantaque cura debemus eſſe peruigiles nos, qui Paſtores animarum eſſe dicimur? Attendamus igitur, vt ſusceptum officium exhibere erga cuſtodiam Dominicarum ouium non ceſſemus; ne in die Diuini examinis pro deſidia noſtra, ante Summum Paſtorem negligentiae nos reatus inde excruciet, vnde mudo honoris reuerentia inter ceteros ſublimiores iudicamur. Igitur, Dilectiſſime Frater, petitionibus tuis iuſtis annuentes, Apoſtolica authoritate decernimus, vt per huius Priuilegii Noſtri paginam ſic Sanctiſſimam Diocliensem Eccleſiam, cum omnibus ſuis pertinentiis, Palechiensem Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Suatienſem Ecclenſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Scodrienſem Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Diunaſtienſem Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Polatinenſem Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Serbienſem Eccleſiam cum ſuis pertinentiis, Bolonienſem Eccleſiam cum ſuis pertinentiis, Tibunienſem Eccleſiam cum ſuis pertinentiis, Monaſteria quoque tam Latinorum, quam Graecorum *(a)* ſiue Slauorum cures, vt

An Monachi Graeci in Hungaria?

(a) Monachos Graecos tum in partibus Slauoniae, tum etiam alibi fuiſſe in Hungaria docet Biographus S. Gerardi apud Cl. Katona, pag. 538. Tom. 2. Hiſt. Criticae. Ad annum MVII. „*introducens illac* (ad Monaſterium Aradiense) *memoratos Graecos Monachos de Monaſterio B. Ioannis Baptiſtae vna cum Abbate.*„ Si coniecturae aliquid dandum eſt, hoc loco Slauos nomine Graecorum deſignari puto; tum ideo, quod *Vo. ſiue Slauorum* ex vſu medii aeui idem ſonet, ac ſi diceretur, id eſt Slauorum; tum ideo, quod Methodius Graecuus homo fuerit, eiusque Liturgiam Slaui profeſſi ſint, ac Summi Pontifices, vti in ſuperioribus vidimus, voluerint, vt Slaui Graecu potius, quam Slauico vtantur Idiomate in Sacris peragendis; tum denique, quod S. Methodius nequaquam Graecum Ritum, aut a Latino diuerſum induxerit, ſed Slauico idiomate vſus fuerit. Quidni hoc ipſum de Monachis Graecis Biographi ſupra allati dici poſsit? Quod ſi autem praefracte contendas Monachos Graecos vere tales deſignari, id ad minus concedes, Canonem Concilii Lateranenſis Graecos Latino Epiſcopo ſubigen-

vt ſcias, et haec omnia vnam Eccleſiam eſſe, teque omnibus praedictis locis Epiſcopali regimine praeeſſe. Pallium autem Fraternitati tuae ex more ad Miſſarum ſolennia celebranda, ſicut Anteceſſoribus tuis conceſſum eſt, concedimus: Videlicet in natali Domini, Epiphania, Coena Domini, Paſcha, Aſcenſione, Pentecoſte, in Natali S. Ioannis Baptiſtae, Natali Apoſtolorum Petri, et Pauli, et quatuor Feſtiuitatibus Sanctae Mariae, ſcilicet Natiuitate, Annunciatione, Purificatione, Aſſumptione, et duobus Feſtis S. Angeli. Sic pro Natalitiis quoque duodecim Apoſtolorum Natali S. Gregorii, et Sanctorum Sergii, et Bachi, et Feſtiuitate omnium Sanctorum, atque Natali *(a)* tuo, et quoties ordinationem, vel conſecrationem Eccleſiarum celebramus. Hortamur itaque Caritatem Tuam, vt mores vitae tuae tanto honori conueniant, quatenus Auctore DEO, exemplis, verbiſque poſſis eſſe conſpicuus. Vita igitur tua ſit filiis tuis regula, vt ſi quae fortitudo in illis deprehenditur, in ea dirigatur. Cor ergo tuum neque proſpera, quae corporaliter hic blandiuntur, extollant, neque aduerſa deiiciant. Sed quid quid illud fuerit, virtutis puritate deuincat. Nullum apud te locum ira, odium, nullum furor indiſcretus inueniat. Sacrae blanditionis tuae, iuſtique iudicii opus, nulla venalitatis interuentio commaculet. Sit in te et boni Paſtoris dulcedo, ſit et iudicis ſeuera diſtrictio, vnum ſcilicet, quod innocenter viuentes foueat; aliud quod inquietos a prauitate compeſcat. Miſericordem te, prout virtus *(b)* patiatur, pauperibus exhibe, oppreſſis defenſio tua ſubueniat, oprimentibus modeſta ratio contradicat. Nullius faciem contra iuſtitiam accipias, nullum quaerentem iuſta deſpicias. Cuſtodia in te aequitatis excellat: vt nec diues potentia ſua aliquid apud vos extra viam ſuadeat rationis audere; nec pauperem de ſe ſua faciat humilitas deſperare: quatenus DEO miſerante, talis poſſis exiſtere, qualem Sacra lectio praecipit dicens: oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſed his omnibus vti ſalubriter poteris, ſi caritatem magiſtram habueris: quam qui ſecutus fuerit a recto aliquando tramite non recedit. Ecce Frater Cariſſime, inter multa talia, iſta ſunt Sacerdotii, iſta ſunt pallii ornamenta, quae ſi ſtudioſe obſeruaueris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Crux etiam ante te, ſicut ante praedeceſſores tuos per Dalmatiam, et Slauoniam, *(c)* vbique geratur Archi-Epiſcopatum quoque Eccleſiae tuae, iuxta formam Sanctorum Praedeceſſorum Noſtrorum, a quorum auctoritate non debes aberrare, concedimus, et confirmamus. Sancta Trinitas gratia ſuae protectionis Fraternitatem tuam circumdet, atque in timoris ſui Vos viam dirigat, vt poſt huius vitae amaritudinem ad aeternam poſſis ſimul dulcedinem peruenire. Bene valete.

Subiacet his Sigillum, nempe circulus quadrifieus in formam crucis cum nomine eiuſdem Pontificis Alexandri Papae II. circumcirca eiuſmodi habens inſcriptionem †. Exaltauit me DEVS in Virtute Brachii ſui. Poſt Sigillum iſta ſub-

tem, ex veteri fluxiſſe diſciplina, non debere autem occupatae per Latinos Conſtantinopoli tribui, quod aliquibus forte videri poteſt, et mihi ipſi aliquamdiu viſum fuit.

(b) Anniuerſario Ordinationis, ſeu conſecrationis; vide Miſſas in Natali Epiſcopi, ac etiam Presbyteri in Sacramentariis a Muratorio vulgatis; dedimus Miſſam huiusmodi alio opere noſtro, cui Titulum praefiximus *Norma Cleri.*

(b) Id eſt: prout vires poſsibilitas admiſerit. Vſitatiſsimum enim eſt etiam in Sacris Literis virtutem pro viribus dicere, ſicut inter caetera Sacrae Scripturae loca Paulus dicit: *„grauati ſumus ſupra virtutem*, et virtus a Viribus dicitur, quamuis virtus dici debeat eleemoſynam ſecundum vires ſuas dare, prouti monet Tobias. Virtusqu j

(c) Hinc patet, cur hanc Epiſtolam, ad editionem noſtram pertinere cenſuerimus. Iura enim Metropolica a Conciliorum editoribus illuſtrari debent.

ſubiicitur ſubſcriptio poſt notam temporis. Pontificatus Domini Alenxandi II. Papae an. II. Indictione duodecima. Datum Romae decimo quinto Kalendas Aprilis.

EPISCOPIS, ET REGI DALMATIARVM
De Episcop. Presbyter. Diacon. Faeminam accipien. et retinentibus.

Si quis a modo Episcopus, Presbyter, Diaconus faeminam acceperit, vel acceptam retinuerit, proprio gradu decidat vsque ad ſatisfactionem, *(a)* nec in Choro pſallentium maneat, nec aliquam portionem *(b)* de rebus Eccleſiaſticis habeat.

IISDEM.
De auctoritate Mainardi Episcopi, et Joannis Archi-Episoopi.

Notificamus omnia Capitula, quae per Confratres Noſtros Venerabiles, Mainardum ſcilicet Collateralem *(c)* Epiſcopum noſtrum, et Ioannem Archi-Praeſulem *(d)* Noſtrum in Spalaeto, aliisque Ciuitatibus ſunt ſtatuta eadem in Romana Synodo *(e)* ſeriatim ea referente a beatae memoriae Praedeceſſore Noſtro Nicolao Apoſtolica auctoritate roborata, et ſub anathematis interpoſitione roborata.

SY-

(a) id eſt: donec vxores dimiſerint; cum enim incontinentiae vitium hoc Seculo nimium quantum inualuerit, niſi prudens haec aeconomia adhibita fuiſſet, omnes Eccleſiae a Diuinis officiis vacaſſent. Fuere etiam aliqui, qui abdicare maluerunt gradus Eccleſiaſticos, quam a mulierum conſuetudine arceri, Vnde etiam complura Concilia in tales anathema contorſere.

(b) Vide disciplinam Eccleſiaſticam de Beneficiis, quae certe in Hungaria tardius, ac alibi ad eum, in quo nunc ſunt, ſtatum deuenere, quod veteris disciplinae commendat tenacitatem.

Collaterales qui?

(c) Cum aliunde conſtet Mainardum fuiſſe Sedis Apoſtolicae Legatum, clarum fit, vnde *Collateralis* dicatur. Collaterales enim medio aeuo omnes appellabantur, qui alicuius lateri adhaerebant. Sic ſocios, amicos, vxores, Cancellarios, Intimosque Regum Conſiliarios *Collaterales* dictos oſtendit Du Cange. Mainardus ergo erat Legatus ex illo genere, quos de Latere dicimus.

(d) Neque hoc cuiquam mirum videatur, cum in Synodo Jadrenſi paulo poſt recitanda Andreas Episcopus ſe Praeſulem dicat.

(e) Inter acta Nicolai II. reperimus Concilium Romanum Anno MLIX. celebratum, in quo Canone 3. his Alexandri verbis ſimilia habentur aduerſus incontinentiam Clericorum. „*neque in Presbyterio ad Diuina officia cum iis, qui praefatae conſtitutioni obedientes fuerint, maneant.*„ Alexander II. dicit: „*nec in Choro pſallentium maneant.*„ Synodus Romana proſequitur: „*neque partem ab Eccleſia ſuscipiat.*„ Alexander autem habet: „*neque aliquam portionem de rebus Eccleſiaſticis habeat.*„ Ex his denique patet, quod deinceps quoque monebimus, in Synodis Romanis geſta pauca admodum litteris digeſta fuiſſe, aut ad nos non perueniſſe; huius enim Romanae Synodi nullum aliud exſtat monumentum; ceſſabunt itaque lectores a nobis ſpiſſa Conciliorum acta poſtulare.

XLIV.
SYNODVS DALMATINA
Praeſidente Legato Alexandri Papae, habita A: C: MLXIV. ex Archi-Diacono cap. 17.

Omnipotentis Virtus non diu paſſa eſt fraudem diabolicae ludificationis, animas decipere infelices, ſtatim namque cum haec impia geſta Summi fuiſſent Pontificis auribus intimata, graui moerore confectus, absque omni mora quemdam Legatum Ioannem Cardinalem mittere feſtinauit, ad exſtirpandum nefandi ſchismatis ſomitem de partibus Sclauoniae. Itaque Cardinalis ad illas partes adueniens, multitudinem populi, et Cleri coadunari iuſſit: ipſumque Pſeudo-Epiſcopum Coram ſuis Gothis de tantae temeritatis nequitia duriſſime increpauit, quod nullum Sacri Miniſterii ordinem a Summo Pontifice datum ei fuiſſet. Quamobrem ipſum Cededam, et Potepam cum ſuis ſequacibus perpetui anathematis mucrone a fidelium conſortio detruncauit. Vlſum vero tanti ſceleris inuentorem, tantique ſatorem erroris vsque ſpalatum trahi iuſſit. Vbi congregata Synodo eundem iniquum Presbyterum ab omni ordine Clericali depoſuit, multisque affectum verberibus *(a)* atonſo capite, aduſta ſtigmate *(b)* fronte, ſicut Papa iuſſerat, perpetuo carcere detrudi fecit.

XLV.
SYNODVS DALMATINA
Contra Cededam A:C: MLXV. ex Thomae Archi-Diaconi hiſtoria Salonitana. cap. 16.

Cum maleſanus Cededa ab incepta temeritate nullatenus reſipisceret, multaque Scandali materia propter ipſum in toto Regno fuiſſet exorta: praeceptum eſt a Summo Pontifice, vt tam in Romana, quam in Spalatina Eccleſia, et per cunctam Prouinciam ſolemnis anathematis ratio fieret ſuper eum; quod cum Romae bis, et in Spalatina Synodo tribus vicibus factum fuiſſet; ecce repente Diuina vltio in ipſum manifeſta eſt: Nam cum nihil languoris, nihilque doloris in corpore pateretur, ſeceſſum petiit ex coniecta neceſſitate naturae, ibique ſubitaneo dolore correptus: euulſis a corpore visceribus, omnia inteſtina in ſeceſſum effudit. Et ſic homo impius Arianam imitatus perfidiam, iuſto DEI iudicio ignominioſa Arii morte damnatus eſt.

SY-

(a) De verberibus Vlſo, vtvt Presbytero inflictis nihil hic agemus. Alibi enim nobis de hac Disciplina ſermo redibit.

Sacerdotes ſtigmatiſantur.

(b) Haec fuit poena in falſarios, et impoſtores, cuius exemplum etiam poſterioribus temporibus habemus. In Synodo enim Regia ſub Uladislao I. anno Chriſti MCCCCXCVIII. celebrata, quae Decretum tertium eiusdem Regia vocari ſolet, Statutum vidiſti art. 18. „*vt Stigma Sigilli igniti in frontibus, et vtraque facie omnium Capitularium, ſiue Conuentualium, qui tempore falſificationis talia agentes intererant, inuratur.*„ Merito Ulſus Stigmate notatus eſt, vt ſemper culpae ſuae, et poenam, et indicium praeſeferat, ne alios denuo in errorem induceret.

XLVI.

SYNODVS SIBENICENSIS,

A: C: MLXVI.

Ex Priuilegio Monialium *S.* Mariae Jadren.

Anno Incar. D. N. J. Chriſti 1066. Dubcyzi, *(a)* Conſtantinopoleos imperante. Ego Creſimir Rex Croatiae, et Dalmatiae, Filius Stephani Regis, conceſſione Laurentii Spalatenſis Archi-Epiſcopi, omniumque Noſtri Regni Epiſcoporum, et laudatione Noſtri Ducis *(b)* Stephani, caeterorumque Croatiae Comitum, do Regiam *(c)* libertatem Monaſterio S. Mariae Jadrenſis, quod ſoror *(d)* mea Cicha fabricauit, ſiquidem, vt ſi aliquis proteruus in aliquo praedicto Monaſterio contraire voluerit, vel vt aliquid abſtulerit, Eccleſiae quadruplum reſtituat, et ſua omnia Regali Iuri ſubiaceant. Hocque ab Archi-Epiſcopo, et omnibus Epiſcopis confirmantum Canonice, ac ab vniuerſo Coetu collaudatum eſt. L. Archi-Epiſcopus Laud. Stephanus Epiſcopus Jadrae Laud. Rainerius Epiſcopus Croatiae Laud. Ioannes Trag. Epiſcopus Laud. Dabro Belgrad. Epiſcopus Laud. Petrus Abſarens, Epiſcopus Laud. In die Natali Domini in Sibenico coram omnibus praedictae Abbatiſſae Ciche haec ſcripta ſunt.

(a) Obſerua hic errorem cubare: Conſtantinopoli enim Conſtantinus Ducas rerum potiebatur; niſi forte dicas Slauonicum latere Idiotismum, quod nec aſſerere, nec negare poſſum.

Dux. *(b)* De hoc exiſtimo dicendum, quod primogenitus Regis Filius, ac ideo, quod etiam in Hungaria factum eſt, Ducis axiomate deſignatus fuerit. Illius autem laudatio exprimitur futuri maioris roboris cauſa; ne id deinceps ſubruere nitatur, quod ipſemet collaudauerat.

Regia libertas. *(c)* Quid eſt *Regia libertas?* Lucius Lib. 3. cap. 3. mihi pag. 114. inſolitam aliquam profert ſignificationem inquiens: „*Obſeruandum: verbum Regiam libertatem conceſſam Dalmaticis exprimere, Monaſteriis, non Croaticis, ex quo Dalmaticas Ciuitates, prouti Imperii Orientalis, Imperiales dictas coniici poteſt ad differentiam Croaticarum Regiarum vocaturum; ideo Regiae libertatis datione intellectum fuiſſe Monaſterii Bona in ſolo Regali potita, Perſonaſque Monaſticas, in Praediis degentes abſoluta Regia libertate, vti fruique debere.*„ ait itaque: Regiam libertatem dici, vt pateat Regiam, non autem Imperialem eſſe conceſſionem. Coniecturam hanc Lucii refert etiam doctiſſimus Farlatus, et absque cenſura dimittit, mihi hanc ſuam explicationem nunquam perſuadebit Lucius. Du Cange voce libertas citat Monaſticum Anglic. Tom. I. pag. 47. vbi haec habentur: „*Cum pertinentiis infra Patriam, et praecinctum vocatum Epiſcopatum, et Libertatem Regalem Sancti Cuthberti Dunelm inter aquas de Tyne, et Teſe.*„ An etiam hic comminiſcemur aliquam libertatem Imperialem, in cuius diſcrimen haec dicatur Regia? Exploratum vtique eſt iisdem Seculis apud plerosque Occidentales Principes eundem ferme vſum vocum in Diplomatibus editis occurrere, quod innumeris confirmari poteſt exemplis. Talem autem vocis: *Regia libertas*, ſignificationem nusquam legit Lucius, qualem ex ſuo deprompſit ingenio. Libertas ergo Regia nil aliud ſignificat, quam Conſenſus Regius, protectio Regia. Sic in carta Ludouici Regis Francorum An. MCLX. apud Du Cange dicitur: „*ipſum conqueſtum, et Hebergarium, quod in conqueſtu fecerat libertate mea.*„ Colomannus quoque Rex his iisdem Monialibus pariter libertatem Regiam conferens An. MCII. expedit rem omnem dicens: „*dono perpetuum pacem, et Regiam libertatem.*„ Protectionem itaque impertitur, et aſſenſum.

(d) Cicham appellat Sororem ſuam, forte honoris cauſa, aut certe latiori aliquo modo ſumptam. Cicham autem puto eſſe Coeciliam.

XLVII.

SYNODVS IN CONSECRATIONE ECCLEſiae S. MARIAE Jadrenſis habita A: C: M LXXII. ex antiquo Regiſtro Priuilegiorum Monaſterii S. MARIAE Jadrenſis.

Anno Dominicae Incarnationis 1072. Indictione VIII. Ego Andreas Praeſul, Jaderae Vrbis, vna cum Drago Priore, Clero, et Populo eiusdem Ciuitatis placuit Nobis dare Infulam Syluae, et veram libertatem, veramque ingenuitatem Monaſterio S. Mariae, ſito in eadem vrbe, in die conſecrationis eius Baſilicae, iure perpetuo tenendam, ob ſalutem omnium noſtrum viuorum, et defunctorum, quod ſi quis proteruus deinceps hoc noſtrum actum violare, aut rumpere tentauerit in aliquo, et vim Sanctis Monialibus illic habitantibus, vel vsque ad formellam Caſei rapuerit, Diuinam et Sanctorum eius, et noſtram percipiat maledictionem, et medietas Domus eius cadat *(a)* in publico. Ego Ioannes Iudicator laudo, et confirmo. Candidus laudo, et confirmo. In Chriſti nomine Ego Dragus gratia eius, Prior Iadrae vrbis, vna cum Nobilibus, et omni Populo huius ciuitatis tibi Domina Cicca Abbatiſſa, tuisque Sororibus praeſentibus, et futuris, placuit Nobis concedere propter DEVM, et Sanctam DEI Genitricem, et pro ſalute animarum, et corporum noſtrorum veram libertatem, quam nullus ex noſtris Monaſteriis habet, vt non Canallus, non famulus, vsque ad formellam *(b)* Caſei per vim aliquis eis tollerit, et ſi quis hoc Noſtrum rumpere, vel contraire voluerit, Deiſicam habeat maledictionem, et incurrat eis poenam medietatis Domus ſuae.

Actum eſt hoc in die conſecrationis Baſilicae Sanctae Mariae ante Andream Noſtrum Epiſcopum, et eius Clero, et Madio Abbatae, et Traſone Abbate L. D. G. Spalat. Sedis Archi-Epiſcopus. A. Iadertin Epiſcopus. Petrus Arbenſis Epiſcopus. Petrus Veglienſis Epiſcopus. I. Tragurienſis Epiſcopus. B. Belgrad Epiſcopus. A. Nonenſis Epiſcopus. G. Abb. Monaſterii Sancti Chriſ. Theodorus S. Stephani, Petrus S. Nicolai, Io. S. Michaël, Dabrana S. Petri, cum omnibus Clericis, et Laicis Dominum timentibus. Iadertinae S. Eccleſiae congregatis Nobis plurimae ventilandae, et examinandae allatae, vt moris eſt generalis Concilii confluerent, interea etiam nihilominus illud aſſuit muniminis ſcriptum, quod Epiſcopus et Prior Nobiles, et Ignobiles Jadrenſes, Eccleſiae S. Mariae ſemper Virginis Monaſt. Vid. et Virgin. DEO deuote famulantium noniter in eadem ciuitate inter ſe temporibus conſtructo, tempore conſecrationis iam dictae Eccleſiae deuote, et alacriter conceſſerunt Inſulam Syluae, hoc deuique licet continens.

(a) Vt ſenſus ſententiae huius rite percipiatur. Sciendum primo: pro grauibus, et enormibus delictis non reus ſolum, verum etiam Domos ipſorum fuiſſe condemnatas, ac dirutas quoque. Prouti hoc alias ex Conciliorum Canonibus euictum dabimus. Secundo: Nonnunquam admiſſum fuiſſe, vt Domum pretio redimat. Tertio: Cadere Publico, idem eſſe, ac publico aerario obuenire, quod caducitatis nomen etiam perhibet. Quarto: Nomine Domus etiam venire facultates, ſubſtantiam. Videtur itaque hoc loco in poenam violatae immunitatis ſtatui, vt dimidium facultatum praeuaricatoris cadat Fiſco.

(b) Id eſt: libonem.

nens, vt quae de ſolo Patrimonio Nobilium Puellarum illuc ob amorem Chriſti concurrentium aedificatum fuerat, ſic ab omni feſtatione tributi quiete viuerent, vt liberae ab omni mancipatione humani ſeruitii toto mentis affectu ſeruirent, (a) cui ſe deſponſantes ancillulas tradidere. Hoc ſolummodo petentes, Abbatiſſa ingenuitate praecipua nomina Cica cum omnibus ſororibus volentibus illis ampliſſima de Fisco Ciuili dona conferre, quod namque dum diligentius perſcrutantes inueſtigarem: illud inde ceſſare ſtuduimus, quod caſſandum, et impoſſibile ad obſeruandum perſpeximus. Inerat ſiquidem ei, vt ſi quis ex omnibus Bonis Monaſterii vsque ad formellam Caſei violenter praeſumeret, anathematis vinculo ex triplo ligaretur, quo iure abraſo, ſtabilita firmare ſalubrius decreuimus. Ita quidem, vt nullus de Clero, vel populo magna, vel parua perſona, ingenuus, vel ſeruus abinde in antea quicquam violenter auferre praeſumat, quod ſi praeſumpſerit, et emendare poſt haec, tam quaerimoniam reſiſtendo voluerit, anathematis vinculo innodatus intereat, excepto, quod Prior ſaepe dictae Ciuitatis pro communi vtilitate omnium conciuium ipſemet, vel alius eius iuerit, (b) vel ſuum Legatum transmiſerit, quod tamen cum omni honeſtate, et menſura fiat. Hoc denique promulgato acclamatum eſt, ſi placeret, ſucclamatum quoque eſt omnibus, placet.

XLVIII.
SYNODVS HABITA A: C: MLXXII. IN CAnoniſatione S. Stephani Regis.



Praeſidente in Regni Solio Ladislao piae memoriae Rege, Episcopi, et Abbates, et qui praeerant in Regimine Sanctae Eccleſiae, animaduertentes Sanctitatem Beatiſſimi Stephani Signis teſtantibus, communi decreto triduani ieiunii indixerunt afflictionem: Episcopi orationibus vacantes, viſitationem ſupernae clementiae in plebem exſpectabant. (c) Poſtea corda tollentes ad DEVM, hymnorum vocibus reſonuerunt in confeſſione ſui nominis, ſicque venerunt ad locum, vbi Sanctiſſimum corpus claudebatur: quem ſoluentes aperuerunt, tantaque odoris diffuſio ascendit, quanta nun-

Fff 2

(a) Haec eſt ratio immunitatis conceſſae locis piis, conſonat his conſtitutio Conſtantini Magni Cod. Theodoſino Lib. 16. Tit. 2. Lege 10. „*Repellatur ab his exactio munerum ſordidorum, negotiorum diſpendiis minime obligentur, cum certum ſit, quaeſtus, quos ex tabernis, atque ergaſteriis colligent, pauperibus profuturos.*„ Itaque qui immunitate gaudemus, ea vtamur, vt totos nos illi dedicemus, cuius intuitu haec Bona percipimus. Pauperibus proſint lucra noſtra, quae absque diſpendiis colligimus.

(b) Hic ius Giſtii, ſeu hoſpitalitatis manifeſte inſinuatur, et referustur, de quo iure pluribus egimus, dum in Synodos Regias Hungariae commeutaremur.

(c) Aſſeruimus in Recenſione noſtra, huius Synodi decreto publicos honores Sancto Stephano fuiſſe decretas. Probandum ergo nobis hic

nunquam adſtantibus apparuit: ac omnium, qui illuc oceurrerant, membra languidorum curata ſunt: Caeci lumen, claudi plantarum ſoliditatem, leproſi mundam cutem, Paralytici ſalutem, omnesque, quacunque doloris tenebantur obſeſſione, curam meruerunt. Aſſumpto inaeſtimabilis pretii pondere, Omnipotenti DEO gratias egerunt, deferentesque in theca argentea ſignauerunt. Anonymi reſidua de vita S. Stephani.

SY-

S. Stephanus non eſt a Papa ſed ab Epiſcopis Hungariae canoniſatus.

eſt, in canoniſatione Sancti huius Regis, Summi Pontificia auctoritatem non fuiſſe interpoſitam, continuatorum Bollandi argumenta refellendo noſtram ſtabiliemus aſſertionem. Argumenta autem illorum, quae ex pag. 168. editionis Iaurinenſis compendio damus, ſunt haec tria. *Primo:* auctoritas Benedicti XIV. *ſecundo* teſtimonium Chartuitii, cui iungunt Bonfinium. Tertia diſciplina temporis. Ad primum itaque: locus Benedicti XIV. a Stiltingo allatus exſtat in opere de ſeruorum Dei beatificatione Libro I. cap. 41. §. 8. Ad veram autem ſenſus a doctiſsimo Pontifice intenti intelligentiam, oportet ſcire ſcopum maximi auctoris, hoc loco ſibi propoſitum: inde enim clara euadent omnia. Ait ia in Proemio capitis citati: „*cum aequipollens quaedam canoniſatio introducta fuerit, et adhuc vigeat, per cnem videlicet Summus Pontifex aliquem Dei ſeruum - - - - iubet in vniuerſa Eccleſia coli per o[illegible]. ac miſſae recitationem, et celebrationem determinato aliquo die, nulla accedente formali ſententia definitiua, nullis praemiſſis Proceſſibus, nulliſue conſuetis caerimoniis adhibitis, operae pretium eſt, aliqua hic ſuperaddere, de hisce canoniſationibus aequipollentibus, quae vt recte percipiantur, exempla exponere opportunum duximus.*„ Dein §. 8. de S. Stephano diſſerit: Habemus ergo S. Stephanum in exemplum canoniſationis aequipollentis, quam ei tribuit Sanct. memoriae Pontifex Innocentius XI adduci. Vnde haec aduerſus Stiltingum liquidiſsimum fluit argumentatio. Si Gregorius VII. in Synodo Romana S. Stephanum canonizaſſet, fuiſſet formaliter, et non aequipollenter canonizatus, adeoque in exemplum aequipollentis canonizationis adduci nequiret. Cum itaque Benedictus XIV. diſertis verbis aſſerat S. Stephanum ab Innocentio XI. aequipollenter fuiſſe canonizatum, euidens fit a Benedicto XIV. non aſſeri, eundem S. Regem a Gregorio VII. fuiſſe inter Sanctos relatum. Haec quidem ad eleuandam primi argumenti auctoritatem plene ſufficiunt. Videamus tamen quid §. 8. a Stiltingo decantato dicat ſapientiſſimus Pontifex, poſtquam verba Chartuitii, recitaſſet, ſubiungit: *Verum vtrumque ſit de eleuatione corporis, et vtrum ea ſimplicem beatificationem, an formalem canonizationem importauerit, quod adhuc ſane incertum eſt, cum neque de ſubſtantia neque de eius modo conſtet. De Sancti tamen Stephani ſanctitate, eiusque aequipollenti canonizatione nullus ſuper eſt dubitandi locus, ex Decreto Summi Pontificis Innocentii XI. edito die 28. Nouembris, 1686.*„ Ecce tanti fecit perſpicaciſſimus Pontifex teſtimonium Chartuitii, vt neque de ſubſtantia, neque de modo conſtare pronuntiauerit. Nil ergo contra nos facit auctoritas Benedicti XIV. ad ſecundum argumentum, Chartuitii nimirum teſtimonium. Ab hoc nos facile expedimus, eius teſtimonium, tanquam teſtis ſingularis reſpuendo; licet enim in ceteris probatae fidei ſcriptor ſit, nullam tamen ei inferimus iniuriam, ſi ſingulare ipſius teſtimonium reſpuimus.

Et ſane niſi me intimus ſenſus de exiſtentia mea conuinceret, poſſemne eam credere vni teſti ſingulari eam aſſerenti; praeſertim ſi alii omnes taceant. Nullus enim alter praeter Chartuitium id aſſeruit; habemus prae manibus Chronicon Boldoenſe MS. Seculi XII. Sacramentarii Poſonienſis, forte Chartuitio nihilo recentius iſtud nullius Synodi Romnae meminit, nullas Apoſtolicas litteras memorat, verum ad annum MLXXXIII. haec habet: „*in carcerem miſſus* (Salamon) *et Dnus Rex Stephanus, et Henricus filius eius, et Gerardus Epiſcopus reuelantur.*„ Verum neque Chartuitius id aſſerit, quod Stiltingus vellet, aut certe ſibi parum conſtat, ait enim: „*Rex Ladislaus - - - - habito conſilio cum Epiſcopis, et Primatibus, et totius Pannoniae Sapientibus triduanum cunctis indixit ieiunium, vt quod communi Catholicorum vtilitati Spiritus Sancti donis animarum, et corporum ſalutem operantibus, videtur fore proficuum communi cunctorum deprecatione ieiuniis, et eleemoſynis fundata per manifeſtationem Signorum deberet eſſe quaerendum.*„ Quaerendum ergo exiſtimarunt, pulſarunt precibus coeleſte oſtium, ieiuniis purgata mente veritatem perſpicere quaerunt. Cur quaerendum exiſtimant, quod oraculo Sedis Apoſtolicae iam tenebant? Cur pulſarunt oſtium iam apertum? Dubitarunt ergo. Aut itaque dicendum eſt, Synodo Romanae Epiſcopos fidem non adhibuiſſe, quod durum nimis eſt, aut adſtruendum nullum e Vaticano emanaſſe canoniſationis decretum. Poteſtne e verbis Chartuitii exſculpi, cauſam fuiſſe Romae examinatam, quod Stiltingus nimis confidenter aſſerit, et eam fuiſſe in Hungaria retractatam. Nunquam ſane tam immorigeri erant Hungari. Audiamus ipſum Chartuitium: „*Romanae Sedis* (ita inquit) *inſtitutione Apoſtolicis litteris ſancitum eſt, vt eorum corpora eleuari deberent, qui in Pannonia Chriſtianae fidei iacientes ſemina, ſua eam praedicatione, vel inſtitutione ad Deum conuertiſſent.*„ Mirum certe haec ad Sanctos Stephanum, et Emericum trahi. Tam late enim patent adducta verba, vt iisdem Sanctos Wolfgangum, et Pilgrimum deſignari quiuis tuto exiſtimare poſſit, et quis prohibebit? Si ita: non confirmant Stiltingi aſſertionem. Adde quod nullum hic examinatae cauſae, quod tamen ſemper factum ſcimus, veſtigium appareat. Ad ſummum ergo ex verbis Chartuitii id erui poteſt, Sedem Apoſtolicam ſollicitam fuiſſe, vt Apoſtolicis Viris debitus honor deferatur, atque ideo ipſorum vita, et miraculorum gloria inueſtigetur. Quid? quod

Digitized by Google

XLIX.
SYNODVS HABITA IN CANONISATIONE
Sancti Emerici Ducis, A: C: MLXXIII.

Ladislao Rege regnante, Conradus quidam, natione Germanus, homo flagitioſiſſimus; tandem magno DEI munere compunctus, cum ſe ad meliorem frugem recipere cuperet, Romam adiit, Pontifici peccata ſua, cum ingenti cordis contritione, confeſſus eſt; animae ſalutarem ab eo petiit medicinam. Pontifex ad immanitatem criminum eius obſtupeſcens, hac eum mulctauit poena; vt loricam ferream ad nudum corpus, quinis catenis ferreis adſtringeret, et chartam, in qua eius peccata enormia ſubſcripta erant, Pontificis annulo obſignatam, ad loca, in quibus Sancti quieſcerent, ſecum circumferret, donec Diuinitus catenae diſſoluerentur, et ſcriptura chartae penitus oblitteraretur, fecit homo, vt erat iuſſus, nihil enim arduum videtur, ex animo ſua peccata legenti, et cum DEO in gratiam redire cupienti; inuiſit Loca Sacra, etiam Hieroſolymam, et Saluatoris ſepulchrum non praetermiſit.

Tandem venit in Pannoniam, vbi Beati Regis Stephani tum celebre nomen erat, orat ad ſepulchrum eius, nec inde recedere conſtituit, donec ruptis vinculis, et charta abolita, ſe ſentiat Domini miſericordiam impetraſſe. Poſtquam autem, multum delaſſato inter orandum ſomnus obrepſit, a prima enim hora vsque ad nonam in preces incubuerat: Sanctus Rex ei apparens, ſurge, inquit, amice, et Emerici filii mei *(a)* monumentum, quod iuxta eſt, adito. Ille quod carnis ſeruanda integritate, praecipuam apud DEVM gratiam promeruerit; facinorum tuorum veniam tibi impetrabit. Ex eorum enim numero eſt, qui non inquinarunt veſtimenta ſua, ſequunturque agnum quocunque ierit, et ante Thronum DEI cantant canticum nouum. Euigilat homo, illico ad Beati Emerici ſe ſacellum confert, fundit ibi preces, atque opinione celerius, diſſiliunt ferrei nexus, charta res ignata nullum habet litterae ſcriptae veſtigium. Ad ſonitum cadentium catenarum, accurrunt aeditui, et complures alii, quibus ille omnia ordine exponit: mirantur omnes, laudant DEVM, et beatum Emericum, referunt cuncta ad Ladislaum Regem. Is conuocato conſilio, de beato Emerico Sanctornm catalogo ad-

ipſe Chartuitius in verbis: „*adueniente vero tempore declarationis eius*„ moram interceſſiſſe dicat. Bonfinium autem plane non moror, vtpote coniecturis nimis deditum, et vera falſis miscuiſſe deprehenſum. Denique ad tertium; disciplinam videlicet temporis. Haec ipſa disciplina pro noſtra ſtat ſententia. Eorum enim pauci adhuc Sedis Apoſtolicae iudicio referebantur inter beatos, ſed Episcopi hoc munere defungebantur, vti docui in Recenſione. Ex dictis proinde clarum eſt, nos ad canonizationem S. Stephani haud indigere Sedis Apoſtolicae Legato, qui eleuationem corporis perficiat. Hunc enim ſolus Bonfinius ex Italia euocauit, ſuis vtique impenſis.

(a) Mirum videri non debet, quod S. Stephanus gloriam filii ſui reuelauerit. Idipſum enim de Gamaliele legimus in actis ſinceris Inuentionis S. Stephani Proto-Martyris; Ait enim Lucianus Presbyter in Epiſtola ſua ad omnem Eccleſiam, dixiſſe ſibi S. Gamalielem: „*qui mecum iacet, ipſe eſt Abibas filius meus, qui mecum pariter credidit Chriſti praeceptis, et mecum pariter baptismum conſecutus eſt a Sanctis Apoſtolis. Nam vigeſimum circiter annum agens pleniſſimam habens ſcientiam Legis, Virgo, et animo, et corpore, et nullum mulieris ſciens peccatum, ſed ſemper Templo Dei vacans cum Paulo diſcipulo meo.*„ Deinde autem vbi praedictus Presbyter in viſione ſua vidiſſet vnum lectulum argenteum, et is cur argenteus eſſet, percontatus fuiſſet, reſponſum accepit: „*quia Filius meus virgo, et immaculatus exceſſit ex mundo, propterea in ſimilitudinem argenti puriſſimi apparuit.*

adſcribendo, cum Epiſcopis, et Regni proceribus confert. Iam enim etiam ex remotiſſimis regionibus eo aduentabant homines, pro grauiſſimis rebus vota nuncupantes. Indictum eſt autem triduanum ieiunium, et nonis Nouembribus, honorifice eleuatum eſt beati Emerici corpus, multaque Diuinitus miracula eodem eleuationis die, atque deinceps, edita ſunt: praeſtante Domino Noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, et Spiritu Sancto viuit, et regnat in Secula Seculorum, Amen.

L.

SYNODVS HABITA IN CANONISATIONE

Sancti Gerardi Epiſcopi, et Martyris

A: C: M LXXIII.



Signa, et multae aliae gratiae Catholicis Viris meritis Sancti Martyris collata ſunt, et illa quidem euidenter vsque ad tempora beati Ladislai Regis, et Domini Laurentii Epiſcopi, qui a beato Viro quintus eius Cathedram accepit, et rexit, praefati enim Regis tempore, a Sancta Romanae Eccleſiae Synodo iniunctum eſt, vt Sanctorum corpora, qui Pannoniam fidei praedicatione irrigaſſent, ſummo honore afficerentur, et dignis laudibus colerentur, veniente etiam Sedis Apoſtolicae Legato, et Nobilium Pannoniae coacto conuentu, Sacrum huius beati Martyris corpus canoniſatum eſt anno Domini Milleſimo Septuageſimo octauo, et poſtmodum eleuatum Regis, et Principum humeris translatum eſt, honorificeque depoſitum eo loco, vbi promeritis tanti Patris ſuperna gratia efficiendis, et declarandis miraculis largius coruſcat. Ex Arnoldo Wione in vita S. Gerardi. *(a)*

S. Gerardus canoniſatur, ab Epiſcopis, Hungariae.

(a) Negare nullatenus poſſum S. Gerardum anno M LXXXIII. canoniſatum fuiſſe, ſeu glorioſius, honorificentiusque reuelatum, antea tamen, et non multis poſt ſusceptum Martyrium annis Ritu illorum temporum canoniſatum fuiſſe, certum, et exploratum eſſe arbitror; cum enim conſtet, ſolenni corporis eleuatione, et translatione totam canoniſationem peragi ſolitam, hoc ipſum honoris, et obſequii genus S. Gerardo ante annum ſupradictum praeſtitum fuiſſe, de canoniſatione eius ad minus particulari nullus dubitandi locus ſupereſt, hinc audiendi non ſunt continuatores Bollandi, qui ad diem 24. Septembris. in commentario praeuio §. 3: num. 32. ſcribunt: „*quae hactenus dicta ſunt de S. Gerardi translatione, non important publicum Sancti cultum, cum ea vice non fuerit translatus vt Sanctus, ſed vt Epiſcopus, et Vir Venerabilis ad Eccleſiam propriam.*„ Tenemus ergo, Sanctum Gerardum Peſtino fuiſſe translatum; videndum, an haec translatio cultum publicum importet? docebunt id circumſtantiae translationis. Vita a Bollandinianis edita ſic habet: „*Ea vero tempeſtate poſt multos dies fideliſſimus Sancti Viri procurator Regem Andream adiit, vt peregrini, atque hoſpitis Patris corpus reddat, celeriter impetrauit, qui ad ſanctum corpus peruenients tam nitidum, lucidumque, ac ſi ipſo die Martyrium conſummaſſet, inuenerunt, quod cum hymnis, et canticis ad Moriſſenam Sedem tranſtulerunt, magnaque reuerentia ſepelinerunt.*„ Cum hymnis, et canticis, cum magna reuerentia transferre publicum cultum importat, quam quod maxime. Vita a Bione edita minutius recenſens translatio:

tionis hiſtoriam, ait cap. 21. „*Cum ſeptem annis corpus S. Gerardi, vbi tumulatum fuerat, ſub terra iacuiſſet, Maurus Epiſcopus Csanadienſis, et Philippus Abbas Monaſterii B. Mariae Virginis de Csanadino, quem S. Gerardus adhuc viuens Abbatem in praedicto Monaſterio praefecerat, vt fidiſſimi Sancti Viri procuratores adierunt Regem Andream cum multitudine Nobilium de Epiſcopatu Csanadienſi, petentes, vt Peregrini, atque hoſpitis Patris beati ſcilicet Gerardi Epiſcopi, et Martyris corpus, quod ſepultum erat in Capella Matris Dei Virginis Mariae in Peſth, liceret eis ad Sedem Moriſenam transferre; quod cum impetraſſent, ac deinde ad tumulum Sancti Martyris perueniſſent, miram fragrantiam ex eius ſepulcro exire ſenſerunt, et corpus eius tam aitidum lucidumque repererunt, ac ſi eo die Martyriſatus fuiſſet. Cum ergo ſanctum corpus deferretur, currebat multitudo debilium, caecorum, claudorum, aridorum, qui tacto corpore, vel habitu, omnes ſanabantur, et cum prae multitudine populi inde egredi non valerent, noctu egreſſi ſunt. Et cum aliquantum proceſſiſſent* - - - - -„ Hic recenſentur varia miracula, in itiuere patrata, dein proſequitur narrationem: „*Ibi ergo Philippus Abbas cum Canonicis Sacerdotalibus induti cum magna proceſſione ſanctum corpus ad Beatae Virginis Monaſterium, quod ipſe viuendo pro ſepultura ſua conſtruxerat, iuxta Eccleſiam S. Ioannis Baptiſtae collocauerunt.*„ Rurſus hic recenſet altercationem inter Canonicos, et Philippum Abbatem de Loco ſepulturae factam, mox ait: „*denique cum prae multitudine Populi ipſum ſepelire non poſſent, nec Diuinum officium, per aliquot ſeptimanas explere in Eccleſia, habito conſilio parauerunt populo conuiuium, cumque conueniſſent ad manducandum, Abbas cum Epiſcopo, et Monachis, clauſis ianuis, corpus venerabile honorifice, et reuerenter ſepelinerunt, habitum, in quo fuit interfectus, id eſt, tunicam habentem Caputiam, quae alio nomine floccus dicitur, dalmaticam, pallium, de pilis camelorum, lapidem, quo obrutus fuerat, cilicium, et flagellum, quibus caſtigabat corpus, inſimul ſuper ſepulchrum eius collocantes.*„ Neſcio ſane, quid ad ſolennem corporis tranſlationem adhuc deſiderari poſſit.

Etſi liberaliter concedere vellemus continuatoribus Bollandi vitam Bionis eſſe fabuloſam, et interpolatam, in eo tamen fidem merebitur, vbi M.S. Conſerdokiano conſonat, ſecus enim nec illi, nec huic quidquam credendum foret, in eo autem vtraque vita concordat, quod cum hymnis, et canticis, et magna reuerentia translatus ſit S. Gerardus, hoc autem publicum cultum inferre notius eſt, quam vt a me pluribus doceri debeat, quidquid ſit de miraculis eorum patratis, illa enim non important cultum, ſed ad illum excitant fideles, quidquid ſit de altercatione Philippi Abbatis, et Epiſcopi Csanadienſis, ſuper loco ſepulturae exorta, certum manet, et firmum S. Gerardum fuiſſe ſolenniter translatum. Petrus de Natalibus antiquus, et ipſe auctor in Elogio S. Gerardi confirmat aſſertionem noſtram inquiens: „*proceſſu temporis inclytus Rex Andreas corpus Martyris transtulit Moriſenam.*„ Fidem vitae Bionis conciliat Pelebartus de Themesvár ordinis Minorum S. Franciſci, qui Mathiae Regis concionator fuit, habet ia in Pomaerio ſuo in ſermone de Sancto, cui, vti titulus ait, applicata eſt legenda illius „*poſt annos plures. Maurus Epiſcopus Csanadienſis impetrauit a Rege Andrea, eius corpus, et exhumatum reperit lucidum, vt ebur miro odore fragrans, ad cuius tactum manus aridae mulieris mox ſanatae ſunt.*„ Aliud huc accedit argumentum, quod ſolennem translationem vehementiſſime probat. Thuroczio enim cap. 40. et Bonfinio pag. 196. teſtibus ſcimus hac occaſione etiam lapidem illum, quo caput S. Martyris contuſum fuit, Csanadinum fuiſſe translatum, hoc enim ipſe Stiltingus negare non audet dicens: „*Hoc itaque negare nolim, cum facile omitti potuerit a biographo.*„ Si quis hic mente recolere velit a S. Auguſtino commemoratum lapidem, quibus S. Stephanus Proto-Martyr lapidatus fuerat, translationem, non dubitabit hanc translationem ad publicum cultum pertinere.

S. Gerardus Venetias nunquam fuit translatus.

Fortius hic ſubiungimus argumentum, quo clarius patebit aſſertum noſtrum, dico nimirum translationem, quae quot annis in Hungaria anniuerſaria celebritate recolebatur, hanc primam eſſe, quando videlicet Peſtino Csanadinum translatum fuit, neque deinceps corpus hoc ſanctum ſiue venetias, ſiue aliorſum translatum fuiſſe. Primum igitur contra Venetos pugnandum, oſtendendumque illos, nonniſi aliquas inſigniores reliquias poſſidere, et hinc [illegible] translationis feſto nequaquam recoli translationem Venetias factam. Quis enim, niſi nugari velit, aſſeret, Reliquiarum etſi inſignium translationem ſolenni feſto celebrari? alias enim cum etiam Pragenſes poſſideant aliquas huius Sancti Reliquias, plura deberent agi translationum Feſta, quod omnino ridiculum foret. Venetis, qui poſſeſſione Sacri huius corporis gloriantur, probandum incumbit, quandonam facta ſit huiusmodi translatio; Nil ſane horum protulerunt hactenus, quin in Lectionibus officii antiqui Eccleſiae Muranae ex editione Cl. viri Flaminii Cornelii part. 2. Eccl. Forcell. a Stiltingo editis, nullum verbulum occurrit de translatione. Petrus de Natalibus iam laudatus, nullam aliam, niſi Csanadienſem memoriae prodidit, vsque adeo abſque vllo teſtimonio aſſerunt hanc translationem Venetae, vt Bion, neque translationis hiſtoriam vnquam videre potuerit; hanc teſte Stiltingo Jamningus, quando anno 1686. in Inſula Murano fuit, ſedulo inueſtigauit, et deprehendere non potuit, imo adnotauit nullum exſtare translationis monumentum. Ait quidem idem Stiltingus §. XXXVI. translationem Venetias celebrari a Maurolyco, Galeſinio, Felicio, Greueno, Canilio, Ferrario, verum recte ſubiicit Maurolycum, et Felicium *Natalem potius*, (id eſt paſſionem: Martiribus enim paſſio natalis eſt dies) annuntiare, quam translationem; Greuenum autem, Galeſinium, et Caniſium dubitare, ſitne paſſio, an translatio eo die memoranda, ex Martyrologiis Monaſticis a Bione citaris pauci admodum referunt hanc translationem, quibus omnibus obeſt, quod factum antiquum ſufficienter teſtari non poſſint; cum neque inſtrumentum translationis, neque aliae tabulae proferri valeant. Arnoldus Wion, ſiue Bion in editione Veneta anni 1507 adducit in teſtes Monachum quendam Benedictinum Franciacum Sanſouinum, Iulium Feraldum Presbyterum Cremonenſem, de Anonymo Monacho mox videbimus. Franciſcus Sanſouinus qui obiit 1586. Libro 13. deſcriptionis Venetiarum inquit: „*fece diuerſi miracoli, onde portato dal Re Andrea a Moriſſena, ſupoi di quindi condotto a Vinetia, et ripoſa honoratamente in*

San

San Donato a Murano.„ Quando id factum ſit, qua occaſione, tacet? Veritatem facti circumſtantiae docent, et merito negatur factum, cuius nullae doceri poſſunt circumſtantiae. Iulius Feraldus in annalibus Venetis ait: „*morto e a* 23. *Febraroche il giorno della ſua feſta.*„ Hoc teſtimonio non contentus Wion ſubiungit: *cum caeteris accipit diem translationis pro Natali*, quid quaeſo hic de Venetiis dicitur? nil prorſus. Ipſe Arnoldus Wioo, qui citatur in vita Veneta, Venetae translationis non meminit in arbore Monaſtica dicta Lignum vitae; dicit enim ad 23. Februarii: „*alli* 23. *Febraro translatione di Santo Gerardo Veſcovo.*„ Reſtat oſtenderem, quorſom translatus ſit. Csanadienſem enim non negamus translationem. Vnicum ergo praeſidium vitae Venetae conſiſtit in Monacho Anonymo, de quo dicitur ibidem: „*Monachus quidam Benedictinus congregationis S. Iuſtinae, quae floruit an.* 1470. *in quadam hiſtoria ſua MS. cuius exemplar eſt Florentiae.*„ Audiamus iam Anonymum, ait is: „*Cuius* (S. Gerardi) *corpus Venetias defertur, et Murani locatur. cuius natalis colitur.*„ Neque hic vllas prodit circumſtantias, neque tempus deſignat, adeoque non ſolum firmum translationis Venetae documentum promere non poſſunt illius Patroni, ſed neque ſatis ipſis Venetis conſtat, an corpus Sancti huius poſſideant? Iamningus enim, vti ſupra attigimus, in Diario ſuo fol. 26. dicit: „*in media fere Eccleſia* (S. Donati) *ad latus dexterum ingredienti per portam principem, altare eſſe, ſub quo corpus hoc Sanctum dicitur conditum, fertur, traditur.*„ Sufficiunt ne haec ad regulas Criticea factum aliquod expendere volenti?

Negatiuis argumentis ſuccedat poſitiuum. In vita toties laudata a Bione edita ſubnexum legitur caput XVIII. de quo ait idem: „*hoc Capitulum ab alio quopiam auctore huic praeſenti vitae adiectum erat, qui videtur fuiſſe ſcriptor, ſiue, vt ita dicam, copiator eiusdem, anno, vt ipſe in fine inſinuat* 1421.„ Hoc Capitulum docet nos anno Chriſti 1361. fuiſſe exuuias S. Gerardi ab Eliſabetha Regina voti cauſa in argentea tumba conditas, operae autem pretium duxi totum caput horſum tranſcribere, quod tale eſt: „*de eleuatione eiusdem Sarcophago aureo, et altari, et de morte Reginae* (titulus hic Capitis videtur a Bione additus. neque enim reperire eſt Legendas temporis illios in Capita diuiſas, et in ipſo contextu non dicitur Sarcophagum ex toto fuiſſe aureum:) „*poſt haec anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Sexageſimo primo, Deo deuotiſſima, ac Sancta Regina Eliſabeth relicta, Caroli Regis Hungariae illuſtris Domina ex equo lapſa, in grauem morbum inciderat, de qua infirmitate cum per merita S. Gerardi conualuiſſet, pro deuotione, quam ad ipſum Sanctum habebat, in ſui grati animi indicium, Monaſterium ipſius Viri Dei in aedificiis extendit, pluribus ornamentis pretioſis, et calicibus decorauit. Inſuper ſepulcbrum argento, et auro mirifici operis contextum pro Reliquiis eiusdem Sancti eleuandis parari fecit, ſuper quod et ipſius Familiae inſignia Regni Hungariae ſtemmatibus adnexa, Martyriique corona, et palmis inſignita ſculpi voluit. Tumbam vero ſimul cum altari in corpore eiusdem Monaſterii conſtruxit, in quibus praedicto anno oſſa beati Martyris ſic locauit. Poſt maiora oſſa beati Martyris fecit poni in ſepulcbro argenteo, et aureo, cum aliquibus reliquiis aliorum Sanctorum: et minora oſſa cum cilicio, et flagello, et capa, in qua martyriſatus eſt, ad Tumbam maiorem locari, cuius memoria in Benedictione eſt. Eadem vero Domina et Sancta Regina anno Domini MCCCLXXXI. migrans ad Dominum; ſepulta eſt in veteri Buda in Clauſtro Monialium, quod ipſa fundarat.*„ Teſtatur itaque auctor ipſe quiſquis demum ille ſit, qui non multo poſt factum hoc vixit, corpus S. Gerardi anno MCCCLXXI. adhuc Csanadini fuiſſe, imo perhibet ſimiliter illud ſua aetate ibidem perſtitiſſe, facturus certe ablati corporis mentionem. Locupletiſſimum teſtimonium aſſerto noſtro praebet Ludouicus II. Rex Hungariae in recognitione ſua Fratribus minoribus an. 1526. data, quam Pater Prileszkii in ſua Hungaria Sancta ſuperius laudata totam vulgauit, quae ad rem noſtram pertinent, inde decerpemus, prouti praefatam originalem recognitionem nobis a Cl. Patre Vincentio Blaho, quem alias pro merito ſuo celebrabimus, liberaliter communicatam ipſi propriis manibus deſcripſimus: „*Nos Ludouicus DEI gratia Rex Hungariae, et Bohemiae. Memoriae commendamus, et recognoſcimus per praeſentes, quod cum Fidelis noſter Ladislaus de Macedonia, Praepoſitus Eccleſiae Quinque Eccleſienſis, ac Egregius Petrus Bornemiſza. de Kapolna Conſiliarii noſtri ad exigendas pecunias, vaſaque aurea, et argentea, ac alia iocalia, quae ab vniuerſis Regni Hungariae, et Slauoniae, ac Tranſiluaniae Eccleſiis, ac Monaſteriis ex permiſſione indultuque Sanctiſſimi Domini Clementis Papae Septimi pro expeditione contra Turcas colligi decreuimus. Commiſſarii, et Collaterales, per ſpeciales litteras noſtras deputati fuiſſent. Inter alia, quae ex Clauſtro S. Petri Peſthien ordinis Fratrum Minorum de obſeruantia regulari Prouinciae Hungariae Saluatoris, et aliis Eccleſiis, et Monaſteriis, hic Budae, et in Peſth exiſtentibus leuarunt de eodem Clauſtro S. Petri ſepulchrum beati Gerardi Epiſcopi, et Martyris tempore cruce ſignatorum confractum ducentas, ac decem, et nouem marcas continens exceperunt. Item &c. Datum Budae Feria quinta proxima ante Feſtiuitatem beati Ioannis Baptiſtae,* (ideſt vigeſima prima Iunii, cum Feſtum praefatum illo anno in Dominicam quintam poſt Pentecoſten inciderit) „*Anno Milleſimo Quingenteſimo vigeſimo ſexto.*„ Egregie docuit Cl. Georgius Pray in diſſertatione ſua de dextera S. Stephani edita, hac occaſione pretioſiſſimum hoc Pignus allatum fuiſſe, eo proculdubio, fine, vt argentum, et aurum in bellicos conflaretur vſus. Idem ergo euenit exuuiis S. Gerardi, quod docet Ludouicus Secundus in Diplomate recitato, quis ergo inficias ibit, S. Gerardi corpus paucis ante cladem Mohacsianam Menſibus in Hungaria fuiſſe, non refert autem quidquam ſepulchrum a cruce ſignatis fuiſſe confractum. Inde enim infertur ob corpus ibi concluſum fuiſſe deterritos, ne argentum, et aurum tollant, cui enim poterit veroſimile videri, quod Hungari corpus Sancti Apoſtoli Venetis tradiderint, et aliquot Marcas argenti ſordidae auaritiae ſtudio retinuerint? Paulo poſt videbimus Reliquias huius Sancti, quas quidem Venetiis eſſe conſtat, plumbea incluſas fuiſſe capſa, cui perſuadebimus Venetos pari auaritiae morbo laboraſſe, vt gentilem ſuum ex argenteo ſublatum ſepulchro in plumbeam detruſerint capſulam. Ex his ſat clare patet corpus hoc Sanctum nulla ſolenni translatione Venetias fuiſſe allatum. Ad haec nulla ratione aſſequi poſſum, quomodo Hungari diem illam, qua tanto Apoſtolo priuati

fuit,

ſunt, ſolennem habere potuerint? Dicendum itaque translationis feſto nequaquam recoli memoriam ablati corporis, ſed eleuati, decentiusque collocati; Et hinc cum nullus adhuc aliam aliquam translationem praeter hanc primam, de qua agimus, litteris conſignarit, exploratum vtique eſt, illam agi ſolitam fuiſſe Feſto peculiari. Vnde ſuapte ſequitur: illam fuiſſe translationem ſolennem, et canoniſationis, ſeu beatificationis particularis locum obtinuiſſe.

Diximus reliquias S. Gerardi, quas quidem Venetiis exſtare certum eſt, plumbea concluſas fuiſſe capſa. Teſtem adfero Stiltingum, quia in diſſertatione praeuia §. 39. ex Cornelio in Eccleſiis Venetis Tom. 8. pag. 86. ait de Antonio Grimniano Epiſcopo Torcellano, in cuius Dioeceſi eſt Muranum, „dicitur laudatus Epiſcopus reliquias extraxiſſe capſula plumbea incluſas, easque Abbati, et Monachis liberaliter dediſſe.„ Quanta pars Reliquiarum illuc ab Epiſcopo memorato data ſit, non conſtat. in Eccleſia Veneta Parochiali SS. Trinitatis dicitur aſſeruari os coxae. Huc ergo recidit tota illa contentio de poſſeſſione Sacri huius pignoris, vt vnum, alterumue os ipſis admittere debeamus. Haec autem a nobis ideo diffuſius allata ſunt, vt Epiſcopis noſtris exercitum pro Dioeceſibus ſuis canoniſandi, ſeu beatificandi ius vindicemus. non quidem vt illud retinuant, ſed vt pateat ipſis pro diſciplina temporum competiiſſe.

LI.
EPISTOLAE S. GREGORII VII. PAPAE ad Hungaros datae.

I.

Epiſtola ex Synodo Romana ad Geyzam Ducem Hungarorum a: c: MLXXIV. Lib. 1. ep. 58.

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum DEI, Geyzae Duci Hungarorum, Salutem, et Apoſtolicam benedictionem.

Viſis litteris Tuis, laudabilem deuotionis Tuae profeſſionem cognouimus, in qua cor, et animum tuum erga reuerentiam Apoſtolicae Sedis igne Diuino inflammatum eſſe intelleximus. Qua de re non incerta ſpes tuae ſalutis oſtenditur; et non parum nobis exortum eſt gaudium: quoniam qui debita fide, et deuotione Apoſtolicae reuerentiae vota concipiunt, nequaquam dubia ab eis praeſidia et beneficia praeſtolantur. Vnde etiam tuam monemus dilectionem, vt ſtudia tua erga honorem Apoſtolorum ſemper excreſcant, et quanto te quotidie ex neceſſario fine vitae tuae iudiciis illorum appropinquare cognoſcis, tanto propenſius eos debitores tibi efficere ſtudeas: quatenus per miſericordiam DEI, illis ſuffragantibus, peccatorum tuorum indulgentiam, et aeternae beatitudinis gloriam te adipiſci gaudeas. De noſtra vero caritate nullatenus te dubitare volumus; ſed effuſis in te intimis, et Paternis affectibus, locum apud nos agendi, et impetrandi, quae ſaluti, et honori tuo digne competunt, te habere, remota omni dubitatione promittimus. Et ſi quis inimicorum tuorum aliquid aduerſum te moliri praue tentauerit, proculdubio non ſolum noſtra carebit audientia, ſed indignationem Apoſtolicae gratiae in eum exaſperari ſentiet. Tu autem ſi quid interdum, aut de tuis cauſis, aut quod ſeruitio Apoſtolicae reuerentiae pertineat, Noſtris auribus intimare cupias; habes egregium videlicet Marchionem Azonem, Nobis quidem inter caeteros Italiae Principes valde dilectum, per quem ea, quae ad Apoſtolicam audentiam referenda deſti-

naueris, nobis aptiſſime indicari, et commendari poterunt. De caetero Diuina Clementia, et ab inſtantibus huius Seculi te aduerſitatibus protegat, et ad peragendum ea, quae ſibi beneplacita ſunt, inuictas tibi vires, et facultates tribuat. Data Romae in Synodo Decimo ſexto Kalendas Aprilis, Indictione duodecima.

II.

Epiſtola ad Salomonem Regem Hungarorum, a: c: MLXXIV. (a) Lib. 2. ep. 13.

Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum DEI, Salomoni *(b)* Regi Hungarorum, ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem.

Litterae Tuae ad Nos tarde propter moram nuntii tui allatae ſunt, quas quidem multo benignius manus noſtra ſuſcepiſſet, ſi tua incauta * conditio non adeo beatum Petrum offendiſſet. *(c)* Nam, ſicut a Maioribus Patriae tuae *(d)* cognoſcere potes, Regnum Hungariae Sanctae *(e)* Romanae Eccleſiae proprium eſt, a Rege Stephano olim beato Petro cum omni iure, et poteſtate ſua oblatum, et deuote traditum. * Praeterea Henricus piae memoriae Imperator ad honorem S. Petri Regnum illud expugnans *(f)* victo Rege, et facta victoria, ad corpus beati Petri Lanceam *(g)* coronamque transmiſit, et pro gloria triumphi ſui, illuc *(h)* Regni direxit inſignia, quo Principatum Dignitatis eius attinere cognouit. Quae cum ita ſint, tu tamen *(i)* in ceteris quoque a Regia virtute, et moribus longe diſcedens, Ius, et honorem S. Petri, quantum *(k)* ad te imminuiſti, *(l)* et alienaſti, dum eius Regnum a Rege Teutonicorum *(m)* in beneficium, *(n)* ſicut audiuimus, *(o)* ſuſcepiſti. Quod ſi verum eſt, qualiter gratiam Beati Petri, aut noſtram beneuolentiam ſperare debeas, tuipſe, ſi iuſtitiam vis attendere, non ignoras: videlicet te, non *(p)* aliter eam habiturum, nec ſine Apoſtolica animaduerſione diu regnaturum, niſi ſceptrum Regni, quod tenes *(q)* correcto errore tuo, Apoſtolicae, non *(r)* Regiae, Maieſtatis beneficium recognoſcas. Neque enim nos timore, vel amore, aut aliqua perſonali acceptione, quantum DEO adiuuante poterimus, debitum honorem eius, cuius ſerui ſumus, *(v)* irrequiſitum relinquemus. Verum ſi haec emendare, et vitam tuam, vt Regem decet, inſtituere, *(s)* et DEO miſe-

(a) Vide quae in recenſione de Codice Corſiniano, ex quo variantes lectiones depromſimus, praefati ſumus.

(b) *Dilecto filio.*

* Apud Baronium *in cauſſa* meodoſe ſcribitur.

(c) *Et inter caetera ita ſcribit dicto Regi.* Codex enim Corſinianus, priora praetermiſit.

(d) *Recognoscere.*

(e) *Sacroſanctae.*

* Baronius, *propterea.*

(f) Codex Corſinianus habet duntaxat: *victoria odepto.*

(g) *Et Coronam Regis.*

(h) *Regis.*

(i) Duriuscula haec exprobratio deſideratur apud Baronium abeſt Tò *longe.*

(k) *In te* melior certe lectio.

(l) Verba *et olienaſti* deſiderantur.

(m) *Theuticorum.*

(n) Vide quae de beneficio in recenſione ſcripſimus.

(o) *Accepiſti.*

(p) Tò *aliter*, deſideratur.

(q) *Correpto.*

(r) Additur *autem.*

(v) Baronius iterum mendoſe *iure quaeſitum.*

(s Vt regem decet inſtituere Deo miſerante, volucris.

Digitized by Google

miſerante adornare volueris, procul-dubio dilectionem (a) Sanctae Romanae Eccleſiae, ſicut (b) Matris dilectus filius, et Noſtram in Chriſto amicitiam plene habere (c) poteris. Data Romae Quinto Kalendas Nouembris, Indictione Decima tertia.

III.

Epiſtola ad Judith Hungarorum Reginam, a: c: MLXXV. Lib. 2. ep. 44.

Gregorius Episcopus, Seruus Seruorum DEI, Judith Hungarorum Reginae, ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem.

Multae ac diuerſae cauſae ſunt, propter quas intimo, et ſincero cordis affectu te diligimus. *Primo:* quoniam ex vniuerſalitate ſuſcepti regiminis omnibus, qui in Chriſto ſunt debitores ſumus. Deinde, quoniam Clariſſimus Imperator Henricus Pater tuus, et Agnes Mater tua iam nunc non humanitus, ſed DEI miſericordia coelitus Imperatrix auguſta, ex quo me cognouerunt, pro ſua magnitudine honorifice, et prae ceteris Sanctae Romanae Eccleſiae filiis caritatine habuerunt: et maxime quia nunc eadem Mater, et Domina tua, poſtpoſitis ſecularibus cauſis, et honoribus, Apoſtolorum limina tota deuotione, et veneratione complectitur: ex cuius quidem praeſentia inter huius ſeculi nequam perturbationes ſaepe nobis accepta ſolatia conferuntur. Praeterea multum te commendat nobis tua praeclara, et inclyta fama, quod in tam tenera aetate inter aſperam, et incognitam gentem generis tui gloriam decoraſti: quippe quae in excelſo nata Imperio nihil in actibus, et habitudine tua, niſi decus Imperiale hactenus demonſtraſti. His, inquam, de cauſis nos, quibus fallere quemquam nefas eſt, in loco germanae ſororis te diligimus: et ſi quid orationes noſtrae apud DEVM valent, non infructuoſam erga te noſtram fore amicitiam in DEI pietate conndimus. Scias etiam, quod de tribulationibus, et anguſtiis, quas te ſuſtinere cognouimus, valde dolemus, et Diuinam Clementiam pro quiete, et laetitia tua frequenter, et ſuppliciter imploramus. Et ſi quando locus, aut tempus opportunitatem dederit, temporalibus quoque ſubſidiis te honorare quam maxime cupimus. Ceterum ea, quae nunc tibi inſtat aduerſitas non te terreat, nec mentem tuae generoſitatis deprimat, ſed ſi quod moeſtum, aut graue ingruerit, vultu Regalis conſtantiae, geſtuque diſſimula, et moleſtas, quas DEVS auertat, cauſas naturali morum tuorum virtute patienter tolera. Fiduciam, et ſpem firmam habens in DEO Saluatore noſtro, quoniam ipſi cura eſt de te, qui nunquam derelinquit ſperantes in ſe: et quanto nunc animum tuum ſollicitudinibus verberari ſinit acerbius, tanto eum ex vicina, et potenti virtute conſolationis ſuae laetificabit vberius. Ipſe enim nihil ſine cauſa praecipit, nihil ſine ratione permittit, qui Regum et Imperatorum omniumque cauſarum aequus, arbiter, et moderator exiſtit. Verum inter omnia te id agere, et ſtudere monemus, vt praeclarum nomen vitae, ac nobilitatis tuae ab ineunte aetate nactum in dies amplificetur, et creſcat: quoniam integritas famae licet prae cun-

(a) *Sanctae* abeſt.
(b) *Matris* abeſt.
(c) *Habebit* is.

ctis terrarum opibus corona ſit nobilium, et ignobilium; tanto tamen vnicuique plus ornamenti, et gloriae tribuit, quanto eum eminentia generis altius extollit. Illi enim ſua humilitate teguntur, iſti vero innata ſibi celſitudine produntur. Age ergo, vt omnibus quae Regnum fert, et Imperium tanto te excellentiorem oſtendas, quanto ea omnia mutari cognoſcis. Tuam vero naturam, et imperiale germen, quod in te eſt, nullis ſucceſſibus, nullisue aduerſitatibus mutari poſſe proponas. De cetero quod nos Matrem tuam de cauſa tua compellare rogaſti, pro certo ſcias, nos omnia quae ad honorem, et ſalutem tuam pertinent, et conſulendo libenter ei intimare, et perſuadendo, vt fiant, Apoſtolica benigne adiutoria exhibere. DEVS autem Omnipotens, qui eſt moeſtorum conſolatio, infirmantium fortitudo, praeſentem vobis laetitiam cito conferat, et veram aeternamque gloriam ſupernae felicitatis tribuat. Data Romae, Quarto Idus Ianuarii, Indictione Decima tertia.

IV.

Epiſtola ad Geyzam Hungarorum Ducem, a: c: (a) MLXXV. Lib. 2. ep. 63.

Gregorius Episcopus, Seruus Seruorum DEI, Geyzae Hungariae Duci, ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem.

Licet ter Legatos, quos pridem ad Nos direxiſti, miſer'mus tibi litteras, quas nondum te aſſeris percepiſſe, iterum tamen pro Caritatis affectu, qua omnes Reges, et Principes vt Filios admonemus, ſcribimus ad te, deſiderantes tibi cum iuſtitia, quaecunque ſunt honoris, et gloriae. Multa quippe bona de te mihi relata ſunt, atque ex tuis actibus honeſta fama ad aures noſtras vsque peruenit: pro quibus diligimus te, et cupimus, vt fama cum rei veritate ſemper aſcendat. (b) Notum autem tibi eſſe credimus, Regnum Hungariae ſicut et alia nobiliſſima Regna in propriae libertatis ſtatu debere eſſe, et nulli Regi alterius Regni ſubiici, niſi Sanctae, et vniuerſali (c) Matri Romanae Eccleſiae, quae ſubiectos non habet, vt ſeruos, ſed vt filios (d) ſuſcipit vniuerſos. Quod quia conſanguineus tuus a Rege Teutonico, non a Romano Pontifice vſurpatiue obtinuit, (e) Dominium eius, vt credimus, Diuinum iudicium impediuit. (f) Cum vero res in manibus tuis ſit, hortamur te, vt interim circa Eccleſias curam habeas, circa religionem ſummum ſtudium geras, talemque obedientiam Lagatis Sanctae Romanae Eccleſiae, cum ad te venerint, exhibeas, quatenus interceſſione beati Petri in gloria, et honore vtriusque vitae proficias. Data Romae decimo Kalendas Aprilis, Indictione Decima tertia.

Epi-

(a) Codex Corſinianus. *Item in eodem ad Geyzam Hungariae Regem CLXIII. ſic ſcribit.*

(b) Hoc loco incipit in Codice Corſiniano contextus Epiſtolae.

(c) *Vniuerſali noſtrae Eccleſiae.*

(d *Tò ſuſcipit* deſideratur, et re ipſa redundat.

(e) *Vſurpauit Dominium* eius Dominium.

(f) Hic deſinit epiſtola in codice Corſiniano.

V.

Epiſtola ad Geyzam Hungarorum Ducem a: c: MLXXV. *(a) lib. 2. ep. 70.*

Gregorius Episcopus, Seruus Seruorum DEI, Geyzae Hungariae Duci, ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem.

Si officii Noſtri eſt omnibus ſua Iura defendere, ac inter eos componere pacem, ac ſtabilire concordiam, multo magis ratio exigit, atque vſus vtilitatis expoſcit, vt ſeminemus caritatem inter maiores, quorum pax, aut odium redundat in plurimos. Vnde nobis cura eſt, et cordi pia ſollicitudo inhaeret, quatenus inter te, et conſanguineum tuum Salomonem Regem faciamus pacem, ſi poſſumus, vt iuſtitia vtrinque ſeruata ſufficiat vnicuique quod ſuum eſt, terminum Iuſtitiae non tranſeat, metam bonae conſuetudinis non exeedat; ſicque fiat in pace nobiliſſimum Regnum Hungariae, quod hactenus per ſe principaliter viguit, vt Rex ibi non Regulus fiat. *(b)* Verum vbi contempto nobili Dominio beati Petri Apoſtolorum Principis, cuius Regnum eſſe prudentiam tuam *(c)* latere non credimus. Rex ſubdidit ſe Teutonico Regi, et Reguli nomen obtinuit. Dominus autem iniuriam ſuo illatam Principi praeuidens, poteſtatem Regni ſuo ad Te iudicio tranſtulit. Et ita *(d)* ſi quid in obtinendo Regno iuris prius habuit, eo ſe Sacrilega vſurpatione priuauit. Petrus enim a firma Petra dicitur, quae portas Inferi conſtringit, atque adamantino rigore deſtruit, et diſſipat quidquid obſiſtit. *(e)* Quapropter ſi quid vis, ſi quid habere a Romana Eccleſia digne ſperas, nobis confidenter volumus vt aperias; et quae tua ſit deuotio erga vniuerſalem Matrem, qualiterue illi ſtatueris obedire, ſanctamque reuerentiam exhibere operibus, ſicut te decet, oſtendas. Quae autem hic minus ſcripſimus, horum portitoribus tibi dicenda relinquimus, quia de illorum fidelitate ſatis confidimus. Omnipotens DEVS, qui beato Petro poteſtatem ligandi atque ſoluendi principaliter tribuit, eius precibus te, tuosque in Chriſto fideles a cunctis peccatis abſoluat, et ad vitam perducat aeternam. Data Romae Decimo octauo Kalendas Maii, Indictione Decima tertia.

VI.

Epiſtola ad Nehemiam Archi-Episcopum Strigonienſem a: c: MLXXVII. *Lib. 4. ep. 25.*

Gregorius Episcopus. Seruus Seruorum DEI, Nehemiae Strigonienſi in Hungaria Archi-Episcopo, ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem.

Non admirari Te volumus, qua de cauſa Fratrem iſtum, videlicet harum litterarum portitorem, tamdiu nobis-

(a) Codex Corſinianus fragmentum huius epiſtolae recenſens haec habet: *Item in eodem ad eundem capitulo LXX. inter cetera ſic incipit.*
(b) Hic incipit in codice Corſiniano.
(c) *Non lates.*

(d) *Et ita conſanguineus tuus ſicut in obtiendo regno iuris prius habuit, a ſe ſacrilega vſurpatione priuauit.*
(e) Hic deſinit fragmentum Corſinianum.

biſcum retinuerimus: nam cum ad nos venit, in Regnum Teutonicorum tranſire diſpoſueramus: quatenus inter Regem Henricum, et Principes terrae pacem, et concordiam componere, DEO adiuuante poſſemus; acceptis etiam per Sacramentum ab eodem Henrico Rege ſecuritatibus, quas ex parte illius ad profectionem noſtram tunc oportere putauimus. Cuius rei exitum exſpectantes, interim hunc nobiſcum manere praecepimus, vt et certum huius negotii finem, et ſi quae alia neceſſaria viderentur, vobis hoc reuertente mandaremus. Ceterum quia cauſa, ſicut vobis notum eſſe credimus, ad grauiſſimam litem, et pene ad totius Patriae diuiſionem excreuit, neque nobis hoc in tempore tranſire opportunum eſſe vidimus, diutius hunc tenere noluimus. Scribentes per eum Fraternitati tuae, et multum admonentes, vt ei apud te proſit, quod cum tanta fatigatione, et periculo, et Apoſtolicam quaeſiuit miſericordiam, et tam longam apud nos fecit moram. Hoc enim ſcire te volumus, quoniam quamdiu nobiſcum fuit, quietum in illo ſpiritum, et ad ſeruiendum DEO deuotum eſſe cognouimus. Quapropter ſecundum miſeriam horum temporum, et ad comparationem earum perſonarum, quas pro infirmitate, et neceſſitate toleramus, hunc quoque miſericorditer portandum eſſe non indignum duximus: Siquidem ea quae nobis de ſua manifeſtauit conſcientia, et de quibus a ſe reprehendi confitetur, a ſua confeſſione, et relatione non diſcrepant. Quod autem ad Sacerdotii gradum promoueri deſiderat, etſi nos ex imperii auctoritate non decernimus, reſpectu tamen indulgentiae non contradicimus, nec denegandum ſibi eſſe iudicauimus. Siquidem alia, quae nos lateat, ordinationi ſuae grauior cauſa non obſtiterit; et deinceps vitam, et mores ſuos ad dignitatem tanti miniſterii congrue inſtituere, et perſeueranter DEO miſerante, ſeruare voluerit. De cetero admonemus Fraternitatem tuam, vt Regem, qui inter vos electus eſt, cum aliis tuis Confratribus, et Principibus terrae alloquaris, notificantes, et conſulentes ſibi, vt apertius nobis ſuam voluntatem, et erga reuerentiam Sedis Apoſtolicae debitam per idoneos Legatos denuntiet deuotionem: et ita demum, quod ad nos attinet, ad honorem DEI Omnipotentis et beati Petri Apoſtolorum Principis benigne ſibi reſpondebimus: et Excellentiae ſuae ad ſuam, et totius Regni vtilitatem, Sanctae et Apoſtolicae auctoritatis ſtudium cum omni caritate, et beneuolentia exhibere curabimus. Cetera vero, quae longum erat in Epiſtola viua fideliter voce nuntiabit, ſicut in eius ore poſuimus. Data Carpinetae, quinta Idus Iunii, Indictione Decima quinta.

VII.

Epiſtola ad S. Ladislaum Hungarorum Regem, a. c. MLXXIX. ib. 6. ep. 29.

Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum DEI, Ladislao Hungarorum Regi, ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem.

Sicut Fidelium Tuorum crebra relatione cognouimus, idemque ipſum noſtris atteſtantibus ratum habemus, Excellentia Tua ad ſeruiendum beato Petro, quemadmodum religioſa poteſtas debet, et ad obediendum nobis vt liberalem Filium decet, toto affectu, et cordis intentione parata eſt. Vnde nimirum deuo-

deuotionem mentis tuae ſuper hoc ſtudio non indigne laudamus, eique ſincere congratulamur: quod quidem optimorum Regum ſequendo veſtigia illuſtrat, ſeruando tam in moribus normam iuſtitiae, quam etiam lineam nobilitatis in ſanguine. Igitur quia de Celſitudinis Tuae liberalitate, et obedientia ſatis confidimus, ad quiddam noſtrae vniuerſali ſollicitudini congruens, quod honori quoque tuo non parum concordat, inuitare te non dubitamus: quatenus in eo, et illa quae de te verbis ſolis credita ſunt eſſe vera facti indicio pateant, et nobis ſit aperta firmior cauſa, qua te prae ceteris Regiae dignitatis amplius ſpecialiusque diligere merito debeamus. Itaque Comites illos vel - - - videlicet D. - - - et C. - - eorumque milites, quos beato Petro fideles iuſtitiaeque fautores iniuſta (vt accepimus) ſententia in exilium expulit, tibi commeodatos eſſe ex parte noſtra optamus. Et quia hactenus illis ſubuenire ex induſtria propria claritudo tua curauit, ſentiant ſibi nunc ob fidelitatem beati Petri noſtramque commendationem ſolatii auxiliique munus copioſius acceſſiſſe. De cetero prudentiam tuam monemus, vt viam iuſtitiae ſemper ſtudeas irreflexo calle tenere: et viduas, et orphanos, et peregrinos Paterna pietate tueri. Eccleſias non modo non laedere, ſed etiam ab arrogantium, et inuaſorum petulantia, et temeritate defendere, nec non et alia quae recte intelliges, procures diligenter ſeruare. Illud quoque nihilominus ſcire te volumus, quosdam nomine tuo Legatos ad nos olim veniſſe, quibus item nos iſtud iniunximus, vt Dilectioni Tuae ſuggererent, quatenus alios deſtinare, quo certiores efficeremur, cenſeres. Verum nobis adhuc in incerto manet, an ad te mandata noſtra perlata ſint, an aliquos poſtea miſeris; liquet autem neminem a te Legatum ad nos poſt inde veniſſe. Quare decreuimus ad te iterum idem repetendo ſcribere; itidemque de Comitibus, quod iam poſtulauimus, iterando inculcare: quo et nuntios, ſi noudum miſiſti, non vlterius mittere negligas, et praenominatis omnibus praeſidii manum familiarius, prouiusque in cunctis porrigere ſtudeas. Omnipotens, et miſericors DEVS, a quo bona cuncta procedunt, per merita, et interceſſiones Beatae DEI, Genitricis ſemperque Virginis Mariae, et beatorum Petri, et Pauli, greſſus tuos per viam deducens iuſtitiae, conſtanter dirigat vsque ad finem; et ſic huius vitae temporalia regni gubernacula ſaciat temperare, quatenus aeterna promerendo vaieas adipisci. Data Romae duodecimo Kalendas Aprilis, Indictione ſecunda. (a)

S. Gregorius VII. vindicatur.

(a) Epiſtulas has nonnulli crimini dant S. Gregorio VII. et difficilem ipſi Litem mouent. Ill. Adamus Franciscus Kollar, in Hiſtoria Diplomatica Iuris Patronatus Regum Hung. Lib. a. cap. 6. pag. 9a. de Henrico auream lanceam deuicti Regni Hungariae monumentum Summo Pontifici ſubmittente ait: „*in huius gloriae teſtimonium memoratam ſupra lanceam Henricus VI. Summo Pontifici Romam miſerat, quod aliter atque Henricus voluiſſet, interpraetatus Gregorius VII. Sexti ſucceſſor, hanc ipſam Lanceae oblationem in argumentum ſumpſit, quo cum Salamoni, tum Geyſae I. Hungariae Regibus perſuaderet Regnum Hungariae Apoſtolicae Sedis haereditarium eſſe*.„ Capite ſubſequenti diligentius hanc quaeſtionem pertractans, totus in eo eſt Ill. Auctor, vt euincat Pontificem Gregorium VII ſtuduiſſe ſuppreſſa electionis libertate nominationem Regum Hungariae ſibi vendicare, oſtendemus illico non fuiſſe hanc mentem Sancti huius Pontificis: illud hic ſilentio practerire non poſſumus, mirum nobis videri, cur in Romanis Pontificibus damnent id multi, quod in Patriarchis Orientis nemo ſugillat, nemo in quaeſtionem vocat. Recte enim ait Thomaſsinus diſciplinae Eccl. part. 3. Lib. 1. cap. 30. numero XV. „*Duodecimo demum hoc Seculo adeundus nobis eſt Wilhelmus Tyri Archi-Episcopus, qui addoceat nos, quae temporalis hoc aeuo fuerit Patriarcharum Orientalium poteſtas, et quam finitima Romani Pontificis amplitudini*.„ Ordiamur ergo demonſtrationem a Patriarcha Antiocheno, de hoc ait Tyrius Lib. 15. cap. 12. de Raimundo Principe, et Radulpho Patriarcha: „*fidelitatem manualiter exhibuit ſpondens fide interpoſita, quod ab ea die in antea non eſſet in Conſilio, vel in facto, quod honorem, vitam, vel membrum perderet, aut caperetur mala captione, ſicut in forma exhibendae fidelitatis continetur*. Scimus Bon-

Exemplo Patriarcharum Orientis.

vtile ſubſidium haberent. „ Ideo aiebat Rex Angliae ad Concilium Remenſe an. 1119. Legatos mittens: „*redditas ab anterioribus conſtitutos Romanae Eccleſiae ſingulis annis erogo.*„ Si ergo conſtitutam hanc eleemoſynam, quae Anglis etiam Romae commorantibus in ſubſidium vtile proficiebat, non impoſuit, ſed exegit Gregorius VII. nunquid ideo ſupremo Regum iuri ſubinſeſtus videri poteſt? Quae itaque de Anglia ſtatuit Papa, ad noſtras Epiſtolas trahi non poſſunt, cum nullum a nobis cenſum exegerit, neque inuidiam creare poſſunt Viro Sancto. Mirari itaque non ſufficimus, qua fronte Svartzius ex Ioh. Bodino alterius cuiuspiam Epiſtolae ad Salomonem datae fragmenta recenſere audeat, quae dicit poſt Conſtantinum ereptam fuiſſe Hungariam a Barbaris, et Romano Imperio Eccleſiam haeredem ſucceſſiſſe, quae haereditas a Chriſtianis Regibus Eccleſiae Romanae, cui debebatur, reſtituta fuit, quis non videt paucia verbis quadrata miſceri rotundis. Addamus teſte ipſo Schvvtzio talem Epiſtolam a nemine hactenus viſam; mirum etiam quam maxime videtur nobis, quod Schödelius in diſquiſitione hiſtorica de Hung. §. 299. dicat extare inter Libros Mathiae Berneggeri codicem MS. e Bibliotheca Ludouici De molini Rvehefortis Medici, et Conſiliarii quondam Sabaudici, qui Reges recenſens dicat: „*Ex his fendatarii ſunt Rom. Eccleſiae in Fiſco Apoſtolico ſcripti: Rex Siciliae, et Neap. Rex Sardiniae, Rex Arragoniae, Rex Ieruſalem, Rex Hungariae.*„ Licet Summi Pontifices a Regibus Hung. profeſſionem deuotionis exegerint, cenſum tamen nullum exigebant. Scire itaque opporteret, quis ſit ille MS. codex? an Ludouicum Demolinum, an alium auctorem habeat? et is quam vetuſtus ſit? Bodinus vti idem Schödelius habet, teſtatur in Archiuiis, et publicis Actis Curiae Romanae inter Reges Feudatarios etiam Regem Hungariae deſcriptum eſſe, ego quidem exiſtimo hanc annotationem in iisdem Archiuiis extare, in quibus fragmentum ſupra allatae Epiſtolae Gregorianae repertum eſt. Non dubito Bodinum haec ita ab aliquo didiciſſe, ſed aio ipſum id ex lutulentis hauſiſſe fontibus, deceptumque fuiſſe publica acta aliud docent, neque video cur Sedes Apoſtolica tam inſignis iuris ſui monumenta vellet eſſe occulta, ſi aliqua praeter illa quae habemus extarent. Tandem Denarii S. Petri ab eodem Gregorio ſingolis Domibus Franciae impoſiti immemores eſſe nequimus, vt hanc quoque inuidiam a Pontifice noſtro depellamus. Fundamentum quo inductus id fecit ſat ſuperque purgat eundem: ait quippe lib. 8. epiſt. 23. „*nam Caralus Imperator, ſicut legitur in Tomo eius, qui in Archiuio Eccleſiae B. Petri habetur, in tribus Locis annuatim colligebat mille ducentas libras ad ſeruitium Sedis Apoſtolicae.*„ Eleemoſynae huius a Carolo Magno Apoſtolicae Sedi deputatae collectio, numquid vſurpationem Regni alicuius portendit? Ex binis itaque his exemplis Angliae, et Franciae contra S. Gregorium VII. nulla poteſt inferri praeſumptio, quaſi Regum noſtrorum voluiſſet imminuere auctoritatem.

Sed dices, quam ergo iniuriam accepit Sedes Apoſtolica a Salomone, qui beneficiarium, et clientelare Regnum a Teutonico accepit Rege? magnam profecto. Etenim non credo quemquam futurum, qui de S. Stephano Rege id dicere audeat, quod modo laudatus Ill. Kollar in hiſt. Iuris Patronatus lib. 2. cap. 7. pag. 99. de Petro Rege ſcripſit: „*videlicet Regnum per tyrannidem oblatum, et ſigna huius illegitima ac ſcenica.*„ fuiſſe. Aliquid ergo operata fuit oblatio Regni a S. Stephano facta; ſi enim tam ſolennis fuit oblatio, et inſuper legatis ab vtrinque miſſis roborata, niſi ſcenicam, et ludicram dicamus, omni effectu carere non potuit, negari etiam non poteſt tantum operari oblationem, in quantum acceptata fuit, tunc enim conſumatur oblationis actus. Sylueſtrinae litterae, ſi tamen fides ipſis habenda eſt, docent Syluestrum Papam protectione duntaxat contentum fuiſſe; dicunt enim: „*Regnum tuum, ac Coronam, et Nationem Vngaricam praeſentem, ac futuram ſub protectionem Sanctae Romanae Eccleſiae acceptantes, prudentiae tuae, haeredibus, ac legitimis ſucceſſoribus tuis habendum, tenendum regendum. &c. reddimus, et conferimus.*„ Si itaque S. Stephanus Regnum Eccleſiae Romanae commendauit, ſi illud ſub protectione eiusdem fuit, abaque eiusdem iniuria in alium quempiam transferri haud valuit, vtpote iam alteri vindicatum: Offendit ergo B. Petrum Salomon, et vſurpationis reus merito iudicatur a Gregorio Papa. Vt nil dicam ſacrilegam merito dici vſurpationem, dum aliquis praecellentem Regis dignitatem ſub alienae poteſtatis iugum mittit.

Duo adhuc hic expedienda ſunt, vnum videlicet, an Reges Hungariae aliquando obiurgationibus Pontificiis obſecuti fuerint; alterum, an Salomon Regnum Hungariae a Teutonico Rege obtinuerit? Vtrumque negat auctor Hiſt. Diplomaticae Iuris Patronatus, et quidem de primo ſcribit: pag. 98. „*Neque Salamon Rex, neque ſucceſſor eius Geyſa ſimilibus plane eiusdem Pontificis pulſatus litteris, Pontificiae huic obiurgationi morem geſſit.*„ De Salomone autem pag. 101. „*obiurgandus igitur Imperator erat, quod Lanceam, et Coronam ad Pontificem non miſerit, ſed nempe Salomonem Regnum Hungariae ab Imperatore non habuiſſe ferme certum eſt.*„ In ordine ad primum: Non ſolum certum, ſed etiam innegabile eſt Salomonem, Geyſam, et S. Ladislaum Pontificiae voluntati morem geſſiſſe. De Salomone habemus teſtimonium ſitnum ex Epiſtola Gregorii ad ipſum data in verbis: *Litterae tuae ad nos tarde propter moram nuntii tui allatae ſunt, eas quidem multo benignius manus noſtra ſuſcepiſſet, ſi tua incauta conditio non adeo Beatum Petrum offendiſſet.*„ En vides ſatisfactum fuiſſe Pontifici, cum dicat gratiores futuras fuiſſe litteras, ſi culpa non praeceſſiſſet. Si enim efflagitatum obſequium neque dum praeſtitiſſet, tali exordio haud fuiſſet vſus Papa; et quid tandem opus erat nuntio ad denegandum obſequium? De Geyſa iam recitauimus ſuperius verba illa Gregorii dicentia: „*Viſis litteris tuis, laudabilem tuae profeſſionis deuotionem cognouimus*„ De S. Ladislao dubium nullum eſſe poteſt, cum dicat S. Gregorius in Epiſtola, in Noſtra editione Nr. 40. ſignata: „*Scire te volumus quosdam nomine tuo Legatos ad nos olim veniſſe, quibus item nos illud iniunximus, vt dilectioni tuae ſuggererent, quatenus alios deſtinare, quo certiores efficeremur conſeret.*„ Cum Pontifex dicat ſe certiorem effici velle de ſtudio, et obſequio Ladislai erga Eccleſiam. Legati ergo illuc miſſi, voluntatis ſignificatio-

nem attulerunt. Nnn deſideraret enim Pontifex clariorem, ſi oulla allata fuiſſet, an Sanctus hic Rex alios dein miſerit, non habeo dicere, obſecutum tamen etiam per primos Legatos fuiſſe certum eſt, licet Pontifici non fuerit ſatisfactum. Schödelius ſupra citatus §. 301. ex Bodino dicit: „*in actis Vaticanis legi fiduciae formulam, qua Ladislaus I. Rex Hungariae Benedicti XII. Pontificis Romani fiduciarium ſe profitetur.*„ Ex his Bodini verbis manifeſtum fit, quantum ipſi tribui debeat, quando de actis Vaticanis loquitur. Ladislaus enim I. anno 1076. Thronum capeſſiuit ſub S. Gregorio VII. neque toto hoc ſeculo alter Benedictus, quam VIII. et IX. ſedit. Benedictus autem XII. anno 1334. ad Cathedram Petri euectus fuit. Hic actus fiduciarius ibi quaerendus eſt, vbi fragmentum Epiſtolae Gregorianae reperit. Quod vero ad Salomooem attinet: ferme iunegabile eſt, illum a Rege Henrico ſuum tenuiſſe Regnum. Nil enim obeſt, quod Pontifex ſcribat ad Geyſam *ſicuti audiuimus*, iode enim inferri non poteſt, illud minus certum eſſe, aut a maleuolis obtrectatoribus excogitatum fuiſſe, vicinos facti teſtes vocare placet, in quos nulla fraudis ſuſpicio cadit, Chronographos nimirum Auſtriacos, in ſcript. Rerum Auſtriacarum a Bernardo Petz editis Tom. I. col. 225. ad annum 1063. Habet Chruoicon Monaſterii Mollicen. *Henricus Rex exercitum mouit in Pannoniam, et Salomonem Regem conſtituit.*„ Chronicon Saliaburgenſe apud eundem MLXXIII. „*Henricus Rex exercitum in Vngariam mouit, Salomonem Regem fecit, et magno honore redit.*„ Chronicon Clauſtro Neoburgenſe„ MLXIII. *Henricus Rex exercitum mouit in Pannoniam, et Salamonem Regem conſtituit, Federatisque omnibus cum ſummo honore reuertitur.*„ Authoris incerti Chronicon Auſtriacum: „*MLXIII. Heinricus Rex exercitum mouit in Pannoniam, et Salomonem Regem conſtituit Filium Andreae Regis, quem* Belo, (lege Bela) *Frater iam a Regno cum vxore, et filiis ſuis nimis pernicioſe expulit mortuo Belone* (lege Bela) *et filio in fugam lapſo, foederatisque omnibus cum ſummo honore reuertitur.*„ Sed haec ſufficiunt ad euincendum aſſertum meum. Denique Henricus Imperator, quod Salomone Rege conſtituto rurſus Lanceam ad S. Petrum noo miſerit, obiurgari nulla ratione potuit. Deuotioni enim ſuae abunde ſatisfecit ſemel illam eorſum deſtinando. Gregorius autem VII. Henrici facto non pugnauit, quaſi inde Ius Eccleſiae Romanae firmaturus, ſed argumento, quod ab exemplis peti ſolet, vsus eſt. Ipſe Pontifex addendo Henricum miſiſſe haec inſignia *pro gloria triumphi ſui*, Satis

An Salomon Regnum ab Henrico acceperit in beneficium?

oſtendit, quantum velit valere exemplum Henrici. In Crooico Gulielmi de Nangis Spicilegii P. Martene Tom. 3. p. 24. ad anum MCCXI. Simile reperio traoſmiſſi vexilli, et Lanceae monumentum. Poſtquam enim victoriam Regis Arragonum Contra Miramollioum Saracenorum proſtratis centum millibus Saracenorum glorioſiſſime parta ſermonem habuiſſet, ſubiungit: „*in cujus victoriae ſignum Rex Arrogonum miſit Romam vexilum, et Lanceam Miramollini, quae vſque adhuc in Baſilica B. Petri ſervatur.*„ Vterque fecit *pro gloria triumphi*, neuter certe Regnum Sedi Apoſtolicae fiduciarium reddidit.

Concludamus hanc de iure fiduciario Eccleſiae Romanae io Regnum Hungariae diſputationem memorabili S. Ambroſii ſententia; ait in Epiſt. 25. *Veteri iure a Sacerdotibus donata Imperia non vſurpata, et vulgo dici quod Imperatores Sacerdotium magis optauerint, quam Imperium Sacerdotes.*„ Non indignemur, quod Sedes Apoſtolica donauerit Regna, dum certum eſt oulla vſurpaſſe. Aegre non feramus Regnum Hungariae ſub protectione Eccleſiae Romanae eſſe, cum nemo ſtomachetur Alexandriae ſuburbium tempore S. Athanaſii tutelae ſubſuiſſe Monachorum Tabanenſium, ait enim: „*totum videtur ſub tutela eſſe Monaſterii Tabannenſium.*„ Et Gregorius Turonenſis de miraculis S. Martini l. 3. c. 14. de vrbe loquatur: „*quae ſub tuitione Sanctae Matris Eccleſiae habebantur.*„ Nihil ob hanc Principum in Eccleſiam obſeruantiam a ſupremo eorum decerpitur iure, ea erat temporum illorum disciplina, vt Principes cum Dei Miniſtri ſint, ab illo Principatus ſui Inſignia accipere volebant, qui eius in terra Vicarius eſt. Solebant quoque antea Principes ab Episcopis accingi gladio in Chronico Manaſterii Mellicen. ad aonum MLXV. legimus: „*Henricus Rex accinctus eſt gladio regni ſui anno nona in Paſcha.*„ Io vetuſto Chronico incerti Auctoris quod io Analectis edemus ad annum MCLXXIV. „*Luipoldus et Hainricus Frater eius filii Hainrici Ducis Auſtriae accincti ſunt gladio.*„ In Catalogo Laureacenſium, et Patauien. Epiſcoporum a Bernardo Petz Tom. I. edito de Gebhardo Episcopo Patauienſi ſcribitur: „*Anno Domini MCCXXXII. Fridericus Dux Auſtrioe accinctus eſt gladio Viennae ab Gebbardo.*„ Has, et his ſimiles ſpontaneas Principum pietates quemadmodum gaudenti animo ſuſpexit Eccleſia, ita eaſdem exoleuiſſe non debemus magnopere dolere.

SY-

SYNODVS SPALATENSIS
A: C: MLXXV. celebrata.



I.
Sententia Gerardi Apoſtolicae Sedis Legati.

In anno MLXXV. ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Menſe Nouembris ea tempeſtate, qua Comes Amicus Regem Croatiae cepit.

Ego Girardus Sanctae Romanae Eccleſiae Apocriſarius, Sipontinaeque Sedis G. D. Archi-Praeſul, miſſus a D. Gregorio Papa partes in iſtas. Statui Sanctam Synodum, Spalatina in vrbe ſedens, vniuerſo cum coetu firmans vera, execrans illicita, reſpuens falſa. Tum in bora Petrus Ven. Abbas S. Gryſogoni conqueſtus eſt de Cella S. Ioannis, quae vulgo Silagus nominatur, quod ſuus Episcopus, videlicet Stephanus illam ſibi abſtulerat, vnde Abbas nobis chartulam porrexit, in qua inuenimus, quod Corbina, quae olim ſupra dictam Cellam ſua ſponte donauerat, poſt ſuggerente ſibi inimico ſtudebat auferre. Hoc geſtum eſt tempore Acuzonis Legati D. Nicolai Papae, ſed dictus Apocriſarius videns hoc arte diabolica machinari, audax, vt ſcriptura teſtatur. Iuſtus confidit vt Leo, inueſtiuit Abbatem per baculum, quem geſtebat manu, eodem Priore concedente cum ſuo populo, et inſuper aeternas maledictiones futuris vſurpatoribus dedit. Ego autem videns ſibi iuſte fieri, et omne conſilium meum, rurſum praecipimus ſuo Praeſuli inueſtire Abbatem ſuo illo Coenobio per pedum, quod manu portabat, contradicentibus autem noſtra verba haec, vt auferre volentibus, poſt noxia, verba illius miſſi prioris collaudamus, et noſtra inſuper poſuimus. Laurentius Archi-Praeſul collaudat, et roborat; Ioannes Fraguriensis Episcopus collaudauit; Praeſtantius Caſtillanus Episcopus (id eſt Belgradenſis) collaudauit, et omnis Synodus collaudat, et roborat.

II.
Acta Synodi Spalatenſis, ex Archidiacona, cap. 18.

Dominus Gregorius Septimus miſit Legatum ad partes Dalmatiae, Venerabilem Virum Girardum Archi-Episcopum Sipontinum, qui Spalatum accedens cum magno gaudio, et honore a Laurentio Archi-Episcopo ſusceptus eſt. Miſit igitur, et conuocauit ſuffraganeos Salonitanae Metropolis vniuerſos, qui cum conueniſſent, Prouincialem cum eis Synodum apud Salonam debita maturitate celebrauit. Interfuerunt autem iſti ſuffraganei Eccleſiae Spalatenſis. Primus, Laurentius Archi-Episcopus, ſecundus, poſt eum Stephanus Episcopus

Jadrenſis; Ioannes Traguriensis, Forminus Nonenſis, Gregorius Arbenſis, Theodoſius Belgradenſis, Gregorius Chroatenſis, Baſilicus Aſparenſis, et alii quidam. In hac Synodo reſtauratus (a) eſt Epiſcopatus Nonenſis, cuius Epiſcopus Gregorius multas olim moleſtias Ioannem Spalatensem Archi-Epiſcopum ſuſtinere fecit, debitam ei ſubtrahendo obedientiam, et ſibi Ius Metropolicum indebite vendicando. Interea Venerabilis Girardus Legatus Spalati poſitus, inuenit ibi ſupra memoratum Vlfum Presbyterum, cui Golfangus agnomen erat, ab annis iam duodecim Papali iuſſu grauiſſimis compedibus alligatum propter Schiſmatis nefarium ſcelus, quod cum Cededa exercuerat in Regionibus Dalmatiae, atque Croatiae. Hunc ergo fecit abſolui, dicens: , quia Dominus Alexander felicis memoriae in ſuo deceſſu praecepit vniuerſos ſuo iuſſu incarceratos abſolui. Prius tamen fecit eum ſuper Euangelium, et ſuper corpus Beati Domnii ſubire corporaliter iuramentum, vt in abiuratam haereſim numquam relabi deberet, et de his partibus egrediens nunquam rediret: ſed cum eo Romam adiens Apoſtolicò ſe conſpectui permitteret exhiberi.

LIII.
SYNODVS SPALATENSIS.
A: C: MLXXVI.

I.
Iuramentum Regis Demetrii coram Synodo Spalatenſi praeſtitum an. MLXXVI.

In nomine Sanctae, et indiuiduae Trinitatis. (b) Anno Dominicae Incarnationis Milleſimo Septuageſimo ſexto, Indictione 14. (c) Menſe Octobris.

Ego Demetrius, qui et Suinimir nuncupor, DEI gratia Croatiae, Dalmatiaeque Dux, a te Domine Gebizo (d) ex Apoſtolicae Sedis Legatione Domini (e) Noſtri Papae Gregorii poteſtatem obtinente in Salonitana Baſilica S. Petri Synodali, (f) et concordi totius Cleri, et Populi electione de Croatorum, Dalmatinorumque Regni regimine per vexillum, Enſem, Sceptrum, et Coronam inueſtitus, atque conſtitutus (g) Rex, tibi deuoueo, ſpondeo, et polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quae mihi Tua reuerenda (h) iniungit ſanctitas; videlicet, vt in omnibus, et per omnia Apoſtolicae Sedi fidem obſeruem, et quidquid hic in Regno, tam Apoſtolica Sedes, quam ſui Legati ſanxerunt, aut ſanxerint, irreuoca-

(a) Ante nos iam obſeruauit Farlatus verba haec ita ſumenda, vt ietelligatur in hac Synodo Epiſcopos Nonenſes in fidem, et poteſtatem Archi-Epiſcopi Spalatenſis reuerſos publica, et ſolenni tum Legati Apoſtolici, tum Concilii Prouincialis auctoritate recepiſſe antiquum ſtatum, et vetuſta Priuilegia ſua noua confirmatione roborata recuperaſſe.

(b) *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

(c) Fortaſſe 15.

(d) In Corſiniano habetur mendoſe vtique; *Coapoſtolicae Sedis legatione.*

(e) *Noſtri* deeſt.

(f) Iterum mendoſe Corſinianus: *Synodali concordia totius cleri et populi electione.*

(g) Rurſus ergo in ſcenam prodit S. Gregorius VII. deuuo itaque depellenda eſt inuidia Vindicatur S. Gregor. VII.

(h) *iniunxerit* ſanior lectio.

uocabiliter cuſtodiam, iuſtitiam excolam, Eccleſias defendam, Primitiae, decimae, omniumque ad Eccleſiam pertinentium Procurator exiſtam, vitae Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque, vt caſte, et regulariter viuant, prouideam, pauperes, viduas, atque pupillos protegam, parentelae illicitam copulam deſtruens, legitimam dotem annulo, Sacerdotisque benedictione conſtituam, et conſtitutam corrumpi non permittam; hominum venditionem contradicam, atque in omnibus quae ad reſtitutionis ſtatum congruunt, DEO auctore, me aequum exhibeam. Ducentorum quoque Bizantiorum Tributum *(a)* meorum omnium conſultu *(b)* Primatum, S. Petro per ſingulos annos in reſurrectione Domini de mihi conceſſo Regno perſoluendos ſtatuo. Et vt poſt me regnaturi, hoc idem perpetuo ſeruent, cenſeo, corroboro,

facti, denuo oſtendendum: nil de ſupremo Imperio decerptum eſſe Regiae poteſtati; facile id euincemus. Etenim ſpontanea haec fuerat Regis Demetrii voluntas. Nullis is erat pulſatus Apoſtolicis litteris, nullis vaticani fulminis perculſus minis. Creſimirus namque Praedeceſſor Demetrii Regis titulum geſſerat antea, ſicuti teſtantur tabulae Donationum anni 1069. et 1072. ab eodem editarum, et a Lucio Lib. 2. cap. XV. pag. 98. vulgatarum. Forte absque iniuriis Demetrii dici poteſt illud, quod de Wilhelmo Notho ſcripſit Wilhelmus Neubringenſis: „*Tyranni nomen exhorreſcens, et legitimi Principis perſonam induere geſtiens, ſolenniter ſe conſecrari depoſcit.*„ Suſpicionis ergo omnis a ſe auertendae cauſa id feciſſe videtur Demetrius. Parem, et veroſimilem reddit rationem Du Freſne de Illirico ſcribens cap. 6. §. XVII. „*Summi Pontificis gratiam ſibi conciliare ſtuduit; captataque Michaelis Ducae Imperatoris ſocordiae ac ignauiae occaſione Graecorum iugum excuſſit, nemini deinceps obnoxius, hactenus quippe ſupremam in Croatiae Regum Maieſtatum ſeruarunt Conſtantinopolitani Auguſti.*„ Ecce quam vere dicat Demetrius, quia Deo ſeruire, regnare eſt. Felicem profecto Sedis Apoſtolicae obſeruantiam, quae Reges ita complectitur poteſtate ſibi ſubiectos, vt extollat, et vere Reges efficiat. Non eſt hic praetereundum, Demetrium non fuiſſe Regali ſtemmate prognatum, multo itaque magis his eguiſſe adminiculis; pulchrum ſemper humilitatis conſilium, qui ſe humiliat, exaltabitur, alterum eſt, quod in iuramento Regis, ni fallor, a Legato Apoſtolico concinnato, aut ſaltem approbato diſertis verbis dicatur: „*de Synodali, et concordi totius Cleri, et Populi electione, Croatorum, Dalmatinorumque Regni*„ eſſe effectus Rex. Nil ergo in concedenda Regia poteſtate ſibi vſurpauit Gregorius, niſi quod ab ipſius Legatis Regiae poteſtatis ſuſceperit inſignia, quod Regi potenti denegari vtique non debuit. Dicit quidem Rex in formula Fidelitatis: „*quidquid hic in Regno tam Apoſtolica Sedes, quam ſui Legati ſanxerunt, aut ſanxerint, irreuocabiliter cuſtodiam.*„ Id tamen nemini (neſcio quas vmbras) ingerat; quorſum enim haec fidelitas referenda ſit, illico ſubiungitur? „*Iuſtitiam excolam, Eccleſias defendam*„, et reliqua. Haec vtique omnia ad officium defenſoris, et protectoris Eccleſiae, quod omnes principes ſuſtinent, ſuapte pertinent. Neque vllis limitibus circumſcribitur, aut conſtringitur Regia poteſtas, quod ipſum vlterius inde confirmatur, quomodo nimirum hoc ſuum iusiurandum impleuerit idem Rex; Laurentio quippe Archi-Epiſcopo Comitatum centenae donans a: c. 1075. ait apud Farlatum Tom. 3. pag. 149. „*ita dico, et hoc dico, vt quidquid ad Eccleſiaſticae diſpoſitionis ordinem ſano intellectu pertinere videtur, plenius habeat; Chriſtianae Fidei doctrinam vbique teneri faciat, ordinatos Presbyteros, quam alios, vt caſte viuant, conſtringat, ordinandos ordinari, et Synodis uti faciat, diſcordes Canonicali regula pacificare ſtudeat, Primitiarum ac decimarum omnium, quae legaliter decimari poſſunt, et debent, tam a Maioribus, quam a minoribus generaliter iura recipiat, viuorum ac mortuorum Eccleſiae debitas oblationes perpetualiter poſſideat.*„ Donatum ergo videmus Imperium, non vſurpatum. Placet verbis Ottonis Friſingenſis diſputationem noſtram condire; poſtquam enim Diuinae Scripturae verba aliqua, quibus Eccleſiae exaltatio promittitur, recitaſſet, alium locum recitans, ait: „*pro eo, quod fuiſti abiecta, ponam te in ſuperbiam locorum, mundiali dignitate, quae Regalia dicuntur, Dominus Eccleſiam ſuam honorare voluit*„ aliquibus interpoſitis inquit: „*ego enim, vt de meo ſenſu loquar, vtrum magis Deo placeat, haec Eccleſiae ſuae, quae nunc cernitur, exaltatio, quam prior humiliatio, prorſus me ignorare fateor, videtur quidem ſtatus ille melior fuiſſe, iſte felicior.*

(a) Obſeruari ad hanc Synodum, et illud velim, Demetrium ſibimetipſi, Succeſſoribusque impoſuiſſe ducentorum byzantiorum tributum, non fuiſſe illius auctorem Pontificem, ſed „*meorum* (inquit) *omnium Conſultu Primatum*„ Neque hoc quisquam Gregorio crimini dabit. Quantus autem fuerit hic cenſus, ex vſu temporum illorum aeſtimari poteſt. Bizantius, prouti docet Du Cange in Gloſſario, eſt nummus aureus ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis cuſus; Et hoc aureo nomen vbique inualuit tam in Gallia, quam Italia, vti et alibi, quod patet ex eodem Du Cange. Occurrunt quidem etiam alii Bizantii, vtpote albi, et Bizantii de Plata dicti, ſed vtrique argentei. Ea ergo regula firma ſtatui poteſt, quotiescunque Bizantii nomen absque aliquo addito occurrit, aureum deſignare, ſicut in Italia aurei nunc paſſim ſolent Hungari nuncupari. Non arbitror me erraturum, ſi dixero in his Bizantiis veteris Graecorum dominationis apparere veſtigium.

Byzantii qui?

(b) Rectius in Corſiniano *primatuum.*

Digitized by Google

boro, atque ſancio. Dono inſuper, concedo, atque confirmo Apoſtolicae Sedi S. Gregorii Monaſterium, cui Vrana *(a)* eſt vocabulum, cum omni ſuo theſauro, ſcilicet cum Capſa argentea reliquias ſacri corporis eiusdem B. Gregorii continente, cum duabus crucibus, cum calice, et patena, cum duabus coronis aureis gemmis ornatis, cum Euangeliorum textu de argento, cumque omnibus ſuis mobilibus, et immobilibus bonis, vt S. Petri Legatis ſemper ſit ad hoſpitium, et omnino in poteſtate eorum. Hoc tamen interpoſito tenore, vt nulli alii poteſtati detur, ſed omni tempore S. Petri ſit proprium, et a me, meisque ſucceſſotibus defenſum, atque ab omni homine liberum, et ſecurum. Cuiuscunque autem audacia temerario auſu praefatum Monaſterium ex aſſignato theſauro priuauerit, terribilem illam Iudicis vocem, quam diabolus cum ſuis angelis auditurus eſt, audiat.

Praeterea cum Deo ſeruire regnare ſit, vice Beati Petri, et D. N. PP. Gregorii, atque poſt ſe ſucceſſorum in Apoſtolica Sede, me tuis manibus committo, et commendo, hanc fidelitatem Sacramento ſtabilio. Ego, inquam, Demetrius, qui et *(b)* Svinmur, DEI gratia *(c)* Apoſtolicae Sedis dono Rex ab hac hora in antea S. Petro, et Domino meo Papae Gregorio, ſuisque ſucceſſoribus canonice intrantibus ero fidelis, et vt ipſe, ſiue poſt eum futuri Pontifices, ſiue Legati eorum vitam, aut membra perdant, aut capiantur, neque in conſilio, neque in facto ero; et conſilium, quod mihi crediderint, ad illorum damnum ſcienter *(d)* nulli intimabo. Regnum autem, quod mihi per manum tuam, Domine Gebizo traditur, fideliter retinebo, et illud, ſuumque Ius Apoſtolicae Sedi aliquo ingenio aliquando non ſubtraham. Dominum meum Papam Gregorium, et ſuos Succeſſores, atque Legatos, ſi in meam poteſtatem venerint, honorifice ſuscipiam, et honeſte tractabo, et remittam, et vndecunque me inuitauerint, prout potero, *(e)* eis ſimpliciter ſeruiam.

II.

Priuilegium quo Rex Demetrius coram Synodo confirmat Praedeceſſorum ſuorum Priuilegia.

In nomine Sanctae, et indiuiduae Trinitatis.

Ego quidem Svinimir Croatorum, atque Dalmatinorum Rex reſidente me in Regno meo, anno Dominicae incarnationis MLXXVI. Indict. vero XIV. die IX. Menſis Octobris, ac Diuina gratia confortante, ſuffragantibus meritis Beatiſſimorum Martyrum Domnii, et Anuſtaſii, ob quorum reuerentiam, et deuotum amorem Ven. Praeſulis, mibi ſpiritualis Patris, D. Laurentii Eccleſiae Spalatenſis, in qua eorum corpora requiescunt, per praeſentem paginam do, et confirmo eidem D. Archi-Episcopo, et ſuis ſucceſſoribus, ac ipſi Eccleſiae ſuae in perpetuum Eccleſiam Sancti Georgii

Prioratus Auraniae.

(a) Illud etiam adnotandum eſt, Monaſterium S. Georgii illud eſſe, quod nunc Prioratum Auraniae vocamus. Monaſterium hoc a Benedictinis in Templarios, et ab his in Equites Melitenſes translatum fuit; nunc Episcopus Zagrabienſis cum Capitulo ſuo id poſsidet; Prioratus huius viciſsitudines euoluere Cl. P. Kaprinai, qui eruditam de hoc argumento lucubiationem typis idoneam habet, relinquimus.

(b) *Qui et ſumus.*

(c) *et Apoſtolicae.*

(d) *non*

(e) *ſimpliciterque eis.*

gii de Patulo cum toto Territorio ſuo a rupibus montis ſignatis, ex vtraque parte vsque ad mare, iuxta confirmationem Regum Praedeceſſorum meorum, videlicet Tirpimir, et Mucimir, vt in ipſorum conſcriptis paginis vidimus contineri, cum ſeruis, et ancillis, in eodem territorio poſitis, atque commorantibus praeſentibus, et futuris, ſeu in eodem territorio inpoſterum reſidere volentibus, ita tamen, quod - - - Dominus Archi-Episcopus, eiusque ſucceſſores temporaliter, et ſpiritualiter merum dominium - - - - in ipſa manentibus Villa, et eorum bonis mobilibus, et immobilibus - - - - - - praenominata Spalatenſis Eccleſia perpetuo poſſideat pacifice, et quiete. Nulli igitur liceat hanc paginam Noſtrae Donationis, et confirmationis infringere, vel turbare. Si quis vero attentare praeſumpſerit, trinum, et vnum DEVM iratum habeat, et maledictionem CCCXVIII. Sanctorum Patrum incurrat, et aliorum Sanctorum, ac cum Juda proditore in inferno damnetur aeterno ſupplicio.

Acta ſunt haec in praeſentia horum Seruorum DEI, videlicet Stephani Episcopi Jadertinae - - - - - - - - - Epiſcopi Ch

Gregorii Episcopi Arbenſis.
Theodoſii Episcopi Belgradenſis.
Baſilii Episcopi Abſarenſis.
Tormini Episcopi Nonenſis.
Ioannis Episcopi Tragurienſis.
Et Dabri Abbatis Sancti Stephani.
Nec non Comitum et Baronum.
Dominici Tepſii Curialis Comitis.
Kirne - - - - - Comitis.
Dobrizi Comitis Cleunenſis.
Pribino Cetinenſis Comitis.
Lubimiri Comitis,

et aliorum Noſtrorum Comitum et Baronum, vbi fuit fidelium maxima Congregatio; pro quibus omnibus, et ſingulis, perpetuum robur habentibus, praeſentis Priuilegii paginam Noſtri Sigilli charactere feci muniri.

LIV.

SYNODVS REGIA PRAESIDENTE S. LADISLAO Rege in Zabolcs celebrata, A: C: MXCII. nunc Liber Primus Decretorum S. huius Regis.

Regnante Creatore, et Saluatore Domino Noſtro Ieſu Chriſto, anno incarnationis eius Milleſimo Nonageſimo ſecundo XIII. Kalend. Iunii, *(a)* in ciuitate Zabolcs, Sancta Synodus habita eſt, praeſidente Chriſtianiſſimo Vngarorum Rege Ladislao, cum vniuerſis Regni ſui Pontificibus, et Abbatibus, nec non cunctis Optimatibus, cum teſtimonio totius Cleri, et Populi. In qua Sancta Synodo Canonice et laudabiliter haec inuenta ſunt decreta.

1. Bigamos Presbyteros, et Diaconos, et viduarum, vel repudiatarum mari-

(a) Si Diplomati S. Ladislai, quod ad hanc Synodum Regiam loco ſecundo damus, ſua conſtat fides, certum euaderet, Synodum hanc a 19. Maii ad 3am Iunii, id eſt 15. diebus duraſſe; finem enim ſortita eſt 4. Kal. Iunii.

maritos, iubemus ſeparari, et peracta poenitentia ad ordinem ſuum reuerti. Et qui noluerint illicita coniugia dimittere, ſecundum inſtituta Canonis debeant degradari. Separatas autem foeminas parentibus reddi iubemus ſuis: et quia non erant legitimae, ſi voluerint, liceat eis maritari. (a)

2. Si quis autem Presbyter ancillam ſuam vxoris in locum ſibi aſſociauerit, vendat, et ſi noluerit venundetur. et pretium eius ad Episcopum transferatur. (b)

3. Presbyteris autem, qui prima et legitima duxere coniugia, indulgentia (c) ad tempus datur, propter vinculum

(o) Difficilem hoc caput habet quaeſtionem, de coniugibus Presbyterorum aliis in matrimonium conceſsis, ſi nimirum Presbyteri, aut Bigami, aut Viduarum, vel repudiatarum eſſent mariti. Ad expediendam hanc quaeſtionem animaduertere oportet: 1. Per matrimonium legitimum hoc loco intelligi, validum; hanc enim reddit ſtatuti ſui rationem caput, quod explicamus: „*quia non erant legitimae, ſi voluerint, liceat eis maritari*„ neque id nouum eſt, ac peregrinum. Etenim in additione tertia ad Libros Capitularium cap. 54. verbis Concilii Cabilonenſis II. cap. 30. de ſeruorum matrimoniis ſtatuitur: „*Dictum eſt nobis, quod quidam legitima ſeruorum matrimonio poteſtatiua quadam praeſumptione diriment &c. vnde nobis viſum eſt vt coniugia ſeruorum non dirimantur, etſi diverſos Dominos habeant, ſed in vno coniugio permanentes Dominis ſuis ſeruiant*„ et hoc in illis obſeruandum eſt, vbi legalis coniunctio fuit, et per voluntatem Dominorum. Inutile foret oſtendere legalem. et legitimam coniunctionem idem prorſus eſſe: 2. Capiti huic errorem de diſſolubilitate matrimonii haud ineſſe, cum dicat nulla fuiſſe matrimonia, illegitimasque vxores. 3. Vigore capitis huius tam a Bigamis Presbyteris, et Diaconis, quam viduarum, et repudiatarum maritis vxores tolli, et aliis elocari; dicit enim caput hoc: „*iubemus ſeparari*„ dein„ *ſeparatas autem foeminas Parentibus reddi iubemus*„ illas ergo foeminas parentibus reddit, quas ſeparauit, cum ergo tam a bigamis, quam viduarum, et repudiatarum maritis foeminas ſeparet, omnes indifferenter a coniugio remouet; et hinc conſurgit quaeſtio, qua ratione id ſancire potuerit? Bigamos Presbyteros legitimas vxores non habere, nemo dubitat, verum viduarum mariti, quomodo poterant a complexu vxorum ita auelli, vt illae deinceps alios maritos habeant? ſequitur inde, quod Synodus noſtra talia matrimonia inualida exiſtimarit. Nolim tamen aliquis nouitatis damnet conſtitutionem hanc. Etenim in Concilio Quini Sexto, ſeu Trullano Can. 3. apud Hard. Coll. Concil. Tom. 3. col. 1662. idem ſtatuitur: „*Decernimus, vt qui duobus matrimoniis implicati fuere, et uſque ad decimum quintum praeteriti menſis Ianuarii praeteritae quartae indictionis, anni ſexies Milleſimi Centeſimi nonageſimi noni.* (id eſt anni Chriſti 706. ita ait Harduinus, quamuis alii ad annum Chriſti 692. collocent) „*peccato ſeruierunt, et non ab eo reſipiſcere voluerunt depoſitioni Canonicae ſubiicere: eos autem, qui talis quidem bigamiae probro, ac dedecori implicati fuere, ante noſtrum autem decretum, id quod vtile eſt agnouerunt, et malum a ſe abſciderunt, et hanc adulterinam, et alienam congreſſionem procul abegerunt, vel etiam, quorum vxores in ſecundis nuptiis mortuae iam ſunt; vel ipſi etiam ad conuerſionem reſpexerunt, et continentiam didicerunt, et priorum ſuarum iniquitatum obliti ſunt, ſiue ſint Presbyteri ſiue Diaconi; eos ab omni quidem Sacerdotali miniſterio, ſiue exercitio iam ceſſare, praeſinito aliquo tempore punitos; honorem autem in cathedra, et ſtatione participare, prima ſede contentos, et cum fletu a Deo poſtulantes, vt eis condonetur peccatum ignorantiae. Neque enim conuenit, vt is alteri benedicat, qui debet propria curare vulnera. Eos vero qui vni quidem vxori copulati ſunt, ſi vidua erat, quae accepta eſt, ſimiliter et eos, qui poſt ordinationem matrimonio ſe applicarunt hoc eſt Presbyteros, Diaconos, et Hypodiaconos breui aliquo tempore a Sacro miniſterio prohibitos, et punitos rurſus propriis gradibus reſtitui, ad alium gradum nequaquam promouendos eis nefario videlicet diſſoluto coniugio*„ millies mihi dicant aliqui Canones Trullanos non habere vigorem generalis Concilii, illud tamen dubio caret, diſciplinam illius aeui exprimere, et diſciplinam Eccleſiae Graecae effeciſſe. Hinc mirari ſubit animum, quomodo dicere audeant tam multi, matrimonia a Presbyteris, et Diaconis poſt ordinationem contracta nullius Synodi decreto fuiſſe irritata ante Lateranenſe Concilium generale annn milleſimo centeſimo trigeſimo nono celebratum; cum id Synodus Trullana (licet neque generalis ſit, neque reprehenſione vacet) diſertis ſtatuerit verbis.

Matrimonia Presbyterorum ſeculo XI. iam inualida.

(b) Videri poſſet Presbyterum venumdandum eſſe, quia pretium ad Episcopum defertur, ſed cap. 10. ſimiliter ancillarum pretium ad Episcopum vadit. Senſus ergo eſt: „*Presbyterum ſi vendere nolit ancillam, pretium illius amittere.*

(c) Indulgentia neceſſaria, ob inualescentem ſeculi corruptionem, de qua in notis ad Synodum Seraphimi plura diſſeremus. Hic aduotare placet, quod licet Synodus Trullana Can. 13. anathema dicat in eos, qui Presbyteros ab vxoribus ante ordinationem habitis ſeparant, eadem tamen ipſa Synodus legem Coelibatus impenſe commendet can. 3. „*quoniam vero pius, Chriſtique amator Imperator hanc noſter Sanctam, et vniuerſalem Synodum allocutus eſt, vt eos, qui in Clerum relati ſunt, et aliis Diuina transmittunt puro; et a culpa ac reprehenſione alienos Miniſtros efficiant, et quod intelligentia percipitur magni Dei, qui eſt et Sacrificium, et Pontifex Sacrificio dignus: et quae ex nefariis nuptiis iniuſta ſunt probro, ac dedecora repurgent, et praeter eas, qui ſunt Sanctiſſimae Romanorum Eccleſiae exactae perfectionis Canonem ſeruandum proponant.*„ Lex ergo Coelibatus exactae perfectionis Canon eſt, teſte Synodo Trullana.

Coelibatum commendat Trullana Synodus.

culum pacis, et voitatem Spiritus Sancti quousque nobis in hoc Domini Apoſtolici paternitas conſilietur.

4. Si quis autem Episcopus, aut Archi-Episcopus, ab illicitis coniugiis ſeparari nolenti ſpreto Synodali decreto, aut conſilium, et conſenſum praebuerit, aut ei Eccleſiam dederit, aut aliquid, quod ad ordinem pertinet, agere permiſerit: a Rege, et Co-Epiſcopis ſuis ſecundum quod rationabile videbitur, is diiudicetur. Si vero Archi-Episcopus, cauſa ignorantiae, Episcopo cooſeoſerit, aut Presbyter per conſenſum illius in tali vitio permaoſerit, iudicio Episcopi voluntario ſubiaceat.

5. Quicunque Eccleſiam DEO aedificauerit, et dotem nominauerit, nominatam vero non dederit, ad illud explendum transmiſſo nuncio praeualeat Episcopale iudicium: cui ſi quis contradixerit, et contradicendo verberauerit, ipſe Regali iudicio ſubiacebit.

6. Si quis Presbiterorum, res Eccleſiae ad propria loca duxerit, et ibi veodiderit, vel per incuriam ſuam perdiderit, tripliciter Eccleſiae reſtituat.

7. Eccleſias propter ſeditionem deſolatas, aut combuſtas, iuſſu Regis parochiani reſtaurent: calices, et veſtimenta ex ſumptu Regis dentur, (a) Libros Episcopus prouideat.

8. Eccleſias ex vetuſtate deſolatas, Episcopus reaedificet.

9. De negotiatoribus, quos appellant Ismahelitas, (b) ſi poſt baptismum ad Legem ſuam antiquam per circumciſionem, rediiſſe inuenti fuerint a ſedibus ſuis ſeparati, ad alias Villas remoueantur: Illi vero, qui inculpabiles per iudicium apparueriot io propriis ſedibus, aut aedibus remaneant.

10. (d) Si Iudaei vxores Chriſtianas ſibi aſſociauerint, aut aliquam perſonam Chriſtianam in ſeruitio apud ſe detinuerint, ablata ab eis, libertati reddatur, venditoribus eius pretium tollatur, et in ſumptum Episcoporum veniat.

11. Si quis in Dominicis diebus, aut in maioribus Feſtiuitatibus, ad Eccleſiam non venerit Parochialem, verberibus corripiatur. Si vero villae remotae fuerint, et ad Eccleſiam ſuam Parochialem Villani venire non potuerint: Vnus tamen ex eis nomine omnium, cum (e) baculo ad Eccleſiam veniat, et tres panes, et candelam ad altare afferat.

 42. Si

(a) Conſtantinus M. ſimiliter prouidendorum Librorum curam Episcopis detulit. Theodoretus Hiſt. Eccl. Lib. I. cap. 16. mihi pag. 212.

(b) Suſtineri nequaquam poteſt, quod Péterſii ait: „*aliquos exiſtimare per Ismaelitas intelligi Hunnos, et Scythas, ad Chriſtum nondum perductos, et negotiationis gratia in Regno hocce degentes.*„ Hunni neque circumciſioni, neque negotiationi dediti erant. Opinio haec inter ſomnia Ottrokocsii diſperſiones Israelis apud Scythas, et Hunnos requirentis oumeranda.

(c) Inchofer apud P. Péterſii paulo aliter Canonem recitat: „*Si Iudaei vxores Chriſtianorum ſibi aſſociauerint*„ dein multis de coniugio Iudaeorum cum Chriſtianis disputat, verum nullo operae pretio, ſiue enim lectio Inchoferiana, ſiue vulgata obtinere debeat, non agitur hic de coniugio: de mancipiis enim Chriſtianis ſtatuitur hoc loco, quod patet ex ſubſequio: „*venditoribus eius pretium tollatur*„ et hinc dicitur vxores Chriſtianas, vel Chriſtianorum vxores, vt iam meretrices perſtringi videas, neque ex ly, *aſſociauerint*, quidquam pro coniugio ſequitur. Libro enim 6. Capitularium ex Concil. Tolet. 12. c. 9. ſententia ſtatuitur: „*ne Iudaeis mancipia deſeruiant vel adhaereant Chriſtiana*, vtique libidinis cauſa aſſociauerant ſe vxores Chriſtianae

(d) Scamnis, et ſedibus carebant Eccleſiae, hinc innitebantur baculis, quare tam in ordine Romano, quam alibi ad Euangelium baculos deponere iubentur Miſſae aſſiſtentes, panes autem afferri praecipiebantur cum candela, quia more ſeculis illis vſitato, Miſſae adſtantes afferebant ea, quae ſacrificio, et victui Praesbyterorum neceſſaria erant. Errat itaque Inchoffer, dum in caput hoc commentans ait: „*tres panes, candelamque ad altare offerre, ſignificat poenam verberum ea penſione, et indulgentia praeſcripta redimi*„ redemptio nulla ibi locum habet, De baculis ad Eccleſiam allatis.

12. Si quis in his diebus venatus fuerit, canibus, et equo careat, ſed equum boue redimat. Si vero Presbyter, aut Clericus fuerit venatus, ab ordine deſcendat vsque ad ſatisfactionem.

13. *(a)* Si quis candelam *(b)* ſine Presbyteri ſui, et fratrum licentia ſubtraxerit, manum eam cum qua furtum commiſit, decem penſis redimat.

14. *(c)* Si quis Dominicis diebus, vel in maioribus feſtiuitatibus Eccleſiam negligens, mercatum frequentauerit, equo careat.

15. *(d)* Si quis die Dominica mercatum conſtituerit, praecipit Sancta Synodus, vt ſicut conſtituit, ita deſtruat, *(e)* ſi autem quis renuit quinquaginta quinque penſas ſoluat.

16. *(f)* Si quis *(g)* hospes Clericus in hanc Patriam, ſine commendati-

---

vbi nulla interceſſit culpa. Quis poteſt dubitare culpa vacare eos, qui ob nimiam diſtantiam venire non poterant; non ergo poena redimitur, ſed ſacrificio, et Sacerdotum proſpicitur victui. Concilii Romani 4. ſub S. Gregorio VII. cap. 12. „*Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolennia aliquid Deo offerre, et ducat ad memoriam, quod Deus per Moyſem dixit: non apparebis in conſpectu meo vacuus. Etenim in collectis Sanctorum Patrum liquido apparet, quod omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex vſu Sanctorum Patrum debent.*„

Oblationes ad Miſſam.

(a) alias 14.

(b) Peterfii caput 13. ponit de interfectione adulterae, nos illud praetermiſimus, velut a Legibus Eccleſiaſticis alienum. Idem Peterfii caput hoc noſtrum Nro 14. poſitum longe aliter legit, et clarum eſt: erroneam eſſe lectionem. Sic autem legit: „*Si quis de Kalendis Presbyteri ſui, et fratrum licentia ſubtraxerit, manum eam, cum qua Fraternitatem promiſit, decem penſis redimat.*„ Exiſtimauit nimirum Sambuccus fratres Kalendarum eſſe fratres alicuius piae ſodalitatis ſeu confraternitatis; de quo deinceps agemus. Sed quomodo poſſunt Kalendae ſubtrahi, ſi Confraternitas, et Kalendae idem ſunt? ridiculum ſane id eſt vel cogitare: niſi ergo legas: „*ſi quis ſe de Kalendis ſine Presbyteri ſui, et Fratrum licentia ſubtraxerit,*„ nullum iuſtum ſenſum dabit caput totum, ſed hoc eſſet nouum caput conſcribere. Manet itaque, hoc capite de furto agi, vnde et manum redimere conuenienter iubetur; quantum quaeſo, foret crimen ſe ex ſocietate pia ſubtrahere, vt ideo manus redimenda ſit? adde, quod manus redimere poena furum ſit. Longe itaque melior eſt vulgata lectio, candelae furtum decem penſis caſtigans, tum ideo, quia furti tunc inualuit conſuetudo, teſte lib. 2. S. Ladislai, tum quia Sacrilegium videbatur.

De Kalendis.

(c) alias 15.

(d) alias 16.

(e) Caput hoc ad illam redit ſententiam, quam habet Capitulare ſecundum anni 809. Cap. 8: „*et mercatum in die Dominico in nullo loco haberi liceat, niſi vbi antiquitus fuit, et legitime eſſe debet.*„ Otioſe diſputat Inchofer ad hoc Caput, quid ſit mercatum conſtituere, cum nemo ignoret, mercatum eſſe, quod nunc nundinas appellamus.

(f) alias 17.

(g) Non exiſtimo Capite hoc de Eccleſiaſticis, qui nomine Clericorum veniunt, agi. Tot enim erant nomina, ob quae Clericorum nomine venirent laici, vt haud idem ſit, Clericum, atque Eccleſiaſticum vocari. Habes enim in Gloſſario Du Cange Clericos coquinae, Marcati, hoſpitii, Mareſcalciae equorum, mapparum, nundinarum, quos omnes conſtat fuiſſe Laicos, paſſim notum eſt etiam apud ſemidoctos, nomen Clericorum fuiſſe datum quibusvis litteratis; hinc Chronicon apud Du Cange Hiſpanum quemdam Burdinum nomine, *ſatis Clericum fuiſſe* dicit. Aliud autem Chronicon Ioannis Eyſtetenſis Epiſcopi iuris Canonici peritiam commendare volens ait: „*magnus Clericus in iure Canonico fuit,*„ ad hanc ſententiam amplectendum permouent illa, quae capite in ſequenti dicuntur, vti et illud, quod Hoſpes Clericus, hoſpites autem in iure noſtro tam antiquo, quam recenti, non ſecus etiam in Gloſſario memorato dicuntur homines Laici. Illud adhuc adnotandum: lectionem vulgatam ab Inchoferi, et Sambuci differre. Inde etiam exiſtimo Clericos hos, fuiſſe Laicos, cum tanta vigilantia inquirendum iubeatur; „*an non ſit monachus, vel alicuius ordinis ſiue homicida,*„ ſed dices: Si Clerici hi non erant Eccleſiaſtici, cur ergo commendatitiis litteris ſui Epiſcopi muniebantur? reſpondeo: vt appareret, illos nec Monaſtici inſtituti, nec Clericalis ordinis fuiſſe, quod ordinarius loci vtique ſcire debebat; immunitatem quoque ab homicidiu eaedem litterae ſufficienter teſtari poterant, cum aeuo hoc fere vbique homicidae poenitentia Canonica ſua expiauerint delicta, et mortem poenitentia redemerint, viciſſim quaero: Si hoſpites Clerici indubitanter pro Eccleſiaſticis habendi forent, cur ergo de ordine, an nimirum alicuius ordinis forte fuerit quaeratur? *ly ordo* non poteſt hic aliud ſignificare, quam ordinem Eccleſiaſticum. Inter regulares enim vix aliqua erat diuerſitas ordinis. Si itaque Clerici hi Eccleſiaſtici habendi ſuperflua fuiſſet inueſtigatio, an non alicuius ordinis forte fuerint? Quod de ordinum Regularium diuerſitate dixi, vberius patet ex Canonibus Ælfrici ad Vulſinum Epiſcopum incerti quidem anni, verum poſt annum Chriſti 1049. ab Harduino Tom. VI. col. 984. collocatis, vbi cap. 34. dicitur: „*qua igitur audacia iſtorum omnium deſpexeritis conſtitutiones Monachi enim vnius hominis conſtitutiones*

Quis hoſpes Clericus?

tiis litteris Episcopi ſui venerit, ne forte Monachus, aut homicida fuerit, et alicuius ordinis ſe confeſſus eſſe fuerit, iudicio, vel teſtimonio diſcutiatur.

17. *(a)* Si quis Clericus in Patriam iſtam veniens, alicui Episcoporum, vel Comitum adhaeſerit, et eum Dominus *(b)* ſuus bene habuerit, et ſecundum quod cum eo conuenit, tractauerit, ſi diſcedere ab eo voluerit, nequaquam diſcedat, donec de iniuſtitia ſibi illata, in audientia Regis declarauerit.

18. *(c)* Si derelicta Eccleſia ſua villani ad alias tranſierint, Pontificali iure, et Regali mandato, vnde tranſierint, eodem redire cogantur.

19. *(d)* Si quis vxorem ſuam in adulterio deprehenderit, et in iudicium ſtatuerit, ſecundum Inſtituta Canonum, ei poenitentia imponatur, et peracta poenitentia, ſi maritus voluerit, iterum eam recipiat: ſin autem non, quamdiu ambo vixerint, innupti permaneant.

20. *(e)* Abbates ſecundum decreta

l i i i 2 Pa-

---

tenent, Sancti videlicet Benedicti regulam.,, Concilium Rotomagenſe anni 1074. cap. 7. *,,vt Regula Beati Benedicti in vtroque ſexu incommutabiliter obſeruetur.,,*

(a) alias 18.

Qui olim Clerici dicti?

(b) Quod nunc monui, Clericos hos non fuiſſe Eccleſiaſticos, ex hoc Capite vberius patet. Multa, ſatis otioſe congerit Inchuſer de Clericis Acephalis, quae ad rem nil pertinent. Dubium nullum eſt, Clericos Acephalos vitio ſeculi XI. extitiſſe, contra quos olim iteratis Canonibus pugnarunt Episcopi, hos autem ex illorum genere fuiſſe, mihi veroſimile non fit. Primo enim dicitur: *,,Si Dominus eum bene habuerit.,,* Cum in legibus aeui huius vera extiterit Seruitus Ly *Dominus* in hoc proculdubio ſenſu ſumendum eſt ex quo ius ſeruitutis enaſcatur, Eccleſiaſticos autem illi aliquando obnoxios fuiſſe, nunquam oſtendetur, obiiciet mihi non nemo: conſtitutiones, quas legati Apoſtolicae Sedis Mediolanenſibus anno 1067. praeſcripſerunt, quae poteſtatis videntur facere memoriam. Verum ſufficiet verba recitaſſe, vt omnis ceſſet obiectio *,,Si quis autem Laicus cuiuscunque ordinis praeſcriptorum graduum Clericos in poteſtate ſua habet, cum primum ſciuerit in veritate aliquem ex eis vel foeminam, ſicut dictum eſt, retinere, vel in fornicationis crimen caſu cecidiſſe: ſtatim per ſe vel per ſuum nuncium hoc ſtudeat indicare Archi-Episcopo &c. Si Vero Archi-Episcopus, vel ſui ordinarii poſt quam audierint, hoc neglexerint, ipſe Laicus quicunque ſit, extunc in ſua poteſtate nec officium facere, nec beneficium alicui ex illis permittat tenere.,,* In poteſtate ergo eſſe ſignificat, quod nos dicimus, in terris, tentis, vel Poſſeſſionibus ſuis eſſe; abbreuiator Floduardi ipſe quoque antiquus ſcriptor ad rem noſtram iſta habet: *,,Adalberonis tempore de villa Vindenifſa, inter Manaſſen Comitem, et Canonicos Remenſes conuentio talis facta fuit. In Nomine Patris &c. notum ſit omnibus, tam praeſentibus quam futuris fidelibus, quod Manaſſes miles poteſtatem illam, quae dicitur Vindeniſſa.,,* habes villam appellari poteſtatem. 2. In ſuperioribus vidimus de ſeruis dici: quod adhaereant Dominis ſuis; hic quoque idipſum dicitur. Vnde paria ſeruitutis ratio conſequi videtur 3. Hoſpites ſecundum aeui illius vſum erant ſeruituti obſtricti. Recte enim ait Du Cange: *Intelligere promptum eſt quosdam hoſpites, ſeruitiis addictos fuiſſe, quosdam ab iis omnino liberos, et immunes, ſi tamen iis hoſtiſiae excipias.,,* Hoſtiſiae autem erant, vti rurſus idem ait: *,,ſeruitutes manſionum addictae, quae ab hoſpite ratione domicilii ſui quotannis Domino praeſtarantur.* Seruituti ergo obnoxii erant omnes hoſpites. Contendas iam eos fuiſſe Eccleſiaſticos! videamus nunc, qui fuerint hoc ſeculo Acephali Clerici? vt pateat noſtros non fuiſſe ex numero illorum. Rari profecto erant hoc ſeculo de illis Canones, inter quos eſt Canon 9. Concilii Melfitani ab Vrbano II. a: c: 1089. celebrati: *,,Quia nouum hoc tempore Clericorum Acephalorum genus emerſit, qui morantur in curiis, et viris, et foeminis ad ſui ordinis dedecus ſubditi: cum in Canonibus cautum ſit, ne quis ſine licentia Episcopi Clericus, nec Episcopus ſine Metropolitano curiam adeat, praecipiendo praecipimus, et prohibentes, prohibemus, ne quis retineat huiusmodi. Sed proceres ab Episcopis animarum ſuarum procuratores Clericos poſtulent, ſi Episcopi iuſſione pro tempore, ac viciſſim in curiis conuerſentur. Ipſis itaque omnino interdicimus, ne Clericis Proceres ſine conceſſione ſui Episcopi abutantur.,,* Obſeruandum hic eſt, de ordine non dubitari, neque ſeruitutis apparere veſtigium, ac praeterea iuberi, ne omnino intertenantur, ſed per tempora, ac vices concio Episcopo ad curias Procerum accedant; quam haec longe diuerſa ſunt a noſtris! denique Acephali illi duntaxat erant Clerici, qui Episcoporum ſe net ſubtrahebant iuriadictioni. Quis nunquam dixit Clericum Acephalum eſſe, qui Episcopo adhaeret? Dicamus iam quid hominis fuerit hoſpes Clericus? nihil profecto aliud, quam ſcriba, actuarius, Amanuenſis Episcoporum, et Comitum, teſtatur hoc et multis comprobat Du Cange voce *Clerici*, et Seldenus in diſſertatione ad Fexam inquit: *,,ob doctrinam, ſeu ſcientiam, ſeu artem illam, qualemcunque ſic appellati.,,* His ergo hominibus omnia aptari poſſunt, quae lege citata diſponuntur. Faceſſat proinde hinc ſomniatus ille Senatus Eccleſiaſticus Inchoferi, cui Rex ſubſcribebat: quid oportet talia comminiſci, quorum nullum deprehendas veſtigium. ex moribus cuiusque aeui ſenſus legum deducendus.

(c) alias 19.

(d) alias 20. hoc Capitulo vides iam correctum errorem de matrimonii diſſolubilitate.

(e) alias 21.

Patrum in procuratione Epiſcoporum *(a)* ſuorum, in quorum Territorio ſunt, humiliter permaneant, et non ſemel in anno, ſed ſaepe Monaſteria eorum Epiſcopi viſitent, et regularem vitam, et conuerſationem fratrum diſcutiant, tametſi Monachi, cui Monaſterio voluerint, ſe cum rebus ſuis commendent. Similiter et Sanctimoniales in Monaſterio Sanctimonialium. Deinceps autem aliquis Epiſcopus, aut Abbas, ſine titulo certi loci Monachum, aut Monacham non audeat ordinare.

21. *(b)* Quicunque ritu gentilium *(c)* iuxta puteos ſacrificauerint, vel ad

---

Vnde ortae Regularium exemptiones?

(a) Nulla ergo hoc ſeculo Regularium exemptio in Hungaria. Sed nec alibi paſſim, niſi vbi id Regum voluntati tributum fuit. Sic in Concilio Vintonienſi ſub Canuto Rege an. Chriſti MXXI. celebrato apud Hard. Tom. 6. col. 8027. „*votis Regiis vnanimiter conſentientibus* (Epiſcopis) *decretum, et ſancitum fuit, quod Monaſterium S. Edmundi ſit ab omni iurisdictione Epiſcoporum, et Comitatus illius ex tunc in perpetuum funditus liberum, et exemptum*„ niſi Regiae voluntati deferretur in eo, Monachi omnes Epiſcopo ſuberant, ſic in Concilio Legionenſi anno MXII. in praeſentia Alfonſi quinti Regis Legionenſis, et vxoris eius Geloitae Reginae celebrato, apud Hard. Tom. 6. col. 8004. can. 3. „*Decreuimus etiam, et nullus contineat, ſeu contendat Epiſcopus Abbates ſuarum Diaeceſium, ſiue Monachos ſiue Abbatiſſas S. Moniales refugauos, ſed omnes permaneant ſub ditione Epiſcopi.*„ In Concilio Anſanu anni MXXV. lecto Chalcedonenſi Concilio Monachi Cluniacenſes ſubiecti ſunt Epiſcopo Matisconenſi, non obſtante priuilegio Apoſtolico „*decreuerunt cartam non eſſe ratam*„ *quae Canonicis non ſolum non concordaret, ſed etiam contrairet ſententiis*„ ſubreptitiam ergo exiſtimarunt. Obſeruandum in hoc capite ampliorem Epiſcopis vindicari poteſtatem, vt nimirum etiam Monachum ordinare, hoc eſt Monachum facere potuerint, quod alibi ipſis integrum haud fuit. Procurationem Epiſcoporum non ita ſummendam puto, vt ſignificet intertentionem Epiſcopis praeſtandam; hoc onus enim zeuo iſto nomine hoſpitalitatis veniebat, ſed eo ſenſu, quo Vrbanus II. in Concilio Melfitano appellabat Clericos Laicorum Procuratores, id eſt: animarum ſuarum Procuratores.

(b) alias 22.

De ſacrificio iuxta puteos.

(c) Non poſſum hic omittere quin oſtendam, quot errores typographi admiſerint, dum Illmi Adami Kollár libellum de poteſtate Legislatoria exſcriberent; verba enim capitis 7. quo in Synodum hanc commentatur, et hanc legem ſtudioſius illuſtrat, erroribus ſcatent grauibus, ſcribit namque laudatus auctor legem haoc noſtram ex capite XXX. Rhabani Epiſtolae ad Heribaldum eadem de re ſcribentis deſumptam eſſe. Errarunt hic typographi alterius forte nomen ſubſtituendo Rhabani. Mauri enim tres libri exſtant ad Heribaldum de quaeſtionibus Canonum poenitentialium, horum duo priores non habent capita XXX. poſtremi libri caput 30um de Virginibus non velatis, ſi deuiauerint agit. Capitibus 40. et ſubſequis poenitentias aduerſus Diuinationes, auguria, auſpicia, incantationes, ſortilegia, obſeruationes diuerſas ſancit, huius obſeruationis nulla mentio. Ex Rhabano itaque Mauro lex noſtra non eſt deſumpta. Rurſus ex Capitulatione Caroli Magni de Partibus Saxoniae caput 20um erronee eſt citatum. Pariter Capitularium libri octaui, caput 256 incuria typographi laudatur, cum tamen Capitularium liber octauus nullus vnquam exſtiterit, et verba laudata lib. 7. cap. 316. habeantur. Et hoc quantum ad errores typographicus. Libenter aſſentior Ill. Auctori ſimiles legi noſtrae reperiri ordinationes Capitularium, ſed aegre aſſentior ſcribenti; „*ſuperſtitiones illas neque Hunnicas, neque Vngaricas, ſed vicinorum Populorum eius aeui fere omnium fuiſſe.*„ quicunque aetatem Benedicti Leuitae, et Auſegiſi Abbatis Capitularium Compilatorum nouit, non dubitabit ex Capitularibus vitia, et ſuperſtitiones ſeculi XI rite colligi non poſſe; vel vnius enim ſeculi intercapedo magnum iniicit moribus diſcrimen. Neſcio autem ex quibus Canonibus ſeculi XI. erui poſſit ſuperſtitiones hoc capite deſignatas fuiſſe vicinorum Populorum fere omnium vitia inolita. Niſi enim Canones huiuscemodi effugiſſent ſedulam diligentiam meam in euoluendis omnibus Conciliis ſeculi huius, quae apud Harduinum, et alios reperiuntur. in ſubſidium ſumpta etiam P. Richardi Analyſi Conciliorum, vnicam Synodi Regiae a Canuto Rege Anglorum cum Epiſcopis ſuis celebratae conſtitutionem reperi, quae talis eſt apud Hard. Tom. 6. col. 902. cap. 5. „*adorationem barbaram pleniſſime vetamus; Barbara autem eſt adoratio, ſiue quis Idola, puta, Gentium Diuos, ſolem, lunam, ignem, profluentem, fontes, ſaxa cuiuscunque generis, arbores, lignaae coluerit: ſiue ſagarum ſuperſtitiones obſeruauerit, ſiue magnam alicui cladem, ductis ſortibus, ardentibusue taedis obtulerit, ſiue denique falſis, et mendacibus viſis mortalium mentes concitauerit.*„ Anglos non facile credo a quoquam Populum nobis vicinum dici poſſe, ſaxa, apud quos fere ſolos arbores colebantur hoc ſeculo XI. Porro admiratio Illuſtrmi Auctoris, quod in Synodo hac Regia ſuperſtitio illa boue luenda decernatur, licet vt ipſe ait, earum ſuperſtitionum reos vinculo excommunicationis innodari conſtet, ceſſabit ſi duo haec perpendere voluerit. 1. Synodum hanc, ſi ad Capitulationem Saxonibus datam reſpexit, poenam non minus quam legem adaptaſſe. In Capitulatiooe enim hac cap. 21. ſtatuitur: „*Si quis ad fontes aut arbores, vel lucos votum fecerit, aut aliquid more gentilium obtulerit, et ad honorem daemonum comederit, ſi nobilis fuerit, ſolidos ſexaginta, ſi ingenuus triginta perſoluat.*„ Hi ſolidi an bouem non valeant? 2. Huiusmodi ſuperſtitionum reis poenam excommunicationis fuiſſe dictam non inuenio: Poenitentiam publicam indictam ſcio; Poenitentiam autem ab excommunicatione toto coelo

Digitized by Google

ad arbores, et fontes, et lapides obtulerint, reatum ſuum boue luaut.

22. *(a)* Si quis res ſuas, aut Praedia vni dederit Eccleſiae, nulla interueniente cauſa ſubtrahere audeat, et dare alteri.

23. *(b)* Res Eccleſiarum vbicunque inueniantur, ſiue apud Eccleſias alias, vel apud Dominos, ad priorem Eccleſiam ſuam redeant.

24. *(c)* Si quis Dominicum diem non obſeruauerit, et dies Feſtos non ſeruauerit, aut quatuor tempora, et vigilias non ieiunauerit, aut mortuos ſuos ad Eccleſiam ſuam non ſepeliuerit, duodecim diebus pane, et aqua poeniteat in cippo. Si dominus ſerui ſui corpus, aut villicus pauperis villani, vel hoſpitis ad Eccleſiam non detulerit, tantundem poeniteat.

25. *(d)* Si in die Dominico, aut aliis maioribus feſtiuitatibus Iudaeum laborantem aliquis inuenerit, ne ſcandalizetur Chriſtianitas, cum quibus inſtrumentis laborauerit, illa amittat.

26. *(e)* Abbates de liberis *(f)* ſuis dent decimationem Epiſcopis.

27. *(g)* Quoties vel aqua, vel ferro iudicium factum fuerit, interſint ibi tres idonei teſtes iurando iure probati, qui et innocentis innocentiam, et e contra culpabilis culpam perhibeant. Presbyter de ferro duas penſas, et de aqua vnam penſam accipiat.

28. *(h)* Nullus Presbyter audeat Miſſam celebrare extra Eccleſiam, niſi forte itineris cauſa neceſſitas cogat eum. Si vero a Comite ſuo coactus fuerit ab ordine ceſſabit, et qui eum ad hoc coegerit, quinquaginta quinque penſas ſoluat. In itinere vero diuinum officium celebrare liceat in tentorio.

29. *(i)* Epiſcopi de liberis accipiant decimas, liberi vero cuicunque Epiſcopo, vel Comiti adhaeſerint, ſicut eis placuerit, ita habeantur, ſalua tamen libertate. Qui autem pro animarum ſalute libertati mancipati fuerint, eo tempore tamen, vt Eccleſiae ſeruiant, ipſi nemini, niſi ſoli Presbytero adminiſtrent.

differre planum eſt. Theodorus Cantuarienſis A. Epiſcopus in poenitentiali ſuo ait: „*qui immolat daemoniis, in minimis vno anno poeniteat, qui vero in magnis* 10. *annis poeniteat.*„ Caput rei eſt, quod negem lege hac noſtra dici: ad arbores, vel fontes, aut lapides ſacrificium proprie tale oblatum fuiſſe: oppones illico textum legis: „*quicunque ritu Gentilium iuxta puteos ſacrificauerit*„ verum te monitum volo, quotiescunque ſenſus legum exploratur, ſemper ad vſum aeui reſpiciendum eſſe. Probat autem Du Cange quamuis oblationem dictam fuiſſe ſacrificium, confirmant haec tam Capitulum mox citatum, vbi pro „*ſacrificauerit*„ habetur „*votum fecerit*„ tum contextus legis noſtrae, vbi poſt mentionem ſacrificationis ſubiungitur: „*vel ad arbores, et fontes, et lapides obtulerit*„ neque te moretur quod dicatur ritu Gentilium; quaeuis enim ſuperſtitio ritus Gentilium eſt, neque illi ſolo ſacrificii ritu peccarunt. Rem omnem dilucidam reddit Canon. 20. Concilii Nonnetenſis apud Hard. Tom. 6. col 462. „*lapides quoque, quos in ruinoſis locis, et ſylueſtribus daemonum ludificationibus decepti venerantur. vbi et vota vouent, et deferunt, funditus effodiantur, et in tali loco proiiciantur, vbi nunquam a ſuis cultoribus inueniri poſſint. Et omnibus annuncient, quantum ſcelus ſit Idololatria? omnibusque interdicatur, vt nullus votum faciat, aut candelam, vel aliquod munus pro ſalute ſua rogaturus alibi deferat, niſi ad Eccleſiam Domino Deo ſuo.*

(a) alias 23.

(b) alias 24.

(c) alias 25.

(d) alias 26.

(e) alias 27.

(f) Suſpicor legendum: *Libertis ſuis*; Quamuis nihil repugnet liberos intelligi, cum alii fuerint ſerui, alii liberi. Nemo autem credat homines decimari, quod nec conditioni hominum congruit ſiue libertos, ſiue liberos legas. Verum de liberis, id eſt: de terris, et vineis liberorum dent decimationem; propriae enim Abbatum terrae a decimatione liberae fuerunt. Liberi ergo hic intelligendi hoſpites, ſeruitutis iugo nequaquam obſtricti, quod docet caput 19. alias 30.

An homines decimati?

(g) alias 28.

(h) alias 29.

(i) alias 30. ſi ſalua erat libertas liberorum, decimari non poterant ipſimet liberi, ſed terrae &c. vide, et confer, quae ad aliud caput diximus.

30. *(a)* Latini qui Vngarorum conſuetudini legitime conſentire noluerint, ſcilicet, poſtquam Vngari carnes dimiſerint, ipſi interim in ſecunda, et tertia Feria comederint, ſi ſe noſtrae conſuetudini meliori non conſentire dixerint, quocunque volunt, eo vadant: pecuniam vero, quam hic acquiſiuerunt, hic relinquant, niſi forte reſipuerint, et carnes nobiscum dimiſerint.

31. *(b)* Si quis virgini, aut mulieri, de villa in villam eunti vim intulerit, quantum pro homicidio tantundem poeniteat.

32. *(c)* Episcopi, qui decimationem ſpecorum in alio Episcopatu naſcentium accipiant, quartam partem Presbyteris in ſuo Episcopatu manentibus tribuant.

33. *(d)* Meretrices, et ſtrigae ſecundum quod Episcopo iuſtum viſum fuerit, tali modo diiudicentur.

34. *(e)* Si contigerit Regem, vel Episcopum, ad quamlibet Abbatiam venire, Abbas, et Monachi ad Regis, vel Episcopi osculum in Ecclesia non accedent, ſed egreſſi in clauſtrum ordinatim ſtantes, Regis vel Episcopi osculum praeſtolentur. Regem autem, vel Episcopum cum quot, et quibus ſibi placuerit Abbas clauſtrum intrare permittat.

35. *(f)* Si autem contigerit Abbatem, vel Monachum, ad curiam Regis venire, in Eccleſia ad ſalutandum Regem non eat, ſed poſtquam exierit de Eccleſia, in domo, vel in tentorio ſalutet eum.

36. *(g)* In hac vero Sancta Synodo a Venerabili Rege Ladislao ſtatutum eſt, et ab vniuerſis Episcopis collaudatum, et canonizatum, vt vigiliae celebrentur, beati Stephani Regis, et Gerhardi Martyris, quo die paſſus eſt, et tres dies ad feſtiuitatem S. Martini, et quod Patruus ſuus Andreas Rex cum omnibus, qui tunc erant, Episcopis vouit, et ſtatuit, iſte Rex Chriſtianiſſimus deſtruere noluit, ſed firmius corroborauit, trium dierum vigiliam ad feſtiuitatem Sancti Petri.

37. *(h)* Iſtae vero feſtiuitates ferendae ſunt per annum: Natiuitas Domini, Sancti Stephani Protomartyris, Sancti Ioannis Euangeliſtae, Sanctorum Innocentum, Circumciſio Domini, Epiphania cum vigilia, Purificatio Sanctae Mariae, in Pascha quatuor dies, Sancti Georgii Martyris, Philippi, et Iacobi cum vigilia, Inuentio Sanctae Crucis, Ascenſio Domini, in Pentecoſte quatuor dies, S. Ioannis Baptiſtae, Petri et Pauli Apoſtolorum vna die, Sancti Iacobi, Sancti Laurentii, Aſſumptio S. Mariae, S. Regis Stephani, S. Bartholomaei, Natiuitatis S. Mariae, Exaltatio Sanctae Crucis, S. Mathaei Apoſtoli, et Euangeliſtae, S. Gerhardi Episcopi, S. Michaelis Archangeli, Sanctorum Simonis et Iudae, omnium Sanctorum, S. Emerici

Quinam Latini?

(a) alias 31. Latini dicebantur olim veteres Incolae, indigenae quod e ſpeculo Saxonico conſtat apud Du Cange, apud nos iidem ſane olim Itali dicti, qui Romani. Anonymus Belae Notarius indigenas Pannoniae vocat Romanos. Fulgentius lib. I. de myſterio mediatoris Vandalos in Africa ſub Traſimundo degentes vocat Barbaricam Gentem, veteres autem Africae Incolas Romanos; quamuis certum ſit illos Romanos non fuiſſe. Latinus itaque, et Romanus ſignificat indigenam, ſeu veterem colonum, poſterioribus temporibus apud nos Itali vocabantur Latini hinc *Olaſzi* dicitur in Diplomatibus *villa latina*. Senſus ergo legis eſt, „*ſi indigenae Vngarorum conſuetudini conſentire noluerint* &c. nil ergo pro Greco ritu apud Hungaros inde exſculpi poteſt.

(b) alias 32.

(c) alias 33.

(d) alias 34.

(e) alias 35.

(f) alias 36.

(g) alias 37. vigilia hoc loco ieiunium ſonat, vide recenſionem XXXIX.

(h) alias 38.

rici Ducis, S. Martini, S. Andreae, S. Nicolai, S. Thomae Apoſtoli: et vnaquaeque Parochia ſuum Patronum, et dedicationem Eccleſiae celebret.

38. *(a)* Abbates, vel Monachi, inter Fratres Kalendarum non ſedeant, ſed Abbas oblationes Fratrum in clauſtrum accipiat, et ſecundum Regulam Fratribus adminiſtret.

39. *(b)* Episcopus accipiat decimationem de omnibus, ſed eo tenore? Episcopi Priſtaldus interroget poſſeſſorem annonarum, ſeu beſtiarum quantum habeat: ſi crediderit verbis illius, accipiat ſecundum hoc, quod dixit: ſi vero non crediderit, faciat illum iurare, et accipiat. In Annona vero commixtum non accipiat, ſed ſeparatim, ſi vero poſt iuramentum domini Annonae quis alienus periurium dixerit, praeter Priſtaldum Episcopi ante Priſtaldum Regis et Comitis numeretur Annona, et ſi culpabilis inuentus fuerit dominus Annonae, ei tantum decima pars detur, et nouem partes dentur Episcopo. Si vero ipſe, qui inſurrexerit, mendax exſtiterit, eodem iudicio perſoluat culpam: ſi non habuerit vnde ſe redimat, ſolus venumdetur, exceptis liberis, decimatio autem tota colligatur vsque ad natiuitatem Domini. Filius autem, qui in domo Patris eſt, vel ſeruus, non ſeparetur, ſed ſimul dent decimationem cum Patre, Filiis vero, et ſeruis, qui per ſe habent domos, accipiant decimationem de omnibus quae habent. Si autem aliquis contumax fuerit, et interrogatus decimam noluerit indicare Priſtaldo Episcopi, tunc Priſtaldus coram idoneis teſtibus deſignet, quantum ſibi videtur eſſe iuſtum, linum, vel canabum, quantum poteſt pugillus capere, preſſis digitis ad terram tantum accipiat. Si trituratam Annonam inuenerit, ſi decem hydriae fuerint, nil accipiat: ſi viginti, vel plus, accipiat decimam partem.

LV.

VESTIGIVM SYNODI REGIAE

ſub S. Ladislao celebratae, a: c: MXCII.

Nos Ladislaus, DEI gratia Hungariae, Seruiae, Dalmatiae, Croatiae, Thraciae, Sclauoniae, Mysniae, Daciae, Auſtriae, *(c)* Partium Bulgariae &c. Rex.

Agnoscimus hunc Noſtrum Martynum Viſa de Matta, non tantum fidele membrum Regni noſtri, et inſtrumentum, verum tanquam commembrum, ſcimusque originem traxiſſe a Parente ſuo Kund, qui ex ſeptem primis Capitaneis erat vnus, quamuis is, pro actu, qui contigit, cum ad praedeceſſorem Regem noſtrum Andream, Dux Vatta petitionem habuiſſet, vt Hungari, quibus viſum foret, poſſent libere ad cultum ſuorum antiquorum Deorum redire, cui propter metum imminentem data eſt a

Rege

(a) alias 39. Fratres hi non ſunt alii, quam *Fratres Kalendariorum* apud exteros appellati. Fratres etenim hi quibusuis Kalendis ſibimetipſis eleemoſynas et ieiunia, vt docet Du Cange, iniungebant, quae omnia cum lege noſtra congruunt, iubente oblationes in clauſtrum recipi, quas inconſortio Laicorum exigi vetat.

Kalendarii.

(b) alias 40.

(c) Diploma hoc S. Ladislai, quod veſtigium Synodi Regiae vocamus, ex penu Zekelyana,

Digitized by Google

Regẽ authoritas colligere voces Magnatum hac ſequenti forma: Liberum fiat nec ne? nomen et Religio Chriſti esſet viſa, vel inuiſa. Dum vero iam plurimi fauerent, alii ſilerent, ventum eſt ad hunc fidelem noſtrum, credibilem Chriſtianiſſimi Parentis noſtri diſcipulum. An nomen, et religio Chriſti fiat ad libitum viſa nec ne? Is vti viſi teſtes ex ore eius auditu referunt, in eodem praetorio, praeſentibus his teſtibus, et praedeceſſore Andrea Rege, nec non Duce Vatta, correſpondens Leoni ſuo, quem aquiſiuerat ab Atilla pro inſigni *(a)* parens huius, exclamauit, dicens: Nomen et Religio Chriſti non relinquatur ad libitum vlli, nulli permittatur ab incoepto, et veſtigio parentis noſtri Stephani reſilire, ſed ſine omni reſpectu etiam inuitis omnibus fiat viſa, et colatur ab omnibus, nulli itaque inuiſa, verum cunctis viſa habeantur Nomen, et Religio Chriſti. Huic Magicus ille Dux Vatta illudere volens, aliorum mentes partim metu, partim arte ſua eludens, huic noſtro fideli, qui ante habebat nomen Kund, affixit nomen Viſa, qui vna cum eo ex inferioribus partibus Ditionis erat, vbi plurimi ex conceſſu praeſati praedeceſſoris noſtri ad rogata redierant, is ab omnibus illarum partium finitimis incolis, per vexationem viſa vocatur: huic nomen iſtud ita adhaeſit, vt praeter magnates noſtros, nemo ſciat eum Kund eſſe, vel fuiſſe, ſed Viſa ex fictione Ducis Vatta, velut propter praeclara geſta, Coruinum *(b)* vocitem cor vinum, ex eo, quod ſine metu vti ebrius videretur irruere in hoſtes noſtros, quod ipſi authores huius nominis Cor Vini fatentur, omnes eius actus, non generoſitati, vel fidelitati, ſed vino volunt adſcribere, vnde illum nolunt laudare ex corde ardenti, verum cor eius volunt nominare bonum vinum: quod primo tunc intelleximus, cum victis Kunis aduerſus Ruthenos mouiſſemus copias noſtras, vbi iam ageremus de victoria cum Ruthenis, in ſecundo Praelio Ducis Sélae *(c)* qui Kunis praebebat aduerſus nos auxilio conſilium, ab hoc fideli noſtro, decapitati caput ad noſtram praeſentiam allatum eſt. Hinc itaque deſignamus ipſi, et ſemini eius pro Inſignio Leonem in capite coronam Ducatus, et in duobus pedibus geſtantem gladium robuſtum in arena, quod et antecedenter habebat, cui addimus pro-

---

verius noſtra deprompimus. Suſpectum nobis eſt quidem, imo luculenter ſubreptitium, praetermittendum tamen non cenſuimus, cum V. Capitulum Poloniense an. 1635. die 7. Aug. id tranſumpſerit, id eſt, transſcripſerit. Tribuimus id noſtrae erga praefatum Capitulum obſeruantiae ne a Cl. Pray, Redmo Ganoczii intentatam calumniae poenam incurramus. Viderint Legisperiti, quid Iudex interpellatus de Diplomate hoc pronunciaret, ad leges criticae ſubſiſtere nunquam poterit, niſi exemplar noſtrum a ſuo prototypo nimium differret. Titulis Regnorum contradicet vtique Cl. Palma in ſpecimine Heraldicae aliquos tardius, aliquos nunquam a Regibus noſtris vſurpatos docens. Mirum, quod Diplomatis conſarcinator Regem Poloniae non ſcripſerit S. Ladislaum, cum teſte Petro de Réva Cracouiam expugnauerit? euidentiſſimum ſuppoſitionis argumentum occurrit in eo, quod S. Regem ſcribat Auſtriae Regem; tacentibus de eo annalibus Auſtriacis.

(a) Aegrum omnino foret probare ab Atilla cuipiam conceſſum fuiſſe Inſigne.

(b) Inſulſa haec alluſio, et etymologia ſapit aetatem Rege Sigiſmundo poſteriorem.

(d) Hic forte eſt ille Cumanorum Regulus a S. Ladislao caeſus, de quo ſcribit Petrus de Réva Centuria 1a pag. 72 „*Ladislaus quatuor maximis praeliis ſemper victor, caeſis Regibus illorum vno ſua manu interfecto, gentem ad internecionem fere caecidit.*„ Verum quia S. Ladislai, et Petri de Réva mentio incidit, oſtendere debeo, quam pronum ſit homini, ſi odio mens in transuerſum agatur, falſa credere, facilius autem ſcribere. Memoratus quippe ſcriptor in S. Gregorium VII. et quosuis Pontifices commotior, loco citato ait: „*harum rerum fama, et ſimul Imperatoriae felicitatis, ac virtutum, quibus excelluit, perpulit Germaniae Principes, vt Henrico IV. mortuo, eum ſibi Imperatorem depoſcerent, quid illud ſit, quod Henrico V. Imperatore deſignato, externum ſibi Regem quaeſierit Germania; non tradunt annales: illud annotatum magnum fuiſſe Principum conſenſum.*„ Dein culpam in Paschalem II. coniicit, quae piget tranſcribere. Quis, amabo, haec non rideat? non poſtulauit ipſum Germania in Principem, ſed Principes, non vtique Germani in bellum ſacrum profecturi huius expeditionis Ducem, et Imperatorem, vtpote ſimili voto obſtrictum optabant, omnis ergo in Paschalem II imputatio euaneſcit.

Petri de Réva hallucinatio.

propter actum, quem elicuit contra hoſtes Nominis, et Religionis Saluatoris, veritati illi, quam ſimillimam petram, ſuper quam collocetur Mater omnium noſtrum, tenens in vlnis Diadema, amicta ſole, et referens lunam pedibus, et in manu Kund, nec nuper ficto cor, vino, verum quod Zelo erga DEVM, fidelitate erga Patrem Noſtrum Stephanum, pietate erga Chriſtum nomen Viſa acquiſiuit, nomine Viſa vocari, honorari volumus. Licet fidelis noſter habeat pro ſupplicibus interceſſoribus totum Coetum optimatum noſtrorum potiſſimum Opourdium, quem alii Frangepan vocant, qui iure iurando aſſerit, ſe non magis per ſe ſuosque milites, quem per hunc, et huius milites delegatos Ducatum ſuum verbi gratia vtriusque Mipiae coronae noſtrae acquiſiuiſſe, quem commendarent peracta glorioſa quamplurima eius, inferius, licet non adaequate commemoranda, partim ex relationibus Patrum noſtrorum in memoriali bene meritorum repertis, partim experientiis noſtris manifeſtis. Hunc teſtatur Parens noſter Stephanus, vna ſecum varias ſubiuiſſe vexationes, propter receptam fidem, et ſortem contra hoſtem ſuum domeſticum Kupa Ducem, a quo dum Acies praefati Ducis vsque ad ipſum ſaeuiſſet, eumque clementer capere vellet, in dextra facie pectoreque grande vulnus accepit, cui par et hic reddidit, quod et hodie cicatrices oculis noſtris patentes teſtantur: Ex hoc tam militum, quam corporis ſui flagello Ducis Kupa, teſtatur ſe Parens noſter habuiſſe pacem cum aduerſa parte. Hinc nos obligando memoratus Pater noſter ſibi fauſta foeliciaque, vere et ſine omnibus verborum latibulis, omnia tam ea quae in finibus, quam facta, et acta in bellis fuere retuliſſe, vnde plurima pericula teſtatur ſe euaſiſſe. Hinc Pater noſter praefetus in finibus Ditionis ſuae, inter Idololatras eſſe oculum ſuum vigilantiſſimum, et partium earundem, vel potiſſimum Regni Bosnenſis optimum inſtrumentum, dum ageret de conuerſione animarum, cui et fidelitatis ſuae condignam mercedem teſtatur ſe Parens praefatus multoties velle deſignare, praeter hoc, quod habeat ſalarium Conſiliarii, et Supremi Capitaneatus, Ducisque pro tempore Bosnenſis Regni, ſed iſto, ex eo renuente, quod communiter credebatur eſſe ſterilis. Hunc teſtatur Parens praedeceſſoris Belae mirari Ducem Vatta, poſt mortem parentis noſtri Stephani dicendo: Pereunte capite, et oculus debet perire, quod et confirmauit Dux magicus per varias inſidias huic ſtructas, et varia nefanda quaeque in hunc patrata. Hinc Bela praefatus praedeceſſor in praefato memoriali refert primum, qui reuocauit ſenſum contra idololatras, et dediſſet conſilium, quod optimum eſſet humiliare eos, quo modo et humiliati ſunt, et potiſſimum per hunc, vbi inter ceteros, et Ducem Vatta miſit ad ſuos Deos, vnde praeter hoc, quod multi laudabiliter memorant, ſententia huius fidelis noſtri euentum foelicem habuit: proxime praefatus Rex manum ſuam appellat, et varii ex praedeceſſoribus, exemplum verae fidelitatis aſſerunt; hunc et nos habuimus conſtauter, et ſemper intime fidelem, qui fidelitatem ſuam, ſentiens erga nos inſidias iam Nobis a Fratre Salamone patratas, variis viis per Ducem Ditescum optimo modo nobis retulit, et in quantum cernebat laudabiliter remedeatus eſt: non ſolum haec ſed et alia ſimilia, cum aduertit, inſinuauit: Hic in quadam Rebellione Ducis Ditesci, qua nobis memorans Ducem praefatum occidit: Et cum ageremus in Dalmatia, hoc ſolo in finibus noſtris relicto, erupere Kuni in Regnum noſtrum cum Duce ſuo Kopolcbor, quibus ſatis reſtitit, ſed praeualentibus eorum viribus, coactus eſt appellare victoriam ad noſtras copias, quibus habitis, ſolus is cum ſuis triplo vi-

Digitized by Google

ctoriae plus reportauit, quam omnes Kuni arripuerunt: Verbo vti teſtatur Parens noſter Stephanus primus Rex, et primum Lumen fidei Chriſtianae in noqis, teſtatur inquam vitam ſuam ab hoc fideli noſtro, Viſa de Matta variis viis fuiſſe cuſtoditam. Ita et Nos teſtamur auctoritate Regia, et veritate Chriſtiana, tribus vicibus ab eodem vitam noſtram fuiſſe cuſtoditam, quod et ipſe ſcio, et Magnatum noſtrorum nullus eſt quem lateat. Propter haec itaque, et ea, quae ab annis plusquam quadraginta laudabiliter geſſit tam in officio, quam extra officium, et praeter auctoritatem Parentum noſtrorum, et in gratiam ab iisdem a Parente noſtro vsque ad vltimum benedictionis impoſitae, et in contrarium talem benedictionis euitandam, quam conditionate nobis, et praeter nos omnibus, omni tempore Succeſſoribus impoſuere haec ſequentia, nempe cuius tempore acquieret tunc Kund, nunc Martinus Viſa de Matta filium, ſequenti forma impoſuere, et iniunxerunt nobis, et omni tempore Succeſſoribus, eumque per omne ſemen eius aliquibus bonis Regni noſtri, vni ex primis Optimatibus noſtris integre conuenientibus remunerari. Acquiſito itaque in initio Regni noſtri Filio ſuo Chriſtophoro adimplere volumus. Hunc ergo praeter Conſiliarii, et Supremi Capitaneatus ſalarium, et Vice Ducis Regni Bosnenſis, eum cum omni ſemine eius, et omni retro ſeculorum tempore Ditioni noſtrae, vel Succeſſorum noſtrorum, non iam Magnifico, Baronum, et Supremorum Capitaneorum, verum Illuſtriſſimo *(a)* Regnorum noſtrae Ditioni coniunctorum Supremorum Ducum Titulo fulgere volumus, ac haereditamus, perpetuando eum cum omni ſemine eius in quotacunque generatione eius ſeminis, vel Sedis noſtrae Ditionis dando ſemini eius pro haereditate Arcem Jajcza *(b)* caput Regni Bosnenſis, cum omnibus Caſtellis, Pagis, et ceteris ad eam pertinentibus, confirmamusque hunc fidelem noſtrum Martinum Viſa de Matta in omnibus Bonis ſuis, tam ad praefatam Arcem pertinentibus, et Sirmienſibus, et in Oppido ſuo Matta penes Debrecen ad Varadinum, quam in aliis hic non nominatis, et conſtituimus modo eum in ſuperiori Ducatu Regni Bosnenſis, quem teneat, et poſſideat per omnem generationem de ſemine ad ſemen. Et ſi DEO Optimo ita placeret, vt aliquando ſemen huius, vna cum Corona noſtra Ducatu praefato carere deberet, Ducatus, Ducatui Regni Bosnenſis par, huius ſemini, in quotacunque generatione, Sedis Noſtrae, ſemini huius aſſignetur, et ſi etiam Comitatus in quibus habet Bona, aliquando in aliqua parte retro ſeculorum, Ducana ditione noſtra, ſemen huius praefatis Bonis carere deberet, vel propter hoſtes, et externas Nationes, vti eis oppoſitus eſt maxime Ducatus Bosnenſis, vel ſi in Tutores Filii redirent huius, vnde inſidioſa, vel auara impietas ſemen huius in Agazones, vel in alios ex abiectis decrearet, imponimus in benedictione Parentum noſtrorum huic in omni ſeminum generatione, fauente Stephani Regis Primi, Andreae, Belae, et Noſtri Ladislai, omnimoda benedictione DEI, et proſperantis Regni tam noſtri, quam Succeſſorum, imponimus inquam in omni tempore retro ſecuturis Ditionis noſtrae Succeſſoribus, et obligamus eos in praefata Benedictione, et in fide Chriſtiana, quod ſi praefati caſus euentus aliquando accideret, vt dictum etiamſi Agazonem ſemen huius Fidelis Noſtri de Matta, vel alium quempiam abiectiſſimum ex Plebe oſtenderet has, a nobis

(a) Vix Reges hoc appellabantur nomine; non vt Dux Summo Regis iuri obnoxius hunc meruerit titulum.

(b) An Jajcza caput Regni Bosnenſis dici potuerit, videant Geographi.

nobis ſincera fide datas litteras, idem in eadem praefata Regni noſtri Succeſſoribus imponimus, illico erigant de ſtercore pauperem, et collocent eum cum Principibus Populi ſui, pro Ducatu amiſſo Ducatum ſimilem, pro bonis amiſſis bona ſimilia, atque adequantia praeſata bona, et ſalarium Conſiliarii, et Supremi Ducis vnius Ducatus ex bonis coronae ad Fiſcum, vel alio modo ad coronam relabentibus detur. Si vero Ducatu careret Regnum Succeſſorum, Succeſſorum huius ſemen haereditabit Supremum Capitaneatum, ſeu vt aliae nationes vocant Generalatum, vna cum bonis, vni ex primis Optimatibus adaequate conuenientibus. Haec itaque volumus in Benedictione iam ſuperius dicta, vt caueant Succeſſores noſtri non praeſtare, quod Nos, et Reges noſtri ex corde ſincero, benemerito, ex obligatione Maieſtatis Noſtrae, Chriſtanaque charitate, et iuſtitia vera imponere voluimus et ſtatuimus, quia ſi contrariam ſenſui noſtro, et Parentum noſtrorum facient, ſentient contrarietatem non parum oppoſitam; verbi gratia: Maledictionem, et ruinam Regni ſui. Eadem Benedictione, et contrarietate imponimus ſemini huius Viſa de Matta, ne quaerat vllum refugium, quo euitet onus praeſati officii, niſi ſint plures ſuperſtites apti, etiam religioſa vita eos non defendat. Hanc ergo noſtram voluntatem, et Parentum Noſtrorum, ſenſum conſenſumque Optimatum noſtrorum, pro perpetuo Bono Martini Viſa de Matta, et pro emolumento Regni noſtri, et Succeſſorum munimus, et ſtabilimus inſignio duorum Diadematum noſtro Regio, in parte dextra, et ſiniſtra huius Fidelis Inſignii, communi Regni noſtri inſignium, quod Baronum verbo omnium Optimatum conſenſum refert, in infima parte Ducis vtriusque Myſiae Opourdi teſtatur praemiſſa, quod eſt cum duobus fluuiis, et Leone Ducatus ſui coronato, et corona, et ſigillo donatario vnius Diadematis, et petrata cruce, duobusque leonibus id tenentibus, cuius extremitates his verbis: Gratia Regum Hungariae, beat fideles, quod ſine ruptura Zonae pargamineae, vel pixidis plumbeae indisſolubiliter iunctum eſt in pixide praefata ceraque hiſpanica *(a)* Inſignia Martini Viſa de Matta, vt dixi, et non alia ſient, Extremitates viridi colore, qui deſignant Sedis noſtram ſempiternam gratiam, et partes mediae rubro, qui promptitudinem ad ſanguinis effuſionem referat, Infimae coeruleo, qui reciprocam pietatem eius, et Succeſſorum refert, et in omni tempore confirmare, velut coloribus Inſigniorum Zonae correspondent, colores iungentes litteras noſtras eum pixide et Sigillo. Editae, et confirmatae in Vrbe Sedis Noſtrae Buda, Anno Salutis Milleſimo Nonageſimo ſecundo: Nono Kalendas Iunii, in Conuentu ſolemni. Ladislaus. Oblatae in Solemni Conuentu Noſtro Rákos, *(b)* in fine congregationis rerum nunc tractatarum cum Optimatibus Quarto Kalendas Iunii. Loc. Sig. penden.

 COL-

(a) Palmare hoc eſt ſuppoſitionis argumentum.

(b) Ex publicis Legum tabulis conſtat anno hoc, 192 Kalendas Iunii in Ciuitate Zabolcs congregatam fuiſſe Synodum Regiam, hanc in Conſultus Diplomatis noſtri cuſor ad Campum Rákos imprudentiſsime transfert, quaſi haec duo Loca tam vicina forent, vt tam facile Conuentus Regni translocari queant. Plura quidem ſunt, quae fidem omnem abrogant laciniae huic. Sed taedet ea omnia recentere. Si cetera non obesſent huic Diplamati, clauſula haec conformis eſt compluribus exemplis. Sic in Diplomate Colomanni, anno 1105, edito, quod Rev. ac Claris. Balth. Kerchelich in notitia prael. p. 114. adfert, dicitur: „*quae Donatio eiusdemque Iuſtitia confirmabitur Budae.* At enim vero ſolenne eſt aliqua comminiscentibus, addere vera falſis.

COLLECTIO LEGVM
ſub nomine ſecundi et tertii Libri Sancti Ladislai Regis vulgatarum.

I.

Excerptae leges ex libro ſecundo ſeu Synodus Regia in Monte Pannoniae habita.

1. Temporibus piiſſimi Ladislai Regis, omnes Nos Regni Pannoniae Optimates, in monte Sancto Conuentum fecimus, et quaeſiuimus qualiter malorum hominum impedirentur ſtudia, et Gentis noſtrae expedirentur negotia. Primum omnium iureiurando conſtituimus, vt qualiscunque proximus Principum reperiretur in furti culpa, vltra pretium Galinarum, nullatenus poſſit abſcondi, vel defendi a quolibet eorum. Placuit quoque vt ipſe fur; niſi ceciderit in Eccleſiam *(a)* ſuſpendatur, et omnis facultas eius depereat. Et ſi imprudentia eius, qui ceperat eum, euaſerit in Eccleſiam vel in Curiam Regis, vel ad pedes Epiſcoporum *(b)* careat qui non cauit vendicatione furti. Si autem de manu Fideiuſſoris euaſerit, de patibulo quidem liberetur, verum tamen cum eodem fideiuſſore in aliam Regionem venundetur, *(c)* et Bona ipſius Regali Fisco vendicentur.

2. Si ſeruus fur inuentus fuerit, et non poſſit pretio commutari, naſus eius (niſi ceciderit in Eccleſiam, vel in Curiam Regis, vel ad pedes Epiſcopi) abſcindatur, et ſi ceciderit, careat cuſtos eius vendicatione furti. Si vero ſecundo hoc modo captus fuerit, ſuſpendatur.

3. *(a)*

(a) Cadere in Eccleſiam nihil videtur aliud, quam proſterni in Eccleſia, vel ad Eccleſiam; ſcimus enim eorſum confugientes limina, vel Altaria; vel Baptiſteria amplexatos fuiſſe. Neque de nihilo eſt haec mea coniectura. Etenim in Legibus Normanorum apud Ludvig, et Du Cange, cadabulum eſt proſtratio in terram, in Euangelio legimus ſuggeſſiſſe ſatanam: „*ſi cadens adoraueris me*„ cadere ergo procul-dubio ſignificauit, proſterni.

Discrimen inter Ius Aſyli, et Epiſcoporum interceſſionem pro reis.

(b) Vetuſtiſſimum morem hunc eſſe diſcimus ex verbis S. Aug. Epiſcopi de verbis Apoſtoli ſerm. 18. „*contremiſcis, conturbaris, palleſcis, ad Eccleſiam curris, videre deſideras Epiſcopum, ad pedes eius voluntaris; Domine concutior, in carcerem mittor, miſerere mei, et libera me.*„ Et recte; teſte enim S. Hugone Lincolnienſi Epiſcopo, *ubi Epiſcopus, ibi eſt, Eccleſia.* Quia vero de Aſylo nobis ſermo incidit, et deinceps recurret, id obſeruatum volo; Aſyli ſiue Ius, ſiue vſum haud eſſe confundendum cum Iure, et officio intercedendi Epiſcopis, vti alibi demonſtrauimus, incumbente, ſed diuerſa eſſe omnino. Hic enim Eccleſiae reuerentia, et interceſſione defendebantur rei, ibi Epiſcoporum precibus liberabantur; ſic namque ait Concilium Arauſicanum can. 5. „*eos, qui ad Eccleſiam confugerint, tradi non oportere; ſed Loci Sancti reuerentia, et interceſſione defendi.*„ hic Epiſcopi obſecrationibus vtebantur, ibi Diuini Numinis terrebant auctoritate. Legas velim, quae geſta ſunt cum Eutropio. Hic Epiſcopi ſe non auditos conquerebantur, ibi Eccleſiae contumeliam illatam vindicabant, adeo vt memoratum Concilium Arauſicanum can. 6. damnatione etiam percelleret eos, qui hunc Eccleſiae honorem deferre renuebant, „*ſi quis autem mancipia Clericorum pro ſuis mancipiis ad Eccleſiam confugientibus crediderit occupanda per omnes Eccleſias diſtrictiſſima damnatione feriatur.*„ Videtur quidem Thomaſſinus vtrumque confundere, nullum tamen exemplum interceſſionis pro reis, ad Eccleſiam confugientibus profert, bene multa autem pro illis, qui ad Eccleſiam nunquam confugerunt. Diuerſa ergo haec fuiſſe ambigere non licet.

(c) Perpetua haec ab ingreſſu ſuo Hunnia poena, vt qui legis non parerent imperio, libertatem amitterent, ſimile aliquid apud Caſſiodorum lib. 3. cap. 47. de Theodorico Italiae Rege reperimus, qui homicidam, aſyli beneficium arripientem in exilium miſit, „*vt et Sancto templo reuerentiam habuiſſe videamur, nec vindictam criminoſus euadat in totum, qui innocenti non credidit eſſe parcendum.*

Digitized by Google

3. *(a)* Si quempiam deinceps tota Villa furem eſſe proclamauerit, probent iudicio. Vnde ſi mundus apparnerit, Villa perſoluat ſolum vnam penſam Presbytero. Si autem reus iudicio conuincetur, omni ſubſtantia ſua priuetur, et vendicetur Regi, vnde detur quarta pars Villanis. Si vero aliquem perſonaliter furem eſſe proclamauerint Villani, accipiant vnam penſam. Si autem vna pars accuſauerit furem; alia vero defenderit, non accipiatur eorum defenſio, et probato fure iudicio, ſi culpabilis inuentus fuerit, non habeant partem in quarta parte vendicationis.

4. *(b)* Si quis liber, vel ſeruus. in furto captus fuerit, ſuſpendatur. Si vero pro euadendo patibulo, ad Eccleſiam fugerit, abductus ab Eccleſia obcaecetur, *(c)* ſeruus in furto captus, ſi ad Eccleſiam non fugerit, ſicut liber ſuſpendatur, et domino ſerui illius detrimentum ſit in ſeruo ſuſpenſo: domino vero rerum perditarum ſit detrimentum in rebus perditis. Liber in furto captus, ſi ad Eccleſiam fugerit, et inde eductus obcaecatus fuerit, filii ſui, et filiae ſuae, ſi decem annorum aut minoris aetatis fuerint in libertate permaneant: ſi vero maioris aetatis quam decem annorum fuerint in ſeruitutem redigantur, et omnis ſubſtantia eorum auferatur. Seruus autem vel liber, ſi anſerem, vel galinam furatus fuerit monoculus efficiatur, et quod furatus eſt, reddat.

5. *(d)* Ordo Clericalis ſi anſerem, vel galinam, aut poma, vel his ſimilia furatus fuerit, ſcopis *(e)* tantum a Magiſtro

(a) alias 4.

(b) alias 12.

(c) Si ad poſteriores Summorum Pontificum conſtitutiones ordinationem hanc reuoces, deuis eſſe videri poteſt. Verum illa eſt Innocentii III. conſtitutio: „*Rectores Eccleſiarum obtinere debent ſibi membra et vitam.*„ Et hoc ipſo capitis noſtri diſpoſitioni nil officit. Similiter in Hiſpania in Legibus Viſigothorum ſancitur de homicidis, „*vt excepto mortis periculo, quidquid de eo voluerint*, (cognati occiſi) *licentiam habeant.*„ neque mirum eſt, varias circa aſyli effectus viguiſſe obſeruationes. Prouti enim Thomaſſinus de veteri, et noua disciplina par. 2. lib. 2. cap. CII. pag. 173. adnotauit ante Theodoſium Magnum, nulla reperitur Principum pro Aſylis Lex. Indubium tamen eſt iam antea diu ea immunitate gauiſas fuiſſe Eccleſias. et quidem probabiliter a temporibus Conſtantini. „*Forſan ergo* (ita proſequitur idem) *id Iuris naſcebatur, quaſi duce natura ipſa, et ratione Magiſtra. vt eodem, quo templum Salamonis, et quo templa ipſa paganorum, Eccleſiae Chriſti Priuilegio fruerentur.*„ quid ergo mirum, ſi hic vſus libertati Eccleſiae a perſecutione Gentilium reſpiranti coaeuus, varius, et diuerſus fuit.

(d) alias 13.

(e) Inchoffer in ſuis notis apud Péterffi ſcoparum poenam ad puerilem poenam reuocat. Quaſi de pueris, Clericis tamen ſermo foret. Mihi exploratum eſt de poena ad regularem diſciplinam pertinente agi. Docebimus ad Synodum Seraphini vitam Canonicam in Hungaris obtinuiſſe, eoque referendas eſſe ſcopas, initium quoque capitis noſtri perhibet inquientis, „*Ordo Clericalis*„ Procul-dubio illis ſcopis corrigebantur minoribus furtis delinquentes, qui ob maiora furta degradabantur, puerilibus virgis obnoxios non credo vnquam fuiſſe ad ordines promotos, ex quibus deiici poterant. Seminaria qualia nunc habemus ſeculo XI. nondum fuiſſe, obuium eſt. Si ergo pueros ſupponit Inchoffer Clericos, regularem aliquem conuentum ipſe quoque ignorans adſtruit. Sed de pueris corripiendis non puto vnquam Legislatores ſiue ſacros, ſiue profanos fuiſſe ſollicitos, vt de illis leges ſcriberent. Quiuis mihi facile aſſentietur, ſi ſcopas has a puerilium plagarum opprobrio liberavero, ſcoparum ergo diſciplina erat, dum Monachi non minus, quam Canonici in Capitulo vsque femoralia nudati virgarum manipulo, ſeu quod idem eſt ſcopa inter ſcapulas, et per tergum caedebantur. In Cronico-Montis ſereni apud Du Cange, ad annum 1219. „*praeter alias poenas, quas ſuſtinere compulſi ſunt toto corpore vsque ad femoralia nudi ſcopas ferentes.*„ In vita S. Petri Damiani legimus: „*ſcoparum quoque diſciplinam cunctos in Capitulo ſuſcepiſſe.*„ de S. Romualdo legimus in vita ipſius: „*iuſſus fuerat a priore, quod ſcopas acciperet, quas nondum acceperat.*„ In Sancto Arialdo habemus teſtimonium, quam frequens fuerit in regulari diſciplina hoc paenae, aut iniunctae, aut vltro aſſumptae genus, cui poſtquam dixiſſet Andreas Vallis vmbroſae Monachus: „*adiuro te, vt tuis te veſtibus nunc exuas, et hic coram me te ſcopari facias*„ ſubiungitur „*protinus cucurrit, virgas adquiſiuit, veſtibus ſe exuit, et acriter ſe ab vno ex ſuis ibi coram omnibus ſcopari fecit.*„ Poſt talia exempla non facile cuipiam ſuſpicio puerilis caſtigationis poterit ſupereſſe. Ebo Epiſcopus Remenſis in libello de Miniſtris Remenſium Eccleſiae de poenis Canonicis infligendis differens ait: „*puniens bis tribus modis, id eſt aut carcere, aut ſeparatione menſae, ſiue in omnium verberum diuerſitate*„ regula

Scoparum poena.

giſtro corrigatur, ſed quod furatus eſt, reſtituat: maius his ſi furatus fuerit ab Episcopo ſuo degradetur, et iudicio vulgari damnetur.

II.

Excerptae leges ex libro tertio decretorum S. Ladislai.

1. *(a)* Si quis liber *(b)* furatus fuerit, et ad Eccleſiam fugerit, cuius Eccleſiae refugium quaeſiuit, illius ſeruus ſit, ille autem cuius ſuaſione euaſit, parte ſua careat. Si Presbyter poſtea eum emancipauerit, et ipſe vice eiusdem ſeruus ſit Eccleſiae. Ille vero, qui furatus fuerat, venundetur in aliam patriam, et ſi poſtmodum huc reuerſus fuerit, tollantur ei oculi.

2. *(c)* Seruus, qui furatus fuerit, et ad Eccleſiam fugerit, domino ſuo reddatur, et cuius conſilio fugit, det Eccleſiae duas penſas. Et ſi liber furtum fecerit, ſed neque captus neque ligatus ad Eccleſiam fugerit ipſe ſimiliter ſit ſeruus Eccleſiae, et cuius erat fur, parte ſua non careat. Eo modo, ſi ſeruus ad Eccleſiam fugerit, vna penſa dominus eius eum redimat, cuiusque res furatus fuerat, illi totum reſtauret. Item ſi ſeruus magnum quid, et tantum furatus fuerit, quantum dominus eius reſtaurare non poterit cuius erat, vnam penſam Eccleſiae det, et ſeruus ſit eius. *(d)*

3. *(e)* Rerum fugitiuarum *(f)* Collector, quem vulgariter Jokergech dicunt,

---

S. Pachomii tres hos modos coniungit cap. 87. „*ſi contempſerit, et obſtinato animo in duritia perſeuerauerit ſeparabunt eum extra monaſterium, et verberabunt eum ante fores triginta nouem, dabuntque ei ad veſcendum panem ſolum et aquam*, verberum mentio etiam ſit cap. 97. „*qui correpti verbo non emendauerint, verberentur, quamdiu diſciplinam accipiant, et timorem*„ et hinc videtur aſſe, quod praecipiente eadem regula, quoties corripi aliquem contigit disiunctum eſſe opportuerit quaſi paratum ſe ad denudationem oſtendere debeat, ſuscipiendamque ſcoparum poenam, nec magnopere diuerſum eſt ab his Capitulum 152. Heraldi Archi-Episcopi Turonenſis: „*Clerici tardi ad officium aut flagellentur, aut excommunicentur.*

(a) alias caput 4.

(b) Carolus M. in Capitulatione de Partibus Saxoniae aſylorum genuinam nobis refert originem; Capitulo enim primo dicitur: „*Placuit omnibus, vt Eccleſiae Chriſti, quae modo conſtruuntur in Saxonia, et Deo Sacratae ſunt, non minorem habeant honorem, ſed maiorem, et excellentiorem, quam fana habuiſſent idolorum.*„ Hinc vtique ſancitur cap. 2. „*Propter honorem Dei Sanctorumque, et Eccleſiae ipſius reuerentiam concedatur ei vita et membra*„ optimo iure in ſeruitutem Eccleſiae redigitur, qui ob illius reuerentiam vitam, et membra obtinuit, neque nouum illis temporibus erat, ſemet voti aut deuotionis cauſa Eccleſiarum addicere ſeruitio. De huiusmodi hominibus complures occurrunt in Capitularibus Regum Francorum ordinationes; et adeo frequens id fuerat, vt lege etiam compeſci debuerint liberi homines. In Capitulari II. anni DCCCV. cap. XV. „*de liberis hominibus, qui ad ſeruitium Dei ſe tradere volunt, vt prius hoc non faciant quam a nobis licentiam poſtulent, hoc ideo: quia audiuimus aliquos ex illis, non tam cauſa deuotionis, quam pro exercitu, ſeu alia functione regali fugiendo.*„ Ecce quomodo in ipſa poena Eccleſiarum conſulitur reuerentiae.

Aſylorum origo.

Aſylantes ſiebant ſerui Eccleſiarum.

(c) alias caput 5.

(d) Haec conſtitutio procul-dubio ex Capitularibus Regum Francorum deſumpta fuit. In Lege enim Alemannorum ſtatuit Dagobertus cap. I. §. 3. num. 1. „*Ex timore Dei honorem Eccleſiae impendat, et Sacerdotem Eccleſiae interpellet pro ſeruo ſuo. Roget ſibi eum reddere, et donet legitimum Wadium vt illam culpam illi ſeruo conceſſam habeat. Tunc ille Presbyter reddat in pace ſeruum domino ſuo.*

(e) alias caput 13.

(f) Neacio, quomodo Du Cange ſcribere potuit Joccerdeg. quos Jokergech recentior appellat editio eſſe rerum furtiuarum Collectores, cum aliud ſit furtiuum, aliud fugitiuum. Res enim fugitiuas colligere iuſtum eſt, furtiuas vero congregare iniquitatis eſt cumulatio. Hac igitur lege Dominium rerum fugitiuarum ablatum eſt a proprio Domino, ne ſcilicet ſemper incerti eſſent talium rerum Domini, nollem perfricte contendere vocem *Jokergech*, Hungaricas eſſe originis, quaſi ſignificet illum, qui res fugitiuas indagando perſequitur, (hunc enim ſenſum reddit) leges Eccleſiaſticae Kenethi Regis Scotorum poſt annum DCCCXL. cap. 22. affine aliquid habent: „*aberrans pecus, aut domino, aut furum indagatori ſocioderach vulgus appellat, aut Sacerdoti reddito, quod ſi triduo penes te retinueris, furti reus eſt.*

Quid ſit Jokergech?

cunt, quidquid colligit. ad ciuitatem eiuſdem prouinciae congreget, et Regio Agazo, et Comitis eiuſdem ciuitatis in ſuburbio ſtabulum faciant, vbi vsque ad feſtiuitatem S. Michaëlis Archangeli quidquid pecorum collectum fuerit, ſeruetur, duae partes fugitiuorum hominum donentur Regis Priſtaldo, tertia pars Comiti, et vsque ad pronunciatam feſtiuitatem detineantur, et referuentur, de quibus poſt feſtiuitatem S. Michaëlis quando diuiduntur, Nuncius Epiſcopi decimam partem accipiat. A Feſtiuitate S. Martini vsque ad feſtinitatem S. Georgii congregentur oues, et boues, et ſimili modo diuidantur. Et ſi iterum rerum fugitiuarum collector, quem dixi *(a)* hoc transgreſſus fuerit exceptis filiis, et vxore eius cum omni ſubſtantia perdatur. Si Comitis collector fugitiuorum liber fuerit, ſimili modo disperdatur: Si ſeruus Comiti auferatur. Si Regis fugitiuorum Collector, de his, quae collegit, aliquid denegauerit, aut alicui dederit, tam qui recipit, quam qui dederit ambo perdantur: et ſi quis ei quidquam de talibus negauerit, quantum negauit, duodecies tantum reddat.

4. *(b)* Quicuuque ergo Regis, et Principum decreta fregerit, ſi Epiſcopus eſt, ſecundum voluntatem Regis diiudicetur. Si Comes, a Comitatu degradetur: ſi Centurio, honore priuetur: et inſuper quinquaginta quinque penſas ſoluat. Miles conſimiliter quinquaginta quinque penſas ſoluat.

5. *(c)* Si qui ſerui, vel liberi fures ad Eccleſiam ſubintrauerint, et ſe innocentes proclamauerint, iudicio probentur. Quod ſi rei apparuerint, quaſi qui Eccleſiam non intraſſent, iudicentur, ſi vero culpam confeſſi fuerint, Lege beati Stephani discutiantur.

6. *(d)* Nemo curſorum audeat ducere equum vltra tertiam villam, vel accipere ad Eccleſiam euntium, ſiue ad curiam Epiſcoporum, ſeu Comitum. nec de Presbyteris, aut Clericis, ac curribus eorum. Accipiat autem qualescunque inuenerit equos, vt Regis legatio citius expediatur. Si quis autem curſorem verberauerit, quinquaginta quinque penſis, ſi lora retinuerit eius decem penſis puniatur.

LVI.
ALBERICI COMPILATIO DECRETORVM ſub Colomanno Rege in Synodis Regiis, et Eccleſiaſticis editorum.

Ad Seraphin Archi-Praeſulem Strigonienſem.

DEI Gratia Seraphin *(e)* Archi-Praeſuli diuinarum igne virtutum ar-

(a) Verba haec mihi perſuadent: Librum hunc eſſe meram Compilationem Decretorum in variis Synodia Regiis editorum, nullibi enim id dixiſſe comperitur, ſi totum librum hunc euoluss, apparet ergo aliunde decerptam eſſe legem.

(b) Hoc Caput, quod alias eſt 15. perhibet librum 3um Decretorum S. Ladislai eſſe Compilationem, vti dixi; Capite enim praecedenti conſtituitur de equis a furibus dimiſſis, et ſtatim hoc capite dicitur: *„quicunque ergo„* ex quo ſuapte conſequitur hanc aliunde fuiſſe decerptam; ſed et Synodus Seraphini prouocat ſe ad Legem Ladislai, quam nuspiam reperire licet.

(c) alias caput 17.

(d) alias caput 28.

(e) De anno editi huius Decreti vana, et inutilis eſt disceptatio; quandoquidem conſtat diuerſis temporibus eas fuiſſe ſancitas Leges, quas Albericus collegit. De tempore duntaxat compilationis procuſae ſuper eſt, vt videamus: quando enim vulgata ſit, non apparet dicente Alberico: *„antequam in aures prodeant publicas,*

ardenti, Albricus *(a)* quamuis vnus ex minimis, tamen *(b)* ſeruus ſanctitatis nuncupatus in palatio *(c)* coeleſtis contemplationis. Quoniam fiduciam talem habemus, per Chriſtum ad DEVM, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt: cum ſpecialis gratiae inſpiratio mentem tuam coeleſtis ſapientiae theſauro ditauerit, et quam plurimis diſertis, *(d)* ad didascalici meriti lucidas contubernii tui officinas quaſi totidem gemmis ornauerit, haud parum ingenioli mei reformidat ruſticitas, dum me vt ita dicam, elinguem ac pene totius vrbanitatis exortem iubes o Praeſul! Regalium inſtituta collationum recolere, vel Senatoria totius Regni Decreta, ieiuna oratione *(e)* recapitulare. Neque enim ad Regalia conſilia me conſultricis prudentiae inculta prouexit materies, nec *(f)* tenuis rei ſtantem prae foribus intromittit deſpecta pauperies, quia vero obedientiae eligo magis operam dare, quam charitati *(g)* omnia ſperanti aliquid denegare: malo etiam vltra vires obtemperando praeſummere, quam praeſumptuoſe minime obtemperare. Quamuis enim imperitia mea, dictandi non praeſtet facundiam, charitas *(h)* tamen obedientiam non negat. Porro non in hoc opere, proprii arbitrii veſtigia figo,

verum

---

curae tuae diritum dignanter imponas,, mihi videtur circa nonageſimum nonum ſupra Milleſimum fuiſſe exaratum; cum enim poſt mortem S. Ladislai, quae an. 1096. euenit, Regnum adierit, et illico (ſuone, an alterius vitio?) pacatum Regnum non habuerit, aliquot anni tribuendi, inter quos ſenatoria totius Regni Decreta cudi, Conciliumque Vencselleum, vnde ſuas hauſit leges, haberi potuerit. Poſt annum vero CIↃC. Scraphinum Pulonica Legatio occupauit; dein CIↃCIV. fatis ceſſit, celebrata tamen prius Synodo, quam inter Eccleſiaſticas edimus: ſat veroſimile itaque mihi eſt an. CIↃXCIX. fuiſſe ſcriptam hanc recapitulationem.

Quis fuerit Albericus? *(a)* Seculo XI. duos duntaxat inter Eccleſiaſticos ſcriptores reperio Albericos; vnum Monachum Caſſinenſem, dein Cardinalem Diaconum titulo SS. quatuor coronatorum, alium S. Albericum Ciſtercienſis Inſtituti. Prior eruditione claruit, quam aduerſus Berengarium exeruit. Libenter hunc Albericum facerem Compilationis auctorem, niſi obſtaret illud, quod dicat: *„quis ambierat a Sancto Patre noſtro Stephano„* vnde videtur conſequi, fuiſſe hungarum: Ceterum aetas nomini congruit. Obiit enim teſte Olduino an. CIↃCVI, Monachum ſe ſe profitetur auctor inquiens: *„vnus ex minimis, tamen ſeruus ſanctitatis nuncupatus in palatio coeleſtis contemplationis„* et rurſus, *„nec tenuis rei ſtantem prae foribus intromittit deſpecta pauperies„* neque obeſt, quod Sanctum Stephanum appellat Patrem Noſtrum, Colomannum Regem noſtrum; haec enim et ſcribendi inſtituto, et loco ſcriptitationis congrue dicuntur. Accedit, quod ſiue hunc dicas Albericum fuiſſe, ſiue alium eſſe velis, quisquis fuerit, alienigenam oportuit fuiſſe, cum ſcribat: *„tu Domine, qui in huius linguae populi genere minus me promptum conſideras„*. Monachum ergo Caſſinenſem facimus Albericum noſtrum, donec alter certius aliquid protulerit.

(b) Quid ſibi haec velint difficile eſt aſſequi? nam Eccleſiaſtici dicebantur ſerui Eccleſiaſtici: occurrunt ſerui Dei, ſerui Apoſtolorum; talem ſe ſcribit Otto tertius in carta a Du Cange allata: *Otto ſeruus Apoſtolorum*, an hic *ly* Sanctitatis ſignificet Papam, innuetque nobis auctorem fuiſſe Cardinalem, non liquet, cum tale quid nuspiam legerim hactenus, forte deſideratur aliquid in textu, et legi deberet: *„ſeruus Sanctitatis Tuae„*, quam coniecturam non puto eſſe improbabilem.

(c) Palatia dicta fuiſſe poſſim cellas Monachorum docent Capitularia, quae huc tranſcribere longum foret: qui dubitat, legat Du Cange voce *Palatium*. Significare auctor hic voluit, aut Caſſinenſe Monaſterium, aut Monaſterium S. Martini in monte Pannoniae. Poſterius praeplacet; exiſtimo enim Albericum aliquamdiu in Hungaria fuiſſe commoratum. Palatia vocantur cellae Monachorum.

(d) Didascalice idem eſt ac doctiſſime magiſterialiter, quemadmodum Didascalium vocabatur Gymnaſium Papias. *Didascalus Graecae Magiſter, doctor.*

(e) Congruunt haec cum titulo, quem lib. 2. S. Stephani ex ſenſu codicis MS. aſſignaui.

(f) Supra quidem ex hoc loco Auctoris Monachatum arguebam, nunc coniecturam meam inſinuabo, coniicio videlicet legendum eſſe: *„tenuiſarii deſpecta pauperies„* videtur mihi obſcuritatem natalium ſignificare, Tenuiſarius, etenim, ſi Grutero, ſi Montfaucon, ſi Du Cange credimus, erat ſartor, qui tenuina conficiebat veſtimenta. Si vero priorem lectionem retinendam velis adiiciendum erit *ly*, *familiaris*, et legetur *tenuis rei familiaris deſpecta pauperies.*

(g) Si caritas communi ſignificatione accipiatur, hoc loco iuſtum non exſculpes ſenſum; quid enim eſt, *obedientiae magis operam dare, quam charitati?* haec enim ſamet inuicem non excludunt, ſed adiuuant; alter ergo ſenſus latet. Caritas namque ſignificat argutiam, ac poteſt etiam pro claritate accipi *caret* enim vſurpatur pro *patet*. Mauult itaque obedientiae, quam argutae ſcribendi rationi, quam eius imperitia non admittit, operam dare.

(h) Hoc loco in obuio ſenſu accipienda eſt vox charitas.

Digitized by Google

Verum praeuiis alieni itineris viſibus inſiſto, obquam videlicet cauſam, ſi quid in errabundo veſtigio liberius euagatus, meus deuiauerit calamus; non ambigo, quam facilis apud Te ſit veniae locus: Quae res, pigram etiam impellit huius conſilii moram. Sed ſunt fortaſſe nonnulli, qui ſine rationis circumſpectione idem, vnde ſermo eſt Concilium Vencellinum *(a)* autumant eſſe ſuperfluum minus prouide afferentes; antiquis, dicentes potius piorum inſiſtendum eſt relatibus: Quorum profecto quam friuola, quamque ſit inconſulta coniectura, non eſt ſuperuacuum paulisper commemorare. Quia hi Regni detractores, magis proprio conſulunt arbitrio, quam communiter Regni profectui adminiſtrando. Nam quis ambigat a S. Patre Noſtro Stephano viro quippe Apoſtolico legem populo noſtro datam in quibusdam auſteriorem *(b)* in quibusdam vero tolerabiliorem, in his quoque intenſius vindicantem, atque in aliis remiſſius indulgentem: Nec quemquam tamen absque disciplinae verbere dimittentem, cum praedeſtinationis tempus, nullum adhuc verum adduxiſſet fidei Sponſorem: Neo hoc quidem praeter diuinae diſpenſationis reſpectum credi nefas eſt. Nam cum tempore praedicti Regis vniuerſum Regnum eius, barbaricis *(c)* inſeruierit cultibus, ac rudis, coactusque Chriſtianus contra commonitorem Sanctae fidei ſtimulum, adhuc recalcitraret, adhuc contra poenitentialia vltricis virgae verbera remorderet, operae pretium fuit, vt ſanctae diſciplinae coactis infidelibus quidem ad conuerſionem fidei, ſed conuerſis fieret ad iuſtitiam poenitentiae. At Chriſtianiſſimus *(d)* Rex noſter Colomanus, columbinae gratiae ſimplicitate cum omni virtutum diſcretione praeditus, poſtquam vidit adultam fidem perfectae religionis robur accepiſſe; legalis vinculum catenae cogitauit relaxare prudenter: vtpote indignum eſſe perpendens, ſi iam ſpontaneum fidei militem legalis poenae timor torqueret, quem nec ipſa m rs ab agnitae iam confeſſione veritatis abſterrere potuiſſet. Hic nimirum cum videret propter ciuilia bella vsque ad tempus illius ingraueſcentia paternis traditionibus iam magna ex parte ſolutis, Regni conſilium labefactari, curiae honorem vileſcere timens, ne miles inſolens pacis, domeſticus tamen virtutis hoſpes, irreuocabilis fieret iniquitatis; Regni Principibus congregatis, totius Senatus conſultu praefati Regis ſanctae memoriae Stephani, legalem textum recenſuit, de quo, ſi rem conſideres nihil comminu-

 it,

(a) In editis habetur Vercellinum. In Diſſertatione de Synodis Regiis, ac alibi diximus: non poſſe hic intelligi Vercellas Italiae ciuitatem. Ego poſui Vercellinum, quamuis in Caeſareis codicibus ſit Turſolinenſe. In antiquis enim lectionibus ratiocinatio prudens librariorum errores et detegere, et corrigere debet, ita vt verum habeatur, quod paucis, et obuiis mutationibus fieri poteſt. Locum habemus Vencello in Comitatu Zabolcſenſi ſitum Reges in illis partibus frequentes erant; et pronum erat Vercellinum pro Vencellinum legere. Turſolinenſe autem vbi celebrari debuiſſet, non apparet. Quis non videt Turſolinenſe a Vercellino multum differre. Alioquin errores librariorum ex aliqua affinitate vocum naſcuntur. Non itaque mirum, ſi loco Vencellinum properans librarii manus ſcripſit. aut quod verius puto, imperitus Lector Vercellinum legit.

(b) Hinc conſequi videtur aeuo Colomanni complures leges S. Stephani nomen referentes extitiſſe, ſi enim hodie exſtantes cum Colomani Decretis conferantur, nulla apparet auſteritas per Colomanum relaxata, nec remiſſio S. Stephani per Colomanum vigore disciplinae conſtricta.

(c) Id eſt: gentilibus Ethnicis Idololatricis; teſte enim Saluiano lib. 4. de Prouidentia, omnes a Chriſti fide alieni barbari dicti ſunt, velut a ſalute, alieni, ſupra vidimus qui ſint barbarici cultus.

(d) Floduardus hiſt. Eccl. Rom. lib. 1. c. 6. pag. 19. „*templo quondam a Iouino Chriſtianiſſimo militiae Romanae Magiſtro loure ſcilicet ante fundato*". Columbinam gratiae ſimplicitatem puto eſſe alluſionem ad nomen Colomanni, „*columbae* enim teſte Papia dictae. *quod colla earum ad ſingulas conuerſiones colores mutant*". columbinae autem morum ſimplicitatis eſt, colorem vultus prae verecundia mutare.

it, ſed auxit, non tamen quaſi fundator, ſed ſuperaedificator. Quatenus primitiua (*a*) plantaria, ſalubri velut reſperſionis infuſione irrigata, percipiant iuſtitiae incrementa. Et ille quidem deſtructor fuit infidelium: Iſte rectae conſeruationis augmentator in iuſtificatione: Ille lorica fidei populum induerat: Iſte terrenae ambitionis ſuperfluenta cingulo iuſtitiae praecingebat: Ille gladio ſpiritus verbi DEI perterruit: Iſte galea ſalutis decorauit. Poſtremo hunc vterque Regum finem rebus impoſuit, vt dum debita vitricis poena filios perditionis conſumeret, filios praedeſtinationis reſoueret: non enim ſine cauſa Rex gladium portat, DEI enim miniſter eſt, vindex in iram eius, qui malum agit: nam Principes non terrori boni operis, ſed mali. Quis enim eſt, qui noceat vobis, ſi boni aemulatores fueritis? Hactenus haec. Contra ſupradictos autem huius Concilii detractores, de ſingulis Capitulis, quae ab re eſſe mentiuntur, poſſem etiam ſcribendo ſatisfacere, niſi Epiſtolaris ego ſermonis modum excedens, modeſtiae Tuae o Praeſulum decus! aures timuiſſem faſtidire. Poſſunt tamen illa ex his colligi, quae moderata ſatis breuitate perſcripſi. Verumtamen Tu mi Domine! qui in huius populi linguae genere minus me promptum conſideras, ſi quid calamus a ſuſcepti itineris tramite declinauerit, Tua quaeſo in me ſolita beneuolentia, et ſuperuacua reſeces, et imperfecta ſuppleas, errata corrigas, commode dicta paterna gratia proueas, et antequam in aures prodeant publicas, curae tuae digitum dignanter imponas: Et quae tuo duntaxat doctiſſimo digna conſtitui examine, tuo etiam iudicio, a detrahentium minuantur (muniantur) liuore.

1. Placuit Regi et Communi Concilio, vt dotes cuiuslibet poſſeſſionis Monaſteriis, ſeu Eccleſiis a Beato Stephano Rege diſpoſitae inconuulſae remaneant.

2. (*b*) Alienigena Presbyter, vel Diaconus commendatitiis litteris recipiatur, qui vero hactenus recepti ſunt, ſi iure venerint, examinentur, quatenus de quibus aliqua aures noſtras pulſat infamia, hi ab officio ceſſent, donec in iudicio purgentur, vel de terra eliminentur.

(*a*) Papias, „*plantae ſunt raptae de arboribus, plantaria vero, quae ex ſeminibus nata ſunt.*

(*b*) alias caput 3. Péterffi etiam Caput ſecundum, „*quouis anno* (ad itineris, et ſumptuum compendium), *cum non quiuis pro qualibet neceſſitate curiam Regalem adire poſſit*„ bis Synodum in vno quoque Epiſcopatu celebrari iubens deſcripſit, hancque ſubiicit notam, „*duo hinc eruimus; Primo ante hoc ſtatutum cauſas etiam ſpirituales in curia Regia fuiſſe examinatas, idque per Priuilegium Regis Apoſtolici, quae poſtea ad Synodos Epiſcopales remiſſae ſunt.*„ Nos totum Caput praetermiſimus; nil enim Legis Eccleſiaſticae poſſumus in ſtatuto hoc videre. Quemadmodum Iura Regis Apoſtolici ipſe veneror, ita non exiſtimo ex hoc capite vel vmbram alicuius priuilegii erui poſſe. Nomen Synodi impoſuit notae huius auctori, de quo ſit, ſuperque egimus in Diſſertatione de Synodis Regiis, ſi genuinus ſenſus verborum attendatur, patebit de Synodis Epiſcopalibus hic loci non agi: ait itaque Lex noſtra: „*quia populus noſter pro qualibet neceſſitate curiam Regalem adire non poteſt*„ quae verba non ita accipienda ſunt, quaſi vniuerſas cauſas in Synodis illis ſemeſtribus expediri velit, qualibet ergo neceſſitas ſignificat obuiam, communem, quotidianam neceſſitatem. Neſcio an cauſaa Eccleſiaſticae pro qualibet, ſeu obuia neceſſitate haberi poſſint? praeſertim cum ne vllo quidem apice ſermo ſit de cauſis Eccleſiaſticis, cur ergo ſupponimus aliquid abſqe fundamento? Hae proinde ſunt illae cauſae, quae ante ſtatutum iſthoc in curia Regia penes priuilegium Regia Apoſtolici diſcutiebantur? Decepit et id cuſorem notae, quod dicatur *Synodus in vno quoque Epiſcopatu* habenda. Sed neque hoc quidquam facit; quemadmodum eniu Parochia, et Epiſcopatus promiſcue olim vſurpabantur, ita Parochia vocabatur Comitatus, et Moderator Comitatus Parochianus Comes appellabatur. Epiſcopatus ergo hoc loco ſignificat Comitatum, confirmat opinionem meam id, quod dicatur, in Synodo illa tam Comitem, quam Comites ad ſuum Epiſcopum conuenire debere, vnde liquet de moderatore, ſeu vti nunc loquimur ſupremo Comite illius Comitatus, id eſt, Epiſcopatus ſermonem eſſe, adeoque Synodum aliquam Epiſcopalem non commemorari, ſed congregationes Comitatuum in praeſentia Epiſcopi habendas decerni.

3. *(a)* Epiſcoporum, et Comitum Capellani, vel reliquorum per ſigillum Epiſcopi, vel Archi-Epiſcopi, ad cauſandum cogantur.

4. *(b)* Si vero Clericus cauſam habet cum Laico, per Iudicis ſigillum Laicus cogatur, ſi vero Laicus habet cauſam cum Clerico per ſigillum Epiſcopi, vel Epiſcopi Clericus cogatur, ab eisque tanquam Iudice ſuo examinentur.

5. *(c)* Si duo Abbates contenderint, in eadem Synodo iudicentur.

6. *(d)* Nullus praeſumat ſecularis Iudex ſigillum Clerico dare.

7. *(e)* Quia eo minus videtur valere curia, quo minus ſuppetunt neceſſaria, ne in noſtra abundantia eius ſuperfluat penuria, placuit omnes piſtrinas *(f)* praeter quas Sanctus Stephanus

L l l a Rex

(a) alias 5.

(b) alias 6. illud quod ſub finem dicitur: *tanquam Iudice ſuo examinentur*, non ita ſumendum, vti nunc loquimur; examinare enim hoc loco iudicari ſignificat. Papias: *Examen iudicum diſcuſſio cuiusque rei.* Et recte ſi Etymologiam vocis attendamus, *examen enim eſt ſimm medium*, ait Papias, *quo trutina ſtatere regitur, et lances aequantur.*

(c) alias caput 9. Hoc praetermiſit Péterfius. Abbates duos contendentes in eadem, id eſt praedicta Synodo, ſemetipſi iudicari iubet; verum tum non apparent, quaenam illae cauſae ſint Abbatum contendentium, videntur ad obuias, ſeu quaslibet referendae.

(d) alias 14.

(e) alias cap. 15. ſolent nonnulli, qui Eccleſias aut miniſtros ad incitas redigi, aut certe arctiſſimis facultatibus pollere cuperent exiſtimare hac, et ſubſequa legibus Eccleſiarum decurtatas facultates, et Colomannum abſtuliſſe illa, quae ſucceſſiui Reges donationi S. Stephani indiſcreta adiecerunt profuſione, hoc nomine peſſime audit apud plerosque noſtratum. Verum errant magnopere, et grauiſſimam plentiſſimo Regi conflant inuidiam *nihil comminuit*, vt verbis Alberici vtar. *ſed auxit, non tamen quaſi fundator, ſed ſuperaedificator*, quae dici non poſſent, *ſi cruentiſſimus Fiscus*, quod de Diocletiano lactant lib. de mortibus perſecutorum cap. 8. dicebat. *male partis opibus affluebat*. non diripuit Eccleſias, non exſpoliauit monaſteria, non reuocauit (vt Rubrica XV. falſe praefert), omnes alias donationes, praeter donationes S. Stephani: vigent quippe in hanc diem S. Ladislai aeque, ac Andreae donationes. verum Epiſcopis, et Abbatibus neceſſitatem, et paupertatem ſuam ob oculos poſuit, ac ab iisdem impetrauit, vt ipſis quae viderentur ſuperflua, Regi autem neceſſaria eſſent. ſponte. et vltro regali Solio redderent, et reddenda ſtatuerent pro rei memoria firmitateque perpetua, nullo ſane tempore Eccleſia ita comparata non fuit quin Regibus, eorumque ſplendori, et ſaluti ſuis etiam proſpiceret dispendiis. quae iubet etiam Patronos. ſi fortunarum ſuarum naufragium paſſi eſſent. Eccleſiaſtica ali ſubſtantia. Regem Colomannum inteſtinis ſeditionibus infeſtatum fuiſſe, et externis bellis exercitum. docent Canones ſub illo conditi, in quibus ſeditioſi, et ſeditionis concicii gladio anathematis feriuntur, curiae honorem viluiſſe tum praefatio Alberici, tum ipſa verba legis docent: id aegra ferentes Epiſcopi, et Abbates ipſimet ſolio Regio reddiderunt, quae ab eodem ſolio acceperunt, patet id.

Colomannus ab Eccleſiis nihil abſtraxit.

Primo, ex verbis legis, vbi dicitur: „*placuit omnes piscinas* - - - *ſolio regali reddere*„ illi ergo reddunt piſtrinas, et piscinas, qui abundarunt, et hinc dicitur: „*ne noſtra abundantia in eius ſuperfluat penuria*, *placuit Piſtrinas ſolio Regali reddere*„ abundabant Epiſcopi, ergo reddebant Epiſcopi. Si enim Regis, piſtrinas auferentis, haec verba forent, ſecumipſo pugnaret. ſi enim abundans, quomodo egenus? et ſi egenus, quomodo locuples? ſi non egenus, ſi abundans, quomodo viluit curiae honor ex defectu neceſſariorum? Secundo, in contextu dicitur: „*Nobis recedentibus indignum erat curialem nobiscum recedere honorem vbi praeſtat nos copiam honoris inuenire*„ illi ergo reddunt piſtrinas, qui ad Curiam accedunt, et ab illa recedunt. Cum itaque certum ſit Curiam hoc praecipuo loco nihil aliud eſſe, quam aulam, et Comitatum Regium, certum item eſt Curiae honorem, ſeu quod idem eſt Curialem honorem deficere, dum deficiunt neceſſaria, certum pariter eſt Epiſcopos induci loquentes, qui ad Curiam Regiam, et obſequii praeſtandi? et conſilii dandi, et auxilii impetrandi cauſa accedebant, et copiam honoris ibi inuenire cupiebant, accedit quod neque concipi poſſit quomodo Rex a Curia ſua, quae in ipſo vt ita dicam, eſſentialiter conſiſtit recedere poſſit.

Verum ſi aliquis pertinaciter contendat, hic non ſolum Epiſcopos, ſed reliquos etiam Optimates loqui, non multum obnitar, dicam etenim ſua quemuis reddere. Si Nobiles etiam et Optimates ſuas reddiderunt piſtrinas, inde non ſequitur quod Epiſcopi non reddiderint ſuas, de ſua enim abundantia vtrique loquuntur, non video tamen quomodo Caput hoc etiam de reliquis Optimatibus intelligi poſſit? Clauſulae enim gratuitae huius conceſſionis in ſubſequis expreſſae Capitibus liquido perhibent, quinam ſint illi, qui piſtrinas reddunt, illi nimirum, qui ſyluas Eccleſiis datas auferri non concedunt, qui veteres Colonos eiectos ad ſua reuerti permittunt, exceptis terris Monaſteriorum et Eccleſiarum, ad quas etiam eiecti coloni non admittuntur.

(f) Piſtrinas.

Digitized by Google

Rex donauerat ſolio Regali reddere. Quia indignum erat nobis recedentibus, Curialem nobiscum honorem recedere, vbi praeſtat nos, et venientes Copiam honoris inuenire.

8. *(a)* Similiter decreuimus Piſcinas Monaſteriis, vel Eccleſiae datas, alias quidem reddere, ſed neceſſarias quotidiano fratrum vſui relinquere, nullas vero, niſi ſuperfluas auferre.

9. *(b)* Syluas Eccleſiis datas, minime auferri concedimus.

10. *(c)* Veteres Coloni eiecti, terram non habentes alibi ad ſuam reuertantur. Si tamen terra eorum data eſt Monaſteriis, vel Eccleſiis, et ipſi aliam habent, hoc inuiolabiliter ita permaneat.

11. *(d)* Iudicium ferri, et aquae in aliqua Eccleſia fieri interdicimus niſi in ſede Epiſcopi, et maioribus Praepoſituris, vt Poſonii et Nitriae.

12. *(e)* De tributis autem, et vectigalibus, ſicut Comitibus tertiam partem dari decreuimus: ita decimam quoque Epiſcopis cenſemus, quibus tam noui, quam veteris Teſtamenti pagina, decimas dandas eſſe proclamat. Incautum igitur, et inconſultum eſt, ſi inſtituta Sanctorum praeſumamus infringere, quae ſumma potius deuotione debemus adimplere.

13. *(f)* Si quis in teſtimonium adductus alicuius veritatem ſua nititur atteſtatione probare, huius teſtimonium ſic recipi iubemus, ſi praeſertim ſit confeſſus peccata ſua Sacerdotibus: ſi denique contrarium habeatur, et cautela ſit veri teſtimonii per Sacerdotem in confeſſione, et mendacis culpae redemptio fiat cum poſſeſſione.

14. *(g)* Nullus audeat perhibere teſtimonium, niſi confeſſus peccata fuerit: cuiuscunque vero teſtimonium falſum inuenietur, eius teſtimonium amplius non recipiatur.

15. *(h)* Si quis Ismaelitas in ieiunio, ſeu comeſtione, porcinaeque carnis abſtinentia, vel in ablutione, vel in quolibet ſuae ſectae facinore deprehenderit, Ismaelitae Regi deputentur: Qui vero eos accuſabat, de ſubſtantia eorum partem accipiat.

16. *(i)* Vnicuique Villae Ismaelitarum Eccleſiam aedificare, de eademque villa dotem dare praecipimus, quae poſtquam aedificata fuerit, media pars villae Ismaelitarum emigret, ſicque vt extrinſecus ſedeant, aut quaſi vnius moris in domo: Mater autem nobis vna eademque Chriſti Eccleſia indiuidua vnanimiter reconſiſtat.

17. *(k)* Iſmaelitarum vero nullus audeat filiam ſuam iungere Matrimonio alicuius de gente ſua, ſed noſtra.

18. *(l)* Si quis Ismaelitarum hoſpites habuerit, vel aliquem in conuiuium rogauerit, tam ipſe, quam conuiuae eius de porcina tantum carne veſcantur.

(a) alias 16.

(b) alias 18, Hinc diſce alium auferre alilios auferri concedere:

(c) alias 19.

(d) alias 22. Ex hoc Capite male infertur paſſim Nittriae non fuiſſe Epiſcopum, ſed duntaxat Praepoſitum Maiorem, quemadmodum enim certum eſt alias quoque fuiſſe Praepoſituras Maiores, et has duntaxat in exemplum adferri, ita certum eſt nihil hinc elici poſſe tantoque magis. quod certum ſit ſeculo XII. nullum fuiſſe Nittriae Praepoſitum Maiorem.

(e) alias 25.

(f) alias 26.

(g) alias 27.

(h) alias 46.

(i) alias 47.

(k) alias 48.

(l) alias 49. Apud Pérerſii notarum auctor ait: Hac ratione Colomannum Iamaelitas ad baptismum pertrahere voluiſſe; verum gratis id aſſeritur. ſiquidem priores leges perhibeant ipſos Sacris Chriſtianis iam fuiſſe initiatos.

Digitized by Google

19. *(a)* Si quis homicida apud Comitem, vel quemlibet inueniatur, per Nuncium Epiſcopi ad poenitentiam quaeratur, quem ſi mittere renuerit, eadem cum homicida ſententia feriatur. Parricidia, et cetera, quae praetitulauimus homicidia, Epiſcoporum cenſuris vacare decreuimus, qui iuxta qualitatem facinorum, et perſonarum prout ipſis viſum fuerit Canonice huiusmodi facinus deliberent, ſimplicia vero huiusmodi homicidia Archi-Diacono, et Iudice ſeculari iudicentur, de quibus et ipſi nonam et decimam partem inter ſe dispartiant.

20. *(b)* De ſtrigis *(c)* vero quae non ſunt, nulla quaeſtio fiat.

(a) alias 50.

(b) alias 57.

De Strigibus.

(c) Striga, ſeu Strix graecum nomen eſt: aues enim nocturnas Graeci, vt ait Verrius: ςπιγγάς appellant. De hac aue habet. Exorcismus gentilium Graecorum apud d'Acherii

Strigem auerte noctu paſcentem faedumque,
Strigem auem feralem veloces in naues fuga.

Clarius et ad rem noſtram appoſite de ſtrigibus canit Ouidius Faſtorum Libr. VI. v. 133.

Grande caput, ſtantes oculi: noſtra apta rapinae.
Canities pennis, vnguibus hamus ineſt.
Nocte volat, pueroſque petunt nutricis egentes
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactentia viscera roſtris
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Eſt illis ſtrigibus nomen: ſed nominis huius
Cauſa; quod horrenda ſtridere nocte ſolent.

Exiſtimatum itaque fuit olim ſtridentes has aues, ſeu ſtriges ſanguinem humanum praeſertim infantum appetere: nec abs re; ſaepius enim experientia docuit: noctuas cubiculis concluſas, fami hac ratione conſulere voluiſſe, niſi depulſae fuiſſent. Certum pariter ſagis, ſeu magis hoc ipſum nocturnum ſcelus tributum fuiſſe. Iam ad recapitulationes S. Stephani oſtendimus, de ſagis eam inualuiſſe opinionem, quod homines comederent, vnde deuorabantur pariter quadam talionis poena. Sciendum autem tam lepidam et inſulſam fuiſſe hanc perſuaſionem, vt crederentur homines viui deuorari; alii dicebant comeſtos homines rurſum aluo emitti, teſtis eſt pactus ſeu liber legis ſalicae a Carolo M. anno DCCXCVIII. editus tit. 67. §. 3. „*ſi ſtria hominem comederit, et conuicta fuerit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis iudicetur.*„ Comminabantur etiam meretrices hae, quod pro corde ſtramen ſubſtituant, ſtramen profecto pro corde habeat, qui talibus nugis fidem adhibeat. Lege Longobardorum lib. 1. tit. 2. §. 9. „*Chriſtianis mentibus nullatenus credendum, nec poſſibile eſt, vt hominem mulier viuum intrinſecus comedere poſſit.*„ Karlomanni Principis Capitulari II. dato apud Liptinas an. Chriſti DCCXLIII. ſubiicitur indiculus *ſuperſtitionum, et paganiarum*; vbi ſuperſtitio XXX. haec ponitur: „*de eo quod credunt, quod foeminae lunam comedant, quod poſſint corda hominum tollere iuxta paganos.*„ Habemus ergo primo ſagis eſum humanarum carnium appictam fuiſſe. Secundo: vaniſſimam hanc fuiſſe perſuaſionem; et ſuperſtitionem. Hoc itaque ſenſu recte omnino dicitur in Capite noſtro de ſtrigibus, *quae non ſunt*, quaeſtionem fieri non debere. Nolim tamen quispiam hinc cum Franciſco Cauz de cultibus magicis lib. I. Cap. IV. §. 131. pag. 148. dicat: „*Colomannus bonus Hungariae Rex ſagas non dari, nec quaeſtionem de iis in foro vnam fieri debere publica lege ſanxit, quae ad nouiora vsque tempora durat*„ mira omnino propoſitio, ſagas non dari! aliud profecto eſt disceptare, an ſagarum ubequitationes, volatus, ſaltus, conuiuia, metamorphoſes, nefandae libidines vere et realiter peragantur? aliud eſt negare mulierculas huiusmodi illuſionibus deditas, et delectatas, et vel ideo poena dignas fuiſſe, vt nil dicam de maleficiis. Haec enim non negauit Colomanus, quod docet Capitulum 27. alias 59. Vnde rurſus patet non omne genus ſagarum aut perueſtigari, aut iudicari vetuiſſe; patet ſimiliter vnum illud genus ſagarum quas ſtriges, vel ſtrigas vocant in ſenſu Capitis noſtri non admitti. Illud adhuc adnotandum, quod citatus Franc. Cauz velit euincere errorem aduerſus rectam fidem eſſe ſagas credere, verum operam ludit, ex omnibus Conciliis ab eo laudatis nullum id aſſerit ſi demas Concilium Treuirenſe anni MCCCX. ſeu vt verius loquamur, neſcio cuius Concilii Canonem, quem a Sancto Antonino, ex memorato Concilio Treuirenſi repetitum contendit, qui Canon in fine ſic habet: „*admonendam eſſe plebem, haec eſſe omnia phantaſiae per diabolum, qui eas mulieres per infidelitatem ſubiugauerit deluſae: ſi quis vero id reuera credat, contingere, fidem hunc Catholicam perdidiſſe.*„ dixi neſcio cuius Concilii Canonem hunc eſſe; ipſe enim auctor, ab aliis Concilio Ancyrano ab aliis Damaſo Papae tribui, a quibusdam ex legibus Francorum, ab aliis ex aliquo ſuppoſititio S. Auguſtini libro excerptum credi. Quodipſum prodit, cuius auctoritatis ſit Orthodoxa haec definitio. A Concilio Treuirenſi repetitum eſſe fruſtra omnino aſſerit, ſic enim habet apud Martene Tum. IV. col. 257. Can. 81. „*Contra mulieres, de nocte equitantes. Nulla mulier ſe nocturnis horis equitare cum Diana Dea paganorum, vel cum Herodiana inaumera mulierum multitudine profiteatur, haec enim daemoniaca eſt illuſio.*„ Nulla hic fidei definitio. imo Concilium iſtud idem Can. 82. incantationes fieri Can. 79. contra grandines, tempeſtates, maleficia, filtra, ad diuinos ſortiarios, augures recurrere vetat. Ineptias peruerſarum mulierculas imprudenter credi ipſe aſſentior, talia autem aut fieri poſſe, aut etiam aliquando vere fieri ſi quis crediderit a recta fide extorrem nulla Synodus dixit, neque vlla

Digitized by Google

21. *(a)* Mulieres Partum ſuum necantes, Archi-Diacono allatae poenitentiam agant.

22. *(b)* Raptus mulierum, Epiſcopus, ſeu Archi-Diaconus diiudicet.

23. *(c)* Malefici per Nuncium Archi-Diaconi, et Comitis inuenti iudicentur.

24. *(d)* Adulteri, Epiſcopo, vel Archi-Diacono adducti, debitis poenarum iudiciis deputentur.

25. *(e)* Nullus Comitum vel Militum in Eccleſia praeſumat ſibi vendicare poteſtatem praeter ſolum Epiſcopum.

26. *(f)* Presbyteri, et Abbates, ſeu cuiuslibet perſonae dignitatis, Eccleſiae decimationem perſoluant in cuius territorio agriculturam exercent, aut vindemiant.

27. *(g)* Bigami, et viduarum, vel repudiatarum mariti a coniugiis ceſſent illicitis, vel a Cleri excludantur conſortiis.

28. *(h)* Miſſa non celebretur, niſi conſecratis in locis, niſi cauſa neceſſitatis aliqua exiſtente, et tunc in tentorio, ſiue alio mundo loco: ſed viae tantum ac itineri haec vacet neceſſitas, non venationi, nec ſine tabula itineraria.

29. *(i)* Reliquiae Sanctorum per viam non portentur, niſi a bono, et religioſo Clerico.

30. *(k)* Nullus, qui Clericus aeſtimatur, veſtibus vtatur Laicalibus, vtpote *(l)* fiſſo pelliceo, vel tunica ſparſa, mani-

conſtituit, talia nunquam vere contigiſſe. De Simone Mago, dum volare tentaſſet, precibus S. Petri deiectum fuiſſe plurimi crediderunt. S. Auguſt. in epiſt. ad Cafulanum Cap. 9. „*eſt quidem haec opinio plurimorum, quam perhibent eſſe falſam plerique Romani, quod Apoſtolus Petrus, cum Simone Mago die Dominico certaturus propter ipſum magnae tentationis periculum*„ ecce quo doctior, quo ſanctior eo modeſtior eſt Auguſtinus non ſolum definitionem fidei praeferre verum etiam ſententiam ſuam interponere omiſit.

(a) alias 58.

(b) alias 59.

(c) alias 60.

(d) alias 61.

(e) alias 65.

(f) alias 66.

(g) alias 67. de Bigamis Presbyteris.

(h) alias 68:

(i) alias 69.

(k) alias 70.

De veſtibus Eccleſiaſticorum.

(l) Antequam de veſtibus aliqua dicamus, quae hic omnes enucleandae ſunt, adnotare oportet ſemper Canonibus Conciliorum cautum fuiſſe, vt veſtes Eccleſiaſticorum clauſae ſint; tum modeſtiae cauſa, tum vt veſtem Saluatoris deſuper contextam exprimerent, tum vt ſaccum veſtem poenitentiae referret, pelliceum, quod hic primo loco occurrit, erat veſtium genus, quod nunc chlamidem in Hungaria vocamus, parumque refert. ſiue pelliceam, ſiue pelliceum, ſiue pellicium dicas tribus enim his modis ſcribebatur, *pellicea* itaque, vt ait Papias: *eſt indumentum pellibus factum*, et patet ex Concilii Treuirenſis anni MCCCX. Canone 42. „*Pellicea ſeu ſurratuas denario, ſeu griſio, et alias exquiſitas, ſeu ſumptuoſas pelles diſtricte Religioſis omnibus ſub poena excommunicationis latae ſententiae firmiter inhibemus.*„ Tunica ſparſa me iudice, nil eſt aliud, quam veſtis talaris aperta. Tunicam eſſe veſtem Clericalem docet ex Honorio Auguſto Dunenſi. Du Cange. ſparſum autem idem videtur ac apertum, cum infra dicat Caput hoc. tunicam nodis, vel fibulis conſtringendam. Manica rubra licet poſſit pro chirotheca ſummi, puto tamen potius eſſe id. quod Galli *manche* dicant, quod ad brachia olim attrahebatur, hic enim de veſtibus agitur, chirotheca autem valde improprie veſtis diceretur. Adde quod plerumque in Conciliis occurrant variae manicae, et ſemper veſtem ſonant. Et ſane videmus adhuc hodiedum tum frigoris arcendi, tum mundiciei cauſa a religioſis etiam manicis brachia muniri, quae a reliqua tunica ſeparatae ſunt: „*de ſtrangula, vel viridi chlamide*„ ſciendum, hic ſtrangulum pro ſtragulum vſurpari, hinc recte monet Du Cange legendum eſſe *ſtragulata*, vel *viridi chlamide*, ſtragulata autem veſtis idem eſt ac variegata. De muliere forti dicit ſcriptura: „*veſtem ſtragulatam fecit ſibi, byſſus, et purpura indumentum eius.*„ Rubrum ergo viridem, ac variegatum colorem veſtium interdicit Eccleſiaſticis Synodus haec Regia. Hinc conſequitur Eccleſiaſticos nondum fuiſſe ad nigrum arctatos colorem, imo S. Hyeronimus in Clericis album aeque ac nigrum colorem condemnat, et nigrum quidem cum Monachorum ſit, qui in Clerum irrepſit per Epiſcopos ex Monachis aſſumptos. Iam de chlamide videamus, nemo exiſtimet eſſe id, quod nunc, neſcio cur chlamidem vocamus, cum ſit pelliceum, de quo iam prius fuerit ſermo, conſtat chlamidem aliud quidpiam eſſe. Haec itaque ad ornatum potius, quam corporis tutelam pertinet, et videtur idem fuiſſe quod Galli *mantea* dicunt. Placet mihi, quod Lipſius Elect. lib. I.

Digitized by Google

manica rubra, ſtrangula vel viridi chlamide caliga, ſeu ioppa, calceo picto, vel ſericata camiſia quoque, et tunica, et ſerico in pectore non conſuantur, ſed nodis, vel fibulis collum amplectentur.

31. *(a)* Quatuor tempora in ſuis, vt hactenus mos fuit locis celebrentur.

32. *(b)* Officium de Sancta Trinitate poſt octauas Pentecoſtes celebretur.

33. *(c)* Sepultura Chriſtianorum, non niſi in attriis *(d)* Eccleſiarum fiat.

34.

Cap. 25. ſcribit, fuiſſe nimirum veſtem viatorum: Calepinus veſtem Equeſtrem dicit, quae probe conueniunt inter ſe, et Capiti huic congruunt. Complura enim Concilia veſtem viatoriam admittunt Clericis, dummodo Laico veſtitu colore diſcrepet, luxusque abſit. Caligam plerique ocream exiſtimant fuiſſe, quod mihi non probatur. Inter veſtes Eccleſiaſticas, ſeu Pontificalia indumenta adhuc habetur caliga, quae nil minus, quam ocrea eſt, ſed tibialia moderno loquendi more dicerentur. Caliga itaque fuit illud indumenti genus, quod etiam femoralia dicimus, et apud nos Hungaros: a calo pedum, caligae dictae ad femora vsque aſcendunnt. Placet mihi haec ſignificatio ob colorem, quo in ocreis vix aliquando viſos fuiſſe ſcimus noſtrates. Praeteraa in Concilio Senonenſi anni 1320. loco quarto de honeſtate Clericorum dicitur: „*caligis rubeis, viridibus, ſcatatis, croceis, ſeu albis ita publice non vtantur, ſed caligis nigris, ſeu aliis honeſtis tantummodo ſint contenti*„ albas ocreas, neſcio quis viderit? De femoralibus rite dici poteſt, errat vehementiſſime Du Cange, dum voce Joppa, ait caligae ſpeciem fuiſſe in Hungaria, non obſeruauit enim ſeculo XI. particulam, *ſeu*, pro *vel*, non minus quam *et* accipi; quare ſenſus eſt viridi chlamide, caliga, et joppa? Idem autem eſt ac juppa, quae certe non erat caliga, cum ex Diario belli Huſſitici pateat juppam habuiſſe manicas. Licet juppa, et juppo veſtis breuior militibus vſitata aliquando ſit, placet mihi tamen aſſertum Du Cange, dicentis, eſſe talaris veſtis ſpeciem, confirmatque id pluribus. Calceus pictus nullam habere poteſt difficultatem, id adnotandum pro intellectu noſtratum, calcei nomen eſt generale, quo omne genus calceorum continetur, ſiue ſit ocrea, ſiue cothurnus; camiſia eſt interula, quam conſtitutiones fratrum minorum conuentualium adhuc appellant camiſiam; Germania eſt *camiſol*. Difficultatem parit ly ſericata, ſed ſciendum ſericatum, et ſericeum idem eſſe: ſic apud Suetonium in caligula homines ſericeis veſtibus induti, vocantur ſericati. Aduertendum etiam, quam longe voluerit eſſe a Clericis veſtium luxum, et pretioſitatem Synodus haec Regia, cum etiam ſericeam interulam vetet. Quae ſequuntur obſcura ſunt, forte ob errorem a Librario admiſſum: ſic enim legendum puto: vel ſericata camiſia quaeque, et tunica ex ſerico in pectore non conſuantur, ſed nodis vel fibulis collum amplectentur.

(a) alias 71.

(b) alias 72.

(c) alias 73.

De ſepultura fidelium. *(d)* Vetus haec eſt diſciplina, vt cadauera defunctorum in Eccleſiis non ſepeliantur; indignum nempe videbatur illa cum Martyrum oſſibus commiſceri, exemplo tamen non caret. Sanctus enim Paulinus Epiſcopus Nolanus, teſte S. Auguſtinu in principio libri de cura gerenda pro mortuis quaeſiuit: „*Vtrum proſit cuique poſt mortem, quod corpus eius ad ſancti alicuius memoriam ſepelitur?*„ Huic dubitationi reſpondens S. Doctor tria memorabilia inouit, et ſeculi ſui vſum memoriae commendat inquiens: „*prodeſſe homini poſt mortem, ſi fide ſuorum humando eius corpori talis prouideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam illo modo quaeſita ſanctorum.*„ Tacitam itaque orationem dicit eſſe hanc ſequiturae prouidentiam. Dein Capite quarto: „*Cum itaque recolit animus, vbi ſepultum ſit cariſſimi corpus, et occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri dilectam animam commendat recordantis, et precantis affectus.*„ vnde ſequitur tertio id, quod idem S. Doctor Capite vltimo inquit: „*quod vero quiſque apud memorias Martyrum ſepelitur, hoc tantum mihi videtur prodeſſe defuncto, vt commendatio eius etiam Martyrum patrocinio augeatur.*„ His accedit loco citato, quod corpori mortuo, ſed tamen reſurrecturo, et in aeternitate manſuro impenſum eiusmodi officium, ſit etiam quodammodo eiusdem fidei teſtimonium, haec licet ita ſint, negari tamen non poteſt, tum ſeculo XI. tum remotioribus temporibus, imo ab ipſa pace Eccleſiae reddita corpora defunctorum, niſi Epiſcopi eſſent, vix aliquando intra Eccleſiam ſepulta fuiſſe. In Concilio Namnetenſi quod Hard. Tom. VI. col. 457. inſeruit verum Sirmondus ad annum Chriſti DCLVIII. vindicauit, Can. VI. „*Cenſuit probibendum etiam ſecundum maiorum inſtituta, vt in Eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio, aut in porticu, aut extra Eccleſiam,* (ſeu vt MS. Biblioth. Puteanae habet *in Exhedris Eccleſiae*) *infra Eccleſiam vero, aut prope altare, vbi corpus Domini, et ſanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam ſepeliendi.*„ In Concilio Vittoniae, anni MLXXXVI. Cap. 9. ſtatuitur, vt in Eccleſiis corpora defunctorum non ſepeliantur; adhuc ſeculo XIV. in Concilio Trecorienſi anni MCCCLXXXIV. Cap. 2. apud Martene Tom. IV. col. 1125. „*diſpenſantes cum omnibus fundatoribus Eccleſiarum, ſeu Capellarum, vt in eisdem Eccleſiis inhumari valeant: inhibentes Rectoribus Eccleſiarum, et Procuratoribus dictarum fabricarum, ne alias indiſtincte quemlibet in Eccleſiis, ſeu Capellis ſuis ad ſepulturam admittant.*„ Alia ſtatuta Synodalia Eccleſiae Trecorien. apud eundem Martene col. 1108. Cap. 72. „*cum in iure Canonico contineatur, quod nullus in Eccleſia ſepeliatur, inhibemus ſub poena ſuſpenſionis, ne aliquis Capellanus ſepeliat, aut ſepeliri permittat aliquem in Eccleſia niſi ſit Epiſcopus, Abbas, vel Patronus, vel dignus Presbyter.* Seculo XV. ſimilem diſciplinam

Digitized by Google

34. *(a)* Nullus Iudaeus Chriſtianum mancipium emere, vel vendere audeat, aut in ſuo ſeruitio tenere ſinatur. Nunc vero, qui habet, ſi infra datis ſibi induciis non vendat, amittat.

35. *(b)* Agriculturam autem, ſiquis eorum habet propriis hanc mancipiis ornet, poſſeſſiones quidem Iudaei, qui poſſunt emere, habeant, ſed ipſi nusquam, niſi vbi Sedes Epiſcopalis, remanere ſinatur.

36. *(c)* Si quis autem de furto accuſatus ad Eccleſiam fugerit, non illico teneri pro fure culpabili eum iudicamus, ſed Index cum Presbytero Eccleſiae ipſius eum interroget, vtrum culpabilis ſit, nec ne: et ſi reum ſe eſſe fatebitur, pro Eccleſia de obcoecatione oculorum, ſeu aliorum detrimentatione membrorum, liberetur: ſi vero ſe non eſſe furem dixerit, excuſandi ſe poteſtas ei non negetur, ſed non de periculis ſupra dictis eum Eccleſia liberabit, ſi reus poſtea eſſe probabitur. Item ſi quis fur eſſe ab aliquo accuſabitur, furti ſigno apud ipſum reperto, vel comprobato, quod pro tali cauſa aliquid villae reſtaurauerit. vnde de villis aliis plures eum criminabuntur.

37. *(d)* Si quis Bigamus Presbyter propter vxorem, diuinum officium reliquerit, omni Eccleſiaſtica dignitate priuetur, et inter Laicos deputetur.

38. *(e)* Decretum eſt in Sancta Synodo ab omnibus, vt Epiſcopis, populus S. Eccleſiae decimas omnium quae poſſident; ~~ferui vero Eccleſiae~~ Parochiano Presbytero tres denarios impendant.

39. *(f)* Si quae mulier a viro ſuo fugerit, reddatur ei, et quoties fugerit reſtituatur ei: quia ſcriptum eſt. Quos DEVS coniunxit, homo non ſeparet.

40. *(g)* Si quis vxorem ſuam, coram legibus, adulteram probauerit. ipſa poenitentiae ſubiaceat, et poſtea ſi voluerit reconcilietur: aliter innupti permaneant.

41. *(h)* Vt Clerici Bigami, et viduarum, aut repudiarum Mariti, temporalibus Eccleſiae beneficiis, et cunctis dignitatibus Eccleſiaſticis priuentur. Nullus Epiſcopus aliquem promoueat Clericorum ad Diaconatum, et vltra, niſi prius continentiam vouerit, et ſi vxorem habuerit, ex eius fiat conſen ſu idem permittentis.

42.

viguiſſe docent ſtatuta Synodalis Petri Epiſcopi Nannetenſis. anno MCCCCLXXXI. edita Martene Tom. IV. col. 1015. vbi inuehitur laudatus Epiſcopus in illos: „*qui in Domo Dei, in qua ſalus depoſcitur, peccata remittuntur, gratiae aquiruntur, primas ambiunt cathedras, et locum ad confeſſiones, tum ad ſepulturas proprias etiam ſacrificio digniſſimi corporis Chriſti, et in Sacris officiis, et vſibus dicata ſibi vindicare, vſurpare nituntur*„ ſed antiquiora videamus, Arringhius in Roma ſubterranea lib. 2. Cap. X. pag. 203. profert lapidem ſepulchralem Flav. Maximi Tribuni voluptatis, cui teſte inſcriptione Papa Hormisdas conceſſit: locum ſepulturae in Baſilica Vaticana, neque ſcio, an aliquis indignari poſſit. Corpuſculum ſuum in atrio Eccleſiae collocari, cum Otto III. Romae anno Chriſti MCCCCLXXXIII. vita functus in atrio Baſilicae laudatae poſitus ſit. ait quippe Leo oſtienſis: „*ſepultus in atrio Eccleſiae Beati Petri Apoſtoli introeuntibus in Eccleſiae ipſius Paradiſum ad laeuam.*„ Quid dicemus de corpore S. Apoſt. Petri, quod in porticu veteris Baſilicae Vaticanae conditum fuiſſe ex antiquis inſcriptionibus, et picturis docet laudatus Arringhius? mihi videtur cryptarum inſtitutum licet in ſpecubus Patriarcharum veteris Teſtamenti patrocinium habeat, in Eccleſia Dei nouitium eſſe inſtitutum., conditioni autem humanae in peccatum lapſae optime conuenire; ideoque ſpiritui humilitatis Chriſtianae apprime conſentaneum eſſe in terram defodi, vt corpus in terram, vnde deſumptum eſt, reuertatur.

(a) alias 74.

(b) alias 75.

(c) alias 84.

(d) Haec quae ſequuntur capitula ex libro ſecundo decerpta ſunt, et hoc eſt alias 4.

(e) alias 5.

(f) alias 6.

(g) alias 8.

(h) alias 10.

Digitized by Google

42. *(a)* Nullus coniugatus Presbyter, aut Diaconus altari deſeruiat, niſi prius vxore concedente, et continentiam vouente, locum ſeparatum, et neceſſaria vitae temporalis ei prouideat, vt ſecundum Apoſtolum vxorem habens non habentem ſe eſſe intelligat.

43. *(b)* Nullus Laicus poteſtatem Eccleſiae habeat.

44. *(c)* Si Presbyter altari deſeruiens, concubinam habuerit, illa auferatur, ipſe vero iuxta praeceptum Epiſcopi, fructu peracto poenitentiae, ad adminiſtrandum altari reſtituatur, et Eccleſiae: vt a villa, in qua eſt Eccleſia ab Eccleſia longius non recedat: quod ſi receſſerit,decem penſas ſoluat,et redeat.

45. *(d)* Si quis in die feſto vendiderit, pretium acceptum quadruplo reſtituat, ipſe vero poenitentiae ſubiaceat.

46. *(e)* Si quis deſcriptas feſtiuitates non celebrauerit, ſic iudicetur in eum, vt, ſi liber eſt, tribus diebus poeniteat, ſi ſeruus, ſeptem plagis mulctetur.

47. *(f)* De deſponſatione coniugal; placuit Sanctae Synodo, vt omnis coniugalis deſponſatio in conſpectu Eccleſiae, praeſente Sacerdote, coram idoneis teſtibus, aliquo ſigno ſubarbationis, et conſenſu vtriusque fieret: aliter non coniugium, ſed opus fornicationis reputetur.

LVII.

SYNODVS REGIA

ſub Andrea II, celebrata, A: C: MCCXXII.

1. Statuimus, vt annuatim *(g)* in feſto Sancti Regis, niſi arduo negotio ingruente, vel infirmitate fuerimus prohibiti: Albae teneamur ſolennizare, et ſi nos intereſſe non poterimus, Palatinus procul-dubio ibi erit pro nobis, et vice noſtra cauſas audiet, et omnes ſeruientes, qui voluerint, libere illic conueniant.

2. Item *(h)* nullam collectam, nec libras denariorum colligi faciemus ſupra praedia ſeruientium,nec in domos, nec villas deſcendemus, niſi vocati.

(a) alias 10.

(b) alias 12.

(c) alias 13.

(d) alias 14.

(e) alias 15.

(f) alias 16. de hoc Capitulo alibi diſſeruimus.

(g) Caput hoc etiam in vulgatis editionibus primum eſt. Propter exteros ad notandum: Sancti Regis nomine venire Sanctum Stephanum Albae collocatum. Hodiedum quoque dies hic principium eſt iudiciorum.

Libra denariorum et deſcenſus.

(h) Caput alias 3. Explicandum hic, quid ſit collecta? Libra denariorum in domos, et villas deſcendere? Collecta non ſonat voluntariam oblationem, ſed Imperati tributi, veſtigalis exactionem. Aliqui volunt legendum· liberos denarios, quaſi libere fuiſſent oblati; vel a liberis ſoluti. Sed haec lectio ſuſtineri nequit; tum ideo quia de tributo agitur non exigendo, non autem de gratuita oblatione repudianda, tum ideo quia de ſeruientibus, id eſt nobilibus ſermo eſt, adeoque ad liberos hospites detorqueri non valet; tum denique, quia nullum talis nomenclationis liberorum denariorum exſtat veſtigium. Legendum eſt itaque libras denariorum, quas alibi etiam viguiſſe ſcimus. Du Cange 20. denarios tribuit, ſed quaeſtionis huius deciſio ex pondere, et valore monetarum temporis illius pendet. Deſcenſus denique in lege hac commemoratus non eſt aliud. quam hospitatio, ſeu procuratio genus videlicet exactionis, quod Principes exigebant aliquando ab Eccleſiis. Recurret nobis hoc vocabulum in Synodo Budenſi, anni 1269.

Comites Camerarii Tributarii.

ſcopo adminiſtrantibus, ac Ioanne Praepoſito, Ioanne Cantore, Colino Cuſtode, Petro, Stephano, Paulo, Iacobo, Ioanne, et Nicolao Canonicis Eccleſiae Albenſis dictae Veſprimienſis Dioeceſis, Regalia paramenta, vt moris eſt, ſupra altare ipſum praeparantibus, nec non Magnificis, et Nobilibus viris Vngariae Regni Baronibus, Homodeo Palatino pro ſe, et filiis ſuis, et Fratribus ſuis, Dominico Magiſtro filiis Nicolai, et Philippo de Geroldo pro ſe, et Fratribus ſuis Cocos, et Loscho, Demetrio Magiſtro filio Nicolai, pro ſe et Fratribus ſuis Kokos, et Lozcho Demetrio Magiſtro filio Nicolai, et Philippo de S. Geroldo pro ſe, et (a) Mathaeo Palatino de genere Chaak, Stephanu filiu Hagiora de Poſega, Alladaro de Forro, Petro et Marco filiis Stephani de genere Chaak. Becca Magiſtro pro ſe, et Fratribus ſuis, Magiſtro Diunyſio Agnardi, et Magiſtro Benedictu pro ſe, et pro Magiſtro Vgrino, Magiſtro Tauernicorum Domini Regis Vngariae, Praedicto Ladislao Werner Comite Budenſi, ac Venerabili in Chriſto Patre Fratre Petro Archi-Epiſcopo Spalatenſi, pro Paulo Bano, Croatiae, et Bosnae, Domino, Nicolao poſtulato ad Eccleſiam Iaurinensem, pro Magiſtro Henrico Banu Sclauoniae, et pro Magiſtro Nicolai eiusdem Magiſtri Henrici nepote, et Petro Archi-Diacono de Chasma, in Eccleſia Zagrabienſi, pro Stephano Ujvário, et Radislao filiis Babonich, magnis Comitibus (b) Sclauoniae, ante altare praedictum adſtantibus. In praeſata quoque Eccleſia Sanctae Mariae, Venerabilibus in Chriſto Patribus, (c) M. Agrienſis, B. Veſprimienſis, et Zagrabienſis, B. Chanadienſis, L. Sirmienſis, et G. Bosnenſis Episcopis, ac P. Scepuſienſi Praepoſito, aliisque Praelatis, et Clericis religioſis, ac Secularibus, Miniſtro minorum, et prioribus Praedicatorum, et Heremitarum Sancti Auguſtini Prouincialibus, et eorum, ac Sancti Benedicti, et aliorum ordinum Fratribus, Nobilibus inſuper, Ciuibus, et Popularibus ciuitatum, Caſtrorum, et Villarum, atque Locorum Regni Vngariae, in multitudine copioſa praeſentibus, praefatus Dominus Carolus Vngariae Rex, in manibus praefati Strigonienſis Archi-Episcopi, et mei Notarii infraſcripti librum tenentium, flexis genibus ante altare praedictum, et coram eodem Strigonienſi Archi-Episcopo, tactis et osculatis Sacro-Sanctis Euangeliis, infraſcripta primo litteraliter (d) facta, deinde in Vngaricum expoſita, per ſaepedictum Strigoniensem Archi-Epis opum inuiolabiliter ſeruare (e) iurauit, videlicet:

 DEO

Tres Palatini.

(a) Illud ſingulare ſub initium Regiminis Caroli I. quod tres Palatinos reperiamus. in hoc enim documento noſtro Omodaeus, aliis Homodaeus, Petro de Réva, pag. 20. Amadius. quem, vti idem loco citato aſſerit Leonhardum fuiſſe aiunt, alter autem Mathaeus Trenchinienſis, tertius denique apud Raynaldum habetur Copoa Palatinus. Plures Palatinos fuiſſe licet nec adſtruere, nec negare auſim, cum ſacri Palatii Regum Hungariae officia nondum ſint liquido perſpecta. Mathaeum tamen, quem Omodaeo Caſpar Iongelinus ſucceſſorem dat, eodem tempore Palatinum fuiſſe, in comperto eſt. cum enim Carolo Regi ſemper infenſus fuerit, nescio, quomodo exiſtimari poſſit ſub hoc Rege, illum ad dignitatem hanc conſcendiſſe. Mea itaque coniectura eſt, tres hos Palatinos alium Venceslai, alium Ottonis, alium denique Caroli fuiſſe Palatinum.

(b) Occurrit quidem in Diplomatibus Maioris Comitis memoria, hoc tamen loco Iuppanos intelligendos exiſtimo.

(c) Agrienſis Episcopus hic indigitatus erat Martinus III., Veſprimienſis Benedictus erronee tamen ſcribitur in exemplari noſtro, „*et Zagrabienſis*„ vtpote cum Auguſtinus fuerit Zagrabienſis, ſimiliter in Chanadienſi Episcopo cubat error, cum Antonius fuerit. De Episcopis Veſprimienſi, et Chanadienſi ſcribit Petrus de Réva pag. 20. quod Ottonem Bauarum coronauerint. Sirmienſis fuit Ladislaus, qui alibi Episcopus S. Irenaei, quod idem eſt, ſcribitur.

(d) Id eſt: latine, et ideo deinceps vngarice fuit expoſitum.


(e) Vel ex hoc Capite meretur hoc inſtrumentum inter Synodos Regias locum. Et ſane

DEO ſub lege eius obſequi, Fidem Catholicam, quam Vniuerſalis Romana Ecleſia Mater praedicat, et docet, tenere, eandem Eccleſiam Romanam, et praefatae Sanctae Mariae, et Sancti Adalberti, ceterasque Eccleſias Ditione ſibi creditas, conſtitutas, et earum Epiſcopos, et Praelatos, cum omnibus illis legitime ſubiectis, et a DEO ſibi creditis, ſecundum DEVM commendare honorare, et defendere. Papam Romanum, et Legatos ipſius Eccleſiae Romanae non impugnare, ſed potius defendere, eiusque Eccleſiae Romanae. Iura non laedere, nec terras ad ipſam pertinentes, vel ſtatuta, ſeu ordinamenta ipſius in iisdem terris ſcienter violare: Regnum ſibi commiſſum, et Iura Regalia nec minuere, nec alienare, ſed potius augere, et male alienata hactenus, ſecundum datam ſibi gratiam ad Ius piſtinum reuocare. Nobiles Regni ſui in approbato, et antiquo Iure ſeruare, atque a tyrannorum oppreſſione eripere, legitimo coniugio tantum vti, et contentum eſſe, docente ſcriptura, relinquet vir patrem, et matrem ſuam, et adhaerebit vxori ſuae, et erunt duo in carne vna, et quod DEVS coniunxit, homo non ſeparet. Populo ſibi ex DEI prouidentia commendato prodeſſe, et non obeſſe, et neminem ex eis, ſine iuſti legitimique iudicii examinatione condemnare, et de terra tollere debere, delectatus Pſalmiſtae voce dicentis: Beati, qui cuſtodiunt iudicium, et faciunt iuſtitiam omni tempore, promittens, ſpondens, atque pollicens, coram DEO, Beata, et ſemper glorioſa, ſemperque virgine DEI Genitrice Maria, Beato Adalberto Martyre, atque Pontifice. et omnibus Sanctis, Praelatis, Baronibus, Nobilibus, religioſis, et aliis ſupradictis, omnia praedicta, et ſingula firmiter, et immobiliter obſeruare, inquantum Diuino fultus adiutorio, fuerit ſecundum ſcire ſuum et poſſe. Super quibus tam Barones Regni praeſentes ibidem, quam alii praememorati nomine, et pro parte abſentium praedictorum a ſaepefato Archi-Epiſcopo Strigonienſi ſingulariter requiſiti, tactis eisdem Sacroſanctis Euangeliis, eadem omnia, et ſingula, ſuo iuramento firmantes, ipſumque Dominum Carolum recognoscentes, in verum et legitimum Regem Vngariae, ac ſuum, et dicti Regni Dominum naturalem, ipſi Regi, in ſaepe dicti Archi-Epiſcopi Strigonienſis, et mei praedicti Notarii manibus, vt praedictum, Librum tenentium praeſtiterunt debitae fidelitatis homagium, (a) et ſolitum Hungariae Regi ab eiusdem Regni Baronibus iuramentum. Et ego Guilhelmus de Sanguineto, Apoſtolica. et Imperiali auctoritate Notarius publicus, praedictis omnibus praeſens interſui, ipſeque de mandato, ac auctoritate praefati Domini Legati ſcripſi, et publicaui, meoque ſigno conſueto, et ad maiorem praedictorum roboris firmitatem, ac memoriae futurorum, ſupradictus Dominus Legatus praeſens Inſtrumentum publicum fecit ſigillo proprio roborari.

In-

Iuramentum Ioannis Hunyadii Gubernatoris, ante articulos Diaetae anni 1446. Ferdinandi Primi ante articulos anni 1527. Ioſephi I. anni 1687. articulo I. Caroli VI. anni 1715. articulo II. Mariae II. anni 1741. articulo ſecundo inſertum fuit. De ſolenni hac iurandi conſuetudine ait Petrus de Réva, centuria tertia pag. 15. Decreta Andreae II. adſerens: „*ad quae omnes Reges, qui legitimum, et inculpatum imperium habere volunt, iurare debent.*„ Locupletiorem teſtem habemus in Ladislao Poſthumo, qui in concluſione Decreti Primi articulis. et quidem primo: „*quod Rex iuramentum deponet*„ aſſenſum praebens inquit, „*ſuper primo eorundem ſolito more Regale corporaliter praeſtitimus Iuramentum.*

(a) Modo laudati Ladislai Poſthumi Decretum primum oſtendit art. 2. Praelatos, Barones, ac Proceres, et Nobiles, ceterosque Fideles vniuerſos iuramentum praeſtitiſſe fidelitatis.



II.

Iuramentum Coronationis Caroli I. ex Inſtrumentis Vaticanis anni MCCCIX. ad diem XXIX. Iunii. *

Nos DEI Gratia Thomas Strigonienſis, Petrus Spalatenſis, Vincentius Colocenſis Eccleſiarum Archi-Epiſcopi, Benedictus Veſprimienſis, Haab Vacienſis, Emericus Varadienſis, Ioannes Nitrienſis, Frater Auguſtinus Zagrabienſis, Ladislaus *(a)* Sancti Irenaei Petrus Quinque Eccleſienſis, Martinus Agrienſis, Chanadienſis, et Frater Gregorius Bosnenſis Eccleſiarum Epiſcopi, ad perpetuam rei memoriam, ſua factis inſignibus iura perſoluimus, ſi ab eis, ne labantur cum tempore, prouidemus, vt cum laudis praeconium noſtro Miniſterio certum habere valeat, grata poſteritas argumentum, quod tanto ſtudioſius agi neceſſe eſt, *(b)* quanto, quod geritur patet publicis vtilitatibus conuenire. Poſtquam enim ſoluto iuſtitiae publicae vinculo, diuerſis caepit Regnum Hungariae languere periculis, ante hos ferme nouem annos regale Diadema, quod a Summo Pontifice Sancto Stephano gentis eiusdem primo Regi deſtinatum, et ab eo transmiſſum, in poſteros in Albenſi Eccleſia primum ſumma diligentia ſeruabatur, quo etiam ipſius gentes conſueuerunt ſuccedentes ſibi iure legitimo coronari, improba temeritate ab eadem Eccleſia viulenter abreptum, ac per diuerſas manus, non ſine multo eiusdem Regni diſcrimine deuolutum, et adhuc priuata violentia occupatum detinetur, cumque ad ipſius recuperationem nulla ſollicitudo potuiſſet proficere: Tandem Reuerendus Pater Dominus Frater Gentilis tituli S. Martini in montibus Presbyter Cardinalis Sedis Apuſtolicae Legatus reſciens, quod ob ipſius carentiam, cui multum reuerentiae, atque auctoritatis, ex dicti Regni incolarum opinione defertur, quaſi in eo ſit Ius Regium conſtitutum, vnde et detentores ipſius audacia creſcere, et Regiae dignitati poterat plurimum derogari, omnium noſtrorum, ceterorumque Regni Hungariae conſilio, et aſſenſu idem Diadema, donec ſic occupatum exiſteret, ne cum eo Reges vngerentur, aut poſſent coronari, penitus *(c)* interdixit, ac ne

 ſemel

(a) Id eſt: Sirmienſis.

(b) Phraſis S. Gregorio M. familiaris.

(c) Quemadmodum Eccleſiae interdici ſolent, ne functiones Eccleſiaſticae in illis rite peragi poſſent. Si verum dicere licet, prouidae huic Fratris gentilis diſpoſitioni tam inutiliter, quam irrationabiliter indignantur dicentes: Sacram Coronam tam facile non debuiſſe abrogari, ſed nunquid abrogantur Eccleſiae cum interdicuntur? aut in ipſa Sacra Corona aliquod Ius Regium ſitum eſt? In enucleationem facti huius operae pretium duxi Caroli Regis Donationem ſuper Caſtro Comaromienſi, villisque eo pertinentibus Thomae Archi-Epiſcopo factam Sacra Corona interdicitur.

nendo continuos labores, et ſollicitudinem, curas, et perplexitatem, et aduerſitatis anfractus, et controuerſiarum ſtrepitus perpetiendo, et alia quam plurima, quae per ſingula longum eſſet enarrare pro nobis tolerando ſe ſtuduit nobis reddere gratioſum, et conſequenter dum in apice ſuae dignitatis exſtitit aſſumptus eo feruentius, quo deuotius in promotionem noſtri regiminis idem Venerabilis Pater exſtitit ſollicitus, Barones, et potentiores aemulos noſtros, nunc lenibus inductionibus paternalibus, et Eccleſiaſticis futurae inſtantiae opere laborando, et cum per hanc viam procedendo ipſos contumaces inueniret, non poſſe ſic proficere apud ipſos crederet eo, quod hac ſua pertinacia obſtructos ad viam veritatis nequiret, reducere gladium Eccleſiaſticum exerens de claue Chriſti clauam feriendi Eccleſiaſticam praeparans modo per ſe, modo per ſuos ſuffraganeos, et alios Eccleſiarum Praelatos ſuos ſubditos, ipſos noſtros aemulos, et rebelles percellere niſus exſtitit, et ipſorum feritatem cenſura Eccleſiaſtica innodare. Qui quidem aemuli noſtri, et praetextu cuius priore fauces ſuae aſperitatis contra ipſum Dominum Archi-Epiſcopum, et ſuam Eccleſiam adeo inuiaſſent, quod per damna, rerum ſpolia, et combuſtiones oppidorum, deſtructiones, et diruitiones caſtrorum ſuorum intollerabiles perſecutiones perſonarum, et mortes hominum, ac alias depopulationes, et deſolationes Poſſeſſionum, execrationes, et profanationes Eccleſiarum, Iurisdictioni ſuae ſubiectarum, afflictionem afflictioni immaniter addendo, ipſam Sanctam Eccleſiam Strigonienſem Matrem videlicet Eccleſiarum aliarum Hungaricarum ad extremae exinaninationis, et quaſi irreparabilis deſolationis opprobrium deduxerint. Ipſe autem Dominus Archi-Epiſcopus conſtanter, et perſeueranter in promotione noſtri regiminis perdurauit, quod ipſum non rerum damna, non caſus Poſſeſſionum, non depopulationes villarum, profanationes Eccleſiarum, nec mortis minae, nec excidia hominum, aut ſanguinum effuſiones, vel membrorum mutilationes, non aliorum periculorum terrores, quae in quemlibet conſtantem virum poſſent cadere, ab huiusmodi bonae operationis propoſito, ipſum potuerunt reuocare, aut etiam immutare, quominus iuſtitiam tramite procedendo, ſic tulit crucem ſuam, et vitam noſtram nunquam dereliquit, ſed ſemper metu aliquo non obſtante intrepidam exſtitit proſecutus. Tandem cum poſt haec ſudoribus tantis, ſui laboris in facto noſtri regiminis incepiſſet facta conuocatione vniuerſorum Praelatorum ſuorum ſuffraganeorum, ac aliorum, et Baronum Regni Noſtri fidelium, primo videlicet tempore Domini Gentilis Tituli Sancti Martini in montibus Presbyteri Cardinalis Apoſtolicae Sedis Legati de latere miſſi, quia Corona Geyſae Regis Stephani Progenitoris noſtri, qua de more Gentis Hungaricae Reges Hungariae ſolent coronari per infideles illicitos detentores rapta detinebatur, noua corona ſpecialiter pro nobis fabricata, per eundem Dominum Legatum benedicta, et autoriſata per ipſum Dominum Thomam Archi-Epiſcopum iuxta conſuetudinem Regni noſtri approbatam, et conſtitutionem ab ipſo Domino Legato tunc de nouo editam, quae habet, vt non niſi honorem noſtrae coronationis nos, et noſtri Succeſſores per ipſum Archi-Epiſcopum ſumeremus, quemadmodum ceteri Reges noſtri anteceſſores habuerunt, ſolium Regale conſcendentes, ipſo nouo Diademate exſtitimus coronati. Et licet huiusmodi corouationis modus ſufficiens extitiſſet, tamen, vt opinioni Gentis Hungaricae ſatisfieret, et vt ſcandalum de medio vulgi tolleretur, recuperata, et rehabita per ſollicitam curam eiusdem Domini Archi-Episcopi

ipſa

ipſa Sancta Corona ab illicitis detentoribus rurſum in loco debito videlicet in Alba Regali, vti ſolitum eſt ab antiquo Reges Hungariae coronari, facta coronatione vniuerſorum praelatorum Baronum fidelium Regni Noſtri, obſeruataque ſolennitate conſueta, et a Progenitoribus noſtris conſtituta ſolium noſtri Regiminis conſcendimus, et de manibus eiusdem Thomae Archi-Episcopi diademate Regio, videlicet eadem Sancta Corona de nouo exſtitimus coronati. Et iuſta, bona conſuetudo, et approbata iuri conſona, rationique conſentanea habet, vt Reges tempore ſuae coronationis, et intronisfationis in recognitionem Diuini Miniſterii Eccleſiae Strigonienſi, a cuius Antiſtite diadema ſuae coronationis, et munus ſuae vnctionis aſſumunt, manum regiae munificentiae illico aperiant, et oblationem donatiuorum manus Regiae largiantur. Nos itaque conſiderantes, quod tum Iuris obſeruantia cuſtoditur, DEVS laudatur, et pietas priorum noua continuatione approbatur, tam ſeruitiis eiusdem Venerabilis Patris ſuperius memoratis in conſideratione Regia ſatisfacere volentes, quam morem progenitorum noſtrorum in oblationibus ſequi volentes, faciendum, licet idem Venarabilis Pater Thomas meritis ſuorum fidelium ſeruitiorum multo-plura mereretur, tamen in aliqualem recompenſationem eorundem Caſtrum noſtrum de Cumarom vna cum ciuitate, ſeu oppido Kumaromienſi, cum vniuerſis villis, et poſſesſionibus &c. de conſilio, et conſenſu Venerabilium Patrum Emerici Varadienſis, Stephani Veſprimienſis, Benedicti Chanadienſis, item Benedicti Tranſyluanienſis, Ladislai Quinque Eccleſienſis, et Georgii Sirmienſis, Eccleſiarum Epiſcopis. Item Petri Magiſtri Thauernicorum noſtrorum Nicolai Vayuodae Tranſyluani, et Dominici Palatini, ac aliorum Barouum, et Nobilium Regni noſtri; eidem Domino Thomae Archi-Episcopo, et per eum ſuae Eccleſiae Strigonienſi dedimus, donauimus, et contulimus Iure perpetuo, et irreuocabiliter in ſuorum Succeſſorum Succeſſores poſſidendum, tenendum, et habendum. Inſuper promittimus, quod cum praeſentes nobis fuerint reportatae in perpetuam rei memoriam noſtrum Priuilegium ſuper praemiſſa Donatione eidem concedemus. Datum in Lipva in feſto ad vincula Sancti Petri, anno Domini 1315. Nos igitur attendentes, quod Regiae munificentiae promiſſum legitimum debeat ſortiri effectum Stylus Curiae in Priuilegiis dandis ſolitus obſeruari, notus, adeoque hicce exmittitur data opera &c. Datum in Zugutino per manus Diſcreti Viri Magiſtri Ioannis Albenſis Eccleſiae Praepoſiti, et Archi-Diaconi de Kŭkŭllŏ Aulae Noſtrae Vice Cancellarii dilecti, et fidelis, Noſtri IV. Nonas Auguſti, anno Domini 1317. Venerabilibus in Chriſto Patribus Praelaturas Regni noſtri tenentibus ipſo videlicet Thoma Strigonienſi Archi-Epiſcopo, Locique eiusdem Comite perpetuo, Colocenſi Sede vacante, Emerico Varadienſi, Auguſtino Zagrabienſi, Stephano Veſprimienſi, Ioanne Nitrienſi, Vacienſi Sede vacante. Martino Agrienſi, Nicolao Taurinenſi, Benedicto Tranſyluanienſi, et alio Benedicto Chanadienſi, Ladislao Quinque Eccleſienſi, Georgio Sirmienſi DEI Gratia Epiſcopis, item Demetrio Magiſtro Thauernicorum Noſtrorum Dominico Palatino, Petro Magiſtro Agaſonum noſtrorum, Lamberto Iudice Curiae noſtrae, Petro Magiſtro Thauernicorum Dominae Reginae conſortis noſtrae Sereniſſimae, ceterisque Regni noſtri Baronibus, et Proceribus Comitatus, et honores feliciter tenentibus.

SY-

LIX.
SYNODVS REGIA CAROLI I. REGIS
Anni MCCCXLII.



1. Denarii Noſtri integri, cambientur per hunc modum: Quod ipſe Comes Camerae, vel ſui officiales, in ſingulis foris ciuitatum, et liberarum villarum noſtrarum Regalium, et Reginalium, a quorumlibet aliorum praeſentibus hominibus Dominorum *(a)* Archi-Epiſcopi Magiſtri Tauernicorum, et Comitis Parochialis, ac vno Iudice nobilium, ſub teſtimonio alicuius Capituli, in eisdem Foris, ipſos denarios ampliandos Camerae, et multiplicandos, publice ſuper *(b)* Tabula ſua exponere debeat, et tres ex iisdem denariis pro quatuor latis viennenſibus, vel aliis Camerae noſtrae monetis, quinti anni iam abolitis: aut etiam in aliis praecedentibus annis fabricatis, combuſtionem Viennensem habentibus cambientur: Et ſex, ex eisdem tam denariis nouis, quam annorum praeteriti, tertii, et qnarti, Camerae monetis, quia ipſorum annorum praeteriti, tertii, et quarti denarios in ſuo eſſe, curſu, et cambio remanere volumus, pro groſſo: et octo penſae, ac ſedecim denarii, pro Marca pagamenti, absque aliqua augmentatione, vbique currant, et ſoluantur.

2. *(c)* Item, quia volumus, vt praeſens moneta noſtra tertiae combuſtionis, amplianda, per totum Regnum noſtrum immutabiliter poſſit perpetuari, et abundare; et ipſi denarii Camerae noſtrae annorum praeteriti, tertii, et quarti, vna cum eisdem nouis pariter debeant discurrere, et acceptari: Statuentes ordinauimus, et committimus; vt in quolibet Comitatu, de ſingulis Portis, per quas currus, cum foeno, vel frugibus oneratus intrare poteſt, et exire; ſiue ſub eadem porta, ſeu Curia portam habente, tres aut quatuor, vel etiam plures exiſtant homines reſidentes, ſiue ſolum vnus commoretur in eadem, nec in tantum ſit egens, aut pauper, vt ſoluendi non habeat facultatem; quod videlicet praenominati quinque homines, Archi-Epiſcopi, et aliorum iuxta ipſorum conſcientiam ſoluere poſſe cognouerint, ac Domini terrae, ſeu officiales, ſibi ſolutionem facere poſſe, vel non poſſe iuramento ſuo dixerint (exceptis ſeruis, et conditionariis noſtrorum Regalium, et Reginalium, Eccleſiarum, ac aliorum quorumlibet, nec non, Exer-

Nnn citua-

(a) Caput hoc alias tertium eſt. Ex his Legibus vnam ex ſplendidioribus Archi-Epiſcopi Strigonenſis praerogatiuis intelligimus, ac vna etiam officium Magiſtri Tauernicorum condiscimus.

(b) Idem eſt ac menſa, quae aliis Tabula Cambii Gallis *banque* dicitur.

(c) alias 19.

cituantibus, ſeruientibus Dominorum terrae, quos ipſi iuramento ipſorum exceperint, et iidem quinque homines, ſcilicet Domini Archi-Episcopi, et aliorum, ſore exercituantes inueſtigando ſcinerint; et etiam exceptis Eccleſiis, ciuitatibus, vel aliis, euidenti priuilegiatica libertate, ſultis) facta dicatione, infra quintum decimum diem; decem, et octo denarios praedictae Camerae noſtrae, pro lucro Camerae *(a)* ipſi Comiti Camerarum, dare, et ſoluere teneantur.

3. *(b)* Item ipſe Comes Camerarum noſtrarum in ciuitatibus noſtris, vbi monetae noſtrae fabricantur, debet habere duo ſcrinia: In quorum vno ferramenta formalia, ſub ſigillis hominum Domini Archi-Episcopi, et Magiſtri Tauernicorum conſeruentur: In altero vero; virgulae pro monetis fuſae, absque monetis nouis: ſub ſigillis tribus, et clauibus tribus eorundem trium hominum, videlicet Domini Archi-Episcopi, et Magiſtri Tauernicorum, ac eiusdem Camerarii, debent conſeruari: Et ſemper in praeſentia ipſorum hominum, Domini Archi-Episcopi, ac Magiſtri Tauernicorum, aperiantur: Nec poſſint aliquo ipſorum abſente aperiri, vel opera monetarum exerceri.

4. *(c)* Quod ſi Comes Camerarum noſtrarum, ipſis duobus teſtibus abſentibus, vel aliquo ipſorum abſente, fractis lancibus, et ſigillis, monetas faceret fabricari; per ipſum Magiſtrum Tauernicorum, tanquam falſarius puniatur: Dummodo hoc iidem homines, Domini Archi-Episcopi, et Magiſtri Tauernicorum fateantur.

5. *(d)* Specialiter, dum funditur argentum, omnes perſonaliter intereſſe debeant. Et ſingulis ſeptimanis ipſos nouos denarios noſtros, ipſi homines, Domini Archi-Episcopi, et Magiſtri Tauernicorum in combuſtione quadraginta eorundem denariorum nouorum, debeant examinare: et ſic iidem noui denarii, cambio exponentur.

6. *(e)* Item pro ampliatione earundem monetarum Camerae noſtrae, ſtatuimus; vt vniuerſi Eccleſiarum Praelati, decimas, et debita, ac quosuis reditus; ac etiam cuncti Regni noſtri Barones, et Nobiles, aliique cuiusuis ſtatus homines, ipſorum prouentus vniuerſos, ſcilicet tributa, terragia, et quasuis collectas, a quibuscunque eorum debitoribus, et Jobagionibus, tributariis, et officialibus; cum ipſis monetis Camerae noſtrae, aut florenis; recipere, et exigi facere teneantur. Dummodo ipſi denarii Camerae noſtrae in tanta copia cudantur, vt omnes debitores, ſua debita, cum ipſis denariis Camerae noſtrae perſoluendi habeant facultatem.

7. *(f)* Praeterea de qualibet Marca vnum pondus, ad rationem denariorum ratione conſeruationis ferramentorum, homini eiusdem Domini Archi-Episcopi, omni die operis, et dimidius Ferto homini ipſi Magiſtri Tauernicorum; praeter ſummam conuentionis noſtrae Regalis perſoluatur. Si vero ipſe Comes Camerae noſtrae qualibet die operis de ſingulis Marcis cuſis, ſingula pondera denariorum, et dictos dimidios fertones praemiſſo modo, perſoluere recuſauerit; vel dilationem facere vellet; homines ipſius Domini Archi-Episcopi, et Magiſtri Tauernicorum, ferramenta formalia inducendi habeant facultatem.

8.

(a) Lucrum Camerae dicuntur reditus Camerae. Clarus Legis tenor non ſinit nos exiſtimare cum nonnullis quasi Educilla, Molendina fuerint lucrum Camerae, ac ideo Regalia beneficia dicantur.

(b) alias 39.
(c) alias 40.
(d) alias 41.
(e) alias 44.
(f) alias 49.

8. *(a)* Item Aulae noſtrae Vice-Cancellario idem Comes Camerae noſtrae, prouentus ab antiquo conſuetos, videlicet triginta marcas in terminis ſolutionis ſubſcriptarum (ſaluis prouentibus Notariorum remanentibus) plene dare, et ſoluere teneatur.

9. *(b)* Volumus etiam; vt tam Magiſtri Tauernicorum ſuos dimidios florenos, quam Dominus Archi-Episcopus ſua pondera, quibuspiam vendere non poſſint, et locare, quod, ſi fecerint; his Iuribus ipſorum priuentur.

10. *(c)* Praeterea iidem, Archi-Episcopus, et Magiſter Tauernicorum, tales homines, in proſequendis negotiorum Camerae transmittant; qui Poſſeſſiones hebeant, et ſi demerita ipſorum requirerent, pendere habeant.

LX.
SYNODVS REGIA
a Ludouico primo celebrata, A: C: MCCCLI.



1. Quod ſi Praelati, vel aliqui Viri Eccleſiaſtici, contra Nobiles Regni noſtri in aliqua cauſa in praeſentia alicuius Iudicis Regni noſtri proceſſerint, et litem habuerint: tunc pro cauſa, pro qua agitur, lite pendente, interdictum in eos ponere, vel contra ipſos ſententiam excommunicationis non poſſunt promulgare, ſicut hactenus vſi ſunt, et conſueti, absque ſcitu, et notitia Regiae Maieſtatis. Et ſi iidem Viri Eccleſiaſtici, ſeu Praelati, tramite Iuris obſeruato, in alicuius Regii iudicis praeſentiam, de iure conuicti fuerint, tunc in eandem grauaminis paenam qua eorum aduerſarios intendebant aggrauare, incidant eo facto.

2. Item pro *(d)* funere hominum, per aliquem, vel aliquos interremptorum, Archi-Diaconi mala conſuetudine, ſicut vſi ſunt, nullam marcam exigere valeant.

3. *(e)* Praeterea ab omnibus Jobbagionibus noſtris aratoribus, et vineas habentibus, in quibuslibet villis liberis, ac etiam *(f)* Udvarnicalibus villis, quo-

(a) alias 50.

(b) alias 54.

(c) alias 55.

(d) Vide, quae diximus in Diſſertatione de Synodis Regiis.

(e) alias 6.

(f) Sambucus Uduarnicos, putat eſſe nobiles vnius ſeſſionis, et villas udvarnicales, quae ad udvarnicos ſpectant. Haec explicatio mihi non probatur; ſi enim villa eſt Praedium ruſticum conſtans ex pluribus hoſpitibus, et villa

Udvarnicales villae.

Digitized by Google

.cunque nomine vocitatis, ac Reginalibus conſtitutis, exceptis ciuitatibus muratis, nonam partem omnium frugum ſuarum, et vinorum ſuorum exigi faciemus, et Domina Regina exigi faciet: ac praedicti Barones, et Nobiles ſimiliter ab omnibus aratoribus Jobbagionibus, et vineas habentibus in quibuslibet poſſeſſionibus ipſorum exiſtentibus, nonam partem omnium frugum ſuarum, et vinorum ſuorum, pro eorum vſibus exigant, et recipiant. Praelati quoque, et Viri Eccleſiaſtici Jobagiones habentes, primo decimas, poſt haec ſimiliter nonam partem omnium frugum ſuarum, et vinorum ipſorum exigant. Et ſi qui in exactione praedicta ſecus fecerint, nos in talium rebellium, et praeſentem noſtram inſtitutionem alterantium, poſſesſionibus, pro vſu noſtro ipſam nonam partem ipſarum frugum, et vini exigi faciemus, ſine diminutione, et relaxatione aliqua, vt per hoc honor noſter augeatur, et ipſi Regnicolae noſtri nobis fidelius poſſint famulari.

4. *(a)* Epiſcopi, Capitula, Abbates, Conuentus, Praepoſiti, et ceterae poſſeſſionatae perſonae Eccleſiaſticae, cum tribus litteris Inquiſitoriis (niſi Regia Maieſtas deſtinatis probis viris, quos maluerit, experiatur, et informetur, inter Nobiles, et Eccleſiaſticos ſuper posſeſſionibus acquirendis) Poſſeſſiones nec requirere, nec retinere poſſint, niſi cum litteris priuilegialibus Regiis, vel Reginalibus, aut Iudicum vicem gerentium Regiae Maieſtatis.

5. *(b)* Homines autem Capitulorum, ſeu Conuentuum, qui ex mandato Regio pro teſtimonio ducuntur, non poſſint eſſe, niſi hi, qui *(c)* dignitates habent in eadem Eccleſia: et ſi ipſius Capituli, vel Conuentus teſtimonium in equo ſuo proprio ductus fuerit, tunc per diem duos groſſos: ſi vero in equo ipſius Nobilis ducetur, tunc per diem vnum groſſum ipſi iidem Nobiles dare teneantur.

SY-

udvarnicalis a Poſſeſſore dicitur, quomodo erit is iam nobilis vnius Seſſionis. Vdvarnicalem villam puto eſſe villam Dominicalem, ſeu Dominicatam, id eſt Regiam, quod inde conſtat, cum paulo poſt Reginales adiiciat. Liberas porro villas conſtat easdem fuiſſe, quae apud Francos villae Francae dicebantur, ſeu liberae a certis quibusdam oneribus: charta Gulielmi, anni 1256. Tom. I. Hiſtoriae Delph. apud Du Cange docet, quo ad huiusmodi immunitates quoque Legum noſtrarum cum Francis affinitatem, ait enim: *„volentes facere villam Francam &c. concedimus plenariam libertatem ſcilicet, quod infra metas inferius declaratas perſonae, vel bona ipſorum capi, detineri &c. non poſſint.*

(a) alias 20.

(b) alias 21.

(c) Tantum abeſt, vt Dignitates mitti duntaxat poſſint, quod Altariſtas etiam non Canonicos olim miſſos fuiſſe, innumera doceant exempla.

Digitized by Google

LXI.
SYNODVS REGIA
ſub Sigismundo anno Chriſti MCCCCIV. celebrata.*



(a) Nos Sigismundus Rex Hungariae &c. Marchioque Brandeburgenſis, S. R. I. Vicarius Generalis, et Regni Bohemiae Gubernator. Vniuerſis, et ſingulis praeſentes inſpecturis, et lecturis, praeſentium ſerie volumus fieri manifeſtum, quomodo nonnulli, imo quam plures Regnicolae noſtri Eccleſiaſtici videlicet, et ſeculares creberrimis vicibus tribulationes, et exactiones, damna, nocumenta Iurium, et Iurisdictionum ipſorum alterationes, ac violentias ipſis per Bullatos (b) hactenus irrogatas, et illatas fuiſſe, et irrogari de praeſenti lamentabilibus vocibus, et turbatis animis nobis propalarunt, adeo inſuper cenſuras Eccleſiaſticas, vt puta citationes extra Regnum, excommunicationes, interdicta, monitiones, pecuniarum, rerum, bonorum exinde exactiones, extorſiones, et priuationes, grauatos, impeditos, et moleſtatos acclamarunt, quod niſi ſuperinde eis remedium releuationis, et liberationis adhiberetur, opportunum, ad ingentem exinanitionem rerum, et bonorum, imo ſtatus libertatis, et iurisdictionis eorundem exterminium eos oporteret deuenire, ſupplicantes noſtro Culmini humiliter, et deuote, vt eis, et eorum ſtatui, totiusque Regni noſtri vtilitati, et commodo, regali praeſidio, et defenſionis auxilio ſuccurrere dignaremur. Nos itaque, qui cunctorum, et praecipue nobis ſubiectorum incommodis ſubuenire, et calamitates, quibus grauantur, reprimere tenemur, eisque toto noſtro poſſe, et voluntate obuiare, auditis praemiſſis lamentabilibus querelis, et experientia nonnullis temporibus ſuper eis recepta, oppreſſiones nihilominus, et huiusmodi tribulationes hucusque praeſertim his proximis diſturbiorum, et Regai noſtri motionum tem-

(a) Has Sigismundi Regis litteras Cl. Pray in Hierarchia Hung. Eccl. Par. I. pag. 92. ex originali, vti inquit, protulit; inſerendas horſum cenſuimus, ne aliquid diſſimulaſſe, aut praeteriiſſe oblitterareque voluiſſe videamur. Licet nobis planum non ſit Synodi Regiae ſancitum his comprehendi litteris; vt enim ea taceamus, de quibus infra ſermo redibit, habemus in Corpore Iuris Hungarici Diaetam, verum Budae Dominica prima Quadrageſimae actam. Haec autem Poſonii, et quidem Dominica in Albis, dum Episcopi in Eccleſiis eſſe ſolent, et debent, celebrata fuiſſet. Duo decernuntur litteris iſtis, primum quidem omnium beneficiorum collationem, et prouiſionem ad exchidendum Papam ad ſe reuocat Rex, dein cauſas litigioſas ab eodem discuti vetat. Vtrumque autem ideo, quia *nefarium eſt illi obedientiae debitum reddere deberel, qui ſubditorum vtilitati, et paci repugnat*, principium ſecuritati Principum admodum exitioſum.

(b) Bullis prouiſos, alias apud ſcriptores medii aeui idem ſignificat bullatum, ac ſigillatum; inde eſt illud apud Du Cange: „*Bullatas offert ſignato cortice chartas*„ apud Innocentium 3um Bullarii vocantur ſcripturarum Apoſtolicarum confectores. Bullati quinam?

Digitized by Google

temporibus per Bullatos, ac alios authoritate Sedis Apoſtolicae quoad noſtri honoris, ſtatus, et gradus deiectum Regui noſtri, et coronae in *(a)* alium translationem, ac alias ad noſtram totalem depoſitionem laboraſſe, et adhuc ſentimus indeſeſſe laborare, nobis, et regnicolis noſtris illatas, et irrogatas animo iam non vlterius valentes tolerare, patienti attendentes potiſſime *(b)* nefarium illi obedientiae debitum reddere debere, qui ſubditorum vtilitati, et paci repugnans, eos doloſis machinationibus, et latentibus inſidiis afficere, et publicis nocumentis non deſinit laceſſere, omnium *(c)* Praelatorum, Baronum, Procerum, Militum, Nobilium, et Vniuerſitatum ditionis Sacrae Coronae Regiae Hungariae, atque noſtro conſilio, et matura deliberatione, diutius praehabitis, eorumque vtilitate, intentione, imo petitione ad hoc nobis porrecta, praeſentium ſerie authoritate eiusdem Sacrae Coronae, et de plenitudine Regiae poteſtatis volumus, pronunciamus, ſancimus, decernimus, et declaramus, quemadmodum pridem factum, et diſpoſitum eſſe voluimus, vt nullus Bullatus, authoritate videlicet Apoſtolica; vel alia quauis praeterquam noſtra, ſine noſtro ſpeciali conſenſu, et aſſenſu beneficia Eccleſiaſtica curata, vel non curata, cuiuscunque valoris exiſtant, olim vigore litterarum Apoſtolicarum, et legatorum eius, ſeu aliorum quorumcunque Praelatorum acceptare, et aſſequi ſolita, acceptare, aſſequi, et etiam tempore diſturbiorum proxime praeteritorum Regni noſtri aſſecuta, et obtenta, poſſidere, retinere, et habere, durantibus diſſenſionum Regni noſtri temporibus - - - - nec aliquis Praelatus eorundem, et virorum Eccleſiaſticorum cuiuscunque ſtatus, ordinis, gradus, conditionis, vel praeeminentiae exiſtat, pariter Nobiles, Seculares Ius Patronatus eligendi, et praeſtandi habentes beneficia qualiacunque, vel quomodocunque vacantia, vel vacatura, eisque prouidere, et de eis diſponere in toto, vel in parte praeter noſtram Maieſtatem *(d)* cuius diſpoſitio-

(a) Id eſt Ladislaum Apuliae Regem Caroli parui filium, oſtendit Cl. Fray loco citato omnia has machinationes Summo Pontifici nequaquam tribui poſſe, cum alii fuerint ex Hungaris vicarii memorati Regis, qui Turcarum etiam Imperatorem ſollicitarunt, vt armorum ſocietatem data eidem Ladislao in Matrimonium filia ſua iniret.

(b) Hinc patet in perſonalem Bonifacii IX. iniuriam haec vergere; neque enim puto Petrum de Luna hic deſignari. Non ergo Sedes Apoſtolica impugnatur; vt enim paulo poſt dicemus, vbi ſequiorem ſibi nactus eſt Pontificem Sigismundus, verum ſe eſſe Eccleſiae filium, et defenſorem perhibuit. Videbimus inferius litteras has ab Eccleſiaſtica honeſtate non eſſe alienas; quod ſi execraſſet etiam excuſari poſſet irritatus Sigismundi animus, praeſertim cum iam tunc ſchismate ſciſſa eſſet Eccleſia; Primum Clemente VII. dein Benedicto XIII. Pontificatum Bonifacii in dubium trahentibus.

(c) Ex his vtcumque erui poteſt Synodi Regiae ſancitum his exprimi litteris, quamuis ea, quae ſequuntur, huic obſint coniecturae. Si enim omnes illae Regiae litterae, quae ex matura Deliberatione Praelatorum, Baronum, et Procerum editae ſunt, in Diaetis, ſeu Synodis Regiis editae exiſtimentur, vltra modum multiplicabimus Leges, vt iam de noſtris etiam illud dici poſſit, quod de Lege Ciuili, ante Iuſtinianum dicebatur, eas onus aliquot Camelorum effeciſſe; vt experimentum habeas aſſerti mei, en tibi Karoli Regis Diploma ex matura Praelatorum Nobilium deliberatione editum: „*Nos Karolus DEI Gratia Rex Hungariae memoriae commendantes praeſentium per tenorem ſignificamus, quibus expedit vniuerſis: Quod cum Stephano Ladislao, et Michaeli Magiſtris Filiis Michaelis Comitis Nobilibus de Semyen,* (Kallay de Nagy Kalló appellantur hodie) *dilectis noſtris, et fidelibus quasdam Poſſeſſiones eorum haereditarios Semyen, Napkur, Villam S. Michaelis, ac Turuch occupatas, iuſtitia ipſorum exigente, ex Gratia Regia, Speciali de Conſilio Praelatorum noſtrorum, et Baronum, ceterorumque Nobilium Regni noſtri Nobis fidelium, habito Deliberatione diligenti cum eisdem reddidiſſemus, et reſtituiſſemus, nunc per quosdam Potentes, contra noſtram voluntatem Poſſeſſiones praedictae, ab eisdem recipiuntur, et vſurpantur, et ab eisdem expulſi exiſtunt. Vnde per quaecunque praedicta committuntur contra noſtram ordinationem, et ſtatutionem, hoc non eſt de noſtro Regio voluntate, quia nos eosdem iuſtitia eorum exigente, in pacifico Poſſeſſione eorum volumus contra omnes conſeruare, et defendere. Datum Budae Dominica proxima poſt Feſtum omnium Sanctorum,* (id eſt: die Nouembris) *Anno Domini MCCC decimo.* Ita Autographum.

(d) Hic eſt primus articulus Litterarum Regiarum, qua ſicuti Papam a collatione, prouiſione beneficiorum remouet; ita omnem poteſta-

ſitioni, collationi, et prouiſioni ea pleno iure reſeruamus, nullaſque litteras Apoſtolicas, reſcripta cuiuscunque tenoris, ſeu legatorum, Cardinalium, Auditorum, ac Iudicum, Officialium, et Executorum quorumcunque, ſiue in Romana Curia, ſiue extra eandem exiſtant, tam in cauſis beneficialibus, quam in aliis quibuscunque *(a)* litigioſis cauſis ſacris, vel profanis emanata, vel obtenta valeant, atque poſſint: authoritate Regia ſupradicta irritum decernentes, et inane, ſi quid contra haec per quempiam ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: contradictores denique, et huic Decreto repugnare attentantes crimen laeſae Maieſtatis incurrere, et irremiſſibiliter volumus condigna vltione punire. Quocirca vobis vniuerſis, et ſingulis Praelatis, Abbatibus, Praepoſitis, Prioribus, Guardianis, Capitulis Eccleſiarum Parochialium, et Capellarum rectoribus, aliis etiam cunctis Viris Eccleſiaſticis, cuiuscunque ſtatus, conditionis, et dignitatis exiſtant firmo Regio ſub edicto, nec non ſub paena capitis, et

---

tem ſibi vendicat; ſi cuipiam haec ordinatio diſplicent, et Bullae Sylueſtrinae, cuius nec Werböczius quidem, vt vt Iuris Patronatus vnde vndeconquiſitis argumentis ſolidandi ſtudioſus, haud meminit, fidem deroget, valere poteſt illud, quod laudatus Werböczius, ſeu potius Lex ipſa Tripartiti operis part. 1. Tit. 11. poſtquam dixiſſet. „*Summus ipſe Pontifex nullam iurisdictionem (in Collationibus Beneficiorum Eccleſiaſticorum) exequitur praeter confirmationis auctoritatem*„ ſubiungit §. 4. *ratione legitimae Praeſcriptionis, quoniam Reges Hungariae, a tempore regiminis eiusdem beatiſſimi Stephani noſtri Regis &c. ad haec vsque tempora ſemper in reali, et pacifico vſu, ac poſſeſſione collationis huiusmodi beneficiorum Eccleſiaſticorum plusquam per quingentos annos perſiſtentes tempus praeſcriptionis Iurium Eccleſiaſticorum, etiam S. Sedis Apoſtolicae iteratis vicibus transcenderunt.*„ Haſtenus Werböczius. Si Iuri praeſcripto inſiſtit, Sigismundus non degenerauit a priſca Regum Hungariae in Eccleſiam DEI pietate: quin potius vt magnanimitas, perſpectaque pietas luculentius pateat, audiamus Legis citatae §phum ſubſequentem: „*iſta Libertas Regni, quantum ad beneficiorum collationes, olim tempore Domini Sigismundi Imperatoris, et Regis noſtri, vna cum compluribus libertatibus huius Regni in generali, ac celebri Concilio Conſtantienſi corroborata, iurisque iurandi religione firmata fuit: prout in Bulla ſuperinde confecta clare continetur.*„ nequum itaque Pontificem nactus, ad tollendum dubium ſuae quaeſiuit praeſidium Legis, neque poterat id ſiue Iuri, ſiue pietati tanti Principis negari.

(a) Hic eſt alter articulus, quo irritatior Sigismundus quasuis Romanae Sedis Sententias reſpuere videtur, grauior certe articulus priore: Innocua tamen, et haec indignatio fuit tantis malis exagitati Principis. Primo enim nequaquam omnem Summi Pontificis in Legibus ferendis auctoritatem denegauit, aut ſuo reſeruauit examini, verum diſertis verbis Bullas in Foro contentioſo, et cauſis litigioſis edendas a ſuo prohibuit Regno. Secundo; vbi indignatio deferbuit, absque periculo capitis agebant Hungari cauſas ſuas in Curia Romana. In periodo enim 2da Synodorum Eccleſiaſticarum occurrent (ſi Deus nobis vitam conceſſerit) plura talium iudiciorum exempla. Tertio Cl. Pray litterarum harum enulgator citati operis pag. 97. ordinationem hanc in Legem non abiiſſe ante Mathiam Coruinum, quando nimirum id iam per Concilium Conſtantienſe licuerat, docet; hinc vtique factum eſt, quod in Tabulas Legum publicarum relatae non ſint litterae iſtae. Quarto: quid ſi dixero litteras has Regias nunquam fuiſſe vulgatas? Papa enim Bonifacio IX. non multo poſt fatis cedente, et iam tunc probabilius aegrotante, reſedit vtique ira Sigismundi. Quinto: Et ſi contendas promulgatas, exiſtimo litteras licet latepatentibus, et ampliſſimis verbis conceptas de illis tantum cauſis loqui, quae in Curia Romana praetermiſſis intercalaribus iudiciis inchoabantur; ne gratis haec dixiſſe videar, procul-dubio de illis cauſis conſtituit Sigismundus Legem ſuam, de quibus Concilii Conſtantienſis conceſsio ſonat, haec autem tantum cauſas ſine medio in Curia Romana agi vetat, vti illico videbimus. Hinc ergo ſuapte conſequitur, aut Concilii Conſtantienſis auctoritate reformatam eſſe Legem Sigismundi, aut hanc ſolum de cauſis, in Curia Romana non inchoandis agere. Primum moderni aeui aures vel audire faſtidiunt, alterum ergo concedas, neceſſum eſt. Septimo Litteras Sigismundi Synodi Regiae, ſub Mathia Coruino, anno Chriſti MCCCCLXXI. ſeu Decr. 3. artic. 19. ab omni innouationis nota plene abſoluit: „*nullus penitus Regnicolarum, ſiue ſint Clerici, ſiue Seculares contra libertatem Regni, eua a tempore condam Sanctiſſimi Stephani Regis illibate vtitur, directe omiſſo medio conveſtum, a Curia Romana, contra quempiam impetrare poteſt.*„ Nulla ergo innouatio eſſe poteſt, vbi ſeculorum conſuetudo praeſidium adfert Legi Tandem oſtuo rurſus commendare debemus inſignem Magnanimi Principis pietatem, qua omnem errorem, ſi tamen aliquem admiſit, longe maiori ſeparauit conſpicuae pietatis exemplo, quando nimirum a Concilio Conſtantienſi, legem ſuam firmari fecit, citauimus iam in Diſſertatione de Synodis Regiis Vladislai II. Decr. art. 63. dicentem, *cuia ex conceſſione Venerabilium Epiſcoporum, Presbyterorum &c. olim in Concilio Conſtantienſi conſtitutorum, Regnum in hoc Priuilegiatum eſſe conſtat, quod nullus extrahatur extra illud Regnum ad iudicia authoritate litterarum Apoſtolicarum, niſi cum cauſae aliquae per appellationem &c.*

et priuationis beneficiorum, et rerum ſingularum, praecipiendo mandamus, quatenus a modo deinceps nullas huiusmodi litteras Apoſtolicas, legatorum, Cardinalium, Auditorum, et aliorum quorumuis Iudicum, et officialium Curiae Romanae, nec non citationes, inhibitiones, reſcripta, executiones, et proceſſus, cuiuscunque tenoris exiſtant, tam in cauſalibus beneficialibus, quam in foro contentioſo, ſiue in dicta Romana Curia, ſiue extra per quoscunque Iudices Papales, et Executores emanatas, etcobtenta, recipere, publicare, et executioni demandare quouis modo praeſumatis ſine noſtro conſenſu, et licentia ſpeciali, et aliud ſub poena praemiſſa facere non auſuri. Praeſentes etiam volumus in locis, et aedibus aptis publice facere proclamari. Datum *(a)* Poſonii, Dominico Die in octaua Paschae, anno Domini MCCCCIV.

LXII.
SYNODVS REGIA
ſub Sigismundo, A: C: MCDV. Decretum 2*dum* ſeu minus dicta.



1.*(b)* Primo, quorundam ſubditorum noſtrorum precibus inclinati; libertates infra declarandas ſtatuimus. Quod in omnibus ciuitatibus, oppidis, caſtris, et villis, et generaliter vbicunque intra ambitum Regni noſtri, tam in noſtris, quam aliorum quorumcunque ſint; libra, ſtatera, vlna, menſura vini, frugum, et generaliter omnes res menſurabiles, et ponderabiles menſurentur, et ponderentur, ſecundum menſuram ciuitatis noſtrae Budenſis. Demptis tantummodo menſuris decimarum, et montium tributis, vulgo Hegy-vám, in Theutonico; Pergrecbt: ac lucris, cenſibus, fundis,

---

Quid ſit Maneries?

(a) Poſtquam his notis graues egimus cauſas, animi leuandi cauſa explicare debeo, quid ſit illud, quod Sigismundus Decreto I. ſuper Donationibus Poſſeſsionum infidelium (rebellium) anni 1404. inquit: „*Caſtra, Tenutas, Diſtrictus, Ciuitates, Oppida, Poſſeſſiones, et cunctas Bonorum maneries*„ notarum auctor ait„ meneries vox latinis peregrina. Detorta videtur ex Italico, maniere, quod allodium ſignificat„ vox haec quidem latinis peregrina eſt, indigenatum tamen medii, et infimi aeui docere poteſt, vtpote ciuitate donata. In eo certe errat, quod allodium ſignificare dicat, nescio, vnde id docere poſſit. Originem vocis Italicam eſſe nego; apud Du Cange enim Odericus Vitalis ait: „*Ducentas, et octogintas villas, quas a manendo manerios vulgo appellamus.*„ Sed diuerſa ſunt maneria, manerium, et maneries. Maneria namque eſt villa ruſtica. Manerium tam Gallis, quam Anglis eſt totus circuitus, et Diſtrictus Boni alicuius; maneries denique eſt certum exactionis genus, a Bonorum Dominis percipi ſolitum. Mihi placet ſenſus ille, vt denotet totas Bonorum circumferentias, ſeu vt phraſi, noſtratibus vſitata vtar, honorum appertinentias, tum quia pleraque noſtra a Gallis mutuata ſunt, tum quia ſenſui Decreti vicinior eſt haec interpretatio, qui vniuerſitatem Bonorum ab infidelibus, ſeu rebellibus ablatam innuit.

(b) Eccleſiaſtici habent multis locis menſuram Pap mérö Sacerdotalem dictam, quam etiam

ſundis, et redditibus Presbyterorum, et virorum Eccleſiaſticorum, quos in ſuis, ſtatu, et iuſtitia, quantitate et valore, volumus permanere. Si quis autem contrarium facere praeſumpſerit; incidet in poenam amiſſionis rei ponderatae, vel menſuratae; perdendo, pro parte pondereta, vel menſurata; totam rem ponderandam, vel menſurandam.

2. *(a)* Decreuimus inſuper, quod nullus *(b)* publicus Notarius in cauſis, quae inter duos Laicos vertuntur, ſiue coram Iudice Eccleſiaſtico, ſiue ſeculari, procurare audeat, vel vllatenus aduocare, ſed tantum in Foro Spirituali, ſeu Vicariorum Curiis locum habeat, nec Nobiles, ſeu Viri Eccleſiaſtici, inquiſitiones poſſint facere contra eos.

3. *(c)* Diſpoſuimus etiam de modo, et conſuetudine, ab antiquo ſolitis, obſeruari: Quod Praelati, et quipiam Viri Eccleſiaſtici, cauſas aliquas inter Regnicolas noſtros motas, amodoque, et in antea, qualitercunque, et vbicunque mouendas, et ſuſcitandas, vt puta iudicium ſeculare concernentes; iudicare, et definire minime valeant, neque poſſint. Et e conuerſo, Barones, Comites Prouinciarum, et alii Regni noſtri Nobiles, Ciuesque, et Hoſpites cauſas aliquas, lites, ſeu quaeſtiones Forum videlicet Eccleſiaſticum tangentes diſcutere, et iudicare non debeant, neque praeſumant. Et ſi inter ipſos Dominos Eccleſiaſticos ab vna, parte vero ex altera Iudices Seculares praetaxatos, ſuper aliquibus cauſis in eorum praeſentia vertentibus, circa ipſarum cauſarum Iudicium, cui videlicet ipſarum iudicium pertineat? diſcordia, ſeu diſceptâtio aliqualis extiterit ſuborta; extunc partes eaedem, cauſas, ſeu cauſam huiusmodi, litigioſas, in ſpecialem noſtram praeſentiam, (vbi DEO duce pro tunc fuerimus conſtituti) cum *(d)* Praelatis, et Baronibus dirimendas, transmittere teneantur: vbi decernentes ſanciemus, ad cuius partis Iudicium, ſeu Forum ſpectare debeant, et pertinere cauſae praenotatae.

nouiſſimae Reſolutiones Regiae in ſuo ſtatu relate ad quantitatem reliquerunt, ita vt tantundem, atque alias verum menſura Poſonienſi habeant.

(a) alias 3.

(b) Notarum Corpori Iuris Hung. adiectarum auctor hanc inſictam adſtruit animaduerſionem: „*videtur ſolum loqui de Notariis Eccle-*
De Notariis. *ſiaſticorum Tribunalium, ſed dudum contra Legem hanc praeſcriptum eſt*„ bonus auctor ſui temporis mores prae oculis habuit, ſed errat; nondum enim habebantur Notarii S. Sedium, qui etiam modo iam in pleriaque Conſiſtoriis exoleuerunt, ſed Notarii publici, id eſt Apoſtolici, et Imperiales agebant omnia, quod farago immenſa Rogituum adhuc exſtans docet. De his Notariis inquit Du Cange ex Speculatore titulo de fide Inſtrumentorum, „*id enim Iuris inualuerat, ut Notarius, vel Tabellio, ab Imperatore, vel Papa, vel ab eo, cui hoc ſpeciali Priuilegio indultum erat, ordinatus poſſet vbique, ſuo officio vti, et Inſtrumenta conficere;* atque id neceſſario ſubiungit Du Cange *obſeruandum, quod vulgo quaeratur, cur acta publica in francia, et alibi exarata tam crebro confecta dicantur a Notariis auctoritate Apoſtolica, et Imperiali conſtitutis.*„ Horum itaque auctoritas compescenda erat, ſicuti Carolus VIII. Francorum Rex Edicto anni 1490. in cauſis temporalibus horum auctoritatem penitus abrogauit. Notandum hic in MS. Codice Cittia Bartphenſis coaeuo legem hanc aliter poni, ſic enim habet: „*Decreuimus inſuper, quod nullus publicus Notarius, in cauſis, quae inter duos laicos vertuntur, ſiue coram Iudice Seculari, ſiue Eccleſiaſtico procurare audeat, vel vllatenus aduocare; ſed nec externum teſtimonium inter Ciues locum habeat, nec nobiles viri, nec viri Eccleſiaſtici Inquiſitionem facere poſſint contra eos.*„

(c) alias 14.

(d) Hoc Caput alias eſt 14. confirmantur hic ea, quae in Diſſertatione de Synodis Regiis diſputauimus.

Digitized by Google

LXIII.
SYNODVS REGIA
ſub Sigismundo A: C: MCDV. ſeu Decretum Tertium.

1. Statuimus, et ſtatui fecimus, hoc modo, et ordine iſto, quod Praelati, Barones, Nobiles, ac alterius cuiusuis ſtatus, et dignitatis, ac conditionis homines, in Regno noſtro, ad inſtar exercituantium procedendo, aut aliquibus ipſorum negotiis, ſeu cauſis, verſus noſtram Maieſtatem, aut cum eadem, vel alias vbicunque, et in quibuscunque partibus Regni noſtri procedentes, Fidelibus Regnicolis noſtris quibuscunque damna, ſpolia, iniurias, laeſiones, aut aliqua malorum genera, contra DEVM, et eius iuſtitiam, absque iuris tramite facere, et inferre nullatenus praeſumant: Et ſi quispiam, contra huiusmodi noſtra ſtatuta, quicquam genus maleficii perpetrauerit, exindeque Maieſtati noſtrae, aut alii Iudici ordinario per quempiam querimonia porrecta extiterit, et conquerentes huiusmodi, ſuam querimoniam, euidenti documento comprobare valuerit, extunc dictorum actuum potentiariorum perpetratores, in facto potentiae, eo facto conuincantur. Laeſis autem, et damnum paſſis, Nos, aut Iudex ordinarius, indilate, ſummarie, et de plano, ac ſine ſtrepitu, ac figura Iudicii, exhibebimus, et exhiberi curabimus ſatisfactionem.

2. *(a)* Dispoſuimus etiam de modo et conſuetudine, ab antiquo ſolitis obſeruari: quod Praelati, et quipiam Viri Eccleſiaſtici, cauſas aliquas inter Regnicolas noſtros motas, a modoque, et inantea, qualitercunque, quandocunque, et vbicunque, mouendas, et ſuſcitandas, vt puta iudicium ſeculare, concernentes iudicare, et diffinire minime valeant, neque poſſint. Et e conuerſo Barones, Comites, Prouinciales, et alii Regni noſtri Nobiles, Ciuesque, et Hospites, Cauſas aliquas, Lites, ſeu quaeſtiones, Forum videlicet Eccleſiaſticum tangentes, discutere, et iudicare non debeant, neque praeſumant. Et ſi inter ipſos viros Eccleſiaſticos ab vna, parte vero ex altera Iudices ſeculares praetactos, ſuper aliquibus cauſis, in eorum praeſentia vertentibus, circa ipſarum cauſarum iudicium, cuius videlicet ipſorum iudicio pertineant? discordia, ſeu disceptatio aliqualis extiterit ſuborta: Ex tunc partes eaedem, cauſam ſeu cauſas huiusmodi litigioſas, in ſpecialem noſtram praeſentiam, vbi DEO Duce fuerimus conſtituti, cum Praelatis, et Baronibus noſtris, dirimendam traducere teneantur, vbi decernendo ſanciemus, ad cuius Partis iudicium, ſeu Forum ſpectare debeant, et pertineant cauſae praenotatae.

SY-

(a) alias 12.

LXIV.
SYNODVS REGIA
ſub Sigismundo A: C. MCDXI. ſeu Decretum Quartum.

1. Diſpoſuimus, quod Dicatores decimarum, capetias, ſeu aceruos frugum, ſecundum proprias eorum conſiderationes, et aeſtimationes dicare non praeſumant, ſed domeſticus ille, cuius Fruges dicantur, ſuper hoc iuramento ſolito (facto Dominicae crucis ſigno) praeſtito fateri teneatur, quot et quantas illo anno *(a)* capetias habuiſſet: et ſuper hoc praedicti Dicatores contentari teneantur.

(b) 2. Volumus nihilominus, vt Decimator decimas non ſolutas, vigore, ſeu ſubſidio Comitis, vel Vice-Comitis Parochialium exigere, ſeu extorquere non poſſit, niſi per cenſuram Eccleſiaſticam, Canonica tamen admonitione praecedente. In caſu vero vbi ipſi Dicatores, et axactores, tam praeſcripti Lucri Camerae noſtrae, quam etiam decimarum iam dictarum, contra praemiſſum noſtrum Decretum, in aliquo, vltra modum iam limitatum facere, vel procedere attentarent: Ex tunc idem Comes Parochialis, ac Iudices Nobilium, cum Nobilibus illius Comitatus, in quo hoc agitur, admittere non debeant, et conſentire.

LXV.
*LITTERAE PRAEFATORVM, BARONum, et Nobilium ad Polonos datae, de non fouendis Huſſitis A: C: MCDXXII. *(c)*

Reuerendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Alberto, DEI gratia Epiſcopo Cracouienſi, Regis Poloniae Cancellario, nec non Viris Magnificis Cuſtino Caſtellano, et Ioanni Palatino Cracouienſi, Nicolao Capitaneo Cracouienſi, et Sandominenſi, ac Iacobo Palatino Soadienſi, ceteriſque Baronibus Regni Poloniae, Vniuerſi Praelati, Barones Proceres, et *(d)* Milites Regni Hungariae ſalutem, et Fraternae Charitatis affectum. Reuerendi Patres Domini Fratres, et amici Chariſſimi! Recepimus nuper quaſdam patentes litteras, ſub nomi-

(a) alias 5.

Capecis vnda dicta? *(b)* Non ſatisfacit toties dictus notarum auctor, dum hanc vocem ab hungarico *Kepe* deriuat. melius itaque deduceretur a capere, quia eſt manipulus, qui facile capi poteſt. Et ſane. Innocentius III. non vtique hungaris Libr. 5. Epiſt. 7. ad Colonienſem Epiſcopum: „*inhibemus Sacerdotibus, ne recipiant Capetias aliquas, vel cubulos vini a Regis, vel Reginae conditionalibus.*

(c) Litterae hae perhibent teſtimonium celebratae Diaetae, ſeu, vt nobis loqui placet, Synodi Regiae. Deprompſimus autem illas ex Coaeuo MS. codice Bibliothecae Capituli Poſonienſis, cui Titulus: „*Hiſtoria per Epiſtolas.*„

(d) Patet Nobiles appellari Milites.

nominibus aliquorum veſtrum, et ſub duorum ſigillis Dominorum, quarum tenor ſequitur in haec verba: Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus, Dominis Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, nec non Magno Palatino, Comitibus, Baronibus, Banis, Proceribus, Nobilibus, Caſtellanis, et Dignitariis Regni Hungariae, Fratribus, et Amicis Noſtris Chariſſimis. Albertus DEI gratia Epiſcopus Cracouienſis Regis Poloniae C. Supremus, Cuſtinus Caſtellanus, Ioannes Palatinus Cracouienſis, Nicolaus Capitaneus Cracouienſis, et Sandonienſis, ac Iacobus Suadienſis Palatini, et ceteri Barones, ſalutem Fraternam, Charitatem, et robur amicitiae plenum fide conſeruatum iugiter retinentibus. Reuerendiſſimi in Chriſto Patres, Domini Fratres, et Amici Noſtri Chariſſimi! Pridem ad Noſtras peruenit aures, quomodo forte ex inductione Sereniſſimi Domini Veſtri Regis Hungariae, Subditi Regni Hungariae eiusdem, aduerſus Subditos Regni Poloniae aliqua. Inſidias et Hoſtilitates reputantia niterentur intentare. Et e conuerſo intelleximus etiam, quod iidem ſubditi Regni praefati Hungariae de ſubditis Regni Poloniae, ſimile quid ſuſpicantur inferri nempe R. Patres, Domini Fratres, et Amici Noſtri Chariſſimi! Memores ſumus iugiter Inſcriptionum, et Faederum antiquorum, et nuper in *(a)* Lublovta iterum de nouo initorum, quibus Sereniſſimi Domini Noſtri Reges ſe, et Regna ſua, videlicet Hungariae, et Poloniae ad ſeruanda pacis perpetuae commoda mutuo conſtrinxerunt, quae Faedera et Inſcriptiones nos in Scriniis noſtris condita conſeruamus valde bene, nec credimus huiusmodi Faederibus innitendo quod aliquid finiſtri, ſeu hoſtilitatis vos, et ſubditi Regni Hungariae aduerſum nos, et ſubditos Regni Poloniae debeatis cogitare, ſicut nec nos contra vos et ſubditos Regni Hungariae tale quid moleſti aliquatenus cogitamus. Nam etſi Sereniſſimi Domini noſtri Reges ſe mutuo, aut alter alterum velint inuadere, vos et nos praefatos Sereniſſimos Dominos noſtros Reges debemus, et ex Faederibus, et Inſcriptionibus huiusmodi tenemur commonere, vt contra illa aliqua Faedera, et Inſcriptiones nequaquam vnus alterum inuadendi habeat voluntatem. Et ſi Sereniſſimus Dominus Magnus Dux Lithuaniae nuper Ducem *(b)* Sigismundum Bohemiam expediuerit, hoc neſcimus, cur hoc ipſum fecerit, forte propter Terras ſuas natiuas et Paternas, quas Dominus Rex veſter Hungariae Sereniſſimus per *(c)* Sententiam ſuam nuper Vratislaviae latam ab ipſo alienare conatus eſt, et eas ſibi abiudicare, Dominus tamen noſter gratioſus Rex Poloniae de illius Ducis Sigismundi Bohemiam expediti ne nec conſiliis, neque impenſis ſe ingeſſit, ſed ſemper memor Faederis, et Inſcriptionum antiquarum huiusmodi proprias iniurias leuipendens ſe ad praemiſſa reddidit alienum, et in omnibus punctis, et clauſulis huiusmodi Faedera, et Inſcriptiones hactenus in ſuo robore ſeruauit illabatas, et in antea Diuino merente auxilio ſeruare intendit. Ideo praeſentes veſtras R. Dominationes, Fratres, et Amicos ſinceris petimus affectibus et rogamus, quatenus Sereniſſimum Dominum Veſtrum Regem Hungariae ad hoc inducere velitis et tenere, vt ipſe Faedera, et Inſcriptiones easdem obſeruando nihil hoſtilitatis, et moleſtiae in nobis et ſubditis Regni Poloniae ſaepedicti machinetur exercere. Et nos viceuerſa ſimiliter Sereniſſimum

(a) Anno 1419. nescio cur Caſſouienſis non meminerint Poloni?

(b) Nota Ducem hunc etiam Coributh dicunt, nescio, an Polonis obſcura eſſe potuerit huius expeditionis cauſa, vtpote, cum a Seditiosis Bohemis in Regem poſtulatus fuerit.

(c) Mire ſauebat Sigismundus Cruciferis, pro quibus velut Arbiter, contra Polonos ſententiam tulit anno 1420.

mum Dominum noſtrum Regem tenebimus, et inducemus, ſicut ſemper tenuimus Conſiliis noſtris ad ſimilia obſeruanda. Et quemadmodum nos de nobis Veſtras Dominationes ſecuras facimus praeſentibus, ita et vos aequanimiter ſecuros nos de vobis reddatis ſcriptis veſtris. Datum Cracouiae, Feria ſecunda, poſt Feſtum Sancti Stanislai Pontificis, et Martyris glorioſi. Anno Domini 722. Ad quas quidem litteras respondemus: Quod nos cum deſiderium Pacis erga vos habeamus, non minus tamen causam contra vos et Sereniſſimum Regem veſtrum habemus Querelam, nam ſi vere memores eſſetis Faederis, et Inſcriptionum inter Reges noſtros, et Regna initorum, eaque non tam Scriniis condita quam opere cuſtodita ſeruarentur non vbique, aut nobis Querelae occaſionem nunc daretis, aut ſuſpitionis cauſam haberetis a nobis, a quibus inſidias profecto nullas formidare debetis, qui pugnare palam nouimus non inſidiari. Et ſicut nec terreri poſſumus ſimulationem Belli, ita nec deludere quempiam volumus ſimulatione pacis et amicitiae, ſed cum omnibus Gentibus, et praeſertim cum noſtris finitimis et confederatis intendimus clare viuere, et ſincera fide pacem ſeruare, quae vtique ſtare non poteſt, ſi Faedera aut contra Regem noſtrum, aut contra Regnicolas violentur. Si enim omnium noſtrum, et ſingulorum de Regno Hungariae tenemur Iura defendere, quanto magis debemus Capitis et Regis noſtri iniurias propulſare. legite Faedera, Inſcriptiones conſiderate, quibus ſe mutuo Sereniſſimi Domini noſtri Reges, nosque et omnes ſubditos ſuos adſtrinxerunt, quoniam non ſolum Regna Hungariae, et Poloniae, ſed et quaecunque alia dictorum Regum Dominia et Regna concernunt, quomodo igitur ſeruantur Faedera, ſi Rex noſter in *(a)* adeptione Regni Paterni atque Auitici, et in conſecutione Fraternae haereditatis, ex parte veſtra turbatur, vt taceamus, quod in defenſione quoque Fidei, et perſecutione haereticorum impeditur. nam id forte Pactum a Nuncio Apoſtolico, qui apud vos eſt, remitti ſibi ſperant, hi qui eos armata manu defendunt. Sed dicitis non per Regem P. ſed per Magnum Ducem Vitoldum iſtos conatus fieri, qui nuper Ducem Sigismundum in Bohemiam expediuerit, videat ne ibi eum impedierit, ſed res illa armis, haec noſtris verbis agenda eſt, aſſertisque cauſam ad eam expeditionem iuſtificandam, ideo forte Ducem Lithuaniae iſta tentare, quod Rex noſter Sereniſſimus per ſuam ſententiam arbitrariam nuper Vratizlauiae latam Terras illius natiuas et Paternas alienare ab eo conatus eſt, nos autem cognoſcentes Regem noſtrum, certi ſumus nihil iniuſte voluiſſe eum pronunciare, nec facile errare potuiſſe, cum ex conſilio tot tantarumque Principum ſpiritualium, et temporalium, Comitum, et Baronum, Doctorumque virorum, ac praecipue *(b)* Nunciorum Apoſtolicorum, qui aderant illam ſententiam tullerunt, ſed excuſat forte Ducem Lithuaniae haec excuſatio tam iniuſta, Regem autem veſtrum, et vos ipſos, quorum ille conſilio ſemper vtitur, quomodo excuſabitis, qui Nuntios Pragenſes, et aliorum quos minime ignorabitis eſſe Maieſtati Sereniſſimi Domini noſtri Regis rebelles, qui eſt Dominus eorum naturalis, iteratis vicibus ſuſcepiſtis, retinuiſtis, et honorare tentaſtis, ac mo-

 niti

(a) Alias, ſi Deo viſum fuerit, plura momenta horſum pertinentia producemus; nunc ex Chronico Bartossii ad annum 1422. quo hae Epiſtolae ſcriptae ſunt, adnotare ſufficit: „*circa Feſtum S. Stanislai venit Dux Sigismundus Lithuaniae cum Polonis, bene cum ſeptem millibus Equorum Pragam ipſis ad iuuamen.*

(b) Vtpote Iacobi Spolethanenſis, Ferdinandi Lucenſis Epiſcopi.

niti per oratores eiusdem (a) Euangelica monitione, vt ab eorum conuerſatione abſtineretis, nihilominus non deſtitiſtis, ſed ſemper eos apud vos retinuiſtis, et fouiſtis. In qua re ſi Laici ſecuti fuiſſent exemplum Clericorum, qui ſemper illis praeſentibus ſeruabant Eccleſiaſticum Interdictum, nec nos praeſentem haberemus cauſam querelae, nec vos occaſionem . vobis dediſſetis grauis infamiae. Sed ſicut facta eſſe haec a vobis bona intentione, nam vti non omnes veſtrum inculpamus, ita nec omnes a culpa abſoluimus. Illud autem quomodo poteſt defendi, aut vlla ratione excuſari, quod congregatio Gentium, armorum, quas Dux Sigismundus ſecum adduxit, facta eſt in ciuitate; Cracouienſi, quae eſt Sedes Regis, et cor Regni Poloniae, ne pueris quidem ignorantibus illas congregari, vt in ſubſidium irent eorum, qui ſunt DEO et Regi ſuo contumaces, nec alienigenae quidem erant hi, qui congregabantur, vt, forte ignorarent, quo, aut quam ob cauſam mitterentur. Sed maxima eorum pars erat ex ipſa Polonia, aut ſi qui erant ex Lithuania, tamen Rex veſter Sereniſſimus cum ſit Rex Poloniae, eſt etiam Supremus Dux Lithuaniae, vt non minus teneatur ex Faedere pro Lithuanis quam pro Polonis, an ſufficit pro excuſatione allegare, quod de expeditione Ducis (b) *S. Po.* Rex veſter nec conſiliis, neque impenſis ſe ingeſſit, cum ex tenore Faederum inter Reges noſtros conuentorum teneatur alter, alterius non ſolum damnum, et dedecus prohibere, verum etiam honorem et commodum totis viribus procurare. Sed adhuc ſubeſt facultas, vt quod neglectum, aut forte commiſſum eſt, corrigatur, quatenus inter nos Amicitia vt optamus, et bona Fraternitas maneat, neque enim fieri poteſt, aut decet, vt laborante Rege noſtro pro ſuis Iuribus acquirendis, aut iniuriis vindicandis nos quieſcamus, qui illius iuſtitiam tenemur totis viribus adiuuare. Curate igitur R. Patres, Domini Fratres, et amici noſtri Chariſſimi, vt Dux Sigismundus, qui iuuenili auſu his rebus ſe ingeſſit, quamprimum vna cum exercitu, quem duxit reuocetur, qualiter enim ille ſe gerat, et in obſeruatione Faederum. et in honore, Catholicae Fidei ex litteris quas direxit ad quasdam ciuitates Morauiae, cognoſcere dare ptoeritis, quarum copiam veſtris Fraternitatibus et Donationibus mittimus praeſentibus in interclusſam, vosque ipſos ab illorum peruerſorum de Bohemia conuerſatione, et commertio prorſus abſtinere, qui ſunt DEO odibiles, et humano generi inimici, ne DEI et hominum indignationem contra vos excitetis, nos autem curabimus toto poſſe inducere Sereniſſimum Dominum noſtrum Regem, vt obliuiscatur iniuriarum, et cum Rege veſtro Sereniſſimo bonam Fraternitatem habeat; ſicut et nos vobiscum omnino habere cupimus, niſi ſit ex parte veſtri defectus. Datum C.

LXVI.
SYNODVS REGIA
a Sigismundo A: C: MCDXXXV. de modo Exercituandi celebrata, ſeu Decretum quintum.

Si tanta potentia inimicorum irrepſerit, quod maior foret viribus gentium noſtrarum Imperialium, nec ab inuaſione finium Regni arceri, et prohiberi,

(a) Erant enim haeretici, Donatiſtarum circumcelliones aemulati pari furore.

(b) Lege: Sigismundus Poloniae.

beri, per easdem Gentes noſtras Imperiales, poſſe veriſimiliter viderentur: Extunc Praelati deputati pro defenſione illarum partium, cum ſuis Banderiis et militibus iuxta diſpoſitionem de ipſis factam, et obſeruari conſuetam, nec non Comites ſingulorum Comitatuum, pro earundem partium, vel aliarum guerras habere contingentium, defenſione, modo ſimili deputatorum, ſub Banderio Regali, cum Baronibus, Proceribus, et Nobilibus dictorum Comitatuum, et eorum gentibus, per modum generalis expeditionis exercitualis, viribus coniunctis, et adunatis ſuccurrere debebunt, ad repellendum inſultus hoſtiles ſupradictos.

LXVII.
SYNODVS REGIA
eiusdem anni ſeu Decretum maius ordine ſextum.

1. *(a)* Item ſtatuimus, quod ad faciendas Statutiones, Inquiſitiones, ac Euocationes, et aliosquoscunque Proceſſus, cum hominibus et teſtimoniis Capitularibus, et Conuentualibus fieri ſolitis, quae communiter fidedignitates vocantur, de Capitulis, et Conuentibus perſonae, ſeu homines ſimplices non mittantur: ſed de ipſis Capitulis, Canonici, ad minus autem perſonae in beneficiis, vel officiis conſtitutae; de Conuentibus vero, Monachi Conuentuales, Sacerdotes deſtinentur, qui quidem pro huiusmodi teſtimoniis Capitularibus, et Conuentualibus deputati priusquam ad faciendas aliquas poſſeſſionarias Statutiones, metarum reambulationes, reuiſiones, poſſeſſionarias, et communes Inquiſitiones, transmittantur et procedant, iurare teneantur, vt in eisdem factis fideliter et recte procedant, et veram relationem, ſeu faſſionem faciant. Homines autem Regii in praemiſſis procedentes, tempore reuerſionis eorum, ac faſſionis, ſeu relationis, coram ipſis Capitulis, et Conuentibus fiendis, ſimiliter Iuramentum praeſtare teneantur. Quicunque autem contra ſuum iuramentum, falſum proceſſum, vel falſam relationem feciſſe, repertus fuerit, talis, tanquam falſarius, et periurus, poena amiſſionis beneficii ſui, ſi quod habuerit, puniatur, et inſuper, ſiue beneficiatus, ſiue non beneficiatus exiſtat, perpetuis carceribus mancipetur: Homo vero Regius, ſi in praemiſſis poſſeſſionariis ſtatutionibus, metarum reambulationibus, et reuiſionibus ſiniſtre, vel falſe proceſſerit, in facto periurii poena capitis, et amiſſionis omnium Bonorum ſuorum, conuincatur. Quicunque vero Nobilis per alium, ſeu alios quoscunque mediantibus noſtris Regiis, vel aliis conſuetis litteris, nomen ſuum continentibus, pro homine Regio, cum teſtimonio alicuius Capituli, vel Conuentus, requiſitus onus huiusmodi proceſſus aſſummere, et exequi recuſauerit, in Birſagio conſueto trium Marcarum, per Comitem Parochialem indilate exigendarum, conuincatur eo facto.

2. *(b)* Vt materia discordiae, ſuper facto redemptionis litterarum Capitularium, et Conuentualium, nec non ſuper ſatisfactione viarum, ſeu laborum, teſti-

(a) alias 8.

(b) alias 10.

teſtimoniis Capitularibus et Conuentualibus fienda, hactenus ſaepius ſuboriri conſueta, de cetero ceſſet, et ſuccidatur praeſenti ordinatione, antiquam tamen et laudabilem conſuetudinem imitando: Statuimus, vt omnibus in locis, tam Capitularibus, quam Conuentualibus, pro qualibet Litera Euocatoria per ſe, videlicet, Euocatoria prima, ſecunda, et tertia, in Capitulo, aut Conuentu, ſimul cum eorum Notario, et Scriptore, pro redemptione Literae, recipiantur, ſeu ſoluantur ſinguli denarii viginti quatuor maioris monetae. Item pro qualibet litera Proclamatoria, denarii centum. Item pro qualibet litera Procuratoria denarii viginti quatuor. Item pro qualibet litera Prohibitoria, Proteſtatoria, et aliis ſimilibus, ſi patenter emanatur, denarii viginti quatuor, ſi vero clauſe, denarii duodecim. Item pro qualibet littera Faſſionali emanata priuilegialiter, denarii centum, patenter vero denarii viginti quatuor, clauſe autem, denarii duodecim. Item pro qualibet litera Inquiſitoria, ſiue patenti, ſiue clauſa, denarii viginti quatuor. Item de paribus antiquarum literarum in conſeruatorio requiſitarum, cuſtodi ſeu requiſitori per ſe denarii centum, et pro redemptione literae requiſitae, ſi non habuerit multum de ſcriptura, et patenter confecta fuerit, denarii viginti quatuor: Si vero labor ſcribendi fuerit magnus, et litera priuilegialiter confecta, denarii centum. Item de ſimplicibus tranſcriptis, ſeu tranſumptionalibus literis patenter emamanatis, vbi labor ſcribendi magnus non fuerit, denarii viginti quatuor, vbi autem litera fuerit prolixa, aut priuilegialiter emanata, denarii centum. Item de litera ſtatutoria, in qua contradictio facta fuerit, denarii viginti quatuor. De literis vero ſtatutionalibus perpetuis, in quibus contradictio facta non fuerit, recipiatur redemptio literarum, ſecundum quantitatem Poſſeſſionis, et numerum Seſſionis modo ſubſcripto: Videlicet, de Seſſione vna, duabus, aut tribus, aut quatuor, in toto denarii centum. Vbi autem fuerint vltra quatuor Seſſiones, vsque ad decem, pro qualibet Seſſione denarii viginti quatuor. Vbi vero fuerint vltra decem, vsque ad viginti, de qualibet Seſſione, denarii duodecim. Vbi vero fuerint vltra viginti, vsque ad centum, vsquequaque, de qualibet Seſſione, denarii octo. Item de literis Reambulatoriis metalibus, in quibus contradictio, et euocatio facta non fuerit, denarii viginti quatuor. In reambulationibus autem metalibus in quibus ſimplex conſignatio, vel cum hominibus Regiis, de Curia Regia tranſmiſſis, ſimilis conſignatio, vel finalis metarum erectio, cum iuramento ſuper terram, in forma iudiciaria, aut partibus concordantibus, facta fuerit, pro redemptione literae, denarii quadringenti. Vbi autem partibus in huiusmodi reambulationibus, et demonſtrationibus metalibus discordantibus, cauſa ad Curiam Regiam deducta fuerit, tunc pro redemptione literarum talium denarii ducenti. Item de communi Inquiſitione ordine Iudiciario commiſſa denarii centum. Item de occupationibus Poſſeſſionum, hominum in ſententia, Capitali conuictorum, et rerum ablationibus Iudiciaria comiſſione mediante, fiendis, de rebus ablatis ex antiqua conſuetudine Capitulum habebit decimam partem, pro redemptione autem Litterae denarii centum. Item de aeſtimationibus poſſeſſionariis iudiciaria comiſſione fiendis denarii centum. Item de poſſeſſionariis diuiſionalibus de ſingulis Poſſeſſionibus diuiſis ſinguli denarii centum. Item de expeditoriis iuramentalibus denarii viginti quatuor. Item de expeditoriis iuramentalibus continentibus nomina coniuratorum denarii centum. Item de ſolutionibus pecunialibus coram Capitulis, vel Conuentibus, vel eorum teſtimoniis fieri ſolutis Capitulum,

ſeu

Digitized by Google

ſeu Conuentus decimam, et nonam partem exigere non poſſint, niſi aliquando propter diſcordiam partium in eorum ſacriſtiis, ſeu conſeruatorio, huiusmodi pecuniae depoſitae fuerint, de talibusnempe de iure, decimam et nonam partes recipere poſſunt, ad illius tamen partis rationem, quae cauſam dederit, pecuniae huiusmodi in conſeruatorio reponendae; perſonis autem teſtimonialibus Capitulorum, et Conuentuum pro ſingulis diebus, quibus in itinere fide dignitatis proceſſerint, ſoluantur ſinguli duodecim denarii maiores, ſiue in propriis equis, ſiue in equis cauſantium ambulent, et ducantur: ita tamen quod in victualibus, et expenſis cauſantium, et ipſos ad facta ſua conducentium, ſimul cum equis, et familia eorum, de domo iterum in domum ſemper duci debeant, et reduci.

3. *(a)* Adiicientes ſtatutis ſuperioribus, ſtatuimus, quod nullus Comes, Banus, Waiuoda, ſeu alius officialis Regius, cuiuscunque conditionis denominationis, et dignitatis exiſtat Eccleſias Epiſcopales, Abbatiales, Praepoſitales, et alias quoscunque Regio Iure Patronatus diſponendas, earundemque tenutas, pertinentias, decimas, et poſſeſſiones, intra terminos et limites ſui honoris, ſeu officiolatus, absque ſpeciali mandato Regio, occupare, aut ſe de eisdem partialiter, vel totaliter ingerere praeſumat. *(a)*

LXVIII.

SYNODVS REGIA

ab Alberto celebrata, A: C: MCDXXXIX.

1. Item Alienigenis, et forenſibus hominibus, cuiuscunque Nationis, et Linguagii exiſtant, officia in ipſo Regno noſtro, non committemus: nec Caſtra fortalitia, metas, poſſeſſiones, honores, Praelaturas, Baronatus, Comitatus, vel quascunque Eccleſiaſticas, vel Seculares dignitates, ad tempus, vel in perpetuum extraneis, et forenſibus *(b)* ſed hominibus Vngaris conferemus. Quodque Praelati et Barones, homines extraneos, et forenſes non conferuent.

2. Praelati, et Barones, duas dignitates, honores, Baronatus, ſcilicet Seculares, et Eccleſiaſticas, ſimul tenere non valeant: nec homo ſecularis, ſiue vir Eccleſiaſticus dignitates Eccleſiaſticas occupatiue *(c)* ſeruare poſſit.

3. Quod in Poſſeſſionibus, et Bonis Nobilium, et Eccleſiarum, ſeu quarumcunque ſecularium, et Eccleſiaſticarum perſonarum, violentas exactiones victualium, procurationes hoſpitalitatum, *(d)* et alias quascunque aggrauationes,

(a) alias 11.

(b) Hoc eſt alias quintum Caput. Forenſes idem ſunt, ac extranei dicti ab eo, quod foris ſint, ſic apud Scriptores medii aeui ſuburbium appellatur forenſe burgum, hic forte forenſis ſignificat extraneum, qui non dum defixit domicilium, et quaſi per fora diuagatur. Forenſes.

(c) Hoc eſt alias Caput octauum: pridem cautum eſt Eccleſiaſticis, vt vi et proprio arbitrio dignitates Eccleſiaſticas ſibi non vendicent.

(d) Hoc eſt alias Caput decimum octauum, ex occaſione cuius tantisper de hoſpitalitate differere debemus. Haec duplex fuit, vna ſpontanea, alia neceſſaria. hic de neceſſaris ſermonem eſſe lex ipſa loquitur, quae tamen, vti aliqui putant ex ſpontanea profluxit, videndum ergo primum quid ſit hoſpitalitas; prouti hoſpitale, et hoſpitium eſt domus in qua colliguntur hoſpites, ita hoſpitalitas nil aliud ex vi voris. Quam hoſpitum exceptio, ac eorundem procuratio, ſeu intertentio, docet id textus legis noſtrae in verbis, *procurationes hoſpitalitatum*, hoſpitalitas itaque neceſſaria idem eſt ac Hoſpitalitas.

Digitized by Google

praeter voluntatem inuitantium non faciemus, nec fieri permittemus; nec in domibus et in locis Praelatorum, Baronum, et aliorum quorumcunque ſecularium, et Eccleſiaſticarum perſonarum, pro tractatibus habendis, et aliis quibus-

---

ius *Metatus*, ſeu *giſtii*, *metatus* autem, et *metatum*, et *metatia* promiscue vſurpatur pro hoſpitatione, et hinc metare eſt diuertere, et hoſpitari, et Metator vocatur, qui hoſpitia diſponit, hinc apud S. Ambroſium de opere ſex dierum Lib. 5. Cap. 10. dicitur: „*qui metatores itinera diſponunt, qui duces iter dirigunt:* Floduardus *agmina metator capens loca prouidet apta*, giſtum pariter, et giſta dicitur. nomen a germania mutuatum, quaſi dicerent geſte, vel gaſte quod hoſpitem ſonat: laudat memoratus Du Freſne cartam Philippi Auguſti anni 1184. quae habet exactionem, atque *hoſpitalitatem. quae vulgo giſte appellatur*, ſiue ergo manſionnatica, ſiue Procuratio, caenaticum, comeſtio parata, paſtus prandium appelletur, denique erat exactionis genus, quo ſeculares non minus quam Eccleſiaſtici tenebantur, et ratione feudorum a vaſallis praeſtabatur, neque ſummi duntaxat Principes. ſed minores etiam Domini hoſpitalitatem a ſuis exigebant vaſallis; indecorum quippe videbatur, vt in publica diuerſoria, dum iter faciebant, declinarent, neque dubitare licet ius hoc metatus ex legibus Romanorum eſſe petitum: graue certe onus vaſallis vtpote cum venatoribus, ac etiam ipſis canibus prouidendum eſſet, quare parato aere id redimebant, vti perhibet Codicis Iuſtiniani titulus de metatis, et Epidemeticis Conſtantinus M. ab hac ſeruitute liberas eſſe voluit Eccleſias, et Monaſteria ſicuti videre eſt in Codice Theodoſiano L. 12. t. 2. l. 8. „*neque hoſpites ſuſcipietis*„ non tamen vbique eadem immunitate gaudebant, licet enim tempore Caroli M. hoſpitationes hae Principum ſua non carerent mercede ſaepe ampliſſima, verum tamen et illud eſt, eundem Carolum M. ſeuere idipſum, tanquam ius ſibi debitum exegiſſe; in Italia hoc Ius in Monaſteria grauiter exercuiſſe minores dominos diſcimus ex Agmonio l. 2. miraculorum S. Benedicti Cap. 8. Nobiles Hiberniae quam intemperantes in hoc iure exigendo fuerint docet Concilii Caſſelenſis, anni 1172. Can. 6. hinc errat Thomaſſinus par. 3. lib 1 cap. 40. pag. 115. dicens giſtii, et manſionatici diſciplinam extra gallias via alibi reperiri. quia nec facile alibi tam arcta eſſet Sacerdotii, et Imperii connexio. Videamus ergo de Hungaria noſtra, texamusque breuem hoſpitalitatis hiſtoriam: Temporibus S. Stephani Regis, qui vt Hungaria Regii Nominis, ita et libertatis auctor dicitur ab Andrea II. an. 1222. in praefatione; temporibus inquam Sancti Regis hoſpitalitatis ius viguiſſe, paucae quae extant leges perhibent, lib. 1. cap. 6. *de acceptione exterorum, et nutrimento hoſpitum, iubeo te fili mi, vt bona voluntate illos nutrias, et honeſte teneas ut tecum libentius degant, quam alibi habitent*„lib. 2. cap. 22. de recipiendis hoſpitibus, „*ſi quis hoſpitem cum beneuolentia accipit, et nutrimentum ſibi honeſte impendit; quamdiu ſecundum propoſitum nutritur, non deſerat ſuum nutritorem, et nec ad aliquem alium ſuam deferat hoſpitalitatem*„ a vero non aberrauero, ſi dixero S. Stephanum Caroli M. non aemulatum ſolum fuiſſe, ſed ſuperaſſe exemplum, memoratus enim Rex in Capitulari primo anni DCCCI. Cap. 37. apud Baluzium, Tom. pag. 264. ait: „*praecipimusque vt in omni regno noſtro, neque diues, neque pauper peregrinis hoſpitia denegare audeant, id eſt ſiue peregrinis propter Deum ambulantibus per terram. ſiue cuilibet itineranti, propter amorem Dei, et propter ſalutem animae, tectum et focum, aquam nemo illi deneget. Si autem amplius eis aliquis boni facere voluerit, a Deo ſibi ſciat retributionem optimam.* In Capitulari quinto anni DCCCIII. Cap. 16. „*infra regna noſtra Chriſto propitio omnibus itinerantibus nullus hoſpitium deneget, manſionem, et focum tantum, ſimiliter paſtum nullus contendere faciat excepto prato, et meſſe*„ Rex noſter non ſolum tectum, et focum, aquam hoſpitibus praebere iuſſit, ſed etiam paſtum, hinc enim dicitur lege citata, „*vt peregrinus bene habitus ad alium aliquem ſuam non deferat hoſpitalitatem*„ ſuam procul-dubio deſert hoſpitalitatem, qui ius petendi paſtus habet: duo hinc eruo, Seculares etiam quoad ius debito hoſpitalitatis fuiſſe obſtrictos, multoque magis Eccleſias fuiſſe obnoxias, ſed haec adhuc ad ſpontaneam pertinens videri poteſt. Sub Ladislao neceſſariae hoſpitalitatis a Monaſteriis Epiſcopo et Regi impendendae non obſcurum habemus veſtigium, libro enim primo Cap. 21 ordinatur, „*vt Abbates ſecundum Decreta Patrum in procuratione Epiſcoporum ſuorum, in quorum territorio ſunt, humiliter permaneant*„ ex hoc Capite, diſcimus quid ſibi velit, eiusdem libri Cap. 25. inquiens de Abbatibus: *Regem autem vel Epiſcopum. cum viris, et qualibus ſibi placuerit Abbas Claustrum intrare permittat.* Hoſpitalitatem Colomani tempore vigentem videtur indigitare Decretorum eiusdem Regis lib. 1. cap. 36. de *equo donando Regi in quolibet Comitatu, quando Rex, vel Dux in Comitatum aliquem interuenerit, tunc Megalis* (Megy vel Megye ſignificat Comitatum) *equus exercitualis praeſtetur.* Manifeſtiſſimum iuris huius Documentum praebet Andreae II. articulus 24. quo ſe iure Metatus abdicat inquiens: *nec in domos, nec villas (Nobilium) deſcendemus niſi vocati*, et et *articulus* 15. quo Comitatum ſuum ab hoſpitalitate exigenda arcet: *agaſones caniferi, et falconarii non praeſumant deſcendere in villas ſeruientium*, denique Seculo XV. ineunte ſub Sigismundo videlicet in Synodo Regia anni 1405. Budae celebrata adhuc occurrunt hoſpitalitatis reliquiae articulo 19. *ubi et quando noſtram vel Reginalem claritatem, in aliquam ciuitatum, oppidorum, et liberarum villarum Regni noſtri, intrare contigerit; ex tunc ciues et hoſpites loci illius, in quem ingreſſum fecerimus, noſtrae, ac Reginali Maieſtati victualia apportare ad unum prandium, et caenam, ſi prandium. et Caenam ibidem habere voluerimus; aut prandium, vel caenam tantummodo, ſi non niſi ſemel nos ibidem comeſtionem habere contigerit; abundanter dare, et adminiſtrare teneantur:* vides hic expreſſum, quod Du Cange in iure giſtii adnotat fuiſſe obſeruatum, vt nimirum numerus dierum, quibus giſtium praeſtandum eſſet definiretur, fuitque plerumque trium dierum

huscunque negotiis diſponendis, ipſis inuitis morabimur, aut eos expenſis, victualibus, curruum et ſarcinarum vecturis, Nunciorum et Familiarum, et quorumcunque ad nos pertinentium procuratione, vltra eorum ſpontaneam voluntatem, in aliquo grauabimus, ficut abuſiue, et contra voluntatem eorum, ab antiquo tempore retracto fieri erat inchoatum.

4. Eccleſiae, et Eccleſiaſticae perſonae, a Taxis non diu abuſiue introductis, liberae, et abſolutae relinquantur, ſeruitia tamen Exercitualia, more alias conſueto, facere teneantur.

5. *(a)* Quod Eccleſiaſtica Beneficia, vacatura non faciemus, neque permittemus per ſeculares occupari perſonas.

6. *(b)* Nobiles tam Iobbagiones habentes, quam non habentes, decimas dare non teneantur, antiqua eorum libertate requirente.

7. *(c)* Item, quaecunque Eccleſiaſtica perſona aliquem Nobilem, in praeſentiam cuiuscunque iudicis ordinarii citauerit, vel euocauerit: Et ſi idem Nobilis contra ipſam perſonam Eccleſiaſticam, ordine Iudiciario, in ſententia conuictus fuerit, tunc grauamina maiora incurrere non poſſit idem Nobilis, niſi homagium ſuum, ſcilicet emendam capitis ſui pretioſi, eo modo, ſicuti ipſa Eccleſiaſtica perſona: Et de damnis, tam ex parte Eccleſiaſticarum, quam ſecularium perſonarum, Iudex damnum patienti ſatisfactionem impendere teneatur.

8. *(d)* Item decreuimus, prout etiam per ceteros Praedeceſſores noſtros Reges decretum fuiſſe intelleximus, quod pro funeribus hominum, per aliquem, vel aliquos interemptorum, Archi-Diaconi, ſeu Plebani Parochiales *(e)* pront hucusque de mala conſuetudine fuit obſeruatum, nullam ſolutionem pecuniariam recipere valeant neque poſſint.

 SY-

giſtium; moderatior erat Sigismundus vnius diei paſtu contentus, niſi forte abundantia lege praeſcripta contractum dierum numerum farciat. Quamuis autem lex Sigismundi ciuitates, oppida, et liberas villas Regias ſeruituti huic ſubiiciat, Seculares tamen reliquos, et Eccleſias eidem obnoxias fuiſſe docet lex, quae differendi cauſam praebuit, ait: *enim non grauabimus ſicut abuſiue contra voluntatem eorum* (Nobilium et Eccleſiarum) *ab antiquo tempore retracto fieri erat inchoatum.* Ex hac lege discimus hospitalitatis omnem rationem, quae complectebatur expenſas victuales, curruum, et ſarcinarum vecturas, non ſolum Regiam perſonam, ſed familiares etiam, imo quocunque modo ad Regem pertinentes, non abſimiliter Nuntios, hinc rurſus colligo in Hungaria non minus, quam Franciae Reges habuiſſe ſuos miſſos Dominicos, quod iam alias obſeruandum monuimus.

(a) alias 19.

(b) alias 21.

(c) alias 28. in ſecunda parte huius operis damus Alberti Regis mandatum, quo iubet Praepoſito Scepuſienſi a Nobilibus ſolui decimam, et quidem poſt articulum hunc conditum.

(d) alias 38.

Qui Parochi, et qui Plebani? *(e)* Hoc eſt alias 39. tum in Hungaria, tum alibi inter Parochos, et Plebanos diſcrimen interceſſit honoris, quod etiam ex hac lege patet, non erit inutile id expedire, atque ideo Priuilegium Andreae Regis anno 1293. editum, et a Rmo Domino Mathia Flaskai, Cathedralis Eccleſiae Agrienſis et dignitate, et iurisprudentia, et regulari viuendi inſtituto vere Canonico humaniſſime mecum communicatum huc intexendum duxi, quod tale eſt: *Andreas DEI gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bolgariaeque Rex, omnibus Chriſti fidelibus praeſentes litteras inſpecturis ſalutem in ſalutis largitore. Boni Principis, et Religioſi eſt, Sanctam Matrem Eccleſiam in ſua praerogatiua libertatis conſeruare, et ab his, quae ſunt tributa egentium animarum penitus retrahere manus ſuas. Proinde ad vniuerſorum notitiam harum ſerie volumus peruenire, quod Nos, cum Nobis per quosdam relatum fuiſſet, quod Eccleſia beati Iacobi de Saáros non Plebania, ſed ſemper eſſet Eccleſia Parochialis, et ſuggeſtum Sacerdotale extitiſſet, ac Sacerdos dictae Eccleſiae decimas intra Territorium ipſius Eccleſiae exiſtentes non de Iure, cum ſecundum approbatam conſuetudinem Regni noſtri, non ad Parochiales Presbyteros, ſed tantum ad plebanos pertineat perceptio, percipiat, ipſas decimas Caſtro noſtro voluiſſemus applicare, quia tamen nobis per litteras Patris Lodomerii DEI gratia AEpiſcopi Strigonienſis, et per omnes Barones, tunc temporis nobiscum exiſtentes conſtitit, quod ipſa Eccleſia B. Iacobi de Saáros a ſuae inſtitutionis exordio ſemper extitit Plebania, volumus, et irrefragabiliter definimus, ut quicunque fuerit Plebanus in ipſa Eccleſia de Saáros, percipiat decimas intra limites ſui territorii ſitas. In cuius*

LXIX.

SYNODVS REGIA

ſub Uladiſlao I. in quo votum vouent Hungari de expeditione in Amurathem Turcarum Imperatorem A: C: MCCCCXLIV. *

Nos Wladiſlaus *(a)* DEI gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Croatiae Rex, Lithuaniae Supremus Princeps, et Haeres Ruſſiae *(b)* ad vniuerſorum

rei memoriam perpetuamque firmitatem praeſentes conceſſimus literas duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum per manus diſcreti viri Magiſtri Theodori Albenſis Eccleſiae Praepoſiti Aulae noſtrae Cancellarii Dilecti, et Fidelis noſtri, anno Domini MCCXCIII, tertio Kalend. Auguſti, Regni autem noſtri tertio: Vides magnum diſcrimen poni inter Plebanias, et Parochias, et recte ſi priora tempora ſpectemus. Parochia, ſeu Paraecia licet in graeca origine ſua territorium, et diſtrictum ſignificet, atque ideo iam Diaeceſim iam Metropolim ſeu Prouinciam Epiſcopalem, iam Comitatum, Diſtrictum, Territorium Iudicis deſignet, in ſenſu tamen Eccleſiaſtico Parochia eſt Eccleſia ruralis ſiue forenſis, ne longus ſim duos duntaxat Canones adferam, primus ſit Concilii Agatheoſis, a: c: DLVI. celebrati, Can. 21. *Paſcha, Natale Domini, Epiphaniam, Aſcenſionem Domini, Pentecoſten, et Natalem S. Ioannis Baptiſtae, vel ſi qui maximi dies in feſtiuitatibus habeantur, non niſi in ciuitatibus aut in parochiis teneant,* vides hic ciuitatem a parochiis diſtingui, Canon enim loquitur de oratoriis apud Nobiles ruri agentes, ruri haberi caeptis, iubet ergo ipſos maximis feſtis vel ad ciuitatem, id eſt Cathedram Epiſcopalem, vel ad rurales Eccleſias; in quibus conuentus fit ruricolarum accedere, eodem modo, quo nunc ex veteri diſciplina oratoria admittuntur. Conicilium Aurelianenſe anni DXLIX. Can. 8. *vt in ciuitate, vbi Pontifex Iure humanae conditionis obierit, nullus Epiſcopus ante ſubſtitutionem per ordinem Succeſſoris, aut in ciuitate, aut per parochias ordinare Clericos, aut altaria conſecrare praeſumat,* manifeſtior forte eſt Canon 6. Concilii Aurelianenſis IV. anni DXLI. *Parochiani Clerici a Pontificibus ſuis neceſſaria ſibi ſtatuta Canonum legendo percipiant, ne ſe ipſi, vel populi, quae pro ſalute eorum decreta ſunt, excuſent poſtmodum ignoraſſe,* tenemus itaque Parochianum idem eſſe, ac forenſem, vel ruralem, quod ad intelligentiam Capitis noſtri neceſſario obſeruandum eſt. Iam quod attinet ad Plebanos, et Plebanias. Eccleſia baptiſmalis, quam nunc Parochialem dicimus olim plebs, vel plebes vocabatur ſic in Concilio Pontigonenſi, Cap. 7. *vt ſeculares, et fideles laici, diebus feſtis, qui in ciuitatibus ſunt, ad publicas ſtationes concurrant, et qui in villis, et poſſeſſionibus ſuis ſunt, ad plebem feſtinent.* Angilramus A-Epiſcopus Viennenſis apud Dacherium ait: *Eccleſiae baptiſmales, quas plebes appellant.* Plura vide apud Du Cange voce plebes, plebania vero vti idem ex Kenetti gloſſa ait, eſt aliud genus beneficii, et maius, quam Rectoria, habet ſub ſe capellas, et dignitatem putant eſſe interpretes. Ad rem noſtram plurimum valet Synodus Regia Ticina, anni DCCCL. apud Hard. Tom. 5. Col. 28. cap. 13. *propter aſſiduam erga populum Dei curam ſingulis plebibus Archipresbyteros praeeſſe volumus: qui non ſolum imperiti vulgi ſollicitudinem gerant, verum etiam eorum Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumſpectione cuſtodiant.* Obſeruandum hic Presbyteros per minores titulos habitantes non fuiſſe beneficia ſimplicia, aut Capellanias, ſed moderni aeui Parochias; vt primum tale nomen audis, eosdem incardinatos, adeoque beneficiatos, et quia populi curam habebant curatos fuiſſe ambigere non potes. neſcio autem quid amplius ad notionem Parochi deſiderare valeas. Archipresbyteri iidem erant, ac plebani, patet itaque quomodo ſit intelligendum caput noſtrum in verbis *Archi-Diaconi,* ſeu *Plebani Parochiales,* Plebani ergo hi erant Archi-Presbyteri, aut ſi mauis Vice-Archi-Diaconi, aut etiam Vicarii forenſes, vt iam ad Andream redeamus, talis quoque erat Saároſienſis Parochus, vbi nota duntaxat ſuggeſti non autem baptiſmalis fontis fieri mentionem, denique merito ait Andreas ſecundum approbatam conſuetudinem Hungariae tantum plebanis competere decimas, Bulla enim Paschalis apud Du Cange diſertis verbis illis tantum Eccleſiis, quae Plebes dicuntur deberi decimas indicat. Plebania proprie Eccleſiam baptiſmalem ſonat, Synodus Pontigonenſis anni DCCCLXXVI. cap. 11. apud Baluzium Tom. 2. *Eccleſias baptiſmales, quas plebes appellant ſecundum antiquam conſuetudinem Eccleſiae filii inſtaurent.*

(a) Exiſtimo hunc quoque Ladislaum fuiſſe, vtpote: cum S. Ladislaus quoque Wladislaus a quibusdam ſcribatur, magna conſenſione omnes ſcriptores commendant optimum hunc Principem: Palaeologus Graecorum Imperator, et Iuſtiniano, et Tito aequiparat, Callimachus virtutes ferme ſupra humanum modum habuiſſe ſcribit, In vitis Regum Hungariae Corpori Iuris Hungarici inſertis interrex quidem vocatur, ſempiterna tamen laude memoriaque dignus Princeps dicitur. Viti Arenpeckii Chronicon Auſtricum virum virtuoſiſſimum appellat.

(b) Hoc titulo ſemper vtebatur, ac a Palaeologo quoque honoratur.

Digitized by Google

ſorum notitiam. Dudum in conuentione *(a)* generali Praelatorum, et Baronum, ac Nobilium huius Regni Noſtri Hungariae Budae nouiſſime celebrata pro honore Omnipotentis DEI, ac pro defenſione, et augmento fidei Chriſtianae, et pro bono totius Eccleſiae Catholicae, praeſertim pro liberatione huius Regni noſtri, et partium circumſtantium, quas ipſi Turci multis retro actis annis atrociſſime ſunt perſecuti, et de praeſenti *(b)* perſequi non ceſſant, decernimus firmamus, et ſtabilimus vnanimi *conſenſu (c)* et voluntate totius praedictae conuentionis ire perſonaliter, et nobiscum ducere iſta aeſtate, ſeu anno praeſente exercitum verſus partes Graeciae, et Romaniae, et cum DEI adiutorio totis viribus noſtris laborare ad exterminium dictorum impiorum Turcorum, idque pro maiori rei firmitate iurauimus in manibus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris Domini Iuliani Cardinalis S. Angeli Apoſtolicae Sedis Legati executioni demandare, ad conſolationemque totius Chriſtianitatis hanc noſtram puram intentionem, ac deliberationem noſtris literis, manu noſtra ſubſcriptis, ſignificamus Sanctiſſimo in Chriſto Patri, et Domino Domino Noſtro Papae Eugenio IV. et Sereniſſimis Regibus, et Principibus Chriſtianis, propter quod nemo quoque modo cogitare debet, quin nos tam ſanctam deliberationem, ſolemnem, iuratam, et vbique publicatam velimus, et omnino diſponamus, DEO propitiante ad executionem, et optatum finem deducere. Nihilominus, quia nonnulli propter *aduentum oratorum (d)* Amurati Imperatoris Turcorum fieri poſtulatum adhuc dubitare videntur, an praedictam deliberationem Budae factam, et nunc iuratam exequi velimus, idcirco ad tollendam ex animis quorumcunque huiusmodi de nobis dubitationem, ſeu ſuſpicionem, aut ambiguitatis ſcrupulum, et praeſertim, vt Reuerendiſſimi in Chriſto Patres, et Domini Domini Franciscus Venetus Vice-Cancellarius, et praedictus Dominus Iulianus Supremus Poenitentiarius, Sacrae Romanae Eccleſiae Cordinales, et Apoſtolicae Sedis Legati, nec non Magnifici Capitanei Galearum, tum Illuſtriſſimi Domini Duces Burgundiae, quam Illuſtriſſimi Domini Venetiarum peramplius de ſinceritate, et integritate mentis noſtrae, firmitate noſtri propoſiti, ac obſeruatione noſtrae praeſcriptae deliberationis, et promiſſionis certificentur, et aſſecurentur de conſenſu, et aſſenſu noſtrorum Praelatorum, et Baronum apud nos exiſtentium, tam eorum, qui nobiscum

(a) Bella etiam alias in Diaetis, ſeu Comitiis Regni decreta fuiſſe ſcimus, perpetuoque vſui conforme eſt, inſurrectionem ita vocamus exercituationem in Synodo Regia ſanciri, foedera pacis in publicas Legum tabulas relata habemus in periodo Auſtriaca.

Uladislaus non rupit foedus.

(b) Hinc discimus inducias cum Amurathe initas non fuiſſe, nescio quibus ex argutiis Cardinalis Iuliani reſciſſas. ſi enim perſequi non ceſſebat Regnum Hungariae, quis perfidiae accuſabit Uladislaum? monuit de inſidioſis Turcarum pactis Regem Palaeologus, ſi mala fide monuit Graecus Imperator, errore non perfidia deliquit Rex Hungarus, adde, ſi placet, pacta non dum fuiſſe firmata, hinc ait memoratus Palaeologus de Amurate in Epiſtola ad Uladislaum data, ipſum parare Legatos ſuos pro concludendis, et firmandis conuentionibus, neque illud prorſus nullum argumentum erat, quod Uladislaus, poſtquam tot Principes in belli discrimina conieciſſet, non poterat ob priuata Deſpoti, et Hunyadi commoda inducias paciſci decennales.

Iulianus excuſatur.

(c) Gratis itaque in Cardinalem Iulianum inuidia rupti ſoederis coniicitur, teſtatur id eius oratio a Philippo Callimacho relata, vbi inquit: *contradixiſſem iam tum ab initio, ſed acclinatiores animos veſtros, ad concordiam vidi, quam vt credere poſſem oratione mea ad rem erigi.* Cardinalis itaque Iulianus animos de praeſenti perdurante perſecutione Amurathio, eiusque inſidiis a Palaeologo inſinuatis commotos confirmauit, et inanis Religionia metu abſoluit.

(d) Contra hactenus dicta obiiciet aliquis, adueniſſe oratores; verum eſt, ſtatuta tamen die non aderant, inſidiae nuntiabantur, perſecutio non ceſſabat, quis ergo pacis foedera temerauit?

ad exercitum venire debent, quam eorum, qui in Regno noſtro remanent, in verbo Regio, et honore noſtro, ac ſub fide Chriſtiana, in qua ſanctiſſimum baptisma recepimus, et vitam conſequi ſperamus Domino Cardinali S. Angeli Legato ſpondemus, promittimus, et pollicemur, iuramusque et votum facimus SS. Trinitati Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, et glorioſiſſimae Virgini Mariae DEI Genitrici, ac omnibus Angelis, et Sanctis DEI, et praeſertim beatis Regibus Stephano, et Ladislao, Patronis huius Regni noſtri, praedictam deliberationem noſtram, et promiſſionem Budae factam effectualiter demandare, et infra primam diem Septembris proxime ſequentis, eſſe cum noſtro exercitu ſupra vadum Danubii apud Orſowam, vel apud alia vada, et loca inferiora, et immediate incipere, transfretare, et ſucceſſive continuare effectualiter ſine intermiſſione temporis transfretationem exercitualiter ſine dolo, et fraude, vel alio quocunque excogitato colore iter noſtrum in Romaniam, et Graeciam, et alias partes, quas tenent Turci, in, et circa mare, et facere quidquid nobis eſt poſſibile pro viribus, et potentia noſtra, vt Turci iſto anno expellantur de partibus Chriſtianitatis vltra mare, non obſtantibus quibuscunque tractatibus, aut pactitiis, ſeu concluſionibus, aut Capitulis *trengarum* (a) factis, vel fiendis cum Imperatore Turcorum, vel eius nunciis, ſeu ambaſſiatoribus praedictis ipſius nomine, ſub quacunque forma verborum etiam Iuramento firmatis, vel firmandis, quibus omnibus per hanc praeſentem noſtram promiſſionem, iuramentum, et votum volumus expreſſe et ſpecifice derogare, et derogatum eſſe, ita, vt nullo ingenio, colore, vel praetextu, quoquo modo cogitari poſſit, huiusmodi promiſſio noſtra, iuramentum, et votum infringi, violari, impediri aut differri valeat, vel poſſit. In cuius rei teſtimonium praeſentes literas fieri fecimus, et publicari, ac noſtri ſigilli, quo, vt Rex Hungariae vtimur, appenſione muniri. Datum in Szegedin quarta die Auguſti, anno Domini MCCCCXLIV.

Et Nos Simon de Rozgon Episcopus Agrienſis, Regiae Maieſtatis Supremus Cancellarius, Ioannes Episcopus Varadienſis, Raphael Herczeg de Zegeu, ad Episcopatum Bosnenſem poſtulatus, et Ioannes de Hunyad Vaiuoda Transylvaniae, qui cum praefato Domino noſtro Rege ituri ſumus, promiſimus, iurauimus, et vouimus in forma ſuperius expreſſa.

Et Nos Petrus Episcopus Chanadienſis, Laurentius de Hedervára Regni Hungariae Palatinus, Georgius de Rozgon Iudex Curiae Regiae, et Comes Poſonienſis, Simon de Pálocz Magiſter Agazonum Regalium, Michael Orſzág de Guth Supremus Theſaurarius Domini Regis, Emericus Filius Vaiuodae de Marczal, pridem Comes Simigienſis, Paulus Filius Vaiuodae Bani de Alsó Lindva, Simon Iudex de Onod Magiſter Pincernarum Regalium, Ioannes de Loſontz, Paulus de Hertzeg de Zegen,

Petrus de Reva carpitur.

(a) Uladislao et Iuliano Cardinali id vnum obeſt, quod plerumque ex euentu de rebus iudicare ſoleamus, infeliciter ceſſit bellum, inde concluditur, ergo irato Numine inchoatum fuit, iuſta haec foret ratiocinatio, ſi DEVS hic, aut paenas irrogaret, aut praemia decerneret ſemper, ſi iuſta cauſa ſemper ſuperaret, quoties iuſtiſſima, triſtiſſima clade finem acceperunt, fiunt haec occulto, ſemper tamen iuſto DEI iudicio, non poſſum hic non carpere Petrum de Réva, qui Epitaphium Uladislai in Pontifices perſidum ſuadentes bellum, culpam coniicientes carmine exaratum recenſet: Callimachus illis, qui cladi interſuere, Synchronus lib. 3. paragrapho vltimo ſcribit: „ *Turci Regio corpore inuento, modicae altitudinis columnam, quae hodie quoque viſitur cum inſcriptione rei geſtae in eodem loco ſtatuerant* „ nulla hic conuiciorum in Pontifices iactorum memoria, et quia credat Turcas latino metro didiciſſe mordere, errat in eo quoque Petrus de Réva, quod Corpus Dominicum Turcis in obſidem datum fuiſſe comiſcatur, quod falſum omnino eſt.

Robertus de Thúr Bani *de Macedonia (a)* et Sylueſter de Thorma Comes de eadem, qui in hoc Regno remanemus in ſignum huius noſtri conſilii, et aſſenſus ad praedicta etiam noſtra Sigilla penes ſigillum dicti Domini Regis apponi fecimus. Datum in Szegedino die quarta Auguſti, MCCCCXLIV.

LXX.
SYNODVS REGIA
anni MCDXLVI.

I.

Statutum Regni de ſubſidio ad aemulos Regni excludendos praeſtando.

Praelati, Barones, Proceres et Nobiles Regni Hungariae vniuerſi &c. Vniuerſis, et ſingulis Praelatis Baronibus, Nobilibus, et cuiusuis Status, gradus, et conditionis poſſeſſionatis hominibus: Item liberis Ciuitatibus. tam Regalibus quam Reginalibus in Comitatu Zaboch *(b)* conſtitutis, et exiſtentibus, ſalutem, et mutui amoris incrementum. Cum nos in praeſenti *congregatione (c)* noſtra generali cum omnibus Regnicolis varios labores, et ſummam diligentiam adhibuerimus, quibus poſſemus modum, viam et ordinem inuenire, vt Regni huius aemuli tam *intranei (d)* quam extranei, ſinguli que pacificum ſtatum ipſius Regni turbantes reprimi poſſint, et inde excludi. itaque poſt varios tractatus hanc viam, et ordinem aptiorem pro huius Regni defenſione, et conſeruatione pacifici ſtatus ſui, pari voto inuenimus, et ſine omni diſcrepantia in hoc reſedimus, vt ex toto hoc Regno de ſingulis Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, et Villis tam Regalibus, quam aliorum quorumcunque, qualicunque exeio-

---

(a) Cl. Pray parte 3. Annalium lib. 1. pag. 25. votum hoc Ulaoislai proferens in nota marginali ait: *„haec dignitatis nomina nusquam auias noſtris uſurpata legi. niſi illius Regionis ſubiugandae haec dignitas ab Rege collata fuerit.„* bona venia amici viri dictum ſit. nulla hic Bani de Macedonia noua dignitas comparet, familia enim hominum de Macedonia originaliter Hungara eſt, hinc tanquam talis occurrit anni 1519. art. 39. et familiis Decretalibus ennumeratur, neque hic dicitur. quod Robertus de Thur fuerit Banus de Macedonia; quod ipſa ſubſcriptio docet, *Robertus de Thur Bani de Macedonia*, proculdubio ſcribendum fuiſſet Robertus de Thúr Banus de Macedonia; quid ergo ſibi vult haec ſubſcriptio? nihil aliud, quam quod Robertus de Thur fuerit Bani filius. cuius cognomen erat de Macedonia: exemplum praebeo Palmare, paulo ſuperius ſcribitur, Emericus filius Vaiuodae de Marczal, Paulus filius Vaiuodae Bani de Alſo Lindua. hi ergo omnes erant filii Banorum, quorum nomina baptiſmalia non expreſſerunt, non ergo hic noua dignitas commemoratur, ſed nomen Patris praetermiſit Robertus de Thúr, dices: ſi Patris nomen erat de Macedonia, quomodo ergo filius dicitur de Thúr? nil id nonum maioribus noſtris, cum eiusdem Patris filii a diuerſis Bonis varia haereditarunt nomina, haec ideo a me dicta ſunt, ne Uladislaus ſabulam vrſi pellem praemature vendentis luſiſſe videatur.

(b) Nullum dubium eſſe poteſt eiusdem exempli litteras ad omnes Regni Comitatus emanaſſe, nos has nacti, illas potiſſimum damus ex autographo.

(c) Edidit etiam Zacharias Moſſotſy in corpore Iuris Hungarici acta quaedam Synodi huius Regis, vnde et ipſi non nulla decerpſimus, longe plura ab eo praetermiſſa certum eſt, qualia eſt haec dicatio, ſeu taxatio quorumuis quacunque libertate gaudentium.

(d) Qui ex extraneis Regni aemuli fuerint. obſcurum eſſe non poteſt. Friderici III. et Vlrici Comitis Ciliae molimina ſcienti; intraneis autem Laurentium de Hederwára Regni Palatinum. eiusque aſſeclas diſignari puto. cuius technas Pius II. tunc Aeneas Syluius recenſet.

exemptionis titulo et gradu potiantur ad inſtar lucti Camerae, ſuper ſingulas quinque Portas vnus florenus: Item ſuper ſingulos quatuor Nobiles Iobbagionem non habentes ſimiliter vnus florenus auri dicetur, et poſt huiusmodi Dicationem infra quindecimum diem talismodi floreni ſine omni tarditate, et renitentia per omnes exſoluantur, et manibus Magnifici Domini Iohannis de Hunyad huius Regni Gubernatoris aſſignentur, prouiſurus ipſe cum eisdem de tranquillo ſtatu Regni, et defenſione opportuna. Quapropter veſtras Fraternitates, et amicitias requiſiuimus. et hortamur, quatenus ſtatim receptis praeſentibus, omnis occaſionis colore, et allegatione poſtergatis, ſinguli veſtrum Iobbagiones ſuos, vos autem Ciuitates Liberae Regales ſcilicet et Reginales, nec non Nobiles Iobbagionem non habentes, homines etiam quibuscunque libertatibus vtentes, vosmetipſos iuxta praemiſſam noſtram ordinationem Reuerendo in Chriſto Patri Domino Ioanni Almae Eccleſiae Varadienſis Episcopo, per praefatum Dominum Gubernatorem ad id credito, aut homini ipſius Episcopi per eum putato dicare permittere, et huiusmodi dicata ſecundum formam praemiſſae ordinationis noſtrae infra quindecim dierum ſpatium eisdem extradare, et exſolui facere velitis, et omnino debeatis. Alioquin praefatus Dominus Ioannes Gubernator, et praedictus Dominus Episcopus extradita eis poteſtate ad praemiſſa etiam realiter facienda Vos, et quemlibet veſtrum per occupationem poſſeſſionum et rerum veſtrarum, de quibus praemiſſa non exſolueritis, et alia grauamina opportuna arctius compellent, et conſtringent, volumus etenim vt talium occupationum remiſſio interdum fieri non debeat, quovsque huiusmodi occupatori integraliter decem Marcae exoluentur. Aliud ergo ſub poena praemiſſa facere non auſuri in praemiſſis. Praeſentibus perlectis, exhibenti reſtitutis. Volumus etiam, vt omnes Valachi, et Sclaui quorumcunque ſunt, et exiſtunt, modo praemiſſo dicentur, et ab eisdem irremiſſibiliter dica exigatur, poenis ſub praemiſſis. Datum in Oppido Peſtienſi, in Feſto Corporis Chriſti, anno eiusdem 1446. (Sigillum totius Regni) ex Autographo.

II.

Aliud eiusdem Sinodi Regiae Decretum prout in editis habetur.

(a) Vniuerſi Domini Praelati, et Barones, et quiuis alii Caſtra, Caſtella Fortalitia, Ciuitates, Oppida, Poſſeſſiones, et quaecunque Iura poſſeſſionaria, nec non Episcopatus, Abbatias, Praepoſituras, decimasque, ac quaeuis beneficia, et Iura Eccleſiaſtica per ipſos guerrarum temporibus occupata, et vſurpata remittent, et reſignabunt.

III.

Iuramentum Ioannis Huniadis in eadem Synodo Regia editum.

(a) DE-



(a) alias *adus* articulus.

(a) DEVS ita te adiuuet; Beata Virgo Maria tibi ita miſericordiam impetret, Omnes Sancti ita pro te intercedant, DEI Sanctiſſimum corpus in extremo tuo die ita ſaluti conducat, terra oſſa tua ſuſcipiat, et ſic die tertio non eiiciat, vniuerſum ſemen tuum ita non deficiat, ita in die iudicii Sanctorum DEI vultum conſpicere valeas: in aeterno inferno ita non ſepeliaris, ſicut vniuerſa hoc regeſto contenta in profectum, et vtilitatem Regni conſcripta toto conatu determinate retinebis, nihil in contrarium eorum facies, neque fieri procurabis.

LXXI.
SYNODVS REGIA
Anni MCDXLVII.

Nos Ioannes de Hunyad Regni Hungariae Gubernator, et Dionyſius Cardinalis Strigonienſis, et Ionnes Colocenſis, et Bachienſis Eccleſiarum Archi-Epiſcopi, Andreas Quinqueeccleſienſis, Petrus Vacienſis Eccleſiarum Epiſcopi, Ludislaus Agrienſis, Nicolaus Nitrienſis, et Raphael Hertzeg Bosnenſis Eccleſiarum Electi; Nicolaus Budo *Praepoſitus (b)* Eccleſiae Albae-Regalenſis, Petrus Péch-Varadienſis, et Sigismundus Szekſzardienſis Eccleſiarum Abbates: Comes Ladislaus de Pálócz Iudex Curiae Regiae, Nicolaus de Ujlak, et Emericus de Pelsöcz Waiuodae Tranſyluaniae, Ioannes de Perény Thauernicorum, et Emericus filius Waiuodae de Marczhal Ianitorum, nec non Simon de Pálócz Agaſonum Magiſtri, Georgius de Rozgony Comes Poſonienſis, Sigismundus Groff Segniae, Veglae, et Modruſae Comes, Georgius de Corbavia, Georgius et Thomas de Zelk, Georgigius Ladislaus Thiſsós de Barát-Munoſtra, Ioannes filius Deseö Bani de praedicta Gara, Ioannes de Korogy; Ioannes et Osiualdus de dicta Rozgony, Ladislaus de dicta Pelsöcz, Ioannes Bichkele de Thelotvár, Ladislaus de Neczpall, Paulus de Perény, Achatzius Chupor, Ladislaus Farkas de Lábathan, Emericus de Debrö, Emericus de Demeoke, Osualdus de Buchány, Ioannes de Zoh, Barnabas de Chire, Georgius et Stephanus Soós, Paulus et Ladislaus de Dombó, Georgius de Zeretseny de Mezthenjö, Ladislaus de Szepes, et Benedictus de Thúrócz: Item Petrus de Nagy-Tákány, Stephanus Bocska, Nicolaus de Ztanch, et Petrus Porkoláb de Zemplinienſi, Petrus Zobai, Nicolaus de Fajſz, Emericus Ugron, et Cosmas de Thúr de Sumoghienſi: Ioannes de Kálló, Benedictus de Pazzon, Mathias de Kérch, et Michael de Themenye, de Zabolchenſi, Ladislaus Hervad, Georgius de Baia. Michael de Doboka, Nicolaus Nyakatlan de Baranienſi, Stephanus Perdncz, Michael Barocz, Andreas de Acha, et Dominicus de Bél, de Vesprimien: Andreas Bodó, Ioannes de Solagy, Ioannes de Eadem, et Georgius de Herde, de Thotuen: Nicolaus Szép, Michael Záz, Valentinus Litteratus, et Petrus Magnus de Begyed de Caſtriferrei: Dominicus Haraſz-

Q q q

(a) Cum toties de iuris iurandi formulis quaeſtio mota fuerit, operae pretium eſt illas referre.

Praecedentia Status Ec-leſiaſtici. (b) Veſtigium hoc Synodi Regiae ob res aliquas Statum Eccleſiaſticum concernentes, et animaduerſione dignas horſum tranſcripſimus, inter quae primum adnotari meretur Praepoſitos, et Abbates, quod alias in concluſionibus Diaetarum videre non licet, non recenſeri ſolum, ſed ipſi etiam Palatino proponi.

raſztos, Barnabas Kolyéth, Thomas de eadem, et alter Thomas de Iauka de Békeſienſi: Thomas de Kereſztur, Georgius de Bala, Ladislaus Bajuſz et Ioannes Thibold de Borſodienſi: Petrus de Almás, Mathaeus de Baratska, Michael de Thétetlen, et Ladislaus de dicta Almás, de Albenſi: Ioannes Vághközi, Colos de Néma, Ladislaus de Radvány, et Emericus Litteratus, de Comaromienſi, Petrus de Balsó, Andreas de Lónya, Nicolaus de Beregh, et Priuardus de Vlach, de Beregienſi: Petrus de Majkogy, Georgius Faragó de eadem, Thomas Figh, Witus et Osualdus de eadem, de Werőcze: Sebaſtianus de Koromzó, Benedictus de Alap, Albertus de Barony, et Benedictus de Eujtse, de Iaurinenſi: Paulus de Csernek, Ladislaus de Leſeny, Nicolaus de Lanicza, et Ioannes de Jakowlecz, de Poſega: Georgius de Thombold, de Sytháross, Andreas de Hanja, et Georgius de Wajda, de Sümegienſi, Thomas de Salgó, Andreas de Kakasd-Delne, de Sáros: Sandrinus de Balog, Nicolaus de Szemend, Georgius Fay, Suda de Kazt, et Ladislaus de Gyarmath, de Hontenſi: Sandrinus Csiko de Pomocz, Stephanus de Csib, et *Magiſter Iacobus Decanus (a)* et Canonicus Eccleſiae Budenſis, de Piliſienſi: Stephanus Macha, Osualdus de Eadem, Sigismundus de Zenth-György, et Ioannes de Sárköz, de Toronthal, Nicolaus Rekchi, et Ioannes Dormány, de Heveſſienſi: Honorabilis Dominus Praepoſitus Eccleſiae S. Laurentii, Laurentius de Nagy Volgy, de Bodrogh: Paulus Ispán, Ioannes Septeli, Ladislaus Sároſſi, et Briccius Sárközi, de Zaránd: Ioannes de Zalancz, Georgius Sulyok, Gaspar de Felegyház, et Ioannes Thordás de Bachienſi, Georgius de Zékely, Iacobus de Darocz, Sandinus de Rhéde, et Michael de Lengyel, de Neogradienſi: Iſac de Kátha, Andreas de Irſa, Nicolaus Borſovai, et Nicolaus de Dobos de Peſthienſi: Ladislaus Fügedi, Thomas Thopád, Nicolaus de Méra, et Ioannes de Dobſya. de Abuyvárienſi: Fabianus de Filgevár, Ladislaus de Berenecz, Valentinus Bornemiſza, et Nicolaus Litteratus, de Walkó: Ladislaus Veres, Ladislaus de Ztrécze, Ladislaus de Iske, et Adamus Litteratus, de Vng: Benedictus de Wadas, de Liptó, Salamon de Baragyon, de Barſienſi: Gregorius de Majhény, de Threnchinienſi, Ioannes de Zobonya, et alter Ioannes de Emüke, de Nittrienſi: Nicolaus de Vágh, et alter Nicolaus de Zrák, de Sopronienſi: Nicolaus de Iſaka, et Ladislaus de Böth, de Biharienſi Comitatibus. Item de Regno Sclauoniae, Georgius filius Simonis, alter Georgius filius Iwan, Ioannes filius Witi, Petrus de Firesd, alter Petrus de Zentharaſzt, et Georgius de Magalocz electi Nuncii ad praeſentem conuentum noſtrum per Vniuerſitatem Nobilium Comitatuum praedictorum transmiſſi, *totum corpus (b)* ae idemptitatem Regnicolarum repraeſentantes. Notum facimus praeſentium per tenorem, quibus incumbit, vniuerſis. Quod Nobis in ipſa noſtra conuentione hic Budae celebrata conſtitutis de et ſuper his, quae quieti et tranquillitati tui ipſius Regni noſtri Hungariae vtilia, et commoda eſſent, tractantibus: Cum inter haec, de et ſuper facto huius Caſtri Budenſis, quod condam Magnificus Dominus Laurentius de He-

Eccleſiaſtici ablegati Comitatuum.

(a) Aduerte etiam Eccleſiaſticos pro parte Comitatuum ablegari, quae autem facta ſunt, futuris normam praebent, caſu ſemet offerente poterit exemplum hoc normam praebere.

(b) Vide quae auctoritas in ablegatis huiusmodi reſideat? id non eſt praetereundum, nullos Ciuitatum Regiarum apparere legatos, ſeu Nuncios.

Hedervára, Regni noſtri Hungariæ Palatinus vsque ad exitium, nimirum, vitae ſuae, ex noſtra beneuolentia et collatione tenuit, quodque eodem decedente, Magnificus Emericus Filius eiusdem, pridem Banus Machouienſis hucvsque conſeruauit, mentis noſtrae curas discusſiſſemus, quia in ſerie Generalis Decreti Regnicolarum anni proxime praeteriti *(a)* expreſſum eſt, et declaratum, vt Gubernator huius Regni, Caſtra et Ciuitates Regales, et Reginales intrandi, in iisdemque ſtandi, et morandi liberam habeat facultatem. Idcirco tum huiusmodi inſtitutioni, et Decreto ſatisfacere volentes, tumque aliis reſpectibus, vt puta, pro tutiori conſeruatione eiusdem Caſtri, vnanimiter, et ſana deliberatione voluimus, et ſanximus, vt ipſum Caſtrum Budense manibus praedicti Domini Gubernatoris dari debeat, et aſſignari per ipſum vsque noſtri, ſeu huius Regni liberum placitum, Nobis, et huic Regno fideliter conſeruandum. Cum itaque nos hac de cauſa ipſum Emericum Banum in noſtri medium venire, et accerſiri feciſſemus, eidemque iam dictum Caſtrum Budenſe in manus dicti Domini Gubernatoris dare, et aſſignare debeat, ſtrictiſſime, commiſiſſemus, mox idem Emericus Banus noſtrae communitatis praeſcripto, et voluntati ſe obtemperaturum reſoluit, ac ipſum Caſtrum Budenſe, in manus eiusdem Domini Gubernatoris dedit, remiſit, et aſſignauit tenendum, et conſeruandum. Ideo Nos de vnanimi arbitrio, et voluntate noſtra, et totius Regni ac Regnicolarum nominibus ac perſonis, ipſum Emericum Banum ſuper reſtitutione et reſignatione ipſius Caſtri Budenſis reddidimus, et commiſimus quietum, et expeditum, et omnibus modis abſolutum, harum noſtrarum Litterarum Sigillis. Regni, atque noſtro, ſcilicet Gubernatoris, nec non nonnullorum noſtrorum appenſionibus conſignatum, vigore et Teſtimonio Litterarum mediante. Datum Budae Feria Quarta praedicta proxima poſt Feſtum Exaltationis Sanctae Crucis, anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Septimo.

LXXII.

SYNODVS REGIA
ſub Ladislao Poſthumo A: C: MCDLIII. celebrata, ſeu Regis eiusdem Decretum primum.

Concluſum (b) eſt, quod Dominus noſter Rex extraneis dignitates Eccleſiaſticas, et Seculares, ac honores, et officiolatus, vel perpetuitates conferre non debeat.

 SY-

(a) Inter articulos editos non reperitur vllus, qui hoc decerneret.

(b) Hoc Caput eſt alias tertius Articulus memorati Decreti, quem vnice ad Leges Eccleſiaſticas pertinere cenſemus.

LXXIII.
SYNODVS REGIA
ſub Ladislao Poſthumo A: C: MCDLIV. celebrata, ſeu eiusdem Decretum 2*dum.*

Domini *(a)* Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Praepoſiti, et Capitula, ac Abbates, et alias dignitates, et honores Eccleſiaſticos maiores tenentes, quemadmodum tempore quondam Domini Sigismundi *(b)* Imperatoris et Regis, Aui noſtri, conſueti fuerunt, cum ipſorum Banderiis, ac numero Lancearum exercituare teneantur: ita, videlicet, quod quantumcunque Eccleſiarum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum prouentus per inimicos extitiſſent minorati, iuxta limitationem electorum hominum praedictorum, etiam huiusmodi exercituatio earundem Eccleſiarum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum, cum tanto defectu minoretur: quod etiam aliae perſonae Eccleſiaſticae, dignitates, et honores Eccleſiaſticos minores tenentes, quorum nomina in regeſto noſtro exercituationis ſcripta non exiſtunt, ſecundum conſcientioſam limitationem electorum hominum praedictorum, iuxta quantitatem prouentuum earundem perſonarum Eccleſiaſticarum, exercere teneantur.

LXXIV.
SYNODVS REGIA
A: C: MCDLVIII.

1. Omnes Eccleſiae occupatae, et Poſſeſſiones, et Bona earundem, ac Praelatorum, et Baronum, et Nobilium poſſeſſiones, et portiones poſſeſſionariae ſimiliter occupatae, tempore ſcilicet; quo non fuerunt Octauae iudicialiter celebratae, hoc eſt, a tribus annis, vel citra, remittantur, vsque ad quindecim dies: ita, quod occupatio talis probetur per atteſtationes vicinorum, et commetaneorum, ac Nobilium comprouincialium prout conſuetum eſt in *proclamata congregatione (b)*. Et ſi occupata remittere noluerint, extunc ſine vlteriori pro-

(a) Hic eſt alias articulus tertius memorati Decreti.

(b) Conſtitutio prouocata haſtenus lucem non vidit, forte eſt illa de qua Zacharias Moſoczii poſt Decretum VI. Sigismundi adnotauit, *vltra praeſcripta Sigismundi Imperatoris ſex Decreta propoſitiones de modo exercituandi ſine die, anno, et loco.*

Quid ſit clamor? quid proclamata congregatio?

(c) Quidnam fuerit proclamata congregatio, apud neminem inueni haſtenus, licet alibi hac forma non fuerint celebratae proclamatae congregationes, obtinuerunt tamen alibi quoque, etenim clamare vtique ſignificauit accuſare, querulari, nil crebrius in vetuſtis ordinum ſtatutis, quam de ordine, et modeſtia clamandi, ſeu inuicem accuſandi in Capitulis, qui poſſint clamari, quomodo ſe debeat gerere, qui clamatur, qui haec videre voluerit, legat gloſſarium Du Cange apud Gallos hodiedum dicitur *crier quelque un* clamare aliquem pro increpare, accuſare, hinc clamator lege ſalica cap. 3. §: 6. vocatur quiuis litigator, ſiue actor ſit, ſiue reus, proclamatio ſimiliter accuſationem, querelam ſonat, exemplum dabimus ex Capitularibus francorum, quibus tantopere afficimur. Capitulare de villis, et curtis Karoli M. anni DCCC. cap. 29. „*de clamatoribus, et hominibus noſtris vnusquisque Iudex prouideat, vt non ſit eis neceſſe ve-*

proceſſu, conuincantur in facto potentiae, et Dominus Gubernator poſſit occupari facere Poſſeſſiones, et Bona talis conuicti, et propriam perſonam eiusdem captiuare.

2. *(a)* Item, quod Dominus Rex contra omnes, et quoslibet inimicos, et huius Regni deuaſtatores, hoc Regnum Vngariae, de prouentibus ſuis Regalibus protegere, et defenſare teneatur: ita videlicet, quod ſi idem Dominus Rex, ab inſultibus ipſorum inimicorum huius Regni, cum ipſis Prouentibus protegere non poſſet, ſeu non valeret: ex tunc Praelati, et Barones, ceterique Viri Eccleſiaſtici huius Regni, Banderia, ſeu Gentes ipſorum iuxta *limitationes (b)* diuorum Regum huius Regni in hac parte factas, leuare et inſurgere debeant, et teneantur. Si autem cum eisdem etiam ipſis, inimicis reſiſtere non poſſent, extunc vniuerſi Nobiles, et alterius cuiusuis Status poſſeſſionati homines, exercituantium more, prout aliorum Regum Vngariae temporibus fuit, procedere et exercituare teneantur.

3. *(c)* Item, quod ipſe Dominus Rex, neque dignitates Eccleſiaſticas, neque alios honores, officiolatus, vel perpetuitates hominibus extraneis dare, et conferre valeat.

4. *(d)* Item, quod Iudices Eccleſiaſtici, neque Archi-Epiſcopi, et Epiſcopi, vel eorum Vicarii iudicare valeant, niſi dotes, et res paraphernales, iura quartalitia, factum Decimarum, effuſiones ſanguinum, et verberationes Eccleſiaſticorum, et mulierum, nec non Teſtamenta, et matrimoniales cauſas, ac de periurio, prout in *Canonibus (e)* expreſſum eſt.

5. *(f)* Item, quod nullus omnino hominum de Sacerdotibus, Scholaribus Nobilibus, neque Telonia, neque Decimas, prout vetus Regni requirit conſuetudo, *(g)* exigere debeat.

 SY-

---

aire, et ad nos proclamare.,, ad textum noſtrum illuſtrandum plurimum faciunt ea, quae toties laudatus Du Cauge inquit: *,, proclamatio, querela, iuridica actio, qua quis rem ablatam repetit, noſtris complainte,,* proclamata itaque congregatio nil aliud erat, quam ſedes iudiciaria queruloſa, in qua violentae occupationes penes atteſtationes teſtium ſummarie finiebantur: congregationes hae componebantur art. 29. Decreti Albertii Regis, et Sigismundi Decr. 6. articulo 4. ex Comitibus Parochialibus, quos nunc Supremum Comitem, et Vice-Comites appellamus, Iudicibus Nobilium Comitatus illius, teſtimonio Capitulorum, Vicinis, Cometaneis, ; ac Nobilibus Comprouincialibus, qui omnes litteris Regalibus, vti mos eſt, ad Diaetam conuocare, vocabantur; tam itaque ex promulgatione, quam confluxu queruloſarum actionum proclamata Congregatio audit.

(a) Suo etiam ordine articulus ſecundus.

(b) Has limitationes deperditas dolemus, quamuis nec multum illis iam indigeamus, Praelatis, ac Baronibus ad formam aliorum Nobilium militantibus, ſeu vt phraſi nobis vſitata loquar inſurgentibus.

(c) alias articulus ſeptimus.

(d) alias articulus nonus.

(e) Patet hinc maiorem Hungaris Sacrorum Canonum fuiſſe curam, atque non nemo vellet a nobis credi, imo tanta obſeruantia ferebantur in Canones Maiores noſtri, vt ad cauſas etiam Ciuiles definiendas leges inde deprompſerint, ait enim lex noſtra, trip. parte 2. tit. 6. omnia fere iura Regni huius originaliter ex Pontificii, Caeſareique Iuris fontibus progreſſum habent, hinc vtique ſtatuit eadem lex prologia tit. 9. quoad Ius Canonicum, ſi ſtatutum ſit contra libertatem Eccleſiarum diuturnam, vel priuilegia eis conceſſa non valet, idem dicendum, ſi circa ea ſiunt ſtatuta, quae ſalutem animae reſpiciunt. Canonum reuerentia.

(f) alias articulus decimus.

(g) Recolenda ſunt ea, quae in diſſertatione, de Synodis Regiis diximus de vi conſuetudinis.

LXXV.

SYNODVS REGIA

Mathiae I. A: C: MCDLIX. Zegedini in Vigilia Epiphaniae celebrata. *

Nos Mathias DEI gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. Significamus tenore praeſentium, quibus expedit vniuerſis: quod cum his diebus poſt labores noſtros Regios bellicos, pro diſponendis rebus noſtris, et Regni negotiis per nos conſumptos de partibus inferioribus Regni noſtri in hanc Ciuitatem noſtram Zegediensem feliciter veniſſemus; tandem habita generali *Congregatione* (a) Praelati, Barones, Nobiles, ac de vnoquoque Comitatu *quatuor*, (b) electi cum plena facultate miſſi, totum Regnum repraeſentantes inter alia pro bono ſtatu, et pace, defenſione ipſius Regni noſtri hinc inde concorditer expedita ſunt, exhibuerunt nobis concordi animo, et praeſentauerunt articulos infra ſcriptos, eſiderantes, vt eos, et in eis contenta rata habere, admittere, et nos obſeruaturos promittere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor ſequitur in haec verba:

1. Diſpoſitum eſt, quod Sereniſſimus Princeps Dominus Mathias DEI gratia Rex Hungariae, Dominus noſter gratioſiſſimus *Banderia* (c) ſua pro cuſtodia perſonae ſuae, et tutela Regni ſui iuxta *facultatem* (d) ſuam leuare teneatur, et quod vniuerſa Oppida, poſſeſſiones, et *Prouinciae* (e) regales vbilibet intra ambitum Regoi adiacentia demptis duntaxat Ciuitatibus, et Oppidis illis Regalibus, quae cum eorum *ingeniis* (f) bellicis labores belli ſufferunt, connumerentur, ad numerum ſingulorum viginti Iobagionum modo infraſcripto, et Regia Maieſtas facultatem habeat conſtituendi eos ſub banderio, quo voluerit, bellaturos Praelatorum vero Iobagiones ſub propriis eorum banderiis ſecundum *connumerationem* (g) exercituare tenebun-

tur

(a) Ex MS. coaeuo Ciuitatis Bartphenſis vulgamus Diaetam hanc, ante nos quidem a Cl. Steph. Kaprinai editam, inter Synodos Regias, ſeu Diaetas nondum relatam, neque aliquis dicat Regem Mathiam nondum coronatum noo fuiſſe, et Priuilegia eius a tempore coronationis obſeruari; alia quidem ratio legum, alia Priuilegiorum, ſi tamen id contendas, quid dices de legibus anno 1462. conditis, cum nonniſi biennio poſt coronatus fuerit.

(b) Iam pauciores, iam plures eligebantur Nobiles de vnoquoque Comitatu, neque de eo ſtabilem legem ſcio, vt non dubitem nunc quoque quatuor eligi poſſe.

Banderium. (c) Banderium praeſertim ſi aetas Mathiae Regis ſpectetur, non ſignificat certam aliquam multitudinem, ſeu numerum militum, verum vexillum ſonat, et hinc patet, cur Praelatis, et Baronibus tanquam dignioribus banderia adſcribantur, reliqui enim Nobiles ſub vexillis Comitatus ſtatuebant milites Thurocius Chr. Cap. 18. pag. 232. Nicolai filii Petri de Macedonia victoriam aduerſus Ikach nouellum Regem Bosniae recenſens ait: „*Regi Sigismundo in ſignum victoriae banderia, ſiue vexilla hoſtis, hoſtemque ad modicum captum miſit*, ideo rurſus Cap. L. victoriam Ioannis Vaiuodae enarrans ait: *in ſignumque victoriae multa hoſtis vexilla ſiue banderia regi obtulit*, ſimiliter apud exteros Banderium ſiue vexillum idem erat, eo ſolum discrimine, quod *banderiam* pro *banderium* ſcribant.

(d) Id eſt: prouentus Regios prouti in editis, et deinceps edendis dicitur.

(e) Idem videtur eſſe, ac Diſtrictus, quales plures ſunt in Hungaria: vtpote Iazigum. Cumanorum, Oppidorum Haidonicalium &c. qui procul-dubio Regiarum Prouinciarum nomen merentur, cum peculiari quodam modo Regis ſint.

(f) Machinis bellicis, ingenio, et arte inuenta nomen ſui retinuere principii: patet id ex Tertull. de pallio Cap. 1. vbi poſtquam narraſſet nouum genus arietis Chartaginenſibus admotum fuiſſe, ſubiicit, „*ſtupuere illico Chartaginenſes, vt nouum, extraneumque ingenium videre.* Ingenium.

(g) Hinc videtur conſequi Praelatorum, vtpote etiam ſecundum connumerationem milites ſtatuentium exercituationem in eo ſolum diuerſam fuiſſe, quod propria habuerint vexilla.

tur: Nobiles vero Eccleſiarum exercituare teneantur more antiquius conſueto, et non ſecundum connumerationem.

2. Item Nobiles Regni Sclauoniae ſecundum connumerationem reliquorum Regnicolarum exercituare teneantur.

3. Item quod omnes Praelati videlicet Archi-Epiſcopi, ac *maiores (a)* Abbates, et Praepoſiti, ſicuti tempore quondam Domini Sigiſmundi Regis cum eorum banderiis, et numero lancearum exercituarunt, ita et in preſentiarum exercituare teneantur, minores vero Abbates, et Praepoſiti, Capitula, et Conuentus, ceterique Viri Eccleſiaſtici poſſeſſionati ſecundum connumerationem *Iobagionum (b)* ſuorum modo infraſcripto exercituare debeant. Si qui autem ex ipſis in eorum prouentibus defeciſſent, illi ſecundum quantitatem prouentuum eorum banderia ſua leuare teneantur, quos Dominus Rex videre debeat.

4. Tandem *Barones Seculares (c)* quibus Dominus Rex ad leuanda eorum banderia de prouentibus Regalibus ſallaria dare tenetur, huiusmodi banderia earum cum exercituantibus ex Iobagionum ſuorum connumerandorum reſultantibus integrare non debeat; ſed ipſos exercituantes Iobagionum connumeratorum praeter banderia ſua faciat exercituare, et huiusmodi exercituantes in ſingulis Comitatibus ſub ductoribus belli dare teneantur.

5. Exinde vniuerſi Barones, et Nobiles, ac poſſeſſionati homines, vbilibet intra ambitum Regni conſtituti tam ſcilicet *maiores, (d)* quam minores iuxta premiſſam connumerationem, vtpote de ſingulis viginti Iobagionibus, cenſum Domino ſuo ſoluentibus, cum vno armigere equite bene armato gladio, clipeopharetra, et arcu, vel lancea fulcito exercituare teneantur.

6. Excipiantur tamen Inquilini vulgo 'Sellyér, de huiusmodi connumeratione, atque lucrum Camerae, iuxta antiquam conſuetudinem, et non ſecundum connumerationem premiſſ m temporib. s ſolitis ad numerum portarum dicetur.

7. *Per hoc (e)* quoque Rutheni, Volachi, et Sclaui, qui alias lucrum Camere ſoluere non conſueuerunt, ad ſolutionem eiusdem lucri Camerae non compellantur.

8. Demum Dominus Rex eligat connumeratures Nobiles ex eodem Comitatu, qui connumerationem facere teneantur, recuſantes autem paena quinquaginta marcarum puniat, et *ab eo (f)* irremiſſibiliter exigi faciat.

9. Praeterea Dominus Rex Capitaneum eligat, Comitem proprii Comitatus, vel alium fidelem, quem maluerit, cui dicti connumeratores ipſorum regiſtra aſſignent, atque etiam paria regiſtri huiusmodi connumerationis modo ſimili Regiae Maieſtati dare teneantur.

10. Subinde dum Dominus Rex contra potentiam inimicorum banderium ſuum leuare voluerit, et cum Praelatis, et

(a) Id eſt ampliores, digniores, ditioresque: forte Regales Abbates, et Praepoſiti intelliguntur.

(b) Id eſt: Subditorum. quid quid enim P Szegedi nugetur de vocis origine, quaſi repetita eſſet ab illo a *jobb adny*, quaſi diceres. *hoc melius eſt, vt tu des*, vocis originem non aſſequitur, a dando enim dictos non eſſe clarum fit ex Decreto Andreae Regis, in quo Nobiles ab omni ſoluendi lege exempti Iobbagiones vocantur. Si talibus delectaremur, diceremus potius repeti debere ab his duabus vocibus *jobb*, id eſt: melior, et *á y* quod lectum ſonat, quaſi diceres: melior quies.

(c) Spirituales etiam fuiſſe, ſeu Eccleſiaſticos; deinceps videbimus.

(d) Quinam vocentur maiores diximus in notis ad Synodum Seraphini.

(e) Mallem legere *propter hoc*, ſi tamen *per* legandum eſt, procul-dubio vſu medii aeui ſignificat *pro hoc*, quaſi diceres, *pro eo, quod hactenus non ſoluerint.*

(f) Id eſt: a Comitatu; ſeu per Comitatum.

et Baronſbus ſuis leuare fecerit; tunc vniuerſi regnicolae ſecundum connumerationem praedictam exercituare teneantur, et id *arbitrio (a)* Regis ſubiiciatur, quando erit neceſſarium. Et quod ſi Dominus Rex vniuerſos Comitatus ad tres menſes in toto, vel in parte exercituare iuſſerit, id fiat pro voluntate, et arbitrio ſuo, in *praeſenti (b)* vno anno ad tres menſes tantum.

11. Ex poſt quando Dominus Rex cum Praelatis, et Baronibus ſuis perſonaliter ad exercitum qualemcunque modo praenotato ſua banderia, et dictorum ſuorum Praelatorum, et Baronum leuando proficiſcitur, extunc etiam vniuerſi Nobiles Regni, maiores ſcilicet, et minores, cum eorum gentibus exercitualibus connumeratis perſonaliter cum eodem Domino Rege iuxta conſuetudinem antiquam vsque metas Regni tantum vnusquisque ſecundum ſuum poſſe, ire teneatur, et dum ipſe Dominus Rex de huiusmodi exercitu redire voluerit, regnicolae ipſi cum eodem redire valeant. Si vero vltra, et extra metas huius Regni perſonaliter exercituare voluerit, vniuerſitas Nobilium iuxta conſuetudinem Regni vltra ipſas metas cum eo exercituare non teneantur; ſed gentes ipſorum connumeratae ſub conductu Capitaneorum illac (illuc) quo Regia Maieſtas voluerit, infra dictos tres menſes integros, et non amplius exercituare teneantur.

12. Denique ſi Caſtrum Nandoralbenſe, et alia Caſtra finitima cis flumina Danubii, et Zawe, et in eorum littoribus adiacentia multitudo inimicorum circumuallauerit, et Dominus Rex banderia ſua leuare voluerit, ac Praelatorum, et Baronum ſuorum banderia leuare fecerit, tunc omnes regnicolae perſonaliter ſecundum connumerationem ad defenſionem eorundem Caſtrorum ire teneantur.

13. Item Nobiles, Iobagiones non habentes, iuxta facultatem, et fidelem reuiſionem electorum connumeratorum leuentur.

14. *Simplices (c)* vero et pauperes facultatem exercituandi in perſonis, et rebus non habentes, numero decem vnum pharetrarium idoneum modo praetacto bene diſpoſitum mittere teneantur cum expenſis ad tres menſes.

15. Nobiles vero *inferiores (d)* qui pauciores quam decem habent Iobagiones, connumerentur cum Nobilibus, qui nullum habent Iobagionem, Iobagiones ſiquidem eorum connumerentur cum Iobagionibus aliorum Nobilium vsque ad numerum viginti.

16. Et ſi aliquis Nobilium decem habuerit Iobagiones, perſonaliter ad exercitum ire teneatur.

17. Inſuper, ſi aliqui regnicolarum in diuerſis Comitatibus Iobagiones habuerint, tales Iobagiones legitima reuiſione dictorum connumeratorum electorum connumerentur, et *certificati (e)* venire debeant ad Comitatum, in quo Dominus talium Iobagionum commoratur, et ſub Comite illius Comitatus exercituare teneatur.

18. Exhinc ſi quispiam Nobilium Iobagiones habentium ab aliquo Praelato, vel Barone ad numerum lancearum, aut aliter pecunias leuauerit, extunc exer-

(a) Modo paulo poſt inſinuando.

(b) Exercituationes enim, et inſurrectiones in Diaetis a temporibus S. Stephani ſanciebantur, et ad certum tempus reſtringebantur.

(c) Du Cange ait *ſimplices* accipi pro priuatis ignobilibus, ego puto aequiualere ſingularibus, haec enim promiscue vſurpantur, videtur hungarico *egyes magányos* congruere, illi enim in perſonis non habent facultatem.

(d) Id eſt: pauperiores.

(e) Apud nos certificare idem ſonat, ac citare iudicialiter.

exercituantes ſuos de connumeratione Iobagionum ſuorum reſultantes praeter, et vltra numerum exercituantium ad pecuniam acceptam leuantium teneantur facere exercituare ſub conductu Capitanei illius Comitatus.

19. Deinde ſi homines connumeratores, et ductores belli, ſingulorum Comitatuum in eorum praeſcriptis expeditionibus fraudem, vel fauorem ſiue pactationem aliquam gratia relinquendi aliquos ab exercituatione commiſiſſe reperti fuerint, et in eo legitima certitudo experietur, tales in *homagio (a)* eorum conuincantur eo facto.

20. Item ſi Dominus Rex, ac Praelati, et Barones huiusmodi leuationem exercitus dum neceſſitas euenerit, modo et ordine praenarratis facere non vellent, extunc neque regnicolae praeter formam antiquae libertatis, et decreti exercituare teneantur, compellanturque.

21. Demum quia connumeratores in propriis eorum expenſis huiusmodi connumerationem facere debent ob hoc ab exercituatione perſonali eximantur; de cooonmetatis tamen eorum Iobagionibus exercituare facere tenebuntur.

22. Ceterum nullus regnicolarum tam maiorum, quam minorum aliquam pecuniam cuiuscunque numeri aliquibus Capitaneis, vel Ductoribus belli gratia remiſſionis alicuius de exercitu vel relaxationis alicuius ab exercituatione dare praeſummat; alioquin tam dans, quam etiam recipiens in facto *potentiae (b)* et Summa *Capitali (c)* conuincatur.

23. Item Iobagiones tam regales, quam aliorum quorumcunque, a die quo praeſens conſtitutio in Sede Iudiciaria cuiuslibet Comitatus promulgata fuerit, vsque integram dicti exercitus anni reuolutionem, cauſa commorandi hinc inde non deducantur, quod ſi factum fuerit, extunc Ductor belli ſiue Comes talis Comitatus cum paenis decreti ſex marcarum talem Iobagionem priſtino ſuo Domino reddat ſine omni protelatione, et fauore.

24. Inſuper, quod occupationes poſſeſſionum ſecundum formam Decreti *Peſtienſis (d)* remitti, vel aquiri debeant.

25. Item quia quam plurimi Valachi, Rutheni, et Sclaui fidem Valachorum tenentes ruſtici, qui alias ad lucrum Camerae Regiae numerari aſueti non fuiſſent, tales tam regales, quam aliorum ad praeſentem exercitum connumerari debeant, et inſuper prout et quemadmodum alias exercituare conſueti ſunt, exercituare teneantur.

26. Excipiaotur tamen *Comani (e)*

(a) Homagium hoc apud exteros vocaretur homagium, ſeu hominium in emendam, ſeu pro delicto, aut debito ſoluendo, apud nos eſt certa quaedam ſolutio, ſeu mulcta, aut capitis redemptio, dicitur enim tripartiti operis par. 3. tit. 5. *homagium Capitis eiusdem, et redemptionem nos communiter eſſe tenemus,* eſtque aliud integrum pro perſonarum dignitate varium vnde habetur in textu *homagio ſuo*; aliud medium, quod vivum dicitur.

(b) Id eſt: *violentiae*. haec enim apud nos sequiuslent, cum violentia ſit potentia arrogata, neque apud exteros teſte Du Cange, ignota vocis vſurpatio.

(c) P. Kaprinai putat in redemptione Capitis, ſed errat; ſenſus enim ſecum fert, vt primum tam dans, quam recipiens paenam violentiae luat, ſeu mulctam violentiis ſtatutam ſoluat, dein ſummam ipſam Capitalem, id eſt: ipſam Pecuniam de qua transegerunt, vterque perdat.

(d) Id eſt: noui prioris Synodi Regiae articulum primum.

(e) Cumanos et Iazyges hodie quoque habemus, nemo tamen exiſtimet, hodiernos genus eſſe priſtinorum; oppida enim et poſſeſſiones pene omnes per Turcas, et Tartarus deſolatae fuerunt, noua quae nunc viſuntur loca nouus, et vnde vnde confluens populus inhabitat. Quinam ſint Zingari?
Tartaros ſuspicor eſſe illud genus hominum, quos nunc Zingaros vocamus, in hanc ſuspicionem me induxerunt ſequentia, vtpote, primo bellico vſui deſeruiſſe ipſos patet ex Uladislai a li ſaluo conductu Pharaonibus dato anno Chriſti 1496. et a Cl. Ioh. Fridvalsyki in Metallurgia Tranſylvanica vulgata, vbi dicit Rex, „quia *nos ad ſupplicationem nonnullorum fidelium noſtra-*

Pbiliſtei, et Tartari, qui iuxta antiquam conſuetudinem exercituabunt, ſecundum quod *Saxones.* (a)

27. Item quia Comani, et Philiſtei per officiales Regios de poſſeſſionibus Praelatorum, Baronum, et Nobilium potentialiter abducuntur; itaque in talibus agatur ſecundum quod fuit conſuetudo temporibus antiquorum Regum.

28. Subſequenter Dominus Rex omnes octauas, et breues Euocationes continue iuxta decretum celebrare, et iudicare per Protonotarium, et Iudices deputatos faciat, et non prorogentur, niſi tempore leuationis exercitus ſupradicti, ſecundum formam Decreti Peſtienſis, et ſigillum ſpecialis praeſentiae ſuae dandi ad conſeruandum cui maluerit, cum idem ſuae Maieſtatis eſt, habeat facultatem.

29. Item ſeruientes Nobilium videlicet aratores, *fabri*, *Praediales*, *et Sartores* (b) victum et amictum de curiis Nobilium habentes, ad connumerationem praedictam con computentur, etiam ſi Nobilis eſſet Prouiſor Curiae quorumcunque Nobilium vna perſona Nobilis ab ingreſſu exercitus ſupportetur.

30. Sed et *Seneſca'i*, *Dapiferi* (c) Pincernae ſupportentur in propriis perſonis.

31. Et quia Caſtra Regnicolarum ſine prouiſione relinqui non poſſunt; igitur Caſtris in eiſdem ſecundum neceſſitatem eorundem iuxta aeſtimationem connumeratorum electorum Caſtellanus, vel Ca-

---

rum propterea factam, Agilem Thomam Poledr Waiuodam Pharaonum vna cum aliis Pharaonibus ſub viginti quinque tentoriis in conductu, ſeu comitiua vagantibus ab aliorum Waiuodarum Pharaonum in hoc Regno noſtro Hungariae vagantium contubernio, et ſocietate ſegregauimus, atque pro faciendis globulis pixidum, ſiue aliis inſtrumentis ad vſum belli neceſſariis ad ſeruitia fidelis noſtri Rmi in Chriſto Patris Domini Sigismundi Episcopi Quinque-Eccleſienſis deputauimus, ſecundo Zingaros iam pro Iamaelitis, iam pro Agarenis habitos pariter ſcimus, hoc ipſum conſtat etiam, de Tartaris, ſic apud Du Cange Chronicon S. Medardi Sueſſionis ait de Tartaris, *a quibusdam vero peritis creduntur eſſe Hismaelitae*, id eſt filii Iamaelis, quem habuit Abraham ex Agar ancilla ſua, quos Dauid vocat Agarenos.

Saxones quomodo militabant? (a) Qualiter exercituauerint Saxones vtrumque colligitur ex Priuilegio Szathmár Némethienſium ab Andrea Rege a: c: 1230. elargito, cuius verba ad rem facientia damus, *chariſſimi Progenitoris noſtri Regis Belae, nec non Baronum noſtrorum ducti conſilio dilectis et fidelibus noſtris hoſpitibus Theutonicis de Zattbmár Némethi iuxta fluuium Zamor reſidentibus, qui ſe dicebant in fide Dominae Reginae Geyſle ad Hungariam veniſſe, talem dedimus, donauimus, et conceſſimus libertatem, quod more Saxonum villicus ipſorum ormatus cum quatuor perſonis ſagittariis nobiscum exercituare teneatur.*

(b) Varii connoentionati hic recenſentur, quos etiam modernus vſus eximit a militiae oneribus, varia eorum recenſentur munia, alii quippe erant aratores, quod nomen quidem omnibus ruricolis medio aeuo commune erat, hic ſonat illos, quos nunc mercenarios hungarice *béres* vocamus, alii erant Fabri, alii Praediales, ſeu allodiatores, alii denique ſartores; vſu venit enim apud noſtrates omnis generis opifices domi ſuae habere, cum potiſſimum longe a Ciuitatibus degerent.

(c) Aliis Seneſcali, vel Siniſcalchi iidem alias qui Dapiferi, obtinuit hoc officium non ſolum apud Principes, Reges, et Imperatores, ſed etiam apud priuatos, quare etiam Seneſcalli communes audiebant, en iterum aliquam cum moribus Francorum affinitatem in lege Alemannorum; ſiue Capitulari ſecundo Dagoberti Regis anni 630. tit. 79. § 3. *ſi alicuius ſeniſcalcus, qui ſeruus eſt, et dominus eius duodecim vaſſos infra domum habet, occiſus fuerit, quadraginta ſolidis componatur.* Seneſcalci praeerant toti familiae domeſticae, et hinc licet Dapiferi nomen veluti Synonimum Seneſcalci efferant, ſcriptores, in ambitu tamen muneris videtur diſcrimen interceſſiſſe iuxta illos verſus Ebrardi Brunienſis: *Eſque ſeneſcalcus cuius ſit, ſub Duce iuſſus, Praeſentat Dapifer epulas, cocus excoquit illas*, Seneſcalcus itaque videtur fuiſſe, qui nunc Praefectus Aulae, Dapifer qui Praefectus Culinae. Pincernarum quoque vſitatum reperimus officium apud Barbaros aeque ac Romanos, dictum vti voluit Ioannes de Ianua quaſi *cernens penum*, id eſt cellarium, cui nempe et vini conſeruandi, et Domino praebendi cura incumbebat: habemus quoque id genus officii in domibus noſtris. Ex his omnibus officiis, et variis generibus famulorum iuuat morem francorum noſtris ſimilem diſcere ex Capitulari Caroli M. de villis ſuis dato antequam fieret Imperator Cap. XLV. „*vt vnusquisque iudex in ſuo miniſterio bonos habeat artifices, id eſt, fabros ferrarios, et aurifices, vel argentarios, ſutores, tornatores, carpentarios, ſcutatores, piscatores, accipitarius - - - - ſaponarios, ſiceratores, id eſt, qui cereuiſiam vel pomatium, ſiue piratium, vel aliud quodcunque libamen ad bibendum aptum fuerit, facere ſoleant, piſtores qui ſimilas ad opus noſtrum faciant, retiatores, qui facere retia bene ſciant ad venandum, nec non et reliquos miniſtros, quos ad numerandum longum eſt.*

Seneſcali Dapiferi Pincernae

Digitized by Google

Caſtellani relinquantur: ex duobus enim Caſtellanis vnus remittatur, alter exercituare compellatur.

32. Praeterea ſunt plures Nobiles, qui quodammodo ſtatum Baroniae, ſeu alium honeſtum ſtatum vltra ceteros Nobiles habent, tales pro honeſtiori ſtatu ſuarum vxorum Nobiles in numero iuxta aeſtimationem dictorum connumeratorum in domibus ſuis relinquere poterunt; omnium tamen talium Caſtellanorum, et Nobilium Seneſcalci Dapiferi, Pincernae, Prouiſoris Curiae per connumeratores autem connumerationem in huiusmodi eorum officio repertorum, ex quacunque cauſa domi remanentium Iobagiones connumerentur per connumeratores praenotatos.

33. Inſuper Magiſtri Protonotarii, et ſex Aſſeſſores iurati iudicantes, et Procuratores Regii exercituare non teneantur; ſed quilibet eorum pro ſe mittat vnum pharetrarium, et quod eorum Iobagiones connumerentur, atque *Iudicialium (a)* ab ingreſſu exercitus non *remittantur (b)* ſed exercituare teneantur.

34. Item ex pluribus Fratribus in vno victu exiſtentibus vnus eorum pro aliis exercituare poſſit, et quamuis ſtipendium receperit per hoc Fratres ſui non ſint exempti a praeſenti exercituatione; ſed vnus eorum exercituare teneatur modo praemiſſo.

35. Ceterum nullus exercituans in domibus Nobilium quorumcunque deſcendere auſus ſit, niſi affuerit (adfuerit) voluntas illius Nobilis.

36. Et quod omnes exercituantes vniuerſa victualia in deſcenſibus ipſorum, ſecundum priorem curſum victualium, in quo vendebantur, priusquam exercitus illac veniret, vsque ad locum deputatum vbi conſtitui debebunt, emere, et comparare teneantur: conſtituti tandem in loco deputato ement, et comparent victualia quo poterunt pretio.

37. Vbi autem prout hactenus ſunt conſueti, ipſa victualia ſine ſolutione quispiam acceperit, extunc tam deſcendentes in domibus Nobilium praeter voluntates eorum, quam victualia diripientes iuxta formam Decreti Peſtienſis puniantur.

38. Item quicunque Regnicolarum exercituantium cuiuscunque ſtatus, et praeeminentiae exiſtat, Nobilis ſcilicet et ignobilis de exercitu ſupradicto clandeſtine, vel aliter qualitercunque receſſerit, talis omnia bona, et caput amittat, eo facto, absque tamen paena Domini talis recedentis, Si fuerit idem ſine dolo, et fraude, ſuper quo idem Dominus ipſius recedentis praeſtare debeat iuramentum, quod receſſit ſine voluntate ſua.

39. Deinde *Viduae (c)* Orphani, debiles, ac membris orbati, ſenes, pueri, et alii quilibet, qui tali defectu tenentur, qui perſonaliter exercituare non poſſunt, tales non teneantur exercituare; pro perſonis eorum tamen propriis ſinguli eorum mittere teneantur, quorum etiam Iobagiones, ſicuti ceterorum connumerentur.

40. Tandem Regnicolae teneantur poſt admonitionem Literarum Regiarum infra viginti quinque dierum ſpatia ſecundum connumerationem inſurgere, et illuc, quo Rex iuſſerit, procedere, ita, vt ipſo vigeſimo quinto die, in loco deputa-

Rrr 2

(a) Noſtrates monere non debemus de ſignificatione vocis huius, ſed cum ſperemus exteros quoque hanc lucubrationem noſtram lecturos, inſinuamus, eſſe vſitatam nobis coniunctionem vocum, notareque *iudicem Nobilium*, qui Nobilium cauſas plerumque minutiores definit.

(b) Id eſt: non relaxentur, non releuentur. ab onere exercituandi, et merito, Nobilibus enim ad exercitum abeuntibus ceſſat eorum officium.

(c) Qui has leges cum ſubſequis Ludouici 2di contulerit, non dubitabit has illis praeluxiſſe.

Digitized by Google

putato conſtituantur, et a die illa, in qua illinc conſtituentur praefati tres menſes debeant computari.

41. Item quod a feſto Circumciſionis Domini proxime praeterito vſque ad aliud feſtum Circumciſionis Domini in alia reuolutione annuali ventura, et non vlterius Regnicolas Dominus Rex ad leuandum exercitum connumeratum compellat.

42. Praeterea ſi tam magna potentia inimicorum contra hoc Regnum veniret, quod Dominus Rex cum ſua potentia, ac Praelatis, et Baronibus ſuis, et exercituatione praemiſſae diſpoſitionis dictorum inimicorum potentiae reſiſtere non poſſet, extunc Vniuerſitas Regnicolarum per ſingula capita cum equibus, et peditibus eorum inſurgere, et penes Dominum Regem exercitualiter venire debeant tamdiu, donec neceſſitas exposceret.

43. Poſtremo ſi aliquis *Baronum Spiritualium (a)* vel Secularium noſtrorum Regnicolarum maiorum vel minorum praemiſſa facere non vellet, notam perpetuae infidelitatis incurrat, ſed heredes eiusdem propter huiusmodi notam infidelitatis Ius proprium non amittant, nec propter hoc iidem heredes infideles habeantur.

Nos igitur acceptis articulis praenotatis, maturaque ſuper eius deliberatione praehabita, eos et omnia in eis contenta, cum ad vtilitatem Reipublicae *(b)* commodumque Regni noſtri, ac praecipuam defenſionem eiusdem ab vniuerſis hoſtibus vtiliter, et integerrime complecti videantur, rata habuimus, et admiſimus, omnesque eos, et ſingulos eorum, inuiolabiliter obſeruare, complere, et exequi. In quorum omnium teſtimonium praeſentes Literas noſtras Vniuerſitati Praelatorum Baronum, et Nobilium Regni noſtri duximus concedendas. Datum Zegedini praedicta in congregatione generali in Vigilia Feſti *Epiphaniarum (c)* Domini anno eiusdem Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo nono.

LXXVI.
SYNODVS REGIA
Mathiae I. A: C: MCDLXII.

Cauſae *(d)* Forum Spirituale concernentes.

1. Omnes Cauſae circa Myſteria, et defectus Sacramentorum.

2. Item Cauſae in facto Fidei, et cauſae haereſum, *(e)* ſeu ſuſpectorum de haereſi.

3. Item Cauſae Teſtamentariae, et earundem acceſſoria.

4. Item Cauſae Matrimoniales, et acces-

(a) Iam ſuperius monuimus Barones Spirituales quoque fuiſſe, quod ex his liquet.

(b) Hinc non infertur Rempublicam ſtricte talem fuiſſe voquam Regnum noſtrum, hoc loco enim nil aliud ſignificat, quam ſi diceres ad vtilitatem publicam, ſeu rei communis.

Feſtum Epiphaniarum. *(c)* Epiphania eſt manifeſtatio latinis, triplicem autem Saluatoris noſtri recolimus manifeſtationem die illa factam; dum nimirum a Magis ſtella duce adoratur, dum in Iordane baptiſatur, dum in Cana Gallileae vino facto ex aqua primum ſignum fecit Dominus, hinc recte vocatur feſtum Epiphaniarum, ſeu manifeſtationum Domini; tribus enim his miraculis, quibus dies ornata recolitur manifeſtatus eſt Dominus.

(d) Hic eſt alias articulus tertius.

(e) Hac vtique lege ſtabilitum eſt in Hungaria Officium Inquiſitionis Sanctae Fidei, de quo alias plura.

Digitized by Google

acceſſoria earundem: ſpecialiter autem, dotis et rerum paraphernalium, donationum propter Nuptias, et Iuris Quartalitii, ſi non intentetur pro haereditate poſſeſſionaria adipiſcenda.

5. Item Cauſae Decimarum realium, et *perſonalium* (*a*) et acceſſoria earundem.

6. Item Cauſae vſurarum.

7. Item Cauſae *Viduarum*, (*b*) et miſerabilium perſonarum, ſi non agitur pro Poſſeſſionibus, et Praediis adipiſcendis.

8. Item Cauſae Fidei violatae, et omnium periurorum, et cauſae, quarum finis tendit ad correctionem pro peccato.

9. Item omnes Cauſae, in quibus quis incidit in ſententiam excommunicationis, *hominis* (*c*) vel canonum.

LXXVII.
SYNODVS REGIA
Mathiae primi ſiue Decretum II.
A: C: MCDLXIV.

1. (*d*) Viri Seculares, contra Viros Eccleſiaſticos, in nullo facto, in lite ſeculari poſſunt magis aggrauari, quam viri Eccleſiaſtici aggrauarentur, contra ſeculares.

2. (*e*) Praeter factum teſtamenti, matrimonii, dotum, et rerum paraphernalium periurii, verberationis, et ſpoliationis clericorum, et mulierum, ac praeter illas alias cauſas, quae profanae non eſſent, in foro Spirituali nulla cauſa tractetur.

3. (*f*) Decimae ſoluantur in omnibus, et ſingulis Comitatibus ſecundum modum, quo vnusquisque cum Praelato ſuo ſuperinde haberet, vel feciſſet, aut deinceps faceret diſpoſitionem. In quarum exactione, et ſolutione, teneatur diſpoſitio, et Decretum Domini Sigismundi Imperatoris et Regis: Ita tamen, quod ſi ad requiſitionem Dicatorum et Decimatorum ruſticus iuraret, et Dicator huiusmodi iurato crederet, non amplius, niſi iuxta iuramentum iurantis dicare valeat, et vbi dicator iurato ruſtico non crederet, liberam aceruum examinandi habeat facultatem: Qui ſi plus inuenerit, ſuperfluitatem auferre valeat, ſi autem iuxta verbum ruſtici repertum fuerit, pro indebita reuiſione Acerui vnus florenus auri per Dicatorem ruſtico ſoluatur,

(*a*) In Diſſertatione de Synodis Regiis vberius expoſuimus, quaenam ſint decimae perſonales, hic obſeruari volo decimas has adhuc Seculo 15. in vſu fuiſſe.

(*b*) Viduarum et miſerabilum perſonarum quantum Epiſcopos a exordio naſcentis Eccleſiae, et multo magis poſt pacem Eccleſiae redditam occupauerit, docet S. Auguſtinus inquiens: „*ſi tibi rationem reddere poſſem impenſi temporis, et laborum omnium, quos ſuſcipere coactus ſum, admiratio haud dubie, ſimulque commiſeratio te tangeret, quod tanta negotiorum mole obruar, nec tamen his me ipſum liberare liceat*,, ſi quis autem cauſas has a foro Spirituali abſtractas dolet, audiet Syneſium Epiſcopum Conſtantinop. Epiſt. 121. ſcribentem: „*Si Deo vobis opus eſt, ad Epiſcopum recurrite, veri Sacerdotii finis eſt contemplatio, quam actio, et negotiorum turba excludat, ego quidem Epiſcopos illos non damno, qui curis Secularibus implicantur, ſed cum me vni oneri vix ſufficere credam, illorum robur, qui vtrumque poſſint admiror.*

(*c*) Intellige ſententiam excommunicationis a Iudice ferendam, vel a Canone iam latam, haec enim incurritur, alia infligitur.

(*d*) alias 14.

(*e*) alias 17.

(*f*) alias 24.

uatur, quem ſi Dicator ſoluere recuſaret, ruſticus auferre valeat Equum Dicatoris ſeu Decimatoris.

4. *(a)* Diebus Dominicis, et in Feſtiuitate Beatae Mariae Virginis, in hoc Regno noſtro, et eius partibus nullum forum celebretur: exceptis duntaxat, propter binas cauſas, foris Dominorum Archi-Epiſcopi Colocenſis, et Epiſcopi Varadienſis, quae in Bonis eorum celebrantur.

5. *(b)* Poſtremo, ſi tempore exercitus, vel alias quandocunque aliqui in domibus, et curiis Nobilium, aut perſonarum Eccleſiaſticarum, praeter voluntatem eorum deſcenderent, aut Eccleſias confringerent, tales euocentur ad octauas, cum iuſinuatione, ex parte quorum, ſi Agens voluerit, non aliter, niſi mediante via communis Inquiſitionis impendatur iudicium, et iuſtitia. Similiter ex parte illorum, qui tempore exercitus facerent damna, pro ablatione rerum talium, iudicium impendatur.

LXXVIII.
SYNODVS REGIA
Mathiae I*mi* anni MCDLXVII. de ſubſidio aduerſus Turcas.



I.
Sublata Triceſima ordinatur Vectigal S. Coronae. *

Matthias Dei gratia Rex Hungariae, &c. Fidelibus noſtris circumſpectis, Iudici, Iuratisque Ciuibus, et toti communitati Ciuitatis noſtrae *Eperies(c)* Salutem et gratiam, cum nuper videlicet in praeſenti Quadrageſima Praelatos, Barones, et Nobiles Regni noſtri, vndique ad nos in hanc Ciuitatem noſtram Budensem *conuocaſſemus (d)* et propoſuiſſemus eis, in quantis neceſſitatibus Regnum noſtrum propter tot hoſtiles omni ex parte incurſus verſaretur, oſtendiſſemus etiam quod non ita bene intendere poſſemus ad communem ſubditorum noſtrorum defenſionem, ob magnos et multiplices prouentuum noſtrorum regalium defectus. Quae cum praefati Domini, et Nobiles intellexiſſent, ad hoc vt publica defenſio melius deinceps per nos agi poſſit, et ipſi in eorum libertatibus praeſeruari valeant, circa dictos prouentus noſtros de conſenſu noſtro certam conſtituerunt reformationem, eligendo nihilominus ex ipſis cer-

(a) alias 25.
(b) alias 28.
(c) Ad reliquas quoque Ciuitates, Comitatus, et diſtrictus ſimilia emanaſſe mandata dubium nullum mihi eſt, quod exemplum nacti ſumus, hoc damus, et quidem ex autographo Ciuitatis Eperjeſienſis, quod ſcriptum eſt in carta.
(d) Diaetam ſeu Synodum Regiam fuiſſe ex ſtatuto ipſo patet, vtpote cum talia non niſi in publicis Regni conuentibus expediri ſolerent,

certos huiusmodi ordinationis executores. Inter cetera vero id exſtitit diſpoſitum, vt ea, quae hactenus Triceſima vocabatur, nonnullis rationabilibus de cauſis penitus impoſterum aboleatur, annuletur, et ceſſaret, ſed loco eius alia quaedam exactio inſtitueretur, *Vectigal* *(a)* Coronae perpetuis futuris temporibus appellanda, in cuius perpetuitate pariter et vſu fructu, nemo vnquam praeter noſtram Maieſtatem, et Succeſſores noſtros Reges permanere poſſit, nec quisquam Regnicolarum noſtrorum immunitate aliqua ſoluendi gaudere valeat, ſalua tantummodo Libertate Nobilium ſecundum antiquam conſuetudinem, ſed omnes mercimonia, vel equos aut pecora importantes de partibus extraneis, vel exportantes ad easdem memoratae Sacrae Coronae vectigal absque omni remiſſione exoluere vbique teneantur, ſecundum Regiſtrum ſuperinde confectum. Quod ſane aliquanto lenius eſſe inuenitur, quam ſecundum quod tempore Regis Ludouici Triceſima extorquebatur. Loca tamen huiusmodi nouae exactionis, quoad alios eadem deputata ſunt, quae olim loca Triceſimalia eſſe ſolebant, et ſi quae praeterea ad id idonea et vtilia eſſe viderentur, Ciuitatibus inſuper noſtris Regalibus arbitrio noſtro per omnia commiſſis. Nunc igitur, quum bene ordinata mature ſint exequenda: Nos rite cum Dominis ad hoc deputatis fidelem noſtrum Nobilem Ioanem Eruſt aulae noſtrae militem, cuius fidelitatem et induſtriam dudum experimento cognouimus, praenotati vectigalis Coronae generalem conſtituimus Adminiſtratorem, dantes ei plenam modo praemiſſo ab omnibus ius noſtrum exigendi, ſeu exigere faciendi poteſtatem. Quapropter fidelitates veſtras diligenter requirimus, et eisdem firmiſſimo praecipimus ſub edicto, quatenus huiusmodi diſpoſitioni, quam Vniuerſitas Praelatorum Baronum, et Nobilium noſtrorum pro noſtra dignitate, et Regni conſeruatione prouide, et ſalubriter vna nobiscum ordinauit. Vos ſine omni dilatione, et absque aliqua in contrarium allegatione parere debeatis communi voto, et pro communi ſalute inſtituta, concorditer et libenter amplectentes praefatum Ioannem Eruſt officialem noſtrum vel homines ſuos ſemper et vbique in terris veſtris pacifice, et honorifice pertractetis, et nihilominus toties quotiens opus fuerit per vos, et homines veſtros omni opera, et auxilio adiuuetis, ſecus ſub paenis in nouo *Generali Decreto* *(b)* ſuperinde facto contentis nullatenus agere praeſumatis. Praeſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum Budae in Feſto *Annunciationis* *(c)* Beatiſſimae Mairae Virginis, anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Regni noſtri anno decimo, *coronationis* *(d)* vero tertio, Sigillum eſt margini appreſſum.

Al-

(a) Nomina hic mutantur non autem res alterantur, idque factum eſt ideo, vt honeſto quopiam modo oneroſae factae immunitationes tollerentur, quas Ladislao Poſthumo potiſſimum tribuendas eſſe Mathiae Decr. 2. art. 23. perhibet, vectigalis nomen etiam oſtendit vectigal id eſſe, quod in locis triceſimarum pro vehiculis, oneribus, iumentis &c. ſoluitur, prouti et nunc penſum illud vectigal dicitur, et recte, nam medio aeuo vehicula, currus, vectigalia dicebantur, ſic in Concilio Bituricenſi anni 1031. cap. 25. „*vt in die Dominica vectigalia non fiant*„ apud Martene Tomo 4. Anedotorum col. 1630. regula conuerſorum Ciſtercien. cap. 10. „*de fratribus bubulcis tempore meſſis, et ſecationis euntes, et redeuntes ad vectigalia ſic loquantur ad inuicem.*

Vectigal vnde dictum?

(b) Sic appellantur ſtatuta Synodurum Regiarum; ſeu Diaetarum, hinc rurſus patet huius anni Diaetarum a Zacharia Moſſoczii aut praetermiſſam, aut quod magis credo, ignoratam fuiſſe, tanquam tabulam, itaque e naufragio damus vnum alterumue huius Synodi decretum.

(c) Id eſt: feria 4ta maioris hebdomadae, transacta itaque Synodo, cum bene ordinata mature ſint exequenda, facta eſt haec expeditio.

(d) Neceſſaria cautela. Mathiae enim Regis Decreta, et Priuilegia non obſeruantur, quae ante coronationem edita fuerunt, vnde patet, quam inſita ſit Hungaris opinio, vt in ordine ad danda priuilegia neminem legitimum Regem exiſtiment, niſi corona primaeua redimitus fuerit, Mathiae enim nil aliud oberat, hic obſeruari volo vitas Regum Hungariae Corpori Iuris inſertas, caute eſſe legendas, ne in errorem in-

II.

Alterum Statutum quo ſublato lucro Camerae ordinatur Tributum Fiſci Regii.

Matthias, DEI gratia Rex Hungariae &c. Fidelibus noſtris vniuerſis, et ſingulis Nobilibus, et alterius cuiusuis Status poſſeſſionatis hominibus Comitatus Poſonienſis, ſalutem, et gratiam, conuocatis nuper in hanc Ciuitatem noſtram Budenſem Praelatis, Baronibus, et Nobilibus noſtris cum propoſuiſſemus eis, quod nos ſoli cum prouentibus noſtris Regalibus, ita vt nunc ſe haberent, non bene poſſemus ſupportare tam graue onus defendendi regnum noſtrum contra tot, et tantos hoſtium incurſus, praefati Domini, et Regnicolae conſideratis, et intellectis tam neceſſitatibus vndique vrgentibus, quam etiam defectibus redditunm coronae praedictorum, multa pro noſtra dignitate, et communi vtilitate duxerunt reformanda, certis ad id ipſum executoribus deputatis. Imprimis a item animaduertentes id, quod hactenus lucrum Camerae vocabatur, in maximam diminutionem, et abuſum deciddiſſe, propter innumerabiles hominum immunitates tam veteres, quam nouas, illud concorditer rationabilibus, et neceſſariis de cauſis ſtatuerunt, vt memoratum *lucrum Camerae (a)* ſicut iam dudum maiori ex parte eatenus deprauatum, ita deinceps et in nomine, et in penſione totaliter, et in perpetuum aboleatur, annulletur, et caſſetur, nec quisquam inpoſterum hominum cenſum Camerae Regiae ſoluere teneatur, verum loco eius alia quaedam exactio eſt vnanimiter inſtituta, Tributum Fiſci Regalis, in aeternum appellanda, ita videlicet, vt fere conſimiliter, vt prius, ſuper ſingulis quinque Portis non plus, niſi *vnus florenus (b)* tantum ſemel in anno vbique exigatur de omnium regnicolarum noſtrorum, tam *Eccleſiaſticorum (c)* quam Secularium, imo etiam de noſtris propriis Comitatibus, et Bonis quibuslibet, nec aliquis ſuperinde vllo vnquam tempore exemptionis priuilegio frui poſſit, prout omnium iſtorum ordo, modus, et tempus in regiſtro praeſentibus adiuncto ſatis clare, et in nouo generali Decreto noſtro plenius continetur. Quia vero haec ſolutio tributi Fiſcalis ſequentibus quidem annis ſemper - - - - pro hoc vero anno, qui nunc imminet, fieri diſpoſita eſt: Ideo ecce de conſilio Dominorum deputatos miſimus in medium veſtri pro expediendis praemiſſis exhibitores praeſentium, bene de omnibus agendis informatos. Quapropter fidelitates veſtras, et vniuscuiusque veſtrum exhortamur, ac eisdem nihilominus diſtrictiſſime praecipiendo mandamus, quatenus ipſos quamprimum ad dicandum inter vos libere emittere, et pacifice, ac honorifice pertractare, dicata tandem tempeſtiue extradere, et extradari facere debeatis. Quod ſi qui veſtrum ad ſoluendum fuerint tardiores, eos volumus per Comites, vel Vice-Comites veſtros grauamine talibus impoſito aggrauari. Si qui autem, quod abſit alias extiterint publicae ordinationi quoquomodo rebelles, eorum pernicioſa contumacia conuenientibus paenis in dicto generali

ducant. de Uladislao enim Poſthumo dicunt, quod Priuilegia eius ab anno 1453. obſeruentur cum lex par. tit. diſertis verbis ab anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo obſeruari aſſerat.

(a) Hic quoque eadem ratio mutatae exactionis occurrit quae in priori ſtatuto, maior tamen hic mutatio interceſſit.

(b) Temporibus Caroli primi Regis ab vno fundo, ſeu porta ſoluebantur octodecim denarii, deinceps plerumque viginti denarii.

(c) Priuilegio enim nonnunquam gaudebant Eccleſiarum Coloni, vt lucrum Camerae non ſoluerent, illud ergo ſublatum nomine veteris exactionis abrogato, a quo immunes erant aliqui.

rali decreto expreſſis ſtricte et irremiſſibiliter ſubiacebit. Secus igitur, prout huiusmodi paenas incurrere formidatis, nequaquam facere auſi ſitis, praeſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum Budae *Feria quarta (a)* proxima poſt Feſtum reſurrectionis Domini anno eiusdem Milleſimo, Quadringenteſimo Sexageſimo ſeptimo, Regni noſtri anno decimo, coronationis vero quarto.

LXXIX.
SYNODVS REGIA
Mathiae I*mi* * A: C: M CDLXVIII. *(b)* de ſubſidio in bellum aduerſus haereticos.

Nos Matthias DEI gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. Notum facimus tenore praeſentium quibus expedit vniuerſis. Quod cum coronaremur Albae feliciter ſecundum morem praedeceſſorum noſtrorum Regum, Praelati, Barones, Nobiles, et Proceres Regni noſtri vniuerſi, qui tunc illic in ſolennitate aderant, ſupplicauerant nobis, vt Regnum in antiquis Libertatibus tenere atque de oneribus diuerſarum ſolutionum, quibus temporibus diſcordiarum ante coronationem grauabantur, de cetero exemptum habere dignaremur. In qua quidem re licet petitione eorum a Nobis exaudita, promiſſionem habuerunt, Nos quoque illam velut in tanta exaltatione noſtra factam, in mente habueramus, haberemus quoque nunc. Tamen his diebus dum reuerteremur ex Morauia, per totam hanc aeſtatem in eadem Morauia, et Bohemia contra haereticos, veteres, et grauiſſimos dicti Regni noſtri Hungariae infeſtatores, graui bello propriis ſumptibus, et expenſis fatigati rediiſſemus in hanc Ciuitatem noſtram Peſthienſem, et exponeremus cauſam ſuſcepti belli contra ipſos haereticos Praelatis, et Baronibus eiusdem Regni noſtri, ac de vno quoque Comitatu electis Nobilibus ibidem conuenientibus declararemus etiam inſuper, quod neceſſarium eſſet eos compeſcere, ac exſtirpare, qui etiam ſanguinem noſtrum ſine intermiſſione ſitiebant, et id quomodo fieri poſſet, quantas requireret expenſas, et quanta ex hinc vtilitas ſequeretur regno noſtro, ſimiliter diceremus, vtpote quandoquidem eis domitis, alii inimici eiusdem regni noſtri etiam quantumcunque magni facilius Deo nobis propitio confundi poſſent. Iidem Praelati, Barones, et Nobiles totum Regnum repraeſentantes in animo moti, non tantum pium atque ſalubre hoc opus, et pro Fide Catholica neceſſarium, quin imo ſibi et Regno vtile praemeditantes, matura inter ſe deliberatione praehabita certum ſubſidium pecuniae, ad proſequendum vlterius contra dictos haereticos negotium vltronee obtulerunt. Vt igitur quemquam haec hac vice facta impoſitio pecuniae non moueat, vel apud aliquem noſtra regno dudum facta promiſſio, peiorem in partem non interpretetur, ſed et omnibus conſtet noſtra ſuperinde voluntas, nolumus de cetero aliquas inconſuetas collectas reci-

 pere,

(a) Id eſt: prima Aprilis in diem enim 29. Martii inciderat paſcha..

(b) Nemn dubitauerit Monumentum hoc ad Synodos Regias pertinere, ſi rem ipſam de qua agebatur conſideret, habemus illam ex autographo in quo ſeptemdecim conſpiciebantur ſigilla.

Digitized by Google

pere, aut recipi facere, nec ſimilium taxarum receptionem in vſum venire, neque contra eos, quantum in nobis eſt, ſiue noſtro, ſiue ſucceſſorum noſtrorum Regum temporibus pro conſuetudine eorundem Praelatorum, Baronum et Nobilium regni noſtri, et ſuorum ſucceſſorum habere, nec libertatibus eorundem quoquo modo praeiudicari, et hoc promittimus in verbo noſtro Regio, harum litterarum noſtrarum vigore, et teſtimonio mediante. Datum Hyſtropoli, ſiue Poſonii, vigeſima octaua, die Septembris, anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo octauo, Regni noſtri anno vndecimo, coronationis vero quarto.

Et nos Stephanus Cardinalis, Eccleſiarum Colocenſis, et Bachienſis, Ioannes Strigonienſis. Apoſtolicae Sedis Legatus natus, Archi-Episcopi, Ioannes Agrienſis, alter Ioannes Quinqueeccleſienſis, Albertus Veszprimienſis, Demetrius Iaurinenſis, Vincentius Wacienſis, Ioannes Chanadienſis Eccleſiarum Episcopi. Michael Orſzág de Guth Regni Hungariae Palatinus, Nicolaus de Ujlak Comes perpetuus de Thelczak, Emericus de Zapolja Comes perpetuus Sepuſienſis, Nicolaus Chupor de Monoſyló praeſens, et Sigismundus Croff de Bozin, et Bertholdus Eldeibach de Monjoró Kerék, alias Waiuoda Lusnenſis, Ioannes de Gara, Ioannes de Rozgony Thauernicorum, alter Ioannes de Thur Sclauoniae Banus, Ianitorum. Mathias de Maróth Agazonum Regalium Magiſtri, Paulus de Lindua, Franciscus de Chák, et Paulus Herczeg de Zeku, in Teſtimonium rei praenotatae praeſentibus ſubſcribimus, et ſimiliter pro eodem Domino noſtro Rege, et cum eodem fide mediante promittimus, quod ſimilem taxam nobis inuitis non recipiet, et praemiſſa in vſum ſeu conſuetudinem non ponet, ſed conſiderando in omnibus rebus vtilitatem, et libertatem, et Iura Regni ſui, promiſſionem ſuam tam per vocem, quam praeſentes firmiter obſeruabit. Datum vt ſupra.

LXXX.
SYNODVS REGIA
Mathiae I*mi* A: C: MCDLXX. celebrata, nunc primum edita. *

Commiſſio propria Domini Regis.

Nos *Matthias* (a) DEI gratia Rex Vngariae, Bohemiae &c. Memoriae commendamus; quod cum in praeſenti Diaeta, ſiue conuentione Praelati, Barones, et electi de vno quoque Comitatu Nobiles, totum Regnum repraeſentantes Nobiscum conueniſſent, de rebus Regni tractaturi, iidem facultatem noſtram, et neceſſitates eiusdem Regni noſtri, ſimul conſtituendo, ſiue ponderando, eandem facultatem noſtram minus ſufficientem ad promouendas eas neceſſitates conſpexerunt, ſiquidem ab omni parte Regni diuerſa negotia impendeant, maxime a parte Turcorum periculum non paruum Regnum ipſum minitetur. Vnde ipſi ſano ducti Conſilio, ne per negligentiam aut incuriam eorum praefatae neceſſitates Re-

(a) Damus hanc Synodum Regiam ex autographo Zekelyano, de hac ait Ill. Adamus Kollár de poteſtate legislatoria cap. II. p. 105. vnius anno CIↃCCCCLXX. conditi (Decreti) exemplar adhuc ineditum alias opportunius iuris faciam publici, abſoluimus iam Ill. virum a debito promiſſi adimplendi.

Regni deficiente ipſa facultate noſtra, in fine, dum proſpere dirigi poſſent, periculis irremediatis ſe immiſceant, Nos, et *facultatem (a)* noſtram adiuuare decreuerunt, et obtulerunt vltro de ſingulis portis per totum Regnum ſingulos centum denarios; ſiue vnum florenum auri, ſic vt hoc eorum iuuamen ſicut a communitate populorum, ita et a Ciuitatibus, Oppidis, Villis, et Poſſeſſionibus, Colonis tam liberis, quam aliis, ac etiam a Bonis omnium Praelatorum, Baronum, et Nobilium, nemine dempto, nec non a Bonis Illuſtris Dominae Genitricis noſtrae, ſecundum modum Tributi Fiſci Regalis, ſiue lucri Camerae ſuper portas imponerentur, et exigerentur. Et cum huiusmodi iuuamen non tantum contra Bohemos, ac haereticos, ſed maxime contra Turcos ad inferiores partes bonam prouidentiam faceremus, quod poſtquam obtulerunt, quia neceſſitates praedictae requirebant. Et quia etiam promiſioni noſtrae Poſonii factae contrarium non videbatur quum vltro offertur ſimili cum conditione praefata, hoc eſt de omnium Bonis per portas exigendum, et contra praefatos inimicos Regni diſpenſandum acceptauimus: Rurſumque nos attendentes eorum deſiderium, diligentiam, et feruorem, quibus neceſſitates Regni promouere nituntur pro alleuiatione populi Tributum Fiſci, ſiue lucri Camerae anni praeſentis relaxauimus ita, quod taliter cum eo ad valorem, ſeu computum centum denariorum, ſiue vnius floreni ſoluatur, et exigatur de ſingulis portis oblatum iuuamen praenotatum nihiloque minus eis pro futuro promittimus, quod nunquam aliquorum ſubſidium, aut aliquam taxam extraordinariam ad quascunque neceſſitates Regni ab eis contra eorum voluntatem exigere faciemus, eosque, et quemlibet eorum ſicuti maiorem, ſic et minorem quia in omnibus deſiderant, et affectant nobis complacere, in antiquis Libertatibus eorum conſeruabimus, ſpecialiter vero in eleuatione Tributi Fiſci Regalis, ſiue lucri Camerae, ſemper eum modum ex ordine obſeruabimus, et faciemus obſeruari, qui tempore quondam Domini Sigismundi Regis obſeruabatur. Ceterum his habitis, quia nonnullae adhuc res exſtabant, quas ſiue conſtitutionibus, et moderamine vel dirigi, bono modo vel defendi nequibant, cum eisdem Praelatis, et Baronibus, ac Nobilibus electis matura prius deliberatione praehabita ordinauimus.

Primo: Quod dicatores praeſentis iuuaminis ſeu contributionis, et expoſt futuris temporibus etiam Dicatores Tributi Fiſci Regalis, ſeu lucri Camerae procedant in iudicium in vnoquoque Comitatu, et ſi in connumeratione Portarum, et earum dicatione contentio in aliquo loco orietur, contentio ipſa ſtatim per communitatem Comitatus illius, vbi res agitur in prima Sede Iudiciaria terminetur, nec interim Dicator aliquod grauamen ad locum illum in quo contentio oriebatur, imponere poſſit; tamen vbi Villicus loci iuramento ſuo rem certam eſſe probare velit, Dicator contentetur ſolum ſuper iuramento Villici. Praeterea Villici de Capitibus Dicarum Dicatoribus aliquid ſoluere non teneantur, cauſa haec eſt, quia ſalaria eis pro vſu et laboribus eorum ſoluuntur aliunde - - - - - ob rationem non dicentur ipſi Villici in medium ſeu conſortium aliorum: Nec etiam dicentur in aliqua Taxa. Nobiles Seſſionarii, ac Iobagiones in propriis curiis Nobilium, aut allodiis morantes, et *ſeruientes. (b)*

Secundo: Quod nullius populi, et Iobbagiones ad Bona Ciuitates, et Poſſeſſiones Regales, et Reginales, et Dominae Genitricis noſtrae praefatae, nec non Praelatorum, Baronum, ac Nobilium vel

(a) Hinc liquido apparet *facultatem* hic pro iuuamen ſonare.

(b) Semper denique conuentionati a ſimilibus oneribus liberi erant.

vel ad Liberas Ciuitates Coloni violenter poſſint abduci, et ſi qui abducerentur, eos Comites Parochiales, vel communitas Comitatus, vbi haec fierent, per Iudlium cum ſex Marcarum Iudicis ſecundum Decretum Sigismundi Regis Albae tempore coronationis per Nos confirmatum reducere, et reduci facere poſſint.

Tertio: Quod Decimae vbique in ſingulis Comitatibus intra ambitum Regni Vngariae, et Sclauoniae dicentur, et exigantur, ſecundum conſuetudinem antiquam ſpecialiter iuxta Decretum praefati Sigismundi Regis, Albae vti praemiſſum eſt, per nos confirmatum, ac noſtrum ibidem tunc quo ad additamentum eiusdem editum, et ſi quis contrafecerit, nos rectificare teneamur, Nobiles tam ſeſſionati ſiue Iobagiones non habentes ad ſolutionem decimarum non poſſint nec debeant compelli. Item nec tales Iobbagiones compellantur, qui vt praemiſſum in Curiis Nobilium aut allodiis ſeruiendo morantur, excepto ſolum, ſi ipſi Nobiles, et eorum ſeruientes in *terris aliorum (a)* feminaturas. vel ſegetes, aut vineas habuerint, quia tunc debent, et tenentur perſoluere.

Quarto: Quod omnes Liberae Ciuitates, et Oppida, et Poſſeſſiones Regales, et Reginales, ac etiam praefatae Dominae Genitricis noſtrae, necnon Praelatorum, Baronum, ac Nobilium Regni quorumcunque, quae ante electionem noſtram in Regem Tributa ſoluerunt, non obſtantibus Libertatibus earum, quibus tunc abutebantur, ſoluant Tributa vbique locorum ſine contradictione tam diu quousque Iuribus ſuis mediantibus Libertates ſuas iuridice promouere potuerint, quod faciant, et proſequantur ſecundum conſuetudinem Regni; et quod nos a *ſolutione Tributi (b)* in Bonis aliorum neminem eximere valeamus, niſi in Tributis in noſtris propriis Bonis exiſtentibus, illi etiam, qui in liberis Ciuitatibus, Oppidis, et Poſſeſſionibus domos haereditarias proprias non habent, aut etiam ſi habent, tamen extra eas in terris aliorum morantur, conſimiliter vbique Tributum ſoluere teneantur. Illi vero, qui poſt coronationem noſtram iuridice ſe liberatos eſſe a ſolutione Tributi comprobarunt, et nunc Tributa non ſoluunt, non eogantur producere iura ſua de nouo. Praeterea vbi Regales populi noſtri Tributum ſoluunt, populi etiam illius qui ſuper eos exigit, ſimiliter nobis et Tributariis noſtris Tributum ſoluere tenentur, vias falſas Tributorum ne teneant Tributarii, ſicut temporibus antiquorum Regum mos erat.

Quinto: Quod Praelati, Barones, Nobiles, et incolae Regni infra vnius anni reuolutionem, ab hac die computando ad Exercitum ire non compellantur, illo excepto, ſi Turcorum Imperator veniret, quia tunc regnum vniuerſaliter inſurgere tenetur, nec etiam compellantur populi, et iobbagiones quorumcunque Nobilium ad labores caſtrorum, et fortalitiorum, exceptis Kevy, et aliis locis circa Vada, quae ſunt neceſſaria pro vtilitate Regni; non compellantur quoque ad ſolutionem victualium pro conſeruatione Caſtrorum finitimorum.

Sexto: Quod ſtipendiarii et exercituantes per Regnum, et eius partes procedentes contra Libertates antiquas non descendant in domibus Nobilium, et perſonarum Eccleſiaſticarum, ne taxent poſſeſſiones, et iobbagiones eorundem, neque exigant ab iis victualia, hominibus et equis neceſſaria, ſine pretio, et ſolutione, nec aliqua alia damna eis infe-

(a) Hanc legem ſaepe non attendunt in fundis ruſticanis degentes Nobiles.

(b) Non puto equidem, quod Reges noſtri hac ſe lege conſtrictos exiſtimauerint.

inferant, contrafacientes puniantur ſecundum Decretum tempore coronationis noſtrae Albae editum, et nulla prorogatio eis prodeſſe poſſit.

Septimo: Quod Camerae ſalium noſtrorum Regalium fiant, et ſeruentur in locis antiquis, ſecundum quod Decretum quondam Sigismundi Regis, et etiam noſtrum tempore dictae coronationis noſtrae editum continent.

Octauo: Quod in ſolutione Litterarum tam in Capitularibus, quam et Conuentualibus locis, quam etiam apud Prothonotarios, et Iuſtitiarios Regni obſeruetur, antiqua conſuetudo in praefatu Decreto ipſius Sigismundi Regis expreſſata, ſimiliter in deferendis Teſtimoniis, et in ſolutione pro via eis debenda ſeruetur eadem antiqua, contrafacientes puniantur, vt expreſſum in eodem Decreto.

Nono, et vltimo: Quod Octauae Epiphaniarum Domini proxime venturae prorogentur, et quod aliae octauae poſt illas deinceps celebratae vltra quadraginta dies, prout antiquitus ſolitum fuerat durare non poſſint in earundem celebratione.

In quorum omnium robur et Teſtimonium praeſentes litteras noſtras duximus concedendas. Datum Budae vigeſimo quinto die Conuentionis praenotatae, anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo, Regni noſtri anno duodecimo, coronationis vero ſexto.

Et nos Stephanus Cardinalis &c. Archi-Episcopus Colocenſis, Ioannes Agrienſis, Ioannes Quinqueeccleſienſis, et Albertus Veſprimienſis Eccleſiarum Episcopi. Michael Orſzág de Guth Regni Hungariae Palatinus, Nicolaus de Ujlak perpetuus Comes de Thelczak, et Banus Machouienſis, Emericus Comes perpetuus Scepuſienſis, Comes Ladislaus de Pálócz Iudex Curiae Regiae, Iohannes de Rozgony Thauernicorum Regalium Magiſter, Mathias de Maróth Banus Machouienſis, Job de Gara, Emericus de Hedervára, Paulus Herczeg de Zekchew, Iacobus Chudar de Ohrod, Iohannes de Pereny, et Emericus de Pálócz, promittimus penes praefatum Dominum noſtrum Regem, quod ipſe omnia praemiſſa obſeruabit, et obſeruari faciet, et quod contributionem aliquam per Regnum ſuum Hungariae contra voluntatem Regnicolarum ſuorum non imponet, neque nos ipſum conſilio noſtro, aut aliquo alio modo ad huc inducemus, vt imponat, et quantum in nobis erit, contributionem ipſam neque nos dabimus. In cuius Teſtimonium penes Sigillum eiusdem Domini Regis Sigilla noſtra nos etiam appoſuimus. Datum, vt ſupra (L.S.) Ex deliberatione Praelatorum et Baronum.

LXXXI.
SYNODVS REGIA
ſub Matthia I. ſiue Decretum tertium
A: C: MCDLXXI.

1. In facto *Decimarum (a)* teneatur modus ille, qui exprimitur in Decreto noſtro Albae tempore coronationis noſtrae edito, dempto illo: quod ſi in aliquo Comitatuum Nobiles voluerint adiungere vnum Nobilem, et Pleba-

 num

(a) Alias articulus tertius.

num (a) ſimiliter vnum de illo Comitatu dicatori decimarum tempore dicationis eundem de mala dicatione, ſi faceret, ſuo Epiſcopo accuſaturos; id eis liceat, qui ſi non fecerint, nihilominus dicator procedere poſſit.

2. (b) Item; quod in exercituatione, et leuatione Banderiorum, Praelatorum, et Baronum noſtrorum, ac exercitus generalis Regnicolarum; teneatur idem modus, qui fuit tempore quondam dicti Domini Sigismundi Regis. Et qui in Bonis deſtructi haberentur, agatur cum eis iuxta exigentiam Bonorum ſuorum.

3. *Si tempore* (b) exrcitus vel alias quocunque tempore aliqui in domibus, et curiis Nobilium, aut perſonarum Eccleſiaſticarum praeter voluntatem eorum deſcenderent, et damna committerent, vel iam commiſiſſent, aut Cimiteria, vel Eccleſias confringerent, aut iam confregiſſent, tales euocentur ad *octauas* (d) cum inſinuatione, ex parte quorum, ſi agens voluerit, non aliter niſi per viam communis *Inquiſitionis* (e) concludatur iudicium, et iuſtitia, quae etiam circa finem praefati Decreti noſtri tempore coronationis noſtrae in parte tacta ſunt.

4. (f) Item; quod nos, duo beneficia Eccleſiaſtica, vni perſonae non conferamus. Et ſi contulerimus; de iisdem beneficiis duobus, aut pluribus perſonam eandem habentem tempore exercitus, ſecundum antiquum modum exercituari faciamus, iuxta poſſe ipſius.

5. (g) Quod illae cauſae, in Foro, et Sede Spirituali tractentur, et iudicentur; quae in dicto Decreto noſtro tempore coronationis noſtrae edito, continentur, et aliae non. Et vbi contrarium acceptaretur; pro habendo ſuperinde remedio, petatur Regia deliberatio.

6. (h) Item; quod nos, Ius Patronatus omnium Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, ſigilla habentium, auferamus ab omnibus, et pro nobis retineamus. Quia multae incommoditates eueniunt ab eis Regno, et Regnicolis, quod ſuas portiones fouent, et ſigillo ſuo in fauorem illorum, libere vti non poſſunt.

7. *Item* (i) quod nullus penitus Regnicolarum, ſiue ſint Clerici, ſiue Seculares, contra libertatem Regni, qua a tempore quondam Sanctiſſimi Stephani Regis illibatae vtitur; directe, omiſſo medio, conqueſtum a Curia Romana, contra quempiam impetrare poſſit, ſed quilibet prius hic in Regno coram ſuis Iudicibus ordinariis ius ſuum proſequatur: Et ita tandem ſi voluerit per viam appellationis cauſam ſuam introducat. Quibus contrafacientes; beneficiati, ſuo beneficio priuentur: Non beneficiati autem, paenam capitis habeant

8. (k) Capitula, et Conuentus, in redemptione litterarum, et executionibus via-

(a) Vides hic manifeſte deſignari Vice-Archidiaconum. Plebani ergo amplius nomen prae Parochia ſortiti, ampliori gaudebant honore, de quo etiam alias ſermocinati ſumus.

(b) alias 7.

(c) alias articulus 9.

Octauae. (d) Octauae erant Iudicia, ſeu Iudiciorum dies ſtabiles, in quibus cauſae ciuiles diſcutiebantur, ab octauis nomen habent, quia in octaua S. Georgii, et S. Michaelis initium acceperunt, et inde 40. diebus durarunt.

(e) Communis Inquiſitio nil aliud erat, quam teſtium tam ab actore, quam reo adductorum commune examen coram homine Regio, et Capitulari ſuſ'um, exmittebantur enim ex Regia Curia, et a Capitulis, ſeu Conuentibus ad id perſonae idoneae, huiusmodi inquiſitionis vſus exoleuit.

(f) alias 13.

(g) alias 17.

(h) alias 18.

(i) alias caput ſeu articulus decimus nonus reuoces tibi velim in mentem quae ſupra non minus quam in diſſertatione de Synodis Regiis eatenus ſcripſimus.

(k) alias 20.

viarum; obſeruent illum modum, qui in praefato Decreto condam Domini Sigismundi Regis continetur. Vbi, ſi ille modus non obſeruaretur, et ſuperinde comprobatio, per atteſtationes Nobilium illius Comitatus, per modum communis inquiſitionis, ſiue congregationis generalis facta, dari poſſit, contra facientes ſua amittant beneficia.

9. *(a)* Item; quod Viri Eccleſiaſtici neque maiores, neque minores, deinceps dicantur aut aliqua *taxa (b)* grauentur. Tamen illi, ex eis, qui exercituare tenentur; id faciant ſecundum antiquum modum.

LXXXII.
SYNODVS REGIA
ſub Matthia *Imo.* A: C: MCDLXXIV.

Concluſum eſt per Nos; vt Nos *Praelati (c)* Barones, faciamus dicari decimas, iuxta antiquam conſuetudinem Regni, ita videlicet; quod recipiatur iuramentum a quocunque homine, et vltra non dicetur aliquid, et huiusmodi decimae exigantur, iuxta contenta Decretorum, quondam Sereniſſimorum Regum Vngariae Ludouici, et Sigismundi.

LXXXIII.
SYNODVS REGIA
ſub Matthia *Imo* ſeu Decretum 4*um* A: C: MCDLXXVIII.

In *dicationibus (d)* decimarum teneatur antiquus modus; vt dicatores teneantur contentari iuramentis rusticorum. Vbi autem voluerint; valeant examinare aceruos, cum Birſagiis conſuetis. Inſuper, decimae cum pecuniis, vbi exiguntur, Iudices Nobilium deputentur cum dicatoribus, qui vadant, ſi volunt, in eorum propriis expenſis, et non decimatorum, et fideliter attendant dicatores. Vbi vero dicatores iniuſte dicare vellent; Iudices Nobilium deſiſtant ire cum eisdem. Si vero ruſticus aliquis iuramentum fecerit; tunc dicator; ruſticum ſic iuratum amplius vexare, aut dicare non poſſit, in tantum; ſicuti praeſtitit

---

(a) alias 24.

Taxa dimidiorum fertonum. *(b)* Quidnam fuerit haec taxa, patebit ex Priuilegio Philippi Palatini, quod licet Conſule, et die ſignatum non ſit, ad annum tamen 1321. pertinere clarum eſt; ita autem habet: „*Nos Philippus Palatinus Iudex Cumanorum, Comes de Scepus, et de Vjvár. Vos vniuerſos exactores dimidiorum fertonum requirimus, attente petendo per praeſentes, quatenus collectam, ſeu exactionem dimidiorum fertonum Iobanni Filio Ur, et Lukachio Filio Petri ſeruientibus Magiſtri Thomae proximi, et Caſtellani noſtri de Scepus relaxare, ob remunerationem ſeruitiorum eorundem debeatis, quia ipſi nobiscum in Croatia in praeſenti exercitu nobis in noſtris ſeruitiis extiterunt laborantes*„ ita autographum, cuius titulus eſt: *Vniuerſis Exactoribus dimidiorum fertonum*, adnotauit ad hoc Priuilegium Step: Zékely, id donum gratuitum fuiſſe. Mera opinio! non patet enim hos fuiſſe Nobiles, fertones autem exteris iam fertones, iam vertones quarta pars erant Marcae a germanico ferting; pro varietate itaque, et valore Marcae vertones quoque oportet fuiſſe diuerſos.

(c) hoc caput eſt alias 16. nota, abſente Rege actum fuiſſe hanc Synodum Regiam, et hinc habes diuerſam a reliquis loquendi formulam.

(d) Hoc eſt alias caput ſeu articulus 15.

ſtitit iuramentum. Et quo autem in quibusdam Comitatibus dicatores decimarum, ruſticos, qui pro eorum frugibus iuramentum praeſtiterint, ratione huiusmodi iuramenti in duabus Capetiis frugum dicare conſueuerunt, id amplius nequaquam facere valeant: ſi non fuerit conſuetudo.

LXXXIV.

SYNODVS REGIA

ſub Matthia I*mo* ſeu Decretum 5*um* A: C: MCDLXXXI.

1. D*omini* (a) Praelati, et ceteri Eccleſiaſtici, decimas habentes de nullis aliis rebus, praeterquam; vinis, frugibus, agnellis, apibus, milio, ſiligine, hordeo, et auena, iuxta antiquam Regni conſuetudinem, decimas exigant. Quodque deinceps, omnes aliae inordinatae exactiones, quas Decimatores eorundem Dominorum Dominorum Praelatorum, et ceterarum Eccleſiaſticarum perſonarum, temerarie facere conſueuerunt; ceſſare debeant, nec vllo pacto impoſterum fiant.

2. Item; quod ad Nobiles, vxoresque, et familiam eorundem ratione non ſolutionis decimarum; propter ruſticos, et Iobagiones eorundem. interdictum Eccleſiaſticum per ipſos Dominos Praelatos, aut alios quoſpiam, non imponatur: Niſi ipſi ſint cauſa notoria, propter quam ruſtici, et ignobiles, decimas ſoluere recuſarent.

3. Item; quod Raſciani, et ceteri huiusmodi Schiſmatici, ad ſolutionem decimae rum non adſtringantur, et neque per Comites parochiales inſtar aliorum, ad huiusmodi decimarum ſolutionem compellantur. Quodque ad *Chriſtianos* (b) (in quorum medio tales Schiſmatici morantur, aut e contra) ratione ipſorum Schiſmaticorum, ob non ſolutionem decimarum, interdictum Eccleſiaſticum non imponatur.

4. Item; quod ſi quando Chriſtiani, cum praefatis talibus Raſcianis, et Schismaticis, ſocietatem ſiue contractum habuerint, et araturas, ſiue alias agriculturas pari auxilio fecerint; de parte fructum *Chriſtianis* (c) cedenda decimae ſol-

---

(a) Hae et ſubſequae leges eodem ordine habentur in Corpore Iuris Hungarici.

(b) Diacernit Schiſmaticos a Chriſtianis. Eccleſiaſtica haec eſt locutio, olim enim a Catholica fide, et vnitate alieni neque Chriſtiani dicebantur, ſed nec ipſi Schiſmatici habent a ſuo Schiſmate alienos pro Chriſtianis: ait enim Theophanes Propokovicz, in Apologia fidei aduerſus litteras Regiomontanorum Lutheranorum pag. 63. querelam illorum referens, qui omnes, non ita, vti ipſi credunt ſentientes, Chriſtianorum nomine indignos eſſe putant, ad quam querelam reſpondens inquit: „*an enim iuſtum putatis, vt eos, qui doctrinae Chriſti non per omnia obſequuntur, atque adeo ipſi Chriſto fidem derogont, veros vocemus Chriſtianos.*

Sententia Iohanni Coruini de Xnis. (c) Legem hanc eiusque durationem dilucidabit Ioannis Hunvadia ſententia ſimili immerito edita, quam hic ſubiicimus ex ipſo originali, verum mendoſe exarato, ſumma integritate per nos ipſos deſcripta: „*Commiſſio propria Domini Ducis. Nos Iohannes Coruinus de Hunyad, Sclononiae, Opauiae, Liptouiaeque Dux &c. Memoriae commendantes tenore praeſentium ſignificamus, quibus expedit, vniuerſis: Quod cum Nos aeſtate proxima in Caſtro noſtro Soklos conſtituti fuiſſemus, venit coram nobis honorabilis Iohannes Epiſcopus Rutenus, Ritum Graecorum tenens in Clauſtro Sancti Nicolai ſupra Oppidum noſtrum Muvokách* (Munkách) *fundati degens, exhibuitque nobis quasdam ſex litteras, unas Illuſtriſſimi condam Theodorici* (P. Schmith Theodorum ſcribit) Ducis Godoliae (P. Schmith Ducem Munkácsienſem facit) *aſſertas, alias Deſpoti Marni. Roscianorum idiomate confectas, tertias Aui noſtri Iohannis de Hunyad, Gubernatoris olim Regni Hungariae, quartas. et quintas Genitoris noſtri Clariſſimi, Sereniſſimi Principis Domini Mathie Hungariae, Bohemiae &c. Regis. ſextas autem Conuentus Eccleſiae Sanctae Crucis de Lelesz;* penes quas

ſoluantur: De reliqua vero parte, talibus ſcilicet Schismaticis cedenda; tales decimae non exigantur. Hoc tamen adiecto, et per expreſſum declarato; quod

tales

idem Iohannes Episcopus Rutenus curauit Nobis ſupplicari, vt quasdam decimas vinorum de promonthorio Leuathka, ac item frugum, et bladorum de medio Iobagionum noſtrorum in Oroſzwég,. et Oppido Munkáth comoran. prouen. ac ſeptem porcos de incolis Oroszwég eidem faceremus reddere, et reſtituere. ad cuius ſupplicationem animum noſtrum cum inclinaſſemus, et litteras praenotatas perſpicacius intuiti fuiſſemus, feciſſemusque cum Secretario, et Conſiliariis perſpicere, viſum nobis fuit vna cum eisdem originales litteras. Illuſtris videlicet Theodorici Ducis falſe, et inique fuiſſe confectas. Proinde quia animus noſter erat, Caſtrum noſtrum Munkách proxime viſitare, diſtulimus in aduentum noſtrum ad Caſtrum memoratum Munkach negotium hoc terminandum. Vbi cum iam iam aduentaſſemus rurſum denuo prefatus Iohannes Episcopus Rutenus praeſentiam noſtram sciens ſupplicauit Nobis, quatenus litteras memoratas eidem confirmare, et prouentus annotatos eidem adminiſtrari facere dignaremur. Ex oppoſito adſtitit coram Nobis honorabilis Dioniſius artium liberalium Magiſter Eccleſiae S. Martini Episcopi, et Confeſſoris in Oppido Munkács fundatae Plebanus, proponens qualiter ſaepefatus Iohannes Episcopus Ruhtenus falſis litteris mediantibus iura Plebaniae ſuae diruere molitus ſit, quodque praedeceſſor eiusdem Episcopi Lucas Presbyter Ruthenus in dicto Clauſtro S. Nicolai olim commorans ab Auo, et Genitore noſtro Chariſſimo falſe, et inique ſemper litteras impetraſſet, allegans ſemper, quoniam indignum, et Sanctorum Patrum ſancitis contrarium foret, vt Chriſtiani ſuas decimas Schismaticis dare debeant, aduenerunt praeterea coram Nobis populi, et Iobagiones noſtri Chriſtiani, qui huiusmodi decimis obligantur, enixius Nos exorantes, quatenus dignaremur annuere, vt decimas eorum non Schismaticis, ſed Plebano ipſorum darent, prout Illuſtris Domina Eliſabeth Auia noſtra, et Genitor noſter Rex Chariſſimus iam prius ſtatuiſſent. Itaque inter tot propoſitiones, et allegationes vires litterarum perſpicacius nos intendere volentes cum his doctis viris, qui ad latus noſtrum tunc adhaerebant. litteras adnotatas per dictum Iohannem Episcopum exhibitas, diligentiſſime cum cura, et ſtudio iuſſimus perſpicere, et pro euidentiori cauſa fecimus inquirere veteres litteras praenotati Ducis Theodorici inueſtigan. ſi his Litteris, quas iam fatus Ioannes Episcopus exhibuit, responderent. cumque vnae Litterae dicti Domini Ducis per Rectorem hoſpitalis Dominicum de Thúr in Zár (id eſt Beregſzáz propter Saxones illuc a Gisela collocatos Zár dictum) commorantem oblatae fuiſſent, vidimus, et cognouimus nulla ex parte litteris his per Episcopum exhibitis respondere, et titulum, et ſigillum longe diuerſum fore, inſuper per alia plurima documenta cognouimus eas ipſas litteras nomine dicti Theodorici Ducis ſaepe dicto Clauſtro confectas, et per Iohannem Episcopum exhibitas falſas, iniquas, et viribus carituras eſſe, quia etiam cognouimus apertiſſime Pargamenum pollitum, et priorem ſcripturam de eo deletam eſſe, et per conſequens alias omnes litteras ratione eiusdem (id eſt intuitu eiusdem ſubſtrati a dictis Dominis Despoto, Ioanne Gubernatore Auo, et Rege Mathia Genitore noſtris chariſſimis, ac Conuentu Sanctae Crucis de Leleſz, ac etiam per nos datas indebite, et iniuſte fuiſſe confectas, quasquidem ſex litteras ſimiliter, et noſtras prius praetextu rei huiusce datas ſuadente iuſtitia, et iuris aequitate caſſauimus, caſſamusque, et viribus deſtitutas eſſe cenſemus praeſentium per vigorem; cumque dictus Dominus Ioannes Episcopus, Ruthenus cognouiſſet litteras ſuas falſas, et iniquas eſſe vltra, ſponte renunciauit decimis, vinorum, bladorum, et frugum de promontorio Lewathka, et Iobbagionibus Oppidi noſtri Munkács, et Oroszvég Chriſtianis ſcilicet Clauſtro ſuo prouenien., et peruenire deben.; profitens, quod dictus Dioniſius Plebanus, et ſui Succeſſores perpetuo recipere poſſent, nec hoc paretermittens, vt de ceteris, et ab his, qui ritum colunt graecum decimas vinorum, et bladorum de promontorio Lewathka, - - - - - - - - - - - - - Et item ratione ſeptem porcorum de medio noſtrorum Iobagionum in Oroszvég commorantium praefato Clauſtro Sancti Nicolai ante tempora dari ſolitorum dictus Dioniſius Plebanus, et Iohannes Episcopus in huiusmodi deuenerunt ordinationem, et vnionem. Vt quia in dicta Oroszvég Chriſtiani, et Schismatici mixtim morantur, porci eorundem Incolarum annuatim dinumerentur, et ſi Chriſtiani numero plures porcos habuerint, quatuor porci Dioniſio Plebano, et ſuis Succeſſoribus cedant, et tunc Iohanni Episcopo, et ſuis Succeſſoribus tres porci veniant, ſi vero horum, qui ritum Graecorum tenent, plures porci inueniantur, Iohannes Episcopus, et ſui Succeſſores, et Rutheni quatuor eligant porcos. Dioniſio vero Plebano, et ſuis Succeſſoribus taliter ſtante caſu tres porci deſignentur. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praeſentes litteras noſtras maioris Sigilli noſtri appenſione communitas memorato Dioniſio Plebano ſuisque Succeſſoribus vniuerſis duximus concedendas. Datum in Caſtro noſtro Munkách, in feſto beatae Dorotheae Virginis, et Martiris, anno Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, *lecta et correcta in decimatione bladorum:*. Ex hac ſententia Iohannis Coruini aliquot Corollaria deducamus neceſſe eſt, ex quibus non exigua lux hiſtoriae Eccleſiaſticae Hungariae accedet. *primo* fundationem Monaſterii S. Nicolai prope Munkács a Theodoro Kyriatovics anno 1360. factam, et a P. Nicolao Schmidt in Episcopis Agrienſibus Tomo primo mihi pag. 269. relatam eſſe ſuppoſititiam falſe, et inique confectam, quiscunque demum Sententiam hanc noſtram cum fundationalibus Kiriatovicsianis conferat, videbit, hanc ipſam a Ioanne noſtro ſubfeſtae imo nullius fidei decerni. *ſecunda:* Ducatum quoque Munkácsiensem, ſi innitatur Diplomati a P. Schmidt producto, vna cum tercentis pagis euanescere; Ioannes enim Coruinus Ducem Podoliae nominat. et hic ipſe titulus Ducis Munkácsienſis indicium fecit impoſturae, *tertio*

Kiriatovitsiana fundatio Episcopatus Munkátsienſis exploditur.

Digitized by Google

tales Raſciani, ſiue Schiſmatici, non cenſeantur, et neque in *perpetuum (a)* ab huiusmodi decimarum ſolutione exempti, ſed tantummodo per aliquos annos, et interim, quousque ſcilicet bono modo ſe tales alienigenae, et transfugae in Regno Vngariae, et Dominiis Sacrae Coronae ſubiectis firmabunt; et vt talium transfugarum exemplo, etiam alii, ditioni Turcorum ſubiecti, aduenięndum tanto promptiores efficiantur; quanto tales, qui iam venerunt, tanta praerogatiua conſpexerint eſſe donatos.

5. Item; quod centum denarii regales, vbique pro vno aureo recipiantur. Quodque pro quatuordecim capeciis; vnus aureus, aut centum denarii tantummodo exigantur: prout eſt conſuetum.

6. Item; quod de *Capitibus (b)* dicarum nihil exigatur a villicis: ſed facta ple-

---

cum ſuppoſititium ſit Diploma gratis omnino torquet ſe laudatus Schmidt, an Dux ille Munkachien. vnitus fuerit cum Eccleſia Romana, non habet enim vbi pedem figat, neque ſcio cur exiſtimari debeat fuiſſe Graeci Ritus, cum S. Stephanus, latinus vtique, Monialibus S. Baſilii egregiam fecerit fundationem, quin potius ex ſententia noſtra vtcunque inferri poſſet Latinum fuiſſe, cum Hoſpitali Beregſzáſzienſi fundatorem ſemet exhibuerit. *quarto:* ſimili vitio laborat Mathiae Regis ſtatutorium mandatum ad Conuentum de Leleſz in fauorem Lucae Plebani Rutheni datum anno Chriſti 1458. apud Cl. Pray in Hierarchia Eccl. Hung. pag. 3'9. *Quinto:* Lucae Presbytero ſucceſſiſſe Ioannem Epiſcopum, qui primus nomen Epiſcopi Ruteni aſſumpſit, Lucas enim hic adhuc anno 1488. in diplomate alio Mathiae Regis Relligioſus Presbyter dicitur, et narratur. quomodo ad colligendas decimas homines ſuos mittens a plebano Latino Benedicto de Ivany verberibus affectus fuerit, hunc ipſum Lucam praedeceſſorem Ioannis Epiſcopi nominat ſententia noſtra; vnde recte ait loco citato Clariſs. amicus noſter, primum fuiſſe Ioannem, qui titulum Epiſcopi geſsit, aduertendum tamen *ſexta* totam illam ſeriem Epiſcoporum Munkácsienſium ab eodem amico noſtro in Hierarchia Eccl. Hungarica contexta locum non mereri, vtpote cum Ioannes primus fuerit Epiſcopus, et is neque Catholicus, neque Munkácsien. verum Rutenus, et Schiſmaticus, ſubreptitium itaque puto Priuilegium Kiriatovicsianum. Etenim a Ioanne nunc vsque Parthenium fuiſſe Schiſmaticos ipſa vnionis Vngoarini anno 1646. feliciter tranſacta docet, deinceps nullum ibi viguiſſe Epiſcopatum, ſed antiquos fuiſſe Vicarios Apoſtolicos, omnes ſecundum Concilium Lateranenſe 4. Epiſcopi Agrienſis fuiſſe Vicarios pariter certum eſt; debentque Epiſcopi deinceps futuri ſua incunabula Clementi XIV. Summo Pontifici, qui Vicarios iuſsit eſſe Epiſcopos.

(a) Patet hinc Graeci Ritus homines a decimarum ſolutione immunes haud eſſe, neque Schiſmatici quidquam hac lege deferri, ſed illos allici, vt ad nos tranſeant.

(b) Implicatum hic eſſe ſenſum, difficilemque eſſe Interpretationem confitemur, hinc inueſtigandum eſt, quid ſit Dica? quid DicaeCaput? dicam a dico dicin vocari ante nos Papias docuit. quia nomina aliquid ſoluere debentium dicebantur, et ſcribebantur; apud nos dicára ſignificat conſcribere, et ex conſcriptione eruere quantitatem ſolutionis praeſtandae, habet itaque triplicem ſignificationem, dica enim ſeu potius conſcriptio eſt connotatio ſub cenſum venientium, alio modo dica eſt ille numerus pecorum, menſuratum a quo aliquid exigitur, eſt denique dica etiam inſtrumentum ligneum in quo annotatur numerus obuenientium vernaculo idiomate *rovás*. Sciendum hic dicas has ita eſſe comparatas, vt pars vna apud illum remaneat, qui exigit ſolutionem: alia apud illum relinquatur, qui praeſtat, dica (ait Du Cange) nihil eſt aliud *quam talea, ſeu exactio, vel praeſtatio, quae inde nomen accepit, quod in taleolas referantur*, Capitis varias acceptiones, qui noſſe vult, legat Gloſſarium Du Cange. Ad rem noſtram ſufficit caput dici quidquid in recenſione numerum efficit, ſignanter autem pecora denotare, et quidem capita gregum, ſeu praecipua ex ipſis pecoribus, alio modo caput etiam praecipuos ex Oppido vel villa notare. Triplicem proinde ſenſum admittit lex noſtra: *primum*. vt per capita dicarum intelligantur villici, id eſt iudices. *Secundus* ſenſus eſt, vt praecipua aliqua pecorum capita pro recenſendis pecoribus a decimatore ſumpta intelligantur. ſicut in numeratione pecuniae fieri ſolet vbi ad confuſionem vitandam a centum ſemper vnum fruſtum monetae ſeponitur, vt numerus iniri valeat. *Tertius* ſenſus eſt, vt per capita dicarum intelligantur partes illae dicarum, quae vti dixi ex more noſtro apud decimatorem remanent. Vltimum hunc ſenſum genuinum eſſe puto, per capita villicos intelligi vetat, tum lex ſubſequa ipſos a decima eximens, tum quod aſſequi non valeam, quomodo reſtitui poſsint? Capita gregum eſſe nequeunt, ſi enim decimator poſt plenariam decimae ſolutionem, datamque iudici quietantiam retinere poteſt. plus aliquid vltra iuſtam decimam habebit Decimator, reſtat ergo vt dicamus tertium ſenſum ſtare, quem commendant haec: primo. quod ideo iubeantur Decimatores aut reddere capita dicarum. aut iudices quietare, ne denuo moleſtari poſsint; capitibus enim dicarum retentis ſemper argumentum plauſibile haberent Decimatores, ſi autem illa reſtituunt, omni deſtituuntur probo, ſi quietant Iudices, vigorem amittunt capita dicarum, ideo vero nil admittuntur exigere ex capitibus dicarum, quia mos inualuit in Hungaria, vt a Iudicibus pro teſtimonio perſolutionis factae aliquid exigatur; vnde Sigismundus Decreto IV. Articul. primo dicatoribus lucri Camerae vetat a iudicibus titulo hoc amplius aliquid quam denarios quatuor exigere.

Dica, et caput dicae quid ſit?

Digitized by Google

plenaria decimarum ſolutione; decimatores teneantur, aut illarum dicarum capita reddere, aut aliter per litteras illos villicos committere expeditos.

7. Item; quod Decimatores deinceps, non apud *Villicos (a)* ſed apud *Plebanos (b)* Parochiales deſcendant. Verumtamen Villicus loci, vbi Decimatores ipſi aut prandium, aut caenam fecerint; teneatur mittere duo *fercula (c)* duos cubulos, aut duo *quartalia (d)* Budenſia auenae, duas *tortas (e)* ſiue duos panes circulares, et duas *pintas (f)* vini. Hoc etiam adiecto; quod Villici villarum vicinarum, in quibus ſcilicet tales decimatores prandium, aut caenam non fecerint; nihil eisdem Decimatoribus ſoluere teneantur, ſed totaliter exempti habeantur: Ex eo potiſſimum; quod illi etiam alias in exactione, et collectione ipſarum decimarum, ſatis laborare habeant.

8. Item; nullus Praelatorum deinceps poſſit decimas ſuas arendare. Quodſi quiſpiam eorum, graui compulſus neceſſitate, locare coactus fuerit; conductor, ſiue arendator ille non praeſumat ordinationem, et limitationem, ſiue continentiam Decreti quondam Sereniſſimi Principis Sigismundi Imperatoris transgredi: Sed dicare debeat iuxta illud Decretum, et ſecundum quod vnusquisque Dominorum Praelatorum, aut aliarum Eccleſiaſticarum Perſonarum decimas habentium, cum ſuo Comitatu concordauerit. Quodſi arendator, ſeu conducator ille, his conſtitutionibus, et dicto Decreto quondam Sereniſſimi Domini Sigismundi Imperatoris contrauenerit; homo per Comitatum electus cum decimatore deputatus, plenam extunc datam habeat facultatem, illum captiuandi, et Regiae Maieſtati praeſentandi. Regia vero Maieſtas, de illa pecuniarum ſumma, pro qua ille totales decimas conduxit, illi Praelato ſatisfacere, et respondere; illum vero conductorem, male, et contra ſtatuta Decretaque dicantem, caſtigare habebit.

9. Item; quod nullus Praelatorum, aut Decimatorum, ratione decimarum vsque Feſtum Purificationis Mariae Virginis, ponat interdictum, ſed inprimis, circa Feſtum beati Nicolai Confeſſoris, admoneat quemlibet ad ſoluendum, et tandem circa feſtum praefatum Purificationis Mariae, contumaces, et ſoluere recuſantes, ſubiiciantur Eccleſiaſtico interdicto. Vbi vero vina non procreantur, ſed tantummodo fruges, et *biada (g)* ibi tales decimae exigantur, temporibus hactenus ſolitis et conſuetis. Prima autem decimarum ſolutio, fiat ad feſtum Natiuitatis Domini; reliqua vero ad praedictum feſtum Purificationis Mariae Virginis.

10. Item; Quia multae hactenus differentiae, et inordinationes, in decimarum dicatione, et earundem exactione fuerunt. Statutum igitur, et diffinitum eſt; quod dum tempus huiusmodi dicationis decimarum aduenerit, Praelatusque ad eandem mittere voluerit; debeat prius Nobilibus illius Comitatus in Sede eorum Iudiciaria ſignificare. Qui quidem Nobiles teneantur, vnum bonum, et probum de medio eorum eligere, iuſtum, et conſcientioſum, et Praelato non

(a) Iam ſupra docuimus Villicos eſſe Iudices; id ipſum lex haec demonſtrat, et nota marginalis Zachariae Moſſody aſſerit.

(b) Confirmantur hic rurſum, quae de Plebanis diſſeruimus.

(c) Id eſt: dapes, oſtendit enim Du Cange Depiferum etiam appellatum fuiſſe fercularium.

(d) Quartale eſſe menſuram Du Cange docet, quanta autem fuerit, non ſatis conſtat, niſi quod quatuor efficiant vnum modium apud germanos, hic quoque idem eſſe non dubito.

(e) Hae frequentiſsime occurrunt in antiquis Vrbariis, ſeu praeſtationum tabulis, quod-uis placentae genus torta dicitur tantillo nobilior panis tortae nomen habuit, hinc plerumque in veteribus cartis, dicuntur tortae panis.

(f) Hoc genus menſurae a Gallis petitum eſt, continetque medias duas.

(g) Italicum nomen, quod auenam ſonat, quamuis etiam hordeo conueniat.

ſuſpectum, et cum ipſis decimatoribus ad expenſas ipſius Praelati mittere. Idem vero homo, per ipſos Nobiles electus, publice in ipſa Sede Iudiciaria iuramentum praeſtare debeat; quod ſcilicet tam Praelato, quam etiam Incolis illius Comitatus fidelis erit, nec quicquam ſiniſtre, et perperam, vel iniuſte, pro aliqua parte, fieri permittet, quodque neutri parti fauorabilis erit. Qui quidem Decimatores, ſi non debite, et non iuxta viſione..., atque iudicium ipſius hominis hoc modo electi dicauerint; praefatisque ordinationibus, et diſpoſitionibus temerarie contrauenire praeſumpſerint; idem homo electus, illos dicatores relinquere, et amplius cum eisdem procedere non audeat. Quodque ſi Praelatus requiſitus non emendauerit, et non rectificauerit, concluſum eſt; quod quandocunque id Regiae Maieſtati, ex legitima, et ſufficienti probatione conſtiterit, habita prius iuſta et diligenti ſuper his inquiſitione, (ex quo prioribus Decretis, ſuper ipſarum decimarum exactione, talibus nulla paena inflicta eſt) de Noſtra, et Dominorum omnium Praelatorum, et Baronum, Procerum, et Regnicolarum communi et vnanimi voluntate, tales hanc paenam perpetuo duraturam patiantur. Quod talis Praelatus, vel alia Eccleſiaſtica perſona, nunquam decimas ſuas de cetero cum pecuniis exigere poſſit, ſed eas de rebus illis, quas terra produxerit, in ſpecie recipere, et colligere teneatur: Ita tamen; quod ex vtraque parte ſine fraude, et calumnia; cum veritate, et iuſtitia res agatur.

11. Item; quod decimae cum gramminibus ſolitis, et conſuetis, et non aliter exigantur.

12. Item; quod decimae ipſae, ſecundum Decretum, et conſuetudinem, atque ordinationem, ſiue diſpoſitionem, quam vnusquisque Dominorum Praelatorum cum ſuo Comitatu habet, exigantur.

13. Item; quod ſi quispiam hominum, in exactione decimarum Regiae Maieſtati minus iuſte conqueſtus fuerit: Diffinitum eſt, et concluſum; quod comperta veritate, et viſa illius iniuſta querela, eo facto, talis in emenda linguae conuincatur.

14. *(a)* Item; quod Praelati Eccleſiarum, et eorum Vicarii, Citationes, et Monitiones generales non expreſſis illorum nominibus, contra quos huiusmodi Citationes, et Monitiones peterentur, dare non debeant: Neque etiam perſonas Laicas, et ſeculares, pro leuibus factis, et praeſertim illis, quae Eccleſiaſticum Forum non concernunt; aduocare. Sed, cum Citationes aliquas, vel etiam monitiones, ad alicuius inſtantiam, concedunt; expreſſis illorum citandorum, vel monendorum nominibus, et cauſis, pro quibus citari, vel moneri debent, concedant. Et pro leuibus cauſis citationes non decernant, ſed vnumquemque, ſiue ſecularium, ſiue Laicorum ad ſuum *Patronum (b)* remittant. Si vero aliquae eſſent cauſae, mere Eccleſiaſticum Forum concernentes; in his vnusquisque ſecularium, vel Eccleſiaſticarum perſonarum, coram ordinario ſuo primum proſequatur: Et deinde ſi contentus illius Iudicio non fuerit, ad ſuum Metropolita-

(a) alias 17.

Patronus loci quis?

(b) Id eſt Dominum loci, ita adnotauit in margine Zacharias Moſſody, et recte: multis enim exemplis probat Du Cange Patronum dici loci Dominum in Approbatis, et Compillatis Tranſyluanorum legibus Patronus dicitur Dominus. Haec ideo a nobis dicta ſunt, vt deferamus aliquid Zachariae Moſſody, mihi enim perſuaſum non eſt, hoc loco Patronum non eſſe Eccleſiae alicuius Patronum, exiſtimo enim ly ſecularis hic non aequiualere, alias ſuperflue poneretur ſiue ſecularium ſiue laicorum; neque inuſitatum erat Eccleſiaſticos, qui regulae Canonicae addicti non erant, ſeculares appellare; vt enim reliqua praetermittamus, apud Du Cange habet charta anni 1325. tom. 2. Hiſtoriae Meldenſis relata: „*vix inuenitur perſona ſecularis ſufficiens, quae velit regere dictam curam*, ſeu beneficium curatum.

litanum appellet, et ſic *conſequenter.* (a) In decernenda tamen citatione, vel admonitione, ab vnoquoque iuramentum de calumnia exigatur.

LXXXV.
SYNODVS REGIA
Vacii habita A: C: MCDLXXXV. in qua Regi aduerſus Turcas ſubſidium decernitur. *

Commiſſio propria Domini Regis.

Mathias DEI Gratia Rex Hungariae, Bohemiae &c. Fidelibus noſtris vniuerſis, et ſingulis Nobilibus et alterius cuiusuis ſtatus, et conditionis poſſeſſionatis hominibus Comitatus de Craſzna ſalutem, et gratiam. Cum his diebus fideles noſtri nonnulli Domini Praelati, ac Barones ceterique noſtri Regni Primores Nobiles totum Regnum noſtrum repraeſentantes in Ciuitatem Vacziensem pro tenenda certa Diaeta habendisque pro Regni noſtro publico, et communi bono tractatibus conueniſſent. Miſeramus in eorundem medium certos, ac nobiles *oratores (b)* noſtros per quos eisdem noſtram, Regnique noſtri neceſſitatem, ac deinde ſtatum cunctarum rerum noſtrarum gerendarum tam aduerſus Imperatorem Turcarum, quam cum Romanorum Caeſare habitarum, et item quid deinceps pro vtilitate eiusdem Regni, Nobis, atque iisdem Dominis Praelatis, et Baronibus noſtris agendum expediat declarauimus. Qui intellectis rebus, et neceſſitatibus noſtris, ac Regni noſtri. factaque inter ſe communi, et matura deliberatione Nobis pro prouiſione opportuna contra Turcas facienda, et item pro continuatione praeſentis victoriae noſtrae, quam DEVS Nobis contra Romanorum Caeſarem in expugnatione Viennae conceſſit, vt ſcilicet his expeditis, aliis rebus Regni noſtri commodius incumbere valeamus, ſubſidium contributionale vnius floreni de Bonis eorum, et veſtris, aliorumque quorumlibet obtulerunt. Ad cuius dicationem. et exactionem mittimus veſtrum in medium hos fideles homines noſtros praeſentium ſcilicet oſtenſores, requirentes fidelitates veſtras, eisdemque nihilominus firmiter mandamus, vt acceptis praeſentibus ſtatim bona, et poſſeſſiones veſtras eisdem hominibus noſtris iuxta collationem eorundem Dominorum Praelatorum, et Baronum noſtrorum modo ſolito dicare, et connumerare permittatis, dicatamque, et connumeratam eorundem contributionem de iisdem bonis, et poſſeſſionibus veſtris tam commodum, quam incommodum etiam . . . . . . regnicolarum noſtrorum, ſi omni renitentia, et difficultate atque dilatione eisdem hominibus noſtris modo praemiſſo extradare debeatis, quoniam alioquin commiſimus, et praeſentibus firmius committimus, fidelibus noſtris Comiti, vel Vice Comiti, Iudlium veſtris, vt ipſi vos, et quemlibet veſtrum ad hoc faciendum per omnia oppurtuna media, et granamina veſtra, ac Iobbagionum veſtrorum arctius compellant, et conſtringant, auctoritate noſtra praeſentibus ipſis hac in parte attribut.. mediante. Secus ergo non facturi. Praeſentibus perlectis exhibenti reſti-

(a) Licet in ſubſequentibus Synodis Regiis Romae cauſam inchoare, vetetur, appellatio tamen hic diſtinctis verbis admittenda decernitur.

(b) Solent Reges noſtri ad Diaetas nonnunquam aliquos mittere, quos Comiſſarios vocamus.

reſtitutis. Datum Viennae Sabatho poſt *feſtum (a)* Sacratiſſimi Corporis Chriſti, anno Domini Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quinto. (L.S.)

LXXXVI.
SYNODVS REGIA
Matthiae primi ſeu Decretum VI. maius vocatum, Anni MCDLXXXVI.



1. (b) Quia per homines Capitulorum, et Conuentuum, qui pro Teſtimoniis transmittuntur, pro fauore, pretio, dono, odio, timore, et complacentia, plurimae, et incredibiles enormitates, tam in faſſionibus, quam etiam literarum emanationibus committi ſolent: Hoc vero ex eo, potiſſimum fieri conſueuit; quia non Canonici, ſed Rectores Altarium, vel Capellani, et frequenter etiam Scholares, et Mendicantes, et quidem tales ad executiones mittuntur, qui facillime corrumpi poſſunt. Idcirco, vt huic malo, debita prouiſione occurratur, ſtatutum eſt: Quod in omni loco Capitulari, et Conuentuali teneantur Canonici, et Fratres, in manibus Praelati, vel Vicarii ſui iuramentum de ſeruanda in executionibus iuſtitia deponere: quodque deinceps nemo alius de Capitulo, niſi Canonicus, de Conuentu vero, niſi Frater in Sacerdotio conſtitutus, ad executiones mittantur. Hi vero feriatim transmitti debeant. Et quandocunque ab aliqua executione reuertuntur: quae executi ſunt, ſub iuramento referant. Pro via autem, et in redemptionibus litterarum; teneatur ille modus, et ordo, qui tempore, quondam Domini Sigismundi Imperatoris tentus fuit, et qui etiam in praeſenti Decreto inferius eſt declaratus. Cum autem pro aliqua euocatione, vel inquiſitione facienda, vel alia quacunque re emittuntur; inquiſitionem ipſam cum homine Regio, qui bonus, et conſcientioſus, atque bene poſſeſſionatus eſſe debebit, facere debeat. ſingillatim tam a Nobilibus, quam ignobilibus, et ab omnibus etiam aliis, quos habere poterit. Antequam tamen inquirat; ſtrictiſſimum iuramentum ab eis exigere teneatur: Quod quidquid ab eis interrogabit; fideliter, et veraciter confitebuntur. Poſtmodum vero nominatim, vnde ſcilicet ſint? et ſi ignobiles fuerint, cuius ſunt Iobagiones? cuius etiam conditionis? Et item, quod de re, de qua inquirit, quilibet ipſorum ſcire confitebitur de verbo ad verbum, ſingulorum ſcilicet atteſtationem ſcribere debeat, et teneatur. Si quis vero huiusmodi ordinationis transgreſſores reperti fuerint;

a) biennio obſeſſam Viennam tradit Chronicon Mellicen. apud Pecz in Scrip. I. Auſtr. Tom. I. col. 268. ad annum 1485. adnotat idem Chronicon, deficiente pane viri freti prudentia ſe Regi tradentes in ſacra vigilia Corporis Chriſti triumphantem cum gloria ſusceperunt.

(b) alias 20.

rint; tanquam periuri, et falſarii, atque communis boni, communisque iuſtitiae proditores; eorum beneficiis eo facto priuati ſint, et habeantur; Et Praelati eorum, aliis illa conferre teneantur: neque eis quoquomodo gratiam facere valeant.

2. *(a)* Item; quia propter incuriam, et negligentiam Abbatum, et Praepoſitorum Regularium, potiſſimum vero conſtitutionem non obſeruantium, Conuentus eorum multum inordinate, diſſolute, et ſcandaloſe viuere; ac in emanationibus litterarum, et in executionibus faciendis, plurimas enormitates, et falſitates committere ſolent. Idcirco de Regiae Maieſtatis voluntate, ac Dominorum Praelatorum, Baronum, et Procerum, ceterorumque Regnicolarum communi conſilio, concluſum, et diffinitum eſt: Quod amodo Abbatias, et Praepoſituras Conuentuum regularium, potiſſimum vero ſigilla habentium, nulli alii, niſi Religioſi eius ordinis, cuius Abbatiae, vel Praepoſiturae fuerint, tenere poſſint. Quodque ipſi Abbates, et Praepoſiti, ſimul cum omnibus eorum Fratribus, regularem vitam, iuxta ordinis ſui ſtatuta, ſeruare teneantur.

3. *(b)* Item; quod Epiſcopi in quorum Diaeceſi huiuſcemodi Abbates, et Praepoſiti fuerint, teneantur eosdem, atque etiam eorum Conuentus, bis ſingulis annis perſonaliter viſitare. Si autem maioribus occupati, vel abſentes fuerint, per ipſorum Vicarios, et Praepoſitos, aut alios bonos, et doctos viros Eccleſiaſticos, hoc nihilominus facere teneantur. Et ſi Abbates, vel Praepoſiti ipſi, regulam eorum non obſeruare, vel alias malam vitam ducere, aut etiam Epiſcopis ſuis inobedientes fore dignoſcentur; deponantur per eosdem, et meclioribus eorum beneficia conferantur. Ex Conuentu etiam Fratrum, ſi qui mali, et inobedientes fuerint; per Viſitatores eiiciantur. Nam, ſi Abbates, et Praepoſiti boni erunt; Fratres boni fiant, neceſſe eſt. Et ſic, neque in litterarum emanationibus, neque aliis in rebus, falſitas committi poterit.

4. *(c)* Item; quia inter Praelatos, ceterosque Viros Eccleſiaſticos, ac Nobiles, nonnunquam lites, et controuerſiae ſuboriri conſueuerunt, et pars partem, omni via, modo, et arte, grauare laborat. Pro tranquilliori igitur ſtatu, et commodo Regnicolarum, ne ſcilicet pars in partem, in hoc caſu, habeat imperium; ſtatutum eſt; Quod ſi Praelati, et alii Eccleſiaſtici, contra Nobiles, in praeſentia cuiuscunque Iudicis, litem mouerint, pro re, et cauſa, pro qua ſcilicet agetur; lite ipſa pendente, ſine certa ſcientia Regiae Maieſtatis, interdictum in eos ponere, vel contra ipſos ſententiam excommunicationis ferre non debeant: Ne potius ex paſſione, quam aequitatis amore, tuliſſe eam videantur. Et ſi Praelati, vel aliae Eccleſiaſticae perſonae in praeſentia alicuius Iudicis, iuris ordine conuicti fuerint, in eadem grauamina, quibus aduerſarios onerare intendebant, eo facto incidant.

5. *(d)* Item ſtatutum, et diffinitum eſt, prout etiam per Sereniſſimum quondam Dominum Sigismundum Imperatorem ſancitum fuiſſe dignoſcitur. Quod nullus Banus, Comes, Waiuoda, ſeu alius officialis Regius, cuiuscunque tituli authoritatis, dignitatis, et praeeminentiae exiſtat; Eccleſias Archi-Epiſcopales, Epiſcopales, Abbatiales, Praepoſitales, et alias quascunque Iuri Patronatus Regio conſeruatas, et diſponendas, earumque pertinentias, fructus, et reditus; ſed neque decimas, et poſſeſſiones, intra terminos, et limites ſui honoris, ſeu officiolatus, absque ſpeciali man-

(c) alias 28.
(d) alias 37.

(a) alias 11.
(b) alias 12.

mandato Regiae Maieſtatis occupare, aut de eisdem partialiter, aut totaliter ſe ingerere praeſumat.

6. *(a)* Ceterum, quamuis ab eo tempore, quo Regia Maieſtas, diuina diſpoſitione, ad Regiam dignitatem ſublimata eſt, in omni Diaeta, in omni conuentu, in omni denique congregatione Regnicolarum, tractatum ſemper fuerit, de ſolutione decimarum, qualiter ſcilicet, et quo ordine illae ſolui deberent; plurimae etiam ſuperinde conſtitutiones factae exſtiterunt; nunquam tamen adhuc modus, et via reperta eſt, quod partes contentae fuiſſent, et querelae ceſſaſſent. Et idcirco etiam in praeſenti Diaeta, licet multum diuque, tam a Regia Maieſtate, quam etiam Regnicolis ſuper hoc cogitatum fuerit; melior tamen, et conuenientior via, et modus reperiri non potuit; quam fuit tempore coronationis Regiae Maieſtatis repertus. Eam ob rem ſtatutum eſt, et concluſum: Quod amodo perpetuis, ſucceſſiuis temporibus, decimae ipſae ſoluantur, et exigantur, iuxta diſpoſitionem, tempore praefatae coronationis factam. Hoc tamen adiecto: quod quandocunque Decimatores in aliquo Comitatu exigere voluut; vnum, aut duos ex his Nobilibus, quos Regia Maieſtas in omni Comitatu deligere habebit, ad expenſas Epiſcopi, vel Capituli, ſecum ducere teneantur, qui imprimis prouideant, quod decimae vbique iuſte, et bono modo exoluantur. Deinde quod Decimatoribus, iniuſtas et ſuperfluas decimas dicare non permittant. Qui quidem Decimatores, ſi eis non parebunt, teneantur Epiſcopo, vel Capitulo reſcribere, et eum auiſare. Et ſi ille, vel illud, non prouidebit, et non rectificabit; teneantur Regiae Maieſtati ſignificare: Quae pro bono communi, et quiete Regnicolarum, pro ſua gratia, et clementia, hoc onus ſubire debeat; quod tam ex parte Epiſcopi, vel Capituli, quam etiam decimatorum, talem iuſtitiam faciat, quod Comitatus bene, et merito contentus eſſe valeat: Interim vero exactio decimarum ceſſare debeat, et eius occaſione, Epiſcopus interdictum ponere non valeat.

7. *(b)* Item ordinatum eſt (prout etiam per Sereniſſimum quondam Dominum Sigismundum Imperatorem ordinatum fuiſſe conſtat:) Quod Decimatores iuramentis decimantium contentari debeant: et ſi contentari noluerint, acervum liberam exami audi habeant facultatem. Qui ſi plus inuenient, quam ruſticus dixerit; ſuperfluitatem auferant: et vltra hoc; iuſtam eidem decimam, ad ſoluendum imponant. Si vero iuxta dictum ruſtici comperient; ruſtico pro damno in ſubuerſione, aceruí illato, vnum aureum e veſtigio ſoluere teneantur. Quem ſi ſoluere recuſarent, vel difficultarent; ruſticus ipſe equum decimatoris libere auferre valeat. Quod vt facilius, et commodius facere poſſit. praeſenti decreto cauetur; quod Decimatores, antequam aceruum examinare incipiant, equos deſcendere, et in domo, vel curia ruſtici decimantis, illos ligare teneantur.

8. *(c)* Item; quod in Diaeceſi Agrienſi, ruſtici animalia dicata, ſolummodo vsque Feſtum Sancti Michaelis ſeruare teneantur. Et ſi poſtmodum ipſa animalia caſualiter perierint, ruſtici ipſi, propterea nullo modo grauari debeant: ſed tamen iurare teneantur; quod non eorum culpa, neque malitia, neque voluntate perierint.

9. *(d)* Item; ſolent nonnulli in certis Comitatibus, tempore decimarum in ſingulis poſſeſſionibus ſuis, vnum hortum cum biadis et frugibus; et item vnum cellarium cum vinis pro ſe retinere, et decimas prouenire habentes pro ſe

(a) alias 40.
(b) alias 41.

(c) alias 42.
(d) alias 43.

ſe exigere. Et quia huiusmodi abuſio, contra Sanctorum Regum ordinationem inducta eſſe dignoscitur: Sic enim per illos ordinatum fuiſſe conſtat; quod villici duntaxat, et hi quoque propter labores, ſeruitia, et expenſas, quas in colligendis decimis ipſis facere habeant, relaxentur. Proinde ſtatutum eſt; quod huiusmodi abuſio ſopiatur, et perpetuo abolita intelligatur: ita, quod nullus hortus, nullumque cellarium Dominis terreſtribus in decimatione relinquatur. Renitentes vero, et transgreſſores; Comes per remedia opportuna aſtringat: Qui ſi tepidus fuerit, aut ſimpliciter facere recuſauerit; Regiam Maieſtatem ſuperinde auiſare debeat: quae tandem illos compellere teneatur.

10. *(a)* Item; concluſum eſt, quod, ſi qui Regnicolarum, cuiuscunque ſtatus, et conditionis exiſtant, ſuper decimis, cum quibuscunque perſonis, et a quocunque tempore, in Curia Romana hactenus litigaſſent, vel etiam in praeſentiarum litigarent; cauſas amodo ceſſare ibi faciant, et vsque ad primum diem menſis Maii, Feſtum videlicet beatorum Philippi, et Iacobi Apoſtolorum, proxime venturum, ad hoc Regnum in Sede Iudiciaria Regiae Maieſtatis discutiendas revocare teneantur. Ad quem quidem terminum, ſi qui reuocare, et coram Regia Maieſtate comparere neglexerint; ea ad partis comparentis inſtantiam, non obſtante illorum contumacia, vel abſentia, quod iuſtum fuerit decernere, et cauſam ipſam finaliter terminare, et tam de ſumma, et damno Capitali, quam etiam de expenſis, ſententiam ferre, atque eam debitae executioni, vigore praeſentis Decreti, demandare debebit.

11. *Ceterum (b)* ordinatum eſt: Quod deinceps nemo omnino Regnicolarum, neque pro decimis, neque pro aliis quibuscunque rebus (prout inferius clarius tangetur) ſub poenis ibidem inferius expreſſis, in dicta Curia Romana litigare praeſumat. Si qui autem Dominorum Praelatorum, aut aliae Eccleſiaſticae perſonae, cum quibuscunque Regnicolis, aut e contra; vel ratione executionis, vel etiam ſuper eo; vtrum iuſte, et integre decimae eis ſolui debeant? vel alio quocunque modo, ſuper decimis, aut etiam aliis rebus quibuscunque litis mouere, vel motas proſequi voluerint; id eis coram Regia Maieſtate libere, ſed nusquam alias liceat: Quae ex ſuſcepti Regiminis officio vnicuique, iuxta allegata, et approbata, quod iuſtum fuerit, decernere habebit. Hoc tamen per expreſſum declarato; quod cauſas decimarum, non alii Iudices Regni, niſi ſola Regia Maieſtas perſonaliter ſemper diſcutere poſſit, et valeat.

12. *(c)* Item; quod minuti Conuentus, et praeſertim Conuentus de Szent *Jogh (d)* deinceps ab emanatione litterarum ceſſent, et omni careant firmitate.

13. *(e)* Item; ſolent plerumque exercituantes, in eorum progreſſibus, Eccleſias, propter commeatus, ſiue victualia, et alias res per colonos pro ſecuritate, ad easdem collatas DEI, et hominum timore poſtpoſito, violare, et inde non ſolummodo victualia neceſſaria, ſed etiam omnia alia bona eorundem Colonorum ſurripere, et ibi alia etiam enormia, et dictu quoque nefanda impune committere. Quare vt eorum temeritas, et deteſtanda licentia compescatur, ſancitum eſt: quod amodo, nemo omnino, ſiue eques, ſiue pedes fuerit, et ſiue cum exercitu, ſiue aliter qualitercunque iter facere habeat; oſtia Eccleſia-

V v v

(a) alias 44.
(b) alias 45. De hac et ſuperiore lege videatur Diſſertatio noſtra de Synodis Regiis.
(c) alias 59.
(d) Cl. Pray oſtendit hunc Conuentum in honorem dextrae S. Stephani fundatum fuiſſe.
(e) alias 61.

Digitized by Google

cleſiarum infringere, vel aliter Eccleſias profanare, aut victualia, vel aliquas alias res inde violenter excipere audeat. Vbi vero deinceps contrauentum fuerit: Si Capitaneus eiusmodi copiarum Nobilis fuerit; tam iura ſua poſſeſſionaria, quam etiam omnia alia bona ſua amittat, et ad Fiſcum Regium deuoluta ſint, et habeantur eo facto. Si autem eiusmodi transgreſſores ignobiles fuerint; comburantur. Hanc vero executionem Supremus Capitaneus exercitus facere teneatur. Qui ſi neglexerit, vel forte ipſemet Sanctionem iſtam transgredietur; auiſata Regia Maieſtas ſuperinde pro ſua gratia, et iuſtitia, atque innata clementia, executionem fieri demandet. Et ſi gentes illae Maieſtatis ſuae fuerint; Eccleſiam reconciliari faciat: Si vero aliorum fuerint; illi, quorum erunt, huiusmodi reconciliationem facere teneantur. Hoc adiecto: quod ſi tales exercituantes, victualium inopia laborauerint, Plebanus aut Iudex, aut Villicus loci, Eccleſiam aperire. et illis gentibus coram illo, quem Capitaneus earundem copiarum ad id deputauerit, pro iuſto, digno, et conuenienti pretio, et ſolutione, victualia de Eccleſia dare teneatur.

14. *(a)* Ceterum; quia Archidiaconi, Vice-Archidiaconi, et Plebani, propter eorundem inſatiabilitatem, non contenti iuſtis, et veris ipſorum prouentibus, quandam deteſtandam, et extra hoc Regnum inauditam corruptelam, potiſſimum vero in Comitatu Simigienſi induxiſſe dignoſcuntur, videlicet; quod dum contigit aliquem, quocunque modo interfici, ſi etiam teſtatus decedat, ſepultura illi, et in Eccleſia, et etiam in coemeterio interim negatur, donec vltra omnia funeralia, et alia, pro locorum conſuetudine, et diuerſitate, in talibus fieri ſolita. vna *marca (b)* argenti, vel quatuor aurei ſoluantur. Quae res quia non ſolummodo abuſio, et corruptela, verum etiam quoddam Sacrilegii, et Simoniae genus merito cenſeri poteſt. Eam ob rem praeſenti Decreto ſtatutum eſt: Quod amodo deinceps. eiuscemodi exactionis genus, vbique, et ſignanter in dicto Comitatu Simigienſi ceſſet. et perpetuo aboleatur. et nemo Archidiaconorum, Vice-Archidiaconorum, et Plebanorum, eorumque vices gerentium, ſub poena amiſſionis beneficiorum, extorquere praeſumat. Prout hoc etiam. tempore quondam Sereniſſimi Domini Caroli, Regis Vngariae, &c. in praeſato Comitatu Simigienſi, per Bullas Apoſtolicas ad petitionem, et inſtantiam eiusdem Domini Regis, caſſatum, et exſtinctum fuiſſe. ex eisdem Bullis in praeſenti congregatione Regnicolarum publice perlectis manifeſte dignoſcitur.

15. *(c)* Item; quia ex Comitatibus ſaepenumero Vniuerſitas Nobilium interdum pro rebus totius Comitatus. interdum vero iuſſu Regiae Maieſtatis, nuncios, et electos Nobiles, ad Maieſtatem Regiam mittere ſolet; nonnulli autem ſunt tam ſpirituales, quam etiam ſeculares Domini, et item Nobiles. Abbates Praepoſiti, Capitula, et Conuentus. qui inſtar aliorum, de bonis ipſorum expenſas huiusmodi, nunciis, et electis dare recuſant, et ſe ab huiusmodi expenſarum contributione penitus ſubtrahunt: Qua in re Vniuerſitati Nobilium, et potiſſimum, qui inferiores conditionis exiſtunt. non mediocris iniuria inferri dignoſcitur. Quare praeſenti Decreto ſancitum eſt: quod a modo omnes, et ſinguli, cuiuscunque Status, et conditionis poſſeſſionati homines exiſtant et in quocunque Comitatu conſtituantur; expenſas per communitatem diſponendas de bonis, et poſſeſſionibus ſuis, ad ratam portionem, ſiue ſortem eorundem in medium communitatis ſemper perſoluere, et perſo-

(a) alias 63.
(b) Leuis ponderis vtpote cum quatuor florenorum ſit.
(c) alias 64.

perſolui facere debeant, et teneantur. Demptis tamen illis Dominis, Praelatis, Baronibus, ceterisque poſſeſſionatis, qui tempore congregationis ad Regiam Maieſtatem nominatim, et perſonaliter per litteras vocabuntur: verumtamen alias, cum ſcilicet factum Comitatus agitur, quilibet contribuere teneatur. Renitentes autem, Comes illius Comitatus, etiam cum grauaminibus, in talibus fieri ſolitis, hoc eſt; onere trium marcarum leuis ponderis, compellere debeat, et teneatur.

16. *(a)* Item; quod Seculares perſonae contra Eccleſiaſticas, in iudicio, in maiori onere non conuincantur; quam Eccleſiaſticae contra Seculares conuincerentur.

17. *(b)* Ceterum; in redemptionibus litterarum Capitularium, et conuentualium, nec non ſuper ſatisfactione viarum, ſeu laborum, quos Teſtimonia Capitulorum, et Conuentuum, in executionibus facere habent, ne diſcordiam oriri contingat, concluſum eſt. Quod in hoc parte ſeruetur limitatio, tempore quondam Sereniſſimi Domini Sigismundi Imperatoris facta, et tandem per Regiam Maieſtatem tempore felicis coronationis confirmata. Ita videlicet, quod in omnibus locis, tam Capitularibus quam Conuentualibus, de Euocatoriis, prima, ſecunda, et tertia, ſimul cum eorum Notario, et ſcriptore, pro redemptione litterarum, recipiantur ſeu ſoluantur ſinguli denarii viginti quatuor, quorum centum, *unum aureum (c)* faciunt, item pro Litera prorogatoria, denarii quatuordecim. Item; pro qualibet Litera Prohibitoria, Proteſtatoria, et aliis ſimilibus, ſi patenter emanantur; denarii viginti quatuor: ſi vero clauſe; denarii duodecim. Item; pro qualibet Litera Faſſionali, emanata priuilegialiter; denarii centum: Patenter vero; denarii viginti quatuor: Clauſe autem; denarii duodecim. Item; pro qualibet Litera Inquiſitoria, ſiue patenti, ſiue clauſa; denarii viginti quatuor. Item; de paribus antiquarum Literarum, in conſeruatorio requiſitarum; cuſtodi, ſeu requiſitori per ſe, denarii centum: Et pro redemptione literae requiſitae, ſi non habuerit multum de ſcriptura, et patenter confecta fuerit; denarii viginti quatuor: Si vero labor ſcribendi fuerit magnus, et litera priuilegialiter confecta; denarii centum. Item; de ſimplicibus tranſcriptis, ſeu tranſumptionalibus literis patenter emanatis, vbi labor ſcribendi magnus non foret; denarii viginti quatuor: vbi autem litera fuerit prolixa, aut priuilegialiter emanata; denarii centum. Item; de litera Statutoria, in qua contradictio facta fuerit; denarii viginti quatuor. De Literis vero ſtatutoriis perpetuis, in quibus contradictio facta non fuerit; recipiatur redemptio literarum, ſecundum quantitatem poſſeſſionis, et numerum Seſſionum, modo ſubſcripto: videlicet de Seſſione vna, duabus, vel tribus, vel quatuor, in toto denarii centum. Vbi autem fuerint vltra quatuor Seſſiones vsque ad decem; de qualibet Seſſione denarii triginta quatuor; vbi fuerint vltra decem, vsque ad viginti; de qualibet Seſſione, viginti quatuor denarii: vbi vero fuerint vltra viginti, vsque centum; de qualibet Seſſione denarii duodecim: ſi vero fuerint vltra centum vsquequaque, de qualibet Seſſione denarii octo. Item; de Literis Reambulatoriis metalibus, in quibus contradictio, et euocatio facta non fuerit; denarii viginti quatuor. In Reambulationibus autem metalibus, in quibus ſimplex conſignatio; vel cum hominibus Regiis, de Curia Regia tranſmiſſis, ſimilis conſignatio, vel finalis metarum erectio, cum iuramento ſuper terram, in forma iudiciaria, aut partibus concordantibus

(a) alias 72.
(b) alias 74.

(c) Florenus hic intelligitur, modernis noſtris ſimilis , qui centum denariorum ſunt.


Digitized by Google

facta fuerit, pro redemptione literae denarios quadringentos. Ubi autem partibus, in huiusmodi reambulationibus, et demonſtrationibus metalibus, diſcordantibus, cauſa in Curiam Regiam inducta fuerit; tunc pro redemptione literarum talium; denarii ducenti. Item; de communi Inquiſitione, ordine iudiciario commiſſa; denarii centum. Item; de Reuiſione poſſeſſionariae occupationis; denarii centum. Item de occupationibus poſſeſſionis, hominum in ſententia Capitali conuictorum, et rerum ablationibus, iudiciaria commiſſione mediante fiendis de rebus ablatis ex antiqua conſuetudine, Capitulum habebit decimam partem: Pro redemptione autem literarum; denarii centum. Item; de aeſtimationibus poſſeſſionariis, iudiciaria commiſſione fiendis; denarii centum. Item; de poſſeſſionariis Diuiſionibus; de ſingulis Poſſeſſionibus diuiſis, ſinguli denarii centum. Item; de expeditoria iuramentali; denarii viginti quatuor. Item; de Expeditoria iuramentali, continente nomina; denarii centum.

18. (a) Item; de ſolutionibus pecunialibus coram Capitulis, vel conuentibus, vel eorum Teſtimoniis fieri ſolitis; Capitulum, ſeu conuentus decimam et nonam partem exigere non poſſint; niſi quando propter diſcordiam partium, in eorum ſacriſtiis, ſeu conſeruatorio, huiusmodi pecuniae repoſitae fuerint; de talibus nempe de iure decimam et nonam partem recipere poſſint: ad illius tamen partis rationem; quae cauſam dederit, vt pecunia huiusmodi in conſeruatorio reponeretur. Perſonis autem teſtimonialibus Capitulorum, et conuentuum pro ſingulis diebus, quibus in itinere proceſſerint, ſoluantur ſinguli duodecim denarii, ſiue in propriis equis, ſiue in equis cauſantium tranſeant, et ducantur. Et ipſos, ad facta ſua conducentes; ſimul cum equis, et familiaribus eorum, de domo iterum in domum, ſemper ducere debeant, et reducere.

19. (b) Statutiones autem poſſeſſionariae metarum reambulationes, et reuiſiones, aliter fieri non debeant, niſi vicinis, et commetaneis huiusmodi poſſeſſionum inibi legitime conuocatis. Et vt fraus, et dolus in talibus melius euitetur; nomina ſingulorum vicinorum, et commetaneorum tempore praemiſſorum proceſſuum, illuc principaliter conuenientium in Litteris Capitularibus, et Conuentualibus ſuperinde emanandis, ſeriatim conſcribantur.

LXXXVII.
SYNODVS REGIA
Coronationis Uladislai A: C: MCDXC.



Nos Vladislaus DEI gratia Vngariae, Bohemiae Rex, ac Marchio Morauiae &c. recognoſcimus, et tenore praeſentium ſignificamus, quibus expedit vniuerſis.

1. Quod cum his diebus ſuperioribus, Sereniſſimus Princeps quondam Dominus Matthias Rex Vngariae, et Bohemiae, &c. Praedeceſſor noſter bonae memoriae, ab hac luce abſque haeredum legitimorum ſolatio deceſſiſſet: Domini Praelati, et Barones, ceterique Proceres, et vniuerſi Incolae Regni eiusdem, ad quos

(a) alias 76. (b) alias 77.

cl 491.

Digitized by Google

quos ſcilicet ius eligendi nouum Regem, ex vetuſtiſſima Regni ipſius libertate, et conſuetudine deuolutum exſtiterat, animaduertentes ſe Principe orbatos eſſe, nec poſſe commode, et ſine omni detrimento Regni, diutius capite carere; poſt plures tractatus, de nouo Rege eligendo, et praeficiendo, inter ſe habitos, oculos mentis ipſorum in Nos coniecerunt, et ceteris omnibus Principibus Chriſtianis, competitoribus ſcilicet noſtris, qui videlicet Regnum ipſum ſimiliter ambiebant, Nos praetulerunt, ſibique cum infraſcriptis conditionibus, pactis, et articulis, in Regem, Dominum, et Principem elegerunt, et ſolenniter pronunciauerunt; ac tandem miſſis nobis obuiam, de eorum medio, nonnullis Praelatis, et Baronibus, in ipſum Regnum Vngariae feliciter coronandum introduxerunt. *(a)*

2. *(b)* Quod Regnum Vngariae, cum ceteris Regnis, et Prouinciis ſibi ſubiectis, Dominosque Praelatos, et Barones, omnes Eccleſias, Eccleſiaſticasque perſonas, ac Nobiles, et Ciuitates, nec non ceteros incolas, et inhabitatores ipſius Regni, conſeruabimus in antiquis iuribus, priuilegiis, immunitatibus, libertatibus, et conſuetudinibus approbatis, in quibus ſcilicet per Dominos quondam Reges conſeruati, quibusque vſi, et gauiſi fuerunt: ita quod nullas prorſus nouitates (quemadmodum praefatus Dominus Matthias Rex fecerat) in eorundem detrimentum, et oppre ionem et contra huiusmodi antiqnas libertates ipſorum, ſub antiquo quaeſito colore, introducamus. Introductas vero per ipſum quondam Sereniſſimum Dominum Matthiam Regem aboleamus: Contributionem, ſeu taxam vnius floreni, nulla ratione exigamus, ſed antiquis iuſtis, ordinariis, et conſuetis prouentibus Regalibus contenti eſſe debeamus.

 SY-


(a) Epiſtolam Praelatorum, et Baronum hoc in merito ad ciuitatem Bartphensem datam, ex autographo ſubiungendam duximus, cui ſimiles ad alios quoque Comitatus et Ciuitates miſſas non dubitamus, eſt autem talis: Prudentes ac circumſpecti viri, amici nobis dilecti. Ad aures veſtras iam perueniſſe non dubitamus, qualiter nos communi volontate, et vnanimi voto proximorum, et procerum huius Regni, ceterorumque Regnicolarum, Fratrum ſcilicet noſtrorum Sereniſſimum Priocipem Dominum Ladislaum Regem Bohemiae &c. in Dominum et Regem noſtrum, ac totius Regni elegimus, et iam huc Budam, in Sedem videlicet, et mansionem Regiam feliciter locauimus, quem etiam in breui ſolenniter coronabimus. Quia vero Illuſtriſſimus Dominus Iohannes Albertus Dux, Frater eiusdem Domini Regis, hoc non aduertens contra omne ius et licitum Regnum hoc, prout ſcitis cum exercitu intrauit, et illud ſibi hoc modo vſurpare intendit, plurimasque deſolationes, depraedationes, et ſpolia, atque rapinas vbique in ſuo tranſitu fieri permittit. Cui malo Maieſtas Domini noſtri Regia occurrere, et tranquillitati ac quieti Regni huius, et veſtrae conſulere volens, eundem Dominum Iohannem Albertum perſonaliter cum ſatis numeroſo exercitu, et cum vniuerſis viribus ſuis, quas magnas habet, inſequi decreuit, prout id ſua Maieſtas inter alios fideles ſuos etiam amicis noſtris ſatis aperte litteris ſuis ſignificauit. Idcirco rogamus, et hortamur amicitias veſtras, veliot per ſolita ipſorum in Regium decus, et mandatum, deuotione ac reuerentia ad requiſitionem ſuae Maieſtatis, cum vniuerſis gentibus, et ingeniis veſtris, meliori modo quo fieri poterit, parati eſſe, ac mandatis ſuis, prout vobis latius ſcripſit, in omnibus obedire, in quo incredibilem veſtram erga Maieſtatem ſuam deuotionem et fidelitatem non mediocriter declarabitis, quod et ſua Maieſtas erga vos poſtea gratioſam certe recognoscere curabit. Datum Budae Feria quinta proxima poſt Feſtum beati Laurentii Martyris, anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo nonageſimo. Praelati, et Barones Hungariae, nunc Budae cum eadem Regia Maieſtate conſtituti.

Prudentibus, ac circumſpectis, Iudici et Iuratis, ceterisque Ciuibus Ciuitatis Bartfenſis, amicis noſtris ſincere dilectis.

His Litteris appreſſa ſunt ſigilla ſecreta quatuordecim Dominorum Praelatorum, et Baronum.

(b) Iſte eſt alias articulus primus,

LXXXVIII.
SYNODVS REGIA
VLadislai II. Anni MCDXCII.



I.
Leges prout in editis habentur.

1. Quod Regia Maieſtas Regnum Hungariae cum ceteris Regnis ſcilicet Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae, et partibus Tranſyluanis, ac Prouinciis ſibi ſubiectis, Dominosque Praelatos, et Barones, omnes Eccleſias, ac Eccleſiaſticas perſonas, ac Nobiles, et Comitatus, nec non ceteros incolas, et inhabitatores eorundem Regnorum, et partium Tranſyluanarum conſeruabit in antiquis iuribus, et priuilegiis, immunitatibus, et conſuetudinibus approbatis. In quibus ſcilicet per diuos condam Reges conſeruati, quibusque gauiſi, et vſi fuerunt; ita quod nullas prorſus nouitates, quemadmodum quondam Dominus Rex Matthias in eorum detrimentum, et oppreſſionem contra huiusmodi antiquas libertates ipſorum ſub aliquo colore quaeſito introducat. Introductas vero per eundem condam Sereniſſimum Dominum Matthiam Regem aboleat, contributionem vero ſeu taxam vnius floreni nulla ratione exigat, ſed antiquis, iuſtis, ordinatis, et conſuetis prouentibus regalibus ſit contenta.

(a) 2. Quod exercitus generalis Dominis Praelatis, Baronibus, nec non Regnicolis, aliisque poſſeſſionatis cuiuscunque conditionis hominibus tam diu donec officiales, et ſtipendiarii regales exercituantes aduerſariis reſiſtere poterunt, non proclametur, dum vero neceſſitate vrgente exercitum generalem proclamari contigerit, extunc Domini Praelati, et Barones banderiati, regnique Nobiles vltra metas, et confinia Regni ex quacunque parte eiusdem Regni inuiti more exercituantium non ducantur, antiqua eorum libertate requirente, demptis illis, qui ſtipendia regalia leuarent.

3. *(b)* Item; quod difficultatibus, quae in modo exercituandi ſaepius euenire poſſent, via praecludatur, declaratum eſt, et ſtatutum: Quod quandocunque Maieſtas Regia extra hoc Regnum ſuum pro ſuo proprio commodo, vel vtilitate priuata, exercituare voluerit; tunc Domini Praelati, et Barones, ac Nobiles Regni, ceterique poſſeſſionati homines, inuiti cum ſua Maieſtate ire non teneantur, neque ipſorum homines mittere, et nec debeant ad hoc quouis modo compelli: niſi ſi officiales Regiae Maieſtatis fuerint, aut ſtipendium a Maieſtate ſua ad huiusmodi exercitum leuauerint. *Quando (c)* autem contigerit, quod hoſtes, aut inimici qualiscunque Nationis, bello,

(a) alias 18.
(b) alias 19.

(c) In MS. Bartfenſi habetur *cum*.

bello, aut exercitu, Regnum hoc, vel eius confinia hoſtiliter inuaſerint; interim quousque officiales, et ſtipendiarii regales huiusmodi hoſtibus, et inimicis reſiſtere ſufficiunt, Maieſtas Regia, exercitum generalem indicere, et promulgari facere non debeat. Verum ſi tanta fuerit hoſtium potentia, quod viribus dictorum officialium, et ſtipendiariurum regalium, illis reſiſtere non ſufficiens ſit; Maieſtas Regia exercitum generalem neceſſario indicere, et promulgari facere habebit. Et, ſi Regia Maieſtas, aut Palatinus, vel Generalis Capitaneus Regni pro tempore conſtitutus ad huiusmodi Generalem exercitum perſonaliter proficiſceeretur, *(a)* tunc etiam Domini Praelati, et Barones Banderia habentes, leuatis Banderiis eorum; ceteri vero Barones, et Nobiles, modo inferius declarato, et ordinato ire teneantur, vsque ad metas, et terminos Regni, et non extra, antiqua ipſorum libertate requirente: Demptis, vt praemiſſum eſt, officialibus, et ſtipendiariis regalibus ſupradictis.

4. *(b)* Item; quod in huiusmodi exercituali expeditione, vt materia cuiuslibet contentionis, et coarctationis excludatur, ſtatutum eſt, et ordinatum: Quod ſub vnoquoque Banderio integro, quadringenti, ſub medio vero, ducenti homines exercituantes; pro vna medietate armigeri, pro alia autem leuis armatura, vulgo Huſzarones nuncupati eſſe debeant. *Ceteri (c)* vero Barones, Banderia non habentes iuxta honoris et facultatum ipſorum exigentiam, ac numerum Iobagionum ipſorum exercituare debebunt. Nobiles ſiquidem, et ceteri poſſeſſionati homines minoris ſtatus, de ſingulis viginti portis, ſeu ſeſſionibus Iobagionalibus integris; vnum Equitem decentem: Nobiles autem vnius ſeſſionis, vt puta, Iobagiones non habentes, de ſingulis decem domibus, ſeu curiis, ſimiliter vnum Equitem exercituantem, ad minus lanceam, clypeum, et arcum *manualem, (d)* et ſi fieri poterit, loricam etiam habentem, mittere tenebuntur.

5. Sunt *(e)* etiam Domini Duces in hoc regno, videlicet; Illuſtriſſimi Domini Ioannes Coruinus, et Laurentius de Wylak. Sunt praeterea Comites perpetui, et liberi, vt puta, Spectabiles ac Magnifici Domini, Stephanus de Zapolya terrae Scepuſienſis, nec non Ioannes et Sigismundus de Bozyn, et de S. Georgio, cum Fratribus eorum, ac Comites de Frangepanibus, et de Corbauia, quia inſtar Baronum Banderia habentium, ſecundum exigentiam facultatum, et numerum Iobagionum ipſorum exercituare tenebuntur.

6. *(f)* Item; quod dum Praelati et Barones, et quicunque alii Nobiles, qui ad Maieſtatem Regiam, vel eius Curiam, aut exercitum, vel quocunque alias, ſiue in rebus priuatis, ſiue publicis proficiſcentur, aut eorum homines mittent, ſine damnu, nocumento, iniuria, et impedimento aliorum regnicolarum, et populorum, ſemper et vbique proficiſci debeant, et teneantur. Caſu vero quo quipiam contrafacere, et quibuscunque *damna (g)* irrogare praeſumpſerint; extunc homines damnificati, ſiue Nobiles ſint, ſiue Ignobiles, in praeſentiam Comitis Parochialis, et *Iudicum (h)* Nobilium illius Comitatus, in quo huiusmodi damna facta, et illata exſtiterint, acceden-

(a) In MS. dicto habetur *proficiſcetur*, quae lectio mihi magis probatur.

(b) alias cap. 20.

(c) Patet hinc, Banderiatos ad nihil aliud obſtrictos fuiſſe.

(d) In MS. Bartfenſi additur, *ſiue baliſtam.* Vox autem haec, licet plerumque illum denotet, qui machina hac iaculatoria pugnat, non infrequens tamen eſt vt machinam ipſam indicet, eſt autem funda, qua lapides eiaculabantur, quam hic deſignari id mihi perſuadet, quod de manuali machina ſermo ſit, erat enim aliud huius machinae genus quo quatiebant muros.

Baliſta.

(e) alias caput 21. in MS. habetur. *Item ſunt.*

(f) alias 22.

(g) alias caput 22. In MS. additur: „*damna facere, ſeu irrogare.*

(h) In MS. habetur *Iudlium.*

cedentes, ſuper quantitate damnorum, quae ipſis illata fuerint, conquerentur. Si Nobiles; per ſe: ſi vero Ignobiles fuerint; cum ſuo villico, et duobus vicinis ſuis, domui ſuae, ex vtraque parte proxime coniunctis iuramentum praeſtent: Ipſique Comites, et *Iudices (a)* Nobilium, ſuper huiusmodi damno, et iuramento, ipſis conquerentibus, litteras eorum teſtimoniales dent. Vigore quarum, quamprimum ad Curiam Regiam, in praeſentiam Iudicum et Iuſtitiariorum, ipſam Curiam iudicantium acceſſerint; mox absque vlteriori probatione et litium protractione eisdem damnificatis, iuxta contenta literarum, praedictorum Comitis, et *Iudicum (b)* Nobilium, illius videlicet Comitatus, in quo huiusmodi damna, per quoscunque exercituantes illata fuere, (quibus quidem literis absque vlterioris probationis requiſitione ex vigore praeſentis conſtitutionis, plena fides adhibeatur) ex parte cuiuslibet damna inferentis, omnimoda ſatisfactio damnorum, nec non expenſarum, pro ipſis damnis exquirendis factarum, ſententialiter, et cum executione debita, finaliter, et effectiue per ſententiam iudiciariam fieri decernatur. Quam perſonalis praeſentia Regia, vel Palatinus, aut Iudex curiae pro tempore conſtitutus, vel eorum Vices-Gerentes, et Sigilliferi literatorie dare, et conferre teneantur: *Comitibusque (c)* vel Vice-Comitibus, et *Iudicibus (d)* Nobilium illorum Comitatuum, in quibus *ipſi (e)* exercituantes, qui praemiſſa damna irrogaſſe, modo antelato comprobati fuerint, poſſeſſiones, et bona habere dignoscuntur, per huiusmodi literas ſententionales ſcribatur, et demandetur; quatenus ipſi, mox receptis dictis Literis Sententionalibus huiusmodi, laesis, et damnum paſſis, ex parte ipſorum damna inferentium, per ablationes rerum, et bonorum eorundem (et, ſi neceſſe fuerit, poſſeſſionum occupationes ſuper omnibus) in huiusmodi litteris ſententionalibus contentis, coram teſtimonio alicuius Capituli, vel Conuentus, omnimodam, et indilatam ſatisfactionem teneantur exhibere. Si autem huiusmodi damna inferentes homines Regii, extranei, vel forenſes fuerint; ex parte talium. Regia Maieſtas plenam ſatisfactionem impendere teneatur, ſeruatis conditionibus praenotatis. Si qui autem voluerint; eorum cauſam, ratione huiusmodi damnorum, in Curia Regia proſequi; valeant atque poſſint, inſtar aliorum actuum potentiariorum. Vbi autem damnificati, falſum praeſtitiſſe, in eo caſu reperti fuerint, iuramentum; tanquam falſarii, per iurii et calumniatores puniantur.

7. *(f)* Item; quod in poſſeſſionibus, et bonis Eccleſiarum, et Nobilium, ſeu quarumcunque Eccleſiaſticarum, vel Secularium perſonarum, violentas exactiones victualium, procurationes hoſpitalitatum, et quaslibet alias aggrauationes, praeter voluntatem *inhabitantium (g)* Maieſtas Regia non faciet, nec per alios fieri *permittet. (h)* Sed neque in domibus, et in locis Praelatorum, et Baronum, ac aliarum quarumcumque Eccleſiaſticarum et Secularium perſonarum, pro tractatibus habendis, et aliis quibuscunque negotiis diſponendis, ipſis inuitis, morabitur, aut eos expenſis, victualibus, curruum, et farcinarum vecturis, nunciorum, et familiarum, ac quorumcunque ad ſuam Maieſtatem pertinentium procurationibus, vltra eorum ſpontaneam voluntatem, in aliquo grauabit. Sicut abuſiue, contra eorum *libertatem (i)* tempore praefati Domini Mathiae Regis erat inchoatum.

8. *Amo-*

(a) Iterum habetur in MS. *Iudlium.*
(b) Denuo habetur *Iudlium.*
(c) In MS. deſideratur *que*; et recte.
(d) *Iudiium.*
(e) In MS. habetur *in quibus forſan.*
(f) alias 28.

(g) In MS. habetur *inuitantium*, et rectius, atque de ea, quae de hoſpitalitatis, ſeu gilli iure diſſeruimus, conformius.
(h) In MS. habetur *comittet.*
(i) In MS. habetur *voluntatem*, quod ſenſui congruit totius contextus.

8. *Amodo (a)* et deinceps, nemo Archi-Diaconorum, Vice-Archi-Diaconorum, Plebanorum, eorundemque vicesgerentium, ſub poena amiſſionis beneficiorum, marcam illam argenti, vel quatuor aureos, vltra omnia funeralia, alias de funere interfectorum abuſiue recipere conſuetam, exigere praeſumat: Prout hoc etiam tempore Dominorum, Caroli, Ludouici, Sigiſmundi, et Alberti Regum, per Bullas Apoſtolicas, ad inſtantem petitionem eorundem Regum, caſſatum, et extinctum fuiſſe manifeſte dignoſcitur. Ab interfectoribus autem, liberam habeant exigendi facultatem.

9. *(b)* Quia in duellorum dimicatione, plurimae hinc inde fraudes committi poſſunt; raro enim illi inter quos illud fit iudicium, per ſe decertant, ſed pugiles conducunt, qui non nunquam dono, fauore, et promiſſis corrumpuntur, ſicque partem ſuam, in negotio quantumuis graui (quandoquidem non ipſimet decertare conſueuerunt) ſuccumbere patiuntur. Quare ſtatutum eſt; quod amodo illud iudicii genus, extra hoc regnum inauditum, perpetuo aboleatur, et in factis potentiariis, iuriumque poſſeſſionariorum; fieri nunquam debeat duellum, tunc ſiquidem *fieri deberet, (c)* et ad hoc ordinatum extitit; quando omnis probatio deficeret. In factis vero potentiariis, et poſſeſſionariis, partes probationes ſemper habent: et etiam alioquin iudicium duelli ad Curiam Regiam Militarem, et non ad Sedem Iudiciariam pertinet. Accedit etiam plerumque, quod in Iudiciis, perſonalis praeſentiae Regiae Maieſtatis intereſſe, literas etiam ſigillare minime poterit: Is enim, cui hoc committitur, vt plurium ſpiritualis eſſe conſueuit. Intererunt praeterea Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, et plures alii ſpirituales, et idcirco non conuenit, vt in Sede Iudiciaria duellum decernatur. Proinde his, et plurimis aliis bonis *(d)* reſpectibus, rationabilibusque ex cauſis, hoc Iudicii genus perpetuo aboleatur: Niſi in quibus omnis probatio deficeret; vt ſi ſolus a ſolo in itinere nullo *ſpectante (e)* ſpoliaretur, vel quicquid alter alteri, ſine alicuius teſtimonio accomodaret, aut aliquid ad ſecretas aures diceret; et alibi neque *ſpoliari, (f)* neque creditum, neque etiam verba prolata probari poſſent. In quibus caſibus, huiusmodi duellum decerni quidem poteſt, non tamen in Sede Iudiciaria, ſed in Curia Militari Regiae Maieſtatis. Ad illam ſiquidem, vt praefertur, et non Sedem Iudiciariam, idem genus Iudicii pertinere plane dignoſcitur.

10. *(g)* Minuti Conuentus (et praeſertim Conuentus Eccleſiae de Szent Jógh) deinceps ab emanatione literarum ceſſent, et omni careant firmitate.

11. *(h)* Item; quia Executiones Iudiciariarum deliberationum, in Sede per ordinarios Iudices fiendae, more ſemper conſueto, per Regium, et Capitulorum, vel Conuentuum homines fieri ſoleant. Ideo ad faciendas Inquiſitiones, Admonitiones, Euocationes, Metarum Reambulationes, Reuiſiones, Communes Inquiſitiones, et quascunque Statutiones, aliosque quoslibet iuridicos proceſſus, cum Hominibus et Teſtimoniis Capitularibus, vel Conuentualibus fieri ſolitos, quae communiter fidedignitates vocantur; de Capitulis, et Conuentibus perſonae, ſeu homines ſimplices non emittantur: ſed de ipſis Capitulis, Canonici ad minus, aut perſonae in beneficiis, et officiis conſtitutae; de Conuentibus vero; Monachi Conuentuales, Sacerdotes deſtinentur.

 Qui

(a) Alias 29. in MS. Bartfenſi habetur. *Item quod.*
(b) alias 37.
(c) In MS. *fiendum.*
(d) Deeſt in MS.

(e) In MS. ſp cuiante.
(f) In MS. habetur *ſpolium*. nec dubium eſſe poteſt mendoſam eſſe lectionem editorum articulum.
(g) alias 39. *(h)* alias 43.

Qui quidem pro huiusmodi Teſtimoniis Capitularibus, vel Conuentualibus deputati, priusquam ad faciendum aliquas poſſeſſionarias ſtatutiones, metarum reambulationes, reuiſiones poſſeſſionarias, et communes inquiſitiones transmittantur, et procedant; iurare teneantur: Quod in eisdem factis, fideliter, et recte procedent, et veram relationem, ſeu faſſionem facient. Homines autem Regii, in praemiſſis procedentes, tempore reuiſionis eorum, ac faſſionis, ſeu relationis coram ipſis Capitulis, vel Conuentibus faciendae, ſimile iuramentum praeſtare teneantur. Quicunque autem contra ſuum iuramentum, falſum proceſſum, vel falſam relationem feciſſe repertus fuerit, talis, tanquam falſarius, et periurus, poena amiſſionis beneficii ſui, ſi quod habuerit puniatur. Et inſuper, ſiue beneficiatus, ſiue non beneficiatus exiſtat, perpetuis carceribus mancipetur. Homo vero Regius ſi in praemiſſis poſſeſſionariis ſtatutionibus, metarum reambulationibus, aut reuiſionibus, ſiniſtre, vel falſe proceſſerit; in facto periurii, poena capitis, ac amiſſione omnium bonorum ſuorum conuincatur. Quicunque vero Nobilis per alium, ſeu alios quoscunque, mediantibus Regiis, aut aliis conſuetis litteris nomen ſuum continentibus, pro Homine Regio, cum Teſtimonio alicuius Capituli, vel Conuentus requiſitus, *onus (a)* huiusmodi proceſſus aſſumere, et exequi recuſauerit in birſagio conſueto ſex marcarum, ac *(b)* expenſis requirendis, per Comitem Parochialem indilate exigendis conuincatur eo facto. Statutiones autem poſſeſſionariae, reambulationes, et reuiſiones, aliter fieri non debeant; niſi vicinis, et commetaneis huiusmodi poſſeſſionum inibi legitime conuocatis. Et vt fraus, et dolus in talibus melius euitetur; nomina ſingulorum vicinorum, et commetaneorum, tempore praemiſſorum proceſſuum illuc principaliter conuenientium, in Literis Capitularibus, et Conuentualibus ſuperinde emenandis, ſeriatim conſcribantur.

12. *(c) Quia (d)* propter negligentiam Praepoſitorum Regularium, et Abbatum, habentium ſub ſe loca Conuentualia, ſigillis teſtimonialibus vtentia, plurimi errores. et ſcandala quamplurima in emanationibus litterarum fieri contingunt. Eo praeſertim; quod ipſi Praepoſiti, et Abbates, parum authoritatis in Monachos ſuos ſub ſe degentes, quantum ad conſeruationem ſigilli, habere dignoſcuntur, patiunturque non tot perſonas, quot merito nomine Conuentus vti poſſent, ſed longe pauciores, ſub ſe degere. Illi vero in diſpendium regnicolarum, ſigillis eorum libere abutuntur. Ob hoc; vt talis praua abuſio deinceps ceſſet, regnicolisque tutior cautela praebeatur, concluſum et ordinatum eſt; quod de cetero ipſi Praepoſiti Regulares, et Abbates ſigilla teſtimonialia habentes, teneantur, et ſint adſtricti, decem vel octo perſonas religioſas, Sacerdotes illius ordinis, vel ad minus ſeptem, et non panciores, in eorum monaſterio tenere, et conſeruare, et vna cum eisdem in emanationibus literarum ſolertem diligentiam adhibere. Vtque iidem Praepoſiti, et Abbates liberius ſua authoritate frui poſſint, ſtatutum eſt; quod amodo deinceps, praedicti Monachi, vel Fratres, cuiuscunque ordinis, ſigillis vtentes, ſub poteſtate, et authoritate ipſorum Praepoſitorum, et Abbatum ſuorum fore intelligantur, eosque iidem Praepoſiti, vel Abbates, iuxta eorum demerita, caſtigandi habeant facultatem. Ita; vt ſi quid erroris in emanationibus quarumcunque litterarum fieri contingat; extunc Prior, *et (e)* Cuſtos talis loci, pro tali errore, puniatur poena praenotata. Vt autem omnis ſuſpicio de cordibus dubitantium

(a) In MS. habetur *omnes*.
(b) In MS. additur *eius*.
(c) alias 44.

(d) In MS. habetur *Item quia*.
(e) In MS. habetur *aut*.

Digitized by Google

ſium euellatur; placuit, vt nomina ipſorum Fratrum, videlicet, Prioris, et Cuſtodis, in fine quarumlibet literarum, ante data earundem, ſerioſius conſcribantur.

13. *(a) Quia (b)* nonnulli Clerici, et alterius conditionis plerique homines, tam Nobiles, quam ignobiles, in Curiam Romanam, vel dum aliquis Legatorum Summi Pontificis in hoc Regnum Vngariae miſſus introierit, *in eius praeſentiam (c)* incolas huius regni, praeſertim ſimpliciores, exquiſitis quibusdam occaſionibus, interdum etiam *calumnioſis (d)* citare, et eos, lite mediante, magis ac magis vrgendo, et vexando, ad ſolutionem alicuius Summae compellere; ſicque ſuam vitam criminoſe nonnunquam per fas et nefas alere, et ſuſtentare conſueuerunt. Propterea, vt talium ſceleratorum, lucro gaudentium illicitus quaeſtus, et via calumniandi ceſſet impoſterum; per Barones, Proceres, et Communitatem totius Regni huius ordinatum eſt, et ſtatutum: Quod deinceps, nullus omnino hominum, quempiam ratione alicuius negotii, in Curiam Romanam, vel praeſentiam cuiusuis Legati citare praeſumat, niſi *primum (e)* coram ſuo ordinario Dioeceſano, Archi-Epiſcopo, vel Epiſcopo, aut eius Vicario *in cauſa (f)* conuenire, et cum eo iuridice procedere, tandemque dum aliqua partium iuſtitiam ſibi vel denegatam, aut alias ſe indebite aggrauari, et condemnari ſentiret, cauſam huiusmodi in Curiam Romanam, vel praeſentiam ipſius Legati, per viam appellationis, et non aliter, prouocare, deducereque, et proſequi valeat, atque poſſit. Contrarium autem facientes; debita poena puniantur.

14. *(g) Praeter (h)* factum teſtamenti, matrimonii, dotum, et rerum parapherna'ium, ac iurium quartalitiorum, periurii, verberationis, et ſpoliationis Clericorum, et mulierum, et praeter illas alias cauſas, quae prophanae non eſſent: in foro Spirituali nulla cauſa tractetur, et e conuerſo. Caſu autem, quo aliquis iudicum Eccleſiaſticorum, cauſam non ad forum ſuum ſpectantem, coram ſe reciperet, et ad litteras praeceptorias, in praeſentiam Iudicis ſecularis competentem non transmitteret; extunc talis Iudex Eccleſiaſticus, beneficio ſit priuatus, et Regia Maieſtas beneficium, ſine officium illius, alteri conferre poſſit ipſo facto. Iudices autem Eccleſiaſtici, in hoc caſu intelligantur; Vicarius, et officiales Praelatorum. Si autem Iudex ſecularis, cauſam aliquam per Iudicem Eccleſiaſticum in ſuam praeſentiam transmiſſam, forum Eccleſiaſticum concernere cognouerit; rurſus in praeſentiam ipſius Iudicis Eccleſiaſtici remittere debeat, et teneatur.

15. *(i)* Praelati quoque, et Viri Eccleſiaſtici, Iobagiones habentes, primo decimas, et poſt hoc ſimiliter nonam partem omnium frugum ſuarum, et vinorum ipſorum exigant. Et ſi qui in exactione praedicta ſecus fecerint, in talium rebellium, et praeſentem noſtram ordinationem alternantium poſſeſſionibus, Comes, vel Vice-Comes nomine noſtro Regio, huiusmodi nonam partem ipſarum frugum, et vini, exigi facere teneatur, ſine diminutione, et relaxatione aliquali: vt per hoc, honor noſter augeatur, et ipſi regnicolae noſtri, Nobis fidelius poſſint famulari.

16. *Item; (k)* quod Nobiles tam Iobagiones habentes, quam non habentes, de terris propriis decimas dare non teneantur: antiqua eorum libertate requirente.

(a) alias 45.
(b) In MS. additur *Item.*
(c) Haec deſunt in MS.
(d) In MS. additur: *in Curiam Romanam, vel praeſentiam ipſius Legati.*
(e) In MS. habetur *prius.*
(f) In MS. habetur *in cauſam*, et forte rectius.
(g) alias 46.
(h) In MS. habetur *Item quod praeter.*
(i) alias 48.
(k) In editis alias 50. in MS. 49.

17. *Seculares (a)* perſonae, contra Eccleſiaſticas perſonas, in quocunque iudicio, in maiori onere non conuincantur; quam Eccleſiaſticae contra Seculares conuincerentur.

18. *(b)* Item; quod Epiſcopi, Capitula, Abbates, Conuentus, et Praepoſiti, ac ceterae Eccleſiaſticae perſonae poſſeſſionatae, cum tribus literis Inquiſitoriis, in acquirendis poſſeſſionibus inter Nobiles, et Eccleſias, aliquam poſſeſſionem, nec *acquirere (c)* neque retinere poſſint. Niſi cum literis Regiae Maieſtatis, vel aliorum Iudicum ordinariorum: Prout haec; tempore quondam Domini Ludouici Regis, decreta, et obſeruata dignoſcuntur.

19. *Super (d)* facto redemptionis literarum Capitularium, et Conuentualium, nec non ſuper *factione (e)* viarum, et laborum Teſtimoniis Capitularibus, et Conuentualibus fienda, vt materia diſcordiae ſaepius ſuboriri conſueta, de cetero ceſſet, et ſuccidatur, conſuetudinem antiquam imitando, ſtatutum eſt: vt in omnibus locis, tam Capitularibus, quam Conuentualibus, pro qualibet littera Euocatoria prima, ſecunda, et tertia, in Capitulo, aut conuentu, ſimul cum eorum Notario, et Scriptore, pro redemptione literae recipiantur, ſeu ſoluantur ſinguli denarii viginti quatuor *maioris monetae. (f)* Pro qualibet litera Procuratoria, denarii viginti quatuor. Pro qualibet *Litera (g)* Prohibitoria, Proteſtatoria, et aliis ſimilibus, ſi patenter emanauerint, denarii viginti quatuor: Si vero: clauſe, denarii duodecim. Pro qualibet litera Faſſionali priuilegialiter *ſcripta, (h)* denarii centum: Patenter vero; denarii viginti quatuor. Pro qualibet litera Inquiſitoria, ſiue patenti, ſiue clauſa; denarii viginti quatuor. De paribus antiquarum literarum, in Conſeruatoriis Regni *ſitarum, (i)* cuſtodi, ſeu requiſitori, *per (k)* ſe denarii centum: Et pro redemptione literae requiſitae, ſi non habuerit multum de ſcriptura, et patenter confecta fuerit, denarii viginti quatuor: Si vero labor fuerit ſcribendi magnus, et litera priuilegialiter confecta; denarii *centum. (l)* De litera Statutoria, in qua contradictio facta fuerit; denarii viginti quatuor. De literis vero Statutionalibus *perpetuis, (m)* in quibus contradictio facta non fuerit; *recipiatur (n)* redemptio literarum, ſecundum quantitatem poſſeſſionum, et numerum *Seſsionum (o)* modo ſubſcripto: videlicet, de Seſſione vna, duabus, aut tribus, vel quatuor in toto denarii centum: vbi autem fuerint vltra quatuor Seſſiones, vsque decem; pro qualibet ſeſſione, denarii triginta tres: vbi vero fuerint vltra decem, vsque viginti; de qualibet Seſſione, denarii viginti *quatuor: (p)* vbi vero fuerint vltra centum

vs-

(a) Alias 76. in MS. habetur; *Item quod ſeculares.*

(b) alias 77.

(c) In MS. *requirere* quod tantiaper aliud ſonat.

(d) In MS. *Item quod ſuper* in editis art. 95.

(e) In MS. *Satisfactione*, quod magis congruit. Similis lectio habetur in editione Tyrn. 1696.

(f) Id eſt: ponderis, ſeu menſurae, Papias docet, monetam pro trutina, ſeu menſura ſumptam; et ſane in ſuperioribus obſeruauimus marcis reſpondere denarios, illas autem grauioris, vel leuioris ponderis fuiſſe.

(g) In MS. habetur *etiam*, vt euitetur taedioſa litterae repetitio.

(h) In MS. *emanata.*

(i) In MS. *ſeruatarum.*

(k) Lege *pro*, quod ſenſus requirit.

(l) In MS. ſubiiciuntur haec: *de ſimplicibus tranſumptis, ſeu transumptionalibus litteris patenter emanatis, vbi labor ſcribendi magnus non fuerit denarii XXIV. vbi autem litera prolixa fuerit, et priuilegialiter emanata, denarii centum*, diuerſa ſunt haec in Capitulis litteras requiſitas transumere, et ſimplices transumptionales dare, ſcientibus loquor, rerum noſtrarum ignari, etiamſi dixero, non ſatis intelligent, neque refert, notandum autem in editione anni 1696. ſupra laudata haec pariter haberi, quae in MS. occurrunt.

(m) Deeſt in MS.

(n) In MS. *reputetur*, quod mihi melius placet.

(o) In MS. *poſſeſſionum*, praeeligerem lectionem vulgarem.

(p) In MS. haec ſequuntur: *Vbi vero fuerint vltra XX. vsque centum de qualibet Seſſione denarii* 12. Si gradualis proceſſus taxae attendatur, neceſſario haec debebant interponi, quae cur in edito emanſerint, dicere non habeo.

Digitized by Google

vaquequaque; de qualibet Seſſione, denarii octo. De literis Reambulatoriis metalibus, in quibus contradictio, et euocatio facta *non* (a) fuerit, denarii viginti quatuor. In Reambulationibus autem metalibus, in quibus, ſimplex conſignatio, vel cum hominibus Regiis de Curia Regia transmiſſis, ſimiliter conſignatio, vel finalis metarum erectio cum iuramento ſuper terram, in forma iudiciaria, aut partibus concordantibus facta fuerit; pro redemptione literarum, *quadringenti:* (b) Vbi autem partibus in huiusmodi reambulationibus, et demonſtrationibus metalibus, diſcordantibus, cauſa ad Curiam Regiam *reducta* (c) fuerit, tunc pro redemptione talium literarum, denarii centum. De Communi Inquiſitione, ordine Iudieiario commiſſa; denarii centum. Item de reuiſione poſſeſſionariae reambulationis, denarii centum. Item; de Occupationibus poſſeſſionum, hominum in ſententia capitali conuictorum, ac rerum ablationibus, Iudiciaria commiſſione, fiendis, de rebus ablatis, ex antiqua conſuetudine, Capitulum habebit decimam partem: Pro redemptione autem literae; denarii *centum.* (o) Item; de expeditoria iuramentali continente nomina coniuratorum, denarii centum. De ſolutionibus pecunialibus coram Capitulo, vel Conuentibus, vel eorum Teſtimoniis fieri *ſolitis:* (e) Capitulum, ſeu Conuentus, decimam et nonam partes exigere non poſſunt: niſi quando propter diſcordiam partium, in eorum ſacriſtiis, ſeu conſeruatoriis, huiusmodi pecuniae repoſitae fuerint. De talibus nempe, de iure decimam, et nonam partes recipere poſſunt: Ad illius tamen partis rationem, quae cauſam dederit pecuniam huiusmodi. in conſeruatorio reponendi. Perſonis autem Teſtimonialibus Capitulorum, et Conuentuum, pro ſingulis diebus, quibus in itinere fidedignitates proceſſerint; ſoluantur ſinguli duodecim denarii maiores, ſiue in propriis equis ſiue in equis cauſantium ambulent, et ducantur: Ita tamen; quod in *victualibus* (f) cauſantium, et ipſos ad facta ſua conducentium, ſimul cum equis, et familiaribus eorum, de domo iterum ad domum, ſemper duci debeant, et reduci.

20. (g) Super literis, in locis Capitularibus, et Conuentualibus, et interdum in Curia etiam noſtra, extra octauas tranſumptis, et exemplatis, ac tandem huiusmodi tranſumptis in iudicio a parte contra partem productis, multoties parte illa, contra quam producuntur, impugnante, diſceptationes variae, et exinde de earum viribus dubietates oriuntur. Ad excludendum igitur, et tollendum diſceptationes, et dubietates huiusmodi, ſtatutum eſt, et decretum; quod *ſiue* (h) huiusmodi literae in dictis locis Capitularibus, et Conuentualibus vigore quarumcunque litterarum praeceptoriarum, ſiue autem in dicta Curia noſtra, ſub noſtro ſecreto, vel iudiciali, aut alterius cuiuscunque Iudicis ordinario ſigillo, extra terminos octauarum tranſumptae, et exemplatae exiſtant, quando per aliquam partem ipſa tranſumpta in iudicio producuntur, altera parte eadem tranſumpta impugnante, et eis fidem non adhibente; teneatur pars producens, ad verificandum huiusmodi tranſumpta, originales litteras exhibere.

(a) Deeſt in MS.
(b) In MS. *manifeſte* habetur.
(c) In MS. *deducta*, et recte, cauſae enim deduci, non autem reduci dicuntur.
(d) In MS, additur, *de aeſtimationibus poſſeſſionariis iudiciaria commiſſione fiendis denarii centum.*
(e) In MS. *conſuetis.*
(f) In MS. additur *et expenſis,*
(g) alias 96.
(h) In MS. habetur *ſi.*



II.

Iniuria Petri Archi-Epiſcopi Colocenſis vindicatur.*

Nos *Wladislaus (a)* DEI gratia Rex Hungariae &c. Memoriae commendantes tenore praeſentium ſignificamus cunctis, quibus expedit. Quod Nos Regalis ſagacitatis perſpicua contemplatione praemetientes, quod ſententiam vniuerſi Principes recta debent iudicii ſtatera ponderare, vt contra iuſtitiam non peccando, vnicuique quod congruit, et ſuum eſt, reddat, praemiando fidos, feriendoque peſtiſera perfidiae prauitate infectos. Nam cunctis Regiae claritatis dignitate fulgentibus illud praecipue cedere opinantur ad gloriam, imò ad ea dignae mentis eorum acies diriguntur, per quae ſuorum regnorum habenas rationis libramine moderandas felici queant regimine gubernare, tunc enim potentia et Thronus eorum votiue dignoſcuntur gubernari, et laudabiliter in melius produci, ſi ſalce iuſtitiae, hominum ſceleratorum. viamque iniquitatis complectentium abſurda peruerſitas recto iudicio recidatur, et fideliſſime obſequentibus, probitatisque feruore inſignitis, digna merces reddatur, ac ſinus dilectionis pandatur, ita etiam vt *beatitas (b)* ſempiterna contemplari cernitur, placarique creditur, et fideles ipſi ad firmitatis opera, et fidelitatis obſequia exercenda animoſius erigantur. Proinde noscat praeſens aetas, et ſucceſſiua poſteritas futurorum. Quod mortuo Sereniſſimo Principe quondam Mathia Rege Hungariae felicis memoriae noſtro praedeceſſore, Ioannes Kis Horváth de *Illaposich*, *(c)* cum complicibus ſuis ante omnes alios regni noſtri praedones, et turbatores ſeditionem facere, et primus in regno ignem ponere, incendiique ſpolia, depraedationes, et alia quam plurima mala; ſignanter vero in bonis Eccleſiae Colochenſis incipere, comittere, et patrare non erubuerit, atque patrata, et commiſſa per eum maleficia obumbrauerat, certis *primo (d)* complicibus ſautoribus adhaerentibus, et coniuratis ſibi conquiſitis, et in deſtructionem, ac manifeſtam Regni noſtri perniciem adſcitis et obligatis, Sereniſſimis Principibus, Domino quondam Friderico Imperarori, et Maximiliano Regi Romanorum, tunc nobis et regno noſtro manifeſte aduerſantibus, in deſpectum Primatum, et Procerum totius regni adhaeſit, et ſe ſub eorum patrocinium recepit, cum quibus dum nos tandem pacem iniuiſſemus, et concordiam; licet ſecundum formam huiusmodi pacis, et concordiae, idem Iohannes, ſuper praemiſſis omnibus malis, per eum modo praemiſſo, vsque ad tempus ipſius pacis, et concordiae commiſſis et patratis, a Maieſtate noſtra gratiam habuerit,

bona

(a) et Apographo.

(b) Cl. Vagner legit *Deitas*, et me iudice rectum tenet textum.

(c) Cl. Vagner habet *Alapſich*.

(d) Cl. Vagner legit *prius*, mihi praeplacat noſtra lectio.

Digitized by Google

bona etiam eiusdem omnia, quae viuente quondam praedicto Domino Mathia Rege poſſediſſet, et durantibus diſſenſionibus, et guerris, inter nos, et praefatos Dominos Imperatorem, et Regem Romanorum e manibus ſuis occupata, et recepta fuiſſe dignoſcebantur, ſibi per Maieſtatem noſtram reſtituta fuerant, ea tamen lege et conditione, quod deinceps ſeditiones vt prius in regno noſtro non faceret, nec guerram ſuſcitaret, aliaque mala praemiſſis ſimilia, non committeret, ſed ab omnibus, ac quibusuis malorum generibus, et ſignanter a moleſtatione bonorum *Archi-Episcopatuum (a)* Colochenſis, et Bachienſis inuicem canonice vnitorum, praecipue vero Oppidi, et Caſtelli *Zaatha (b)* vocati in Comitatu de Walko exiſtentium deſiſtere, et ſe abſtinere deberet, et teneretur. Tamen cum nos his ſuperioribus diebus, ingruentibus non nullis neceſſitatibus Regni noſtri admodum arduis, pro illarum expeditione, vniuerſis Dominis Praelatis, et Baronibus, potioribusque electis Nobilibus, de ſingulis Comitatibus dicti Regni noſtri, Diaetam, ſiue Congregationem generalem pro Feſto S. Michaelis Archangeli nunc praeterito celebratam, et vsque in praeſentiarum durantem indixiſſemus, et inter ceteros Dominos Barones, et Praelatos fidelem noſtrum quoque Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem, Dominum Petrum Archi-Epiſcopum Eccleſiarum Colochenſis, et Bachienſis praedictarum in ſeruitiis noſtrae Maieſtatis, et praefati Regni noſtri, vna cum gentibus ſuis occupatum, de nunciata eidem per noſtram Maieſtatem plena et omnimoda ſecuritate, ne quid timoris de amiſſione bonorum praefatarum Eccleſiarum, ſignanter vero dictorum Caſtelli, et Oppidi Zatha haberet, ad ipſam Diaetam, ſeu Congregationem generalem dictorum Dominorum Praelatorum, et Baronum, ac Nobilium, conſequenterque Maieſtatem noſtram, mediantibus literis noſtris, et nuncio ſpeciali ad eum miſſo nominatim vocaſſemus, venireque mandaſſemus, quamuis vnus quisque Regnicolarum noſtrorum cuiuscunque dignitatis ſtatus, vel conditionis fuerit, et exiſtat, poſtquam praemiſſo modo vocatus, itineri ſe dederet, iuxta veterem conſuetudinem, et antiqua ſtatuta praefati Regni noſtri ſtatum cum omnibus Rebus, et Bonis ſuis ſub Regia tutela, et protectione ſit conſtitutus ita, quod ſi quispiam hominum in hoc audaciae genus irrepſiſſet, quod itinerantes ad talem Diaetam ſiue Congregationem, vel illius bona hoſtiliter inuaſerit, aut quouis modo impediuerit, turbauerit, moleſtauerit, et quodcunque nocumentum eidem intulerit, bona ipſa ceperit, vel occupauerit, vel ſocius facientis fuerit, ſiue fieri mandauerit, *ſicut (c)* reus criminis laeſae Maieſtatis, notam perpetuae infidelitatis incurrat ipſo facto: Nihilominus dicto Domino Petro Archi-Epiſcopo, modo quo ſupra, per Maieſtatem noſtram ad dictam Diaetam, ſiue Congregationem vocato, et in itinere venienti ad eandem, conſequenterque ad Maieſtatem noſtram conſtituto, et propter dictam noſtram aſſecurationem, nihil aduerſi perſonae aut rebus bonis ſuae et Eccleſiae ſuae imminere formidante, praefati Ioannes Kis Horvàth, et Laurentius Bánfi de *Dalmocs (d)* tanqnam pacis, Reique publicae Regni iam antea turbatores notorii, et noſtrae Regiae dignitatis contemptores volentes maleficiis ſuis antea vt praemittitur commiſſis et patratis ſaturari, contra perſonalem noſtae Maieſtatis inhibitionem tempore reſtitutionis bonorum ſuorum factam, et contra iuramentum per eos de obſeruanda Maieſtati noſtrae fidelitate, et non laedendo, inquietando, inuadendo, aut impediendo quo-

(a) Videtur hic infinuari vtramque ſedem fuiſſe Archi-Epiſcopalem.

(b) Exemplar Cl. Vagner habet *Zatha*, quamvis etiam in noſtro alias hoc modo ſcribatur.

(c) Errorem hic cubare planum eſt, cum ſcribi debuiſſet, *vt*.

(d) Cl. Vagner putat legendum *Tallocs*.

quouis modo bona Archi-Epiſcopatus dicti Domini Petri Archi-Epiſcopi, ſignanter praefatum Caſtellum, et Oppidum Zatha praeſtitum, et etiam contra praeſcriptam Regni conſuetudinem, et ſtatuta, in tantam temeritatis audaciam prorumpere praeſumpſerunt, quod notam dictae infidelitatis incurrere non metuentes, praeſcriptum Caſtellum Zatha inuaſerunt, et illud vel ordinata proditione, vel autem aliqua exquiſita aſtutia ſubintrarunt, et ſurripuerunt, ac ſimul cum praedicta Zatha, aliisque eiusdem appertinentiis pro ſe ipſis occuparunt, requiſitique et moniti tam litteris noſtris ſcripto propriae manus noſtrae conſignatis, quam etiam homine noſtro ſpeciali, Teſtimonioque Capituli de Kew, maleſactum huiusmodi per eos commiſſum emendare, ac praeattactum Caſtellum et Oppidum Zatha cum dictis eorum pertinentiis, ſolita ipſorum temeritate, et rebellione mandata noſtra contemnentes dicto Domino Archi-Episcopo Petro remittere, reſtituere, et reſignare recuſarunt. Inſuper vniuerſa victualia, quae nos anno ſuperiore pro neceſſitatibus, et conſeruatione Caſtrorum finitimorum per vniuerſos Regni noſtri Diſtrictus inferioris accolas compraeſtari, et congregari feceramus, manibus eiusdem Domini Petri Archi-Epiſcopi de noſtra ſpeciali commiſſione ad conſeruandum asſignata, et in ipſo Oppido Zatha pro neceſſitate praeſcripta repoſita vna cum ceteris ipſius Domini Archi-Epiſcopi bonis mobilibus violenta manu abſtulerunt. Nec his contenti, vnam nauem ipſius Domini Archi-Epiſcopi Petri, cum vinis decimalibus oneratam, ſub tempore ſubreptionis praefati Caſtelli, tunc prope in Danubio reperta ſimili violenta manu abſtulerunt. De quibus omnibus legitimis documentis ſufficientibus probationibus, aliasque ex ipſius facti notorietate Maieſtati noſtrae, dictisque Dominis Praelatis, Baronibus, ceterisque regnicolis in ipſa generali congregatione conſtitutis plena fides facta exſtitit. Et quia fidelitas exigui brauii fore cenſeretur, ſi infidelitas impune pertranſiret, et inulta permaneret. Pro eo Nobis vna cum Primatibus Baronibus ac Proceribus, et Nobilibus Regni nobiscum in dicta Diaeta, ſiue generali Congregatione exiſtentibus, exinde deliberantibus mature, et contra praefatos Iohanuem Kis Horváth, et Laurentium Bánfi, paemiſſis eorum facinoribus ac ſceleratis actibus, per eos, ſicut praedictum eſt, perpetratis, et commiſſis, Iuri Conſonum Decretum vniformiter proferentibus, eosdem Iohannem Kis-Horváth, et Laurentium Bánfi, ſicut notorios infideles noſtros, et pacis publicae manifeſtos turbatores et rebelles, ſimul cum haeredibus ipſorum noſtra auctoritate ex plenitudine poteſtatis noſtrae Regiae Maieſtatis, dictorum etiam Dominorum Praelatorum, Baronum ac Nobilium, et Procerum ad id accedente conſilio et conſenſu ſerioſius per eosdem requiſiti, et ad hoc deprecati, perpetuae infidelitatis indelebili nota obfuſcatos fore decernentes, et in ſolidum perenniter innodantes, vniuerſisque Poſſeſſionibus, Iuribus poſſeſſionariis, nec non oppidis, et caſtellis, in quibuscunque Comitatibus, et vbiuis intra ambitum, et terminos praeſati Regni noſtri Hungariae exiſtentibus, quibuscunque nominibus appellatis praeuia ratione, ſecundum eiusdem Regni noſtri conſuetudinem, et legem approbatam deſtituentes, et deſtitutos, ac priuatos eſſe declarantes, et pronunciantes, eisdem omnibus poſſeſſionibus, et iuribus poſſeſſionariis, noſtris Regiis manibus applicantes, recteque redactis, ac in aeuum effectiue vindicatis ipſis noſtris infidelibus, ac eorum haeredibus, et ſuperſtitibus vniuerſis perpetuum ſilentium imponimus de eisdem praeſentium patrocinio mediante. Quibus ſic legitime per nos vna cum Primatibus, Proceribus, et Baronibus

ſu-

ſupradictis, rite ac legitime, et vnanimi Decreto et Sanctione definitis et concluſis recenſentes et rememorantes vberrimas et praeclaras fidelitates fideliaque ſeruitia et merita praefati Domini Petri Archi-Episcopi, quibus ipſe Sacrae huius Regni Hungariae coronae. tam antea ſemper, tum vero et maxime, in hoc principio noſtri felicis regiminis, quo ad faſtigium huius noſtrae Regalis Dignitatis aſſumpti ſumus ſuprema diſpoſitione, omnibus in rebus, tum aduerſus Turcos, fidei Chriſtianae hoſtes infenſiſſimos, tum etiam alios nonnullos noſtros, et regni noſtri aemulos, qui praecipue noſtram in ipſius regni noſtri ſolium ſublimationem aegre patientes, non minus arma contra nos mouere auſi ſunt, quam vt eo fortius ſtatum et dignitatem noſtram perturnarent, praetereaque cunctis aliis noſtris, Regnique noſtri expeditionibus, aduerſis ſcilicet et prosperis non ſine maxima expenſarum ſuarum profuſione, et copias gentium propterea per eum leuatarum miſſarumque amisſionem, Maieſtati noſtrae continuo adhaerendo, ſe nobis gratum - - - - ſtuduit reddere, et acceptum. Quorum intuitu, et ſi ipſe Dominus Petrus Archi-Episcopus dignus dono ampliorique munere per Maieſtatem noſtram non immerito praemiandus eſſet, tamen vt eius meritis hac vice videamur aliquantisper reſpondere, et etiam vt Eccleſiarum ſuarum Colochenſis et Bachienſis, quae multa et maxima damna per eosdem Ioannem Kis Horváth, et Laurentium Banfi, ac ſuos complices paſſae ſunt, aliqualis damnorum recompenſatio fiat, quamquam damna ipſorum longe maiora ſint, quam vt cum omnibus infidelium bonis mobilibus et immobilibus poſſint compenſari, poſſeſſiones Geletz, et Wajkapa vocatas in Comitatu Bachienſi habitas, quae ipſius etiam Eccleſiae Colochenſis praefuiſſe, ſed pro dictis Caſtello et Oppido Zatha in concambium anteſati Laurentii Banfi Genitori per Reuerendiſſimum quondam Dominum Stephanum *(a)* Archi-Episcopum dictarum Eccleſiarum Colochenſis et Bachienſis dicti ſcilicet Domini Petri Archi-Episcopi praedeceſſorem datae fuiſſe perhibentur; Item; Caſtellum Szlakota cum posſeſſionibus ſimiliter Szlakota, nec non Diskus Janoſſa *(b)* in dicto Comitatu de Walko habitis, aliis etiam omnibus et ſingulis poſſeſſionibus et iuribus posſeſſionariis eorundem Iohannis Kis Horváth, et Laurentii Bánfi ad praefatum Caſtellum Szlakota pertinentibus, et pertinere debentibus quouis nominis vocabulo vocitatis, ac in quibuscunque Comitatibus dicti Regni noſtri exiſtentibus praenia ratione, ab eisdem infidelibus, iuxta praemiſſam legem et conſuetudinem praefati Regni noſtri auferentes modo quo ſupra ad noſtras Regias manus cum cunctis earundem vtilitatibus, et pertinentiis quibus-libet, terris ſcilicet arabilibus, &c, de conſilio et conſenſu praefatorum Primatum Baronum, Procerum, et Nobilium dicti Regni noſtri Primatum vnanimi Decreto, ex mera Regia auctoritate rectaque noſtrae Maieſtatis ſcientia, praefato Domino Petro, ac Archi-Episcopatui eiusdem praenotato, per huiusmodi eorundem infidelium infidelitatis notam modo ad noſtram Regiam rite dignoscuntur pertinere collationem, dedimus, donauimus, et contulimus, imo damus, donamus, et conferimus Iure perpetuo, et irreuocabiliter tenendum poſſidendum et habendum, ſaluo Iure alieno. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praeſentes literas noſtras noſtri ſigilli ſecreti, quo, vt Rex Hungariae vtimur, appreſſione communitas, duximus concedendas. Datum Budae vigeſimo die octobris, ann-

Y y y Doo

(a) Cl. Wagner adnotat hunc quoque ex gente Varadanorum.

(b) Apud Cl. Wagner habetur *Dios Janoſſa*

Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, Regnorum Noſtrorum Hungariae quarto, Bohemiae vero vigeſimo tertio.

LXXXIX.
SYNODVS REGIA
Sub Vladislao 2do Anni MCDXCV.



1. (a) De terragiis (b) hominum interfectorum, vbi continetur; quod nemo Archi-Diaconorum, Vice-Archidiaconorum, et Plebanorum, eorumque vices gerentium, ſub poena amiſſionis Beneficiorum ſuorum, Marcam illam argenti, de qua in eodem Articulo fit mentio, de funere interfectorum exigere poſſit; hoc additum eſt: quod, ſi qui contrarium facerent, talium Beneficia Maieſtas Regia cuicunque voluerit, liberam conferendi habeat poteſtatis facultatem.

2. Item; ad articulum quadrageſimum tertium (c) de executionibus fidedignitatum, et hominum Regiorum, hoc concluſum eſt: Quod ex quo ſaepius fieri contingit, quod dum Capitulares, vel Conuentuales, ac Regii homines pro executionibus aliqualibus perficiendis, neceſſario transmittuntur, nonnulli Nobiles, et Poſſeſſionati, ac alterius ſtatus homines, contra illos inſurgunt, eosque verbali dehoneſtatione, et pluribus iniuriis; interdum etiam vulneribus, et verberibus afficiunt, quandoque etiam eos neci, ſeu morti tradunt; contra tales vero ipſo articulo, nulla poena determinata eſt. Quare pro vtilitate Regni, et Reipublicae conſeruatione concluſum eſt: Quod ſi quispiam tales executores iuſtitiae, iniuria quapiam vel verbali dehoneſtatione; in vna Marca auri, ſeptuaginta duos florenos auri faciente: ſi vero vulneribus, vel verberibus affecerint, in facto potentiae, et ſententiae Capitalis: Si denique mortem eidem, (d) vel alteri illorum intulerint; in nota perpetuae infidelitatis condemnentur. Si vero praemiſſa, per Iobagiones, et familiares, quorumcunque committerentur, et illos fortaſſis metu poenae ad bona aliorum fugere contingeret; Domini eorundem, hoc caſu dictis poenis non damnentur, ſed teneantur innocentiam ſuam, mediante iuramento, expurgare, et ipſi profugi perquirantur ab illis, in quorum bonis comperti fuerint: Et, ſi illi eos ſtatuere non poſſent (e) in homagiis ipſorum, ſalua poena eisdem malefactoribus infligenda conuincantur.

3. Ad articulum 45. iſtud additum eſt, quod ſicut (f) de appellationibus ad Cu-

(a) Alias caput 6.

(b) Leges quae ſequuntur ſunt inſtar additionum, et declarationum Synodi Regiae anni 1492. adiectae, vnde etiam Decretum hoc in codice Legum noſtrarum ſic inſcribitur: *additiones ad Decretum primum*, in MS. Bartphenſi legitur: *de pedagogiis hominum interfectorum*, rectam dico eſſe hanc lectionem cum teſte Carolo Du Freſne *pedagogium* penſionem] ſonet, et *pedagium* ſit cenſus, et exactio, quae ob tranſitum ſoluenda eſt, congruit ergo ſententiae legis lectio haec Bartphenſis.

Pedagogia, et Pedagia.

(c) alias caput 9.

(d) In MS. Bartpheſi ponitur eisdem et recte, hinc enim ſequitur *vel alteri eorum*.

(e) In Bartphenſi habetur *poterunt*.

(f) alias cap 10.

Curiam Romanam et Legatos ibidem ſancitum eſt; ita quoque de Dominis Archi-Epiſcopis, in hoc Regno exiſtentibus is articulus intelligatur. Quod ſcilicet nullus omnino hominum, per ſimplicem querelam, niſi per viam appellationis, de Dioeceſi aliquorum Dominorum Praelatorum, cauſam ſuam, in praeſentiam eorundem deducere poſſit. Hoc quoque non praetermiſſo: quod ſi quipiam praeſcriptum articulum, ſimul cum praeſenti, transgredi auſi fuerint, tales ab actione ſua, et acquiſitione decidant: et inſuper, in quadraginta florenis auri per Comitem, vel Vice-Comitem et Iudices Nobilium *(a)* irremiſſibiliter exigendis, contra partem alteram aduerſam, pro expenſis conuincantur, ſi tantas res habuerint: alioquin in perſona detineantur, et vsque debitam emendam caſtigentur. Cauſas vero, quae nunc in praeſentia Reuerendiſſimi Domini Vrſi de Vrſinis, Legati verterentur; ipſi actores in praeſentiam Iudicis eorum ordinarii reducere teneantur.

4. *(b)* De redemptionibus litterarum hoc additum eſt (priori Decreto) quod Capitula, et Conuentus ipſum articulum, (95.) ſub amiſſione ſigillorum, in omnibus punctis, clauſulis, et articulis, firmiter obſeruare debeant.

5. *(c)* Beneficia Eccleſiaſtica quocunque nomine cenſeantur extraneis, et forenſibus Nationibus non conferantur. Et, ſi quibus collata fuiſſent; illi per Maieſtatem Regiam, ad reſidentiam vocentur, ad terminum per Maieſtatem ſuam, ac Dominos Praelatos, et Barones, praefigendum. Et ſi venire recuſauerint; beneficia illorum Maieſtas Regia, incolis huius Regni de ſe bene meritis, conferendi habeat facultatem.

6. Volentibus *(d)* Dominis Baronibus, Conſiliariisque Maieſtatis Regiae, ac ceteris Regnicolis in praeſenti Diaeta conſtitutis (repugnantibus *(e)* tamen Dominis Praelatis, et Viris Eccleſiaſticis) ordinatum eſt: Quod: ſi aliqui forenſes homines ab aliis, quam a Regia Maieſtate, vel illis, qui in hoc regno ſuper quocunque beneficio Eccleſiaſtico ius patronatus, quo hactenus vſi fuiſſent, habent; aliqua beneficia Eccleſiaſtica pro ſe procurarent, et huiusmodi procuratione, ius ſibi in eisdem, contra antiquam libertatem Regni vendicarent; in eisdem beneficiis reſidere auderent, aut attentarent. Quod tales, omnes, et ſinguli, ſi deprehendi poterunt, ad aquam *(f)* proiiciantur, tanquam publici, libertatis Regni, turbatores. Quicunque autem Dominorum Praelatorum, Baronum, aut aliorum Nobilium, in hoc Regno, ſuper quibuscunque beneficiis Eccleſiaſticis Ius Patronatus haberent; quod illi, qui hactenus ipſo Iure vſi ſunt talia beneficia Eccleſiaſtica, ſuper quibus huiusmodi Ius Patronatus habuerint incolis huius Regni, et non forenſibus, liberam conferendi habeant facultatem.

7. *(g)* Officia, ſeu Vicariatus Eccleſiaſtici, in nullis Eccleſiis Regni, per quamcunque perſonam Eccleſiaſticam, Italis, et forenſibus, perſonis conferantur. Alioquin ſententia talium irrita, et nullius vigoris habeatur.

8. Quia *(h)* in ſingulis Diaetis, et Congregationibus Generalibus Regnicolarum,

(a) In MS. Bartphenſi habetur *vel Iudlium*, quae non eſt exigua diuerſitas ſecundum enim lectionem vulgatam Iudlium abſque Vice-Comite procedere non poteſt, bene autem ſecundum lectionem codicis MS. in tranſitu hic aduertere oportet, Comites non eſſe iam nunc Iudices vllarum cauſarum, niſi in Sede Iudiciaria praeſideant.

(b) alias cap. 23.

(c) alias cap. 30.

(d) alias cap. 31.

(e) Hinc patet reliquas leges conſentientibus Epiſcopis fuiſſe perlatas.

(f) Pluſculum humanitatis in hac lege non immerito deſideraueris, quod res ipſa docuit, nullum enim exemplum tam atrocis poenae exſtare puto. Vide diſſert. de Synodis Regiis cap. XX. §. VII.

(g) alias cap. 32.

(h) alias cap. 37.

larum, inter alias diſpoſitiones, et tractatus, praecipua contentio et difficultas, de modo ſoluendi decimas agitata, et intentata exſtitit. Vt poſt felicem coronationem Regiae Maieſtatis, dum Maieſtas ſua, pro commodo, et vtilitate regnicolarum, ſuperioribus annis Generalem Diaetam indixiſſet, et in ea Decretum generale, communi conſilio Dominorum Praelatorum, et Baronum ac Regnicolarum edidiſſet. nec eo tunc propter difficultates, et differentias, *(a)* quae ex parte earundem decimarum oriebantur, quicquam plene decidi potuerat, ſed is articulus, vna cum nonnullis aliis, ad praeſentem Diaetam, ſeu Conuentionem Generalem pro eiusdem finali concluſione extiterat prorogatus. Quare ad tollendum omnes difficultates, et contentiones, quae hactenus inter ipſos Dominos Praelatos, et Barones, ac Regnicolas, de modo ſoluendi decimas habitae fuerunt, concluſum eſt: Quod amodo impoſterum, perpetuis ſemper ſucceſſiuis temporibus, omnibus Dominis Praelatis, quarumcunque Eccleſiarum, tam Cathedralium, quam collegiatarum. non obſtantante quacunque praua abuſione, per quoscunque et qualitercunque hactenus introducta; integrae decimae perſoluantur, et exigantur in omni Comitatu, ſecundum modum, quo vnusquisque cum Praelato ſuo ſuperinde haberet, vel feciſſet diſpoſitionem: de his rebus tantum; de quibus hactenus ipſi Domini Praelati decimas exegerunt. Superfluas autem, et inconſuetas decimarum exactiones, inducere non debeant modo aliquali. In caſu autem, quo deinceps per decimatores, aliquas ſuperfluas, et inconſuetas decimationes *(b)* fieri contingeret; talis modus obſeruetur: Quod ex quo ipſi Domini Praelati, ac ceterae perſonae Eccleſiaſticae ipſas decimas, quandoque per homines proprios pro eorum vſu proprio exigere, interdum vero quibusdam perſonis in arendam locare conſueuerunt; ob hoc, ſi quipiam per talem inordinatam, et ſuperfluam dicationem Decimatorum, ſe per homines proprios ipſorum Dominorum Praelatorum laeſos, et grauatos fore praetenderent; teneantur, taliter laeſi, ſignificare ipſi Domino Praelato, vel Factori ſuo, huiusmodi inconſuetam, et ſuperfluam dicationem, et eum ſuperinde auiſare. Qui mox exinde auiſatus, mittat hominem ſuum pro rectificatione praemiſſorum, ad locum, vbi talis rectificacatio fieri debebit, et ſi medio ipſius aliqualis rectificatio fieri poterit, bene quidem: alioquin ipſa quaeſtio ad locum, et terminum Sedis Iudiciariae illius Comitatus, in praeſentiam vniuerſitatis Nobilium deducatur: et quidquid iidem in praemiſſis, ſecundum DEVM, et eius iuſtitiam cognouerint, in hoc et ipſi Domini Praelati, et pars conquerens contenti eſſe debebunt. Et ſi comperti fuerint, *(c)* partem conquerentem, per decimatores iniuſte fuiſſe fatigatam, pro expenſis partis fatigatae, de propriis eorundem decimatorum rebus, et bonis, ſatisfactio adminiſtretur. Interim vero, donec de praemiſſis ad plenum deciſum fuerit; interdictum Eccleſiaſticum ad partem conquerentem, vel eorum Iobbagiones minime imponatur. Si autem rectificationem ipſam per arendatores fieri debere contingeret; tunc pars conquerens, nec Praelato, nec Factori eiusdem teneatur ſignificare: Sed antequam ipſae decimae exigerentur, arendatores ipſi, per Iudices Nobilium, vel alterum illorum admoniti, Sedem Iudiciariam ipſius Comitatus intrare ſint adſtricti, et coram vniuerſitate Nobilium omnia praemiſſa rectificare, iudicioque, et deciſioni illorum parere, et obtemperare: De expenſis quoque, ſi comperti fuerint ſuperfluam, et iniuſtam feciſſe dicationem; parti conquerenti, omnimodam

(a) In MS. noſtro habetur *contentiones.*

(b) *Decimarum exactiones* habetur in MS.

(c) In MS. habetur, *et ſi compertum fuerit*, ſanior procul-dubio lectio.

Digitized by Google

dam impendere ſatisfactionem. Terminus autem ſolutionis ipſarum decimarum (ſicut alias conſuetum fuit) obſeruetur. Elapſo vero termino, et non prius, ſuper tales, qui decimas iuſtas, et conſuetas ſoluere neglexerent; Interdictum Eccleſiaſticum imponatur, quousque per eos ſolutae non fuerint effectiue: Dominis tamen terreſtribus, propter ruſticos decimas ſoluere difficultantes; Eccleſiaſticum interdictum non ſeruetur.

9. *(a)* In examinatione aceruorum, talis modus per dicatores obſeruetur: Quod decimatores in praeſentia Iudicum, et Villicorum, *(b)* vbi decimas dicauerint, iuramento ruſtici decimas ſoluere debentis, contentari debeant: vel ſi contentari noluerint; liberam *(c)* habeant aceruos eorundem (moderate tamen, et non tali tempore pluuioſo, vnde ipſis ruſticis aliquod damnum ſequi poſſit) examinandi facultatem. Qui decimatores, ſi plus in eisdem, quam ruſticus dixerit, inuenient; ſuperfluitatem auferant, et vltra hoc; iuſtam eisdem decimam ad ſoluendum imponant. Verum prinsquam aceruum examinari fecerint *(d)* teneantur ante omnia in manibus eorundem Iudicum, vel Villicorum talis loci, vnum florenum aſſignare, vt ſi comperti fuerint ipſi decimatores huiusmodi aceruum indebite ſubuerti feciſſe, et examinaſſe; ipſum vnum florenum, manibus ruſtici, iidem Iudices, et Villici aſſignare ſint aſtricti.

10. *(e)* Concluſum eſt; quod apes, agni, capreoli, tempore ſuo, ſecundum conſuetum modum dicentur, et ſignentur: ſactaque dicatione, et ſignatione, inuito hoſpite, apud quem dicabantur, non amplius, quam ſolummodo vsque Feſtum Sancti Michaelis (et quidem ad fortunam decimatoris) teneantur: Et ſi poſtmodum ipſa animalia, caſualiter perierint, ruſtici ipſi nullo modo aggrauari debeant. Sed tamen iurare teneantur; quod non eorum culpa, neque malitia, neque voluntate perierunt.

11. *(f)* Quia tempore vindemiarum plurimi vina eorum venditioni exponere conſueuerunt: Dum autem eorum vina vendidiſſent, decimatores vinorum, priuato eorum lucro gaudentes, quasdam abuſiuas extorſiones, in plerisque Comitatibus, et ſinguanter in Comitatu Simigienſi, decimatores Abbatiae Sancti Martini Sacri montis Pannoniae introducentes, pro ſigillis cereis, ab eisdem venditoribus, in quibusdam locis duos denarios, in aliis vero duodecim extorquere ſunt asueti. Quare vt tales abuſiones de medio Regnicolarum extirpentur, ſtatutum eſt: Quod a modo de cetero, tales abuſiones, qualitercunque introductae, penitus extinctae habeantur. Et ſecundum quod, ab antiquo, temporibus Abbatum legitimorum dictae Abbatiae, in tali re obſeruatum ſuit; ita eadem conſuetudo de cetero obſeruetur.

12. *(g)* Quod Villici, propter hoſpitalitatem, quam exhibere ſolent decimatoribus, ad exactionem, et adminiſtrationem decimarum non dicentur, nec de Capitibus dicarum quicquam ab eisdem exigatur.

13. Ex quo *(h)* inter Dominos Praelatos ab vna, parte vero ex altera Dominos Barones, et ceteros Regnicolas, ratio et praetextu exactionis pecuniarum Chriſtianitatis, et meſſorialium, hactenus per ipſos Dominos Praelatos exactarum quaedam differentia, et contentio eſt exorta, ipſique Domini Barones, et Regnicolae huiusmodi exactiones,

(a) alias cap. 38.
(b) MS. habet *vel Villicorum.*
(c) MS. noſtrum habet: *Iudices vel Villici talium locorum liberum habeant aceruos, moderate tamen, et non tempore pluuioſo.*
(d) Hinc patet lectionem MS. magis eſſe probandam, aceruos nimirum non per decimatorem, ſed per iudicem eſſe examinandos.
(e) alias cap. 39.
(f) alias cap. 40.
(g) alias cap. 42.
(h) alias cap. 43.

nes, contra eorundem libertates et priuilegia abuſiue fuiſſe introductas: e conuerſo vero iidem Domini Praelati, vigore efficaciſſimorum priuilegiorum, easdem exactiones feciſſe, ſuperiudeque ambae partes literas, et literalia inſtrumenta pro ſe habere, quas, et quae, non in praeſentiarum, ſed in vlteriori termino producere velle, aſſerunt. Quare pro eiusdem rei finali deciſione concluſum eſt: Quod ipſi Domini Praelati vniuerſas literas, et litteralia inſtrumenta, ſi quas et quae in facto praemiſſo habent *(a)* confectas, et emanata; vel etiam ipſi Domini Barones, et Regnicolae, ſi quas interim reperire poterint; in Octauis Feſti beati Michaelis Archangeli proxime affuturis, coram Maieſtate Regia producere, et exhibere debeant, et teneantur. Quibus viſis, Maieſtas ſua inter partes deliberationem, et finalem concluſionem faciendi in praemiſſis omnimodam habeat facultatem. *(b)*

14. Quia *(c)* ratione exactionis decimarum, ac etiam nonarum, inter Dominos Praelatos, et Barones, ac alios Nobiles, et poſſeſſionatos homines, plurimae difficultates in eo exortae ſunt; vtrum ſcilicet primo decimae ac poſtea *(d)* nonae perſolui debeant? Pro coordinatum eſt: Quod ſicuti hactenus conſuetum fuit, ita et impoſterum, prius nonae, deinde autem decimae perſoluantur.

15. Sunt *(e)* plurima loca in confiniis *(f)* Regni ſita, in quibus Rasciani, Rutheni, Valachi, et alii Schismatici in terris Chriſtianorum habitant, et de eisdem terris hactenus, iuxta eorum ritum viuentes, nullas penitus decimas ſoluere conſueuerunt, quos tamen ipſi *(g)* Domini Praelati ad decimas ſoluendas cogere niterentur. Et quia ipſae decimae in patrimonium Chriſti dedicatae, a Chriſti fidelibus, et non aliis Schismaticis *(h)* hominibus (praeſertim vero illis, ad vocationem, et aſſecurationem, Regiae Maieſtatis, ac Waiuodarum, Baronum, et ceterorum officialium, ipſa confinia Regni tenentium, dicta loca incolentibus (exigi ſolent: ob hoc ordinatum eſt, et concluſum: Quod amodo de cetero ab ipſis Rascianis, Ruthenis, Valachis, et aliis Schimaticis, in quibuscunque terris Chriſtianorum reſidentibus, nullae penitus decimae exigantur.

XC.
SYNODVS REGIA
Sub Vladislao Secundo A: C: MCDXCVIII.

1. *(i)* De Capitulo Boſzuenſi ſtatutum eſt: Quod ex quo eius Canonici taliter deſtructi eſſe dignoscuntur, pro reformatione Eccleſiae illius (quae in honorem Sancti Petri conſtructa eſt) habeant facultatem vbique per totum Regnum, pro

(a) In MS. noſtro habetur: *pro ſe habeat confectas.*

(b) In MS. noſtro additur *poteſtatem.*

(c) alias cap. 44.

(d) In MS. noſtro forte melius habetur: *primo decimae, aut nonae perſolui debeant*, illud *poſtea* in vulgatis ſuperfluum eſt.

(e) alias cap. 45.

(f) In MS. noſtro habetur *confinibus.*

(g) In MS. deeſt.

(h) Siquidem ratio commendat legem, nulla apparet ratio, cur nonnulli etiam cum Catholica Eccleſia vniti hanc ſibi exemptionem vendicare velint.

(i) alias cap. 12.

pro teſtimonio Capitulari ambulare: ad inſtar Capituli Budenſis.

2. *(a)* Quoniam Comitatus Gemerienſis, et ceteri Regnicolae illarum partium, pro vtilitate publica, ſigillo Conuentus Eccleſiae de Saagh carere non poſſunt. Pro eo ſtatutum eſt; vt poſſint in dicto Comitatu Gemerienſi, iu omnibus executionibus procedere.

3. *(b)* De ſalſariis, qui in Capitulis, vel Conuentibus litteras ſalſas obſignant; vt ſtigma ſigilli igniti frontibus, et vtraque facie omnium Capitularium, ſeu Conuentualium, qui tempore ſalſincationis *(c)* talia agentes intererunt, inuratur. Et inſuper, beneficia talia amittantur eo facto.

4. *(d)* Ex quo Domini Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Capitula, Praepoſiti, Abbates et Cartuſienſes de Lövöld, nec non Prior Auranae *(e)* iuxta huius Regni laudabilem conſuetudinem antiqnam, pro defenſione huius Regni, tam ratione prouentuum decimalium, quam ratione poſſeſſionum Eccleſiarum ſuarum Banderia ſua, ſecundum exigentiam prouentuum, et vſum. *(f)* Iobagionum ſuorum, leuare tenentur. Ob hoc ipſi Domini Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Capitula, Praepoſiti, Abbates, et Cartuſienſes, nec non Prior Auranae eorum gentes, pro defenſione Regni, iuxta limitationem infraſcriptam, tenere, et conſeruare teneantur. Cetera autem Capitula, Conuentus, nec non Abbates, et Praepoſiti, ceterique viri Eccleſiaſtici, tam religioſi, quam ſeculares decimas babentes; ſecundum exigentiam prouentuum ſuorum decimalium, et vſum *(g)* Iobagionum ſuorum: illi vero, qui decimas non haberent, inſtar aliorum Regnicolarum Banderia non habentium, de ſingulis triginta ſex portis, ſingulum vnum equitem, armis bene diſpoſitum, dare, et tenere debeant. Si autem aliqui Praelatorum, et virorum Eccleſiaſticorum, ſecularia iura poſſiderent; ea, quae ab antiquo banderiata ſunt, nunc quoque Banderia ſua babeant, et ratione illorum vltra cetera bona Eccleſiarum ſuper quibus ſundata ſunt, conſimiliter exercituare ſint obligati. Vt autem difficultatibus illis, quae de prouentibus Banderia non habentium decimalibus, et numero Iobagionum ſuorum poſſent exoriri, via praecludatur, concluſum eſt: Quod in ſingulis Comitatibus, tot probi, et fide digni bomines potiores, per communitatem Nobilium eorundem Comitatuum eligantur, quot in eisdem Comitatibus Iudices Nobiliumhabentur, qui vna cum eisiudicibus nobilium illius Comitatus, in quo connumeratio fieri debebit (praeſtitis iuramentis per eosdem) tam de prouentibus eorundem decimalibus, quam numero Iobagionum ſuorum diligenter perquirant, et in Regeſtro fideliter annotent, atque ad locum Sedis Iudiciariae importent, et ibi per vniuerſitatem Nobilium, iuxta conſcientioſam eorum limitationem, numerus exercituantium in ſingulis Comitatibus deſcribatur, et ſecundum hoc ipſi viri Eccleſiaſtici, nec *(h)* non Banderiati exercituare teneantur.

5. *(i)* Sunt autem iſti viri Eccleſiaſtici, qui Banderia eorum ordine infraſcripto ſemper leuare, et cum eisdem exercituare tenebuntur.

Archi-Epiſcopus Strigonienſis Banderia duo.

Archi-Epiſcopus Colocenſis Banderium vnum.

Episeopus Agrienſis Banderia duo.

Epiſcopus Varadienſis Banderium.

Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis, Banderium vnum.

Epi-

(a) alias cap. 13.
(b) alias cap. 14.
(c) In MS. additur, *de Conuentibus, vel Capitulis.*
(d) alias cap. 15.
(e) In MS. additur: *infraſcripti.*

(f) In MS. habetur *numerum*, quod omnino magis videtur approbandum.
(g) Iterum habetur in MS. *numerum.*
(h) In MS. deſideratur et ſuperfluum eſt.
(i) alias cap. 20.

Epiſcopus Tranſyluanienſis, Banderium vnum.

Epiſcopus Zágrábienſis, Banderium vnum.

Epiſcopus Iaurinenſis, Equites ducentos.

Epiſcopus Veſprimienſis, Equites ducentos.

Epiſcopus Vacienſis, Equites ducentos.

Epiſcopus Chanadienſis, Equites centum.

Epiſcopus Sirmienſis, Equites quinquaginta.

Epiſcopus Nitrienſis, Equites quinquaginta.

Abbas Pécs: Varadienſis Equites ducentos.

Abbas Varadini Petri Equites ducentos.

Abbas Sexardienſis, Equites centum.

Abbas Sancti Martini Equites ducentos.

Fratres *(a)* Cartuſienſes de Lovold, Equites ducentos.

Prior Auranae Banderium vnum.

Abbas de Zobor, Equites quinquaginta.

Capitulum Strigonienſe, Equites ducentos.

Capitulum Agrienſe, Equites ducentos. *(b)*

Capitulum Tranſyluanienſe, Equites ducentos.

Capitulum Quinque-Eccleſienſe, Equites ducentos.

Capitulum Bachienſe, Equites quinquaginta.

Praepoſitus Albenſis Maior, cum Capitulo ſuo, et Praepoſito minori eiusdem Loci Equites centum.

Praepoſitus Thitelienſis, *(c)* Equites quinquaginta. *(d)*

6. *(e)* Quod nullus Triceſimatorum, ac Tributariorum, ac ipſorum Vices-gerentium, de rebus, et bonis per Nobiles ac Presbyteros, aut Monachos ipſorumque homines, ad neceſſaria domorum eorundem emendis, aliquam Triceſimam, aut Tributum, (prout hactenus conſueuerunt) contra eorundem libertates exigere valeat. Si vero quispiam id faceret, Nobilis, aut Presbyter, vel Monachus taliter ſpoliatus, vel in libertate laeſus, domino illius tributi, ſi in propinquo inueniri poteſt; alioquin Comiti Parochiali illius Comitatus, in quo huiusmodi tributum exigitur, querelas deponere debeat: et ille ſcita prius ſuperinde mera veritate duplicem ſatisfactionem, hoc eſt: accepti tributi duplum, reddere querulanti teneatur: ſub poena duarum marcarum, inter Comitem, et querulantem aequaliter diuidendorum. Triceſimator vero, ſi contrafecerit; tunc huiusmodi querela contra eundem Regiae Maieſtati porrigatur. Et, ſi Maieſtas ſua, ex literis Inquiſitoriis Comitis, vel Vice-Comitis, et Iudicum Nobilium illius Comitatus, in quo talis Triceſima exigitur, per ipſum Triceſimatorem, iniuſtam Triceſimam exactam fuiſſe compererit; extunc vltra duplum receptae Triceſimae, nec non expenſis querulantium, ipſe Triceſimator per Maieſtatem Regiam acriter puniatur. Si autem ipſe querulans iniuſtas querimonias depoſuiſſe compertus fuerit; modo ſimili contra partem aduerſam, in duabus marcis conuincatur. Quoniam autem plurimae Ciuitates, et Poſſeſſiones Regales in hoc Regno de ſingulis rebus eorum venalibus, et mercibus, per totum Regnum a ſolutione tributi exemptae, et ſupportatae eſſe dignoſcuntur; Ob hoc multo magis Nobiles iſtius Regni (quorum praedeceſſores, Regnum hoc cum effuſione ſanguinis ipſorum acquiſierunt, et defenſarunt, et ipſi quoque, ac eorum poſteri, neceſſario defenſare, et protegere debeant) tam ſcilicet potiores, quam mino-

(d) *Ly Fratres* deſideratur in MS.

(e) In MS. poſt Capitulum Agrienſe ſequitur Varadienſe hoc modo: *Capitulum Varadienſe equites ducentos* in editis non occurrit hoc Capitulum; vnde autem id euenerit, fateor me ignorare niſi, librario oscitantiae culpam dicam.

(a) In MS. habetur *Titulienſis.*

(b) In MS. ad marginem eadem manus adnotauit: *Praepoſitus Temeſienſis Equites L.*

(c) alias cap. 35.

minores. ſi quaeſtum aliquem facerent cum rebus venalibus; de tali quaeſtu tributum ſoluere non teneantur. Ita tamen, quod ſi aliquis Nobilium quempiam ruſticorum, ſeu ciuium, talem videlicet, qui tributum ſoluere tenetur, ſibi in ſocium aſſumeret, et illum penes ſe absque ſolutione tributi abducere vellet, et de hoc tributarius poſſet certificari; tales res venales, ſeu mercimoniales, ipſe tributarius auferendi ab vtroque plenariam, atque omnimodam habeat poteſtatis facultatem.

7. *(a)* Decimae non argento, aut pecuniis, ſed ſicut terra protulerit fruges, et vina, iuxta contenta Decreti quondam Domini Andreae Regis, in perpetuum exigantur.

8. *(b)* Archi-Epiſcopi, et Eccleſiarum Praelati, Capitula, Conuentus, atque Abbates, Plebanis Eccleſiarum (his ſcilicet, quibus tenentur ſecundum conſuetudinem hactenus obſeruatam) de prouentibus eorum decimalibus, quartas ſoluant; et quibus non tenentur, non ſoluant. Si quipiam autem Plebanorum circa illas quartas aliquod *(c)* ius habere praetenderent; ordine iuris requirere teneantur.

9. *(d)* Adueniente tempore decimationis, Iudex cuiuslibet villae, de qua decimae recolligi debebunt, teneatur ille Vice-Archi-Diacono, ad quem ſpectant, ſignificare tempus decimationis: vt ille admoneat decimatorem, et ſignificet eidem, quatenus veniat infra duodecim dierum ſpatia ad decimandum. Quod ſi aduenerit, tandem diebus ad id neceſſariis, decimationem iuſto modo perficiat. Et vnusquisque Colonorum teneatur decimas ex ſe prouenientes, ad illum locum, quem decimator in facie eiusdem poſſeſſionis diſpoſuerit, importare: et pro labore decimam partem accipiat. Si autem infra illos duodecim dies, decimator non venerit; Villicus, ſeu Iudex eius loci decimationem nihilominus in campo teneatur perficere, et decimas ipſas in campo ad ſortem decimatoris relinquere. Si autem poſtea decimator aduenerit; tunc Iudex, ſeu Villicus ipſius villae modo antedicto pro decima parte, cum Colonis ſingulis eiusdem poſſeſſionis teneatur decimas ipſas facere importari. Ita tamen, quod ſi ipſe decimator, ſuper importandis huiusmodi decimis facilius poſſet concordare cum aliquo, habeat *(e)* ſuper hoc facultatem, quomodo *(f)* voluerit, diſponendi. Quod ſi decimator ipſe, de iniuſta decimatione eo abſente facta, ipſi iudici credere nollet; iuramentum ſuper hoc ab eo exigere valeat, et ſic verbis illius acquieſcat. Compoſitorem autem aceruì ſolus decimator diſponat: et in expenſis ſuis viuat. Iudex autem villae teneatur illi decimas ſoluere. Quoniam autem iam ſoepius contentiones exortae ſunt, de quibus rebus terrae naſcentibus decimae exigi debeant; ad tollendum igitur omnes huiusmodi altercationes, placuit, vt tantummodo de his rebus, videlicet frugibus, vinis, ſiligine, hordeo, auena, et ſpelta, vulgo thenkel, et non aliis, decimae per totum Regnum *(g)* exigantur.

10. *(h)* De pecuniis Chriſtianitatis, et meſſorealibus, quae hactenus valde abuſiue exigebantur, taliter determinatum eſt: Quod ex quo ipſi Domini Praelati, et Viri Eccleſiaſtici, ratione prouentuum eorum decimalium, gentes eorum, de cetero pro defenſione huius Regni neceſſario tenere habebunt: Sunt autem quam plurimi ruſticorum, *(i)* qui nec vine-

Z z z

(a) alias cap. 49.
(b) alias cap. 50.
(c) In MS. additur, et recte *amplius*, quum re ipſa aliqui amplius ius habeant.
(d) alias cap. 51.
(e) In MS. praemittitur *quoque*.
(f) MS. noſtrum clariorem habet ſenſum *quos voluerit*, vt nimirum conſtet Decimatorem non adſtringi, vt decimam per colonos ipſos conuehi faciat.
(g) In MS. additur *Hungariae*.
(h) alias cap. 52.
(i) In MS. habetur *Chriſtiani*, et recte: leges enim in prioribus Synodis Regiis editae Schismaticos, et quosuis haereticos pro Chriſtianis non habent.

vineas habentes, neque etiam araturas facientes, de quibus eiſdem Dominis Praelatis decimae prouenire deberent, abſque ſolutione nullarum decimarum in plerisque locis commorantur; ſeque Chriſtianos eſſe praedictis Praelatis Eccleſiarum, ſub quarum Dioeceſibus degent, minime recognoscunt. Quare, vt de cetero inter ipſos Praelatos Eccleſiarum, et Chriſticolas, debitus ordo obſeruetur, ſtatutum eſt: Quod amodo impoſterum, omnes, et ſinguli ruſtici, ſeu Iobbagiones quorumcunque, qui ſiue de vinis, ſiue de frugibus, et biadis *(a)* ipſorum, in Dioeceſi quorumcunque Dominorum Praelatorum, et Virorum Eccleſiaſticorum, decimas ſoluerint, tales nec pecunias Chriſtianitatis, nec etiam meſſoreales ſoluere debeant. Meſſores autem de portionibus, ſibi pro labore eorum (ab his tantummodo, qui decimas ſoluere hucvsque conſueuerunt, et non Nobilibus) prouenire debentibus, decimas ſoluant. Pecunias autem Chriſtianitatis, aut meſſoriales non ſoluant: Nec interim portiones eorum de campo abducere, ſeu excipere audeant, donec eorum portiones vna cum rebus decimalibus colonorum decimabuntur. Illi autem, qui nec ex vinis, nec frumentis, ſeu biadis *(b)* decimas ſoluerint, pro pecuniis Chriſtianitatis, ſex tantummodo denarios teneantur. *(c)*

11. *(d)* Quia Archi-Diaconi Eccleſiarum prouentus eorum Cathedraticos a Plebanis Eccleſiarum valde abuſiue exigere conſueuerunt; quare vt huiusmodi praua abuſio extinguatur, ſtatutum eſt: Quod amodo de ſingulis Eccleſiis, quae integrae *(e)* vocantur, non plus, quam vnus florenus: *(f)* Quae vero mediae,

(a) In MS. legitur *bladis*.

(b) In MS. iterum ſcribitur *bladis*. Melior videtur lectio MS. prouti enim conſtat ex Du Cange olim *bladum* pro quauis ſpecie frumenti nondum demeſſa ſumebatur, *biada* autem granum ipſum notare conſtat.

(c) Luxatus omnino ſenſus legis, quem ex MS. reſtituimus, vbi habetur: *pro pecuniisque Chriſtianitatis ſex tantummodo denarios ſoluere teneantur.*

(d) alias cap. 53.

Quid ſit Integra Eccleſia?

(e) Integras Eccleſias exiſtimo dici eas, quas nunc Matres, ſeu Matrices vocamus, olim autem Eccleſiae *principales*, Eccleſiae *per ſe* appellabantur; vnde conſequitur medias eſſe Eccleſias, quas dicimus *filiales*, antiquitas *ſubalares* vocabat. Confirmauit me in hac opinione Rmus, ac Clar. Ios. Bőki Can. Agr. et Iuris Eccleſiaſtici Profeſſor mihi ob multiplicem eruditionem, perſpectamque probitatem apprime charus in epiſtola ad me data, quam integram horſum referre placet: „Genuinum vocabulorum „*integrae*, et *mediae* Eccleſiae in art. 53. (mi„hi cap. X.) anni MCCCCXCVIII. intellectum „eum ipſum eſſe, quem Illmus Dñus Comes ex„ponere nuper dignatus eſt de Eccleſiis Matri„cibus, et filialibus, adeo mihi quidem certum eſt, „vt nulli omnino difficultati locus ſupereſſe videa„tur. Moneor ad id aſſerendum ex Synodali conſti„tutione Eccleſiae Nitrienſis anni MCCCCXCIV. „Cap. 34. de vſurpatoribus Eccleſiarum, vbi „haec leguntur: quum itaque per Praedeceſſores „noſtros limites Parochiarum, et aſsignationes „prouide facti, diſtincti, et aſſignati fuerint; non„nulli tamen Eccleſiis vacantibus ipſarum Eccle„ſiarum ſic vacantium iura vſurpant, et tanquam „Capellas ipſas penitus ſub ſe habere nituntur, „quum tamen manifeſte conſtat ipſas fuiſſe per ſe „principales Eccleſias - - - - ex quo plu„ra inſurgunt inconuenientia - - - nec non „iura Archi-Diaconorum Eccleſiae noſtrae in Ca„thedratico defraudantur; quare malitiis homi„num - - - volentes, et nihilominus decla„rantes, quod quicunque fuerit Sacerdos, ſiue Re„ctor Parochialis, tales ſub ſe habens Eccleſias, „de quibus clare probari non poſſit, pro ipſis „nihilominus teneantur ſoluere Cathedraticum. „Si autem fuerint Capellae, de quibus manifeſte „conſtet, pro medietate Cathedratici, pro qua„libet teneantur Capella, vt omnis rancor ca„uillationis, et fraudis auferatur. Ex quo loco „apparet primo, ad modum loquendi illius tem„poris Eccleſias diſtingui fuiſſe ſolitas in Princi„pales, et Capellas. Secundo a Principalibus Ec„cleſiis integrum, a Capellis dimidium Cathe„draticum Archi-diaconis pendi debuiſſe: iam „vero tum ex circumſtantiis laudatae conſtitu„tionis ſatis clarum eſt, tum item ex Synodo „Zsgrabienſi anni 1673. cap. 4. Capellas idem „eſſe, ac filiales Eccleſias. Si ergo iuxta caput „noſtrae conſtitutionis medius florenus, ſeu me„dium Cathedraticum a ſingulis mediis Eccleſi„is, et integrum Cathedraticum, ſeu vnus flo„renus ab integris Eccleſiis exigendus ſtatuitur, „*media* igitur Eccleſia procul-dubio filialis, et „*integra* Matrix, ſeu Principalis, et Parochialis „Eccleſia erit intelligenda„ Haec ille. Conformia his ſunt, quae in charta Hugonis Capeti Regia leguntur apud Du Cange in verbo: *Eccleſia Mater. Eccleſias duas, quarum vna eſt Mater Eccleſia in honore B. Remigii, et alia Capella in honore S. Germani.* Lege Longobardorum apud Baluzium lib. 3. tit. 3. §. 1. habetur: „*Eccleſiae, et Capellae, quae in veſtra Parochia ſunt.*

(f) Cathedraticum *eſt penſio*, vti ait Du Cange, *quae Epiſcopo ab Eccleſiis quotannis ſolui-* Cathedraticum.

Digitized by Google

mediae, medius florenus, et ſic conſequenter, pecuniae Cathedrales ab ipſis Plebanis exigantur.

12. *(a)* Quia hactenus ex decem agnellis, vnus pro decimis oblatus eſt; et inſuper pro reliquis nouem, pro ſingulis ſcilicet duo denarii ſoluebantur, ſtatutum eſt: Quod amodo deinceps, non amplius, quam ſolummodo pro ſingulis agnellis vnus denarius perſoluatur: et ſimiliter pro apibus. Ita, quod poſtquam haec decimata fuerint; decimator illa infra ſpatium vnius menſis abducere teneatur.

13. *(b)* Epiſcopi, Eccleſiarum Praelati, vel eorum alter, pro perſona ſua, et Eccleſiae ſuae, poſſeſſiones, et iura poſſeſſionaria ſecularia, nec a Regia Maieſtate quoquo modo impetrare, neque pecuniis eorum iure perpetuo emere, et comparare, aut titulo pignoris habere poſſint, et valeant. Et e conuerſo Domini Barones, et ſeculares, bona Eccleſiarum pro ſe non vſurpent, neque ſe illis aliquo pacto intromittant.

14. *(c)* Nemo ex Dominis Epiſcopis, et Eccleſiarum Praelatis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis duas dignitates, aut alia beneficia Eceleſiaſtica, etiam minutiſſima tenere, gubernare, et vti valeat. Dempto ſolummodo Epiſcopo Boſnenſi, pro tempore conſtituto, qui duo tantummodo beneficia Eccleſiaſtica, non plura, tenere valeat: ex quo deficit in prouentibus, et caſtra quaedam finitima neceſſario tenere habeat. Ab illis autem, qui iam defacto duo beneficia Eccleſiaſtica, vel plura haberent, praeter illud, quod ipſi beneficiati ex illis pro ſe retinere maluerint, vſque Feſtum beati Iacobi Apoſtoli proxime venturum, per Maieſtatem Regiam auferantur, *(d)* et perſonis idoneis conferantur. Similiter *(e)* etiam illae perſonae, quae aliqua beneficia Eccleſiaſtica, ſiue magna, ſiue parua, quibuſcunque perſonis ad Curiam Romanam obligaſſent, infra vnius integri anni ſpatium, a dato praeſentium conſtitutionum computando, teneantur ea liberare: alioquin per Maieſtatem Regiam occupentur, et perſonis idoneis (Regnicolis ſcilicet, et non forenſibus) conferantur.

15. *(f)* Maieſtas Regia, nemini ex ipſis Dominis Epiſcopis, et Praelatis, aliiſque Viris Eccleſiaſticis, honorem vel officiolatum Comitatus, etiam pro tempore dare, et conferre valeat, ſed per-

Zzz 2

---

tur in ſignum ſubiectionis, vti habet charta Gerardi Epiſcopi Cantuarienſis, haec penſio in Concilio Braccarenſi anno Chriſti 572. celebrato vocatur *honor Cathedrae*; Canone enim 2. apud Harduinum Tom. 3. col. 386. dicitur: „*placuit, et nullus Epiſcopus praeter honorem Cathedrae ſuae. id eſt duas ſolidos, aliquid aliud per Eccleſias tollat.* Apud noſtrates vocabatur *obedientia*, ſic Mathmerius Praepoſitus Scepuſienſis, a: C: 1275. Eccleſiae Sygrenti dotem conſtituens apud Cl. Wagner in Analectis Scepuſii Tom. I. ait: *vnum fertonem ratione obedientiae nobis, et ſucceſſoribus noſtris ſingulis annis in feſto B. Martini ſoluere tenentur*„ In charta Ioannis Abbatis de Scepus anni 1315. apud eundem Wagner Tom. I. p. 402. *honoris robur*; non puto ante ſeculum ſextum veſtigium penſionis huius reperiri poſſe; ego quidem nullum deprehendi hactenus. Origo penſionis huius videtur referenda ad diuiſionem beneficiorum inualeſcentem, quum enim antea omnes prouentus Eccleſiaſticos adminiſtraret Epiſcopus, ſubiectionis ſigna huiuſcemodi nil opus erat: deinceps huius exhibitione honoris roboranda erat, vt agnoſcerent reliquae Eccleſiae, filialium inſtar ſe eſſe; et ſane poſterioribus etiam temporibus, quum Eccleſia quaepiam ſui iuris fiebat, Matri quondam Eccleſiae annuum priſtinae ſubiectionis ſignum offerre cogebatur. Sic Lodomerius Archi-Epiſcopus Strigonienſis anno 1280. inter nunc laudata Analecta Scepuſii Tom. I. pag. 112. Eccleſiam de Leck in Parochialem erigendo conſtituit, „*vt in feſtiuitate S. Ladislai Regis Sacerdos ipſius Eccleſiae* (Leckien.) *videlicet filiae cum proceſſione eundo, lampadem in tres libras ſuſcipturam ad Eccleſiam Sancti Ladislai Regis comportabit*; Paulus autem Praepoſitus Scepuſienſis anno 1315. ius in Eccleſiam Landeck, et Crucerdorf Praepoſito Miechouienſi reſignans voluit: „*vt ſuprascripta Eccleſia S. Martini ſui honoris robur valeat obtinere integer, memorati fratres in recompenſam Iuris per ſuprascriptum Magiſtrum Paulum Praepoſitum indulti, vnam marcam puri argenti Scyphum ponderis infra octauas praemiſſi S. Martini Eccleſiae eidem B. Martini ſingulis annis ſoluere tenebuntur.*

(a) alias cap. 54.

(b) alias cap. 55. de hac lege diſſeruimus in diſſertatione de Synodis Regiis.

(c) alias cap. 56.

(d) In MS. habetur *occupentur*.

(e) Haec, quae ſequuntur, vſque ad finem capitis in MS. noſtro deſiderantur.

(f) Alias cap. 57.

Digitized by Google

perſonae ſeculari bene meritae, et ex Nobili proſapia ortae, ac in ipſo Comitatu perſonalem reſidentiam agenti, honor huiuscemodi per Regiam Maieſtatem detur, et conferatur, demptis duobus Comitatibus, Peſtienſi, et Piliſienſi, qui ex antiqua eorum libertatis praerogatiua, Comites habere non conſueuerunt. Quod illi, in eadem libertate permaneant. Ab illis vero, quibus perpetuo, aut alio quocunque iure, honor alicuius Comitatus hactenus collatus, et datus fuiſſet; per ipſam Regiam Maieſtatem auferatur, et modo praemiſſo conferatur. Niſi per Sanctos Reges *(a)* ſuper inde aliquas collationes, ſiue priuilegia ha-

---

De officio ſupremi Comitis Epiſcopis collato.

(a) Nil dubitant aliqui temere adſtruere, quod per Sanctos Reges hoc loco Stephanus, et Ladislaus intelligatur; dixi ob aliquibus temere id adſtrui, quum leuiſſimo innitantur fundamento. Mihi videtur Ly *Sanctos* idem ſonare, ac *Diuos*. Laudandi hinc maiores, qui repudiato hoc Idololatricae vanitatis veſtigio Chriſtiana nomenclatione Reges ſuos iam in pace quieſcentes honorare, et compellare maluerunt. Superfluum foret hic demonſtrare Diuorum nomenclationem, ex gentilium vaniſſima adulatione in mores etiam Chriſtianorum abiiſſe; apud Chriſtianos autem Reges ob participationem quandam Diuinae poteſtatis, vnctionisque Sacramentum *Sanctos* a Religioſioribus appellatos fuiſſe dubitare non licet; vt enim taceam in legibus noſtris affines deprehendi appellationes; Ludouicus enim I. Decreti §. IX. Andream II. vocat *beatae recordationis*, Bela eundem *recolendae memoriae* appellat apud Cl. P. Wagner in Analectis Scepuſii Tom. I. pag. 389. vt haec inquam, et ſimilia taceam, Stephanus Tornacenſis epiſt. XXXIV. Belam Regem *Sanctum* - - - Colomannum *Sanctiſſimum* compellat. Caput rei eſt, et quaeſtionem abſolutiſſime dirimit id, quod nimirum in Regum noſtrorum Priuilegiis inſolitum non ſit, imo conſuetum praedeceſſores ſuos *Sanctos* appellare Reges. Speciminis loco ſit Diploma Emerici Regis pro Eccleſiae Strigonienſis iure editum, quod ex Cl. Patris Wagner Analect. Tomo I. pag. 24. Secundo huius operis noſtri Tomo inſeruimus, vbi haec leguntur: *Item decimam tributorum in terra Scypſienſi, et in Poſonio ipſi Dño Archi-Epiſcopo in perpetuum pro menſa ſua, ſicut per Sanctos Reges erant donatae; Item pro ſalute noſtra, et diſcordia vitanda exemplo Sanctorum Regum donauimus &c.* Obſeruari hic volo tributi Sciptienſis decimam per Sanctos Stephanum, et Ladislaum non fuiſſe collatam, ſed ſerius ad ius A-Epiſcopi Strigonienſis acceſſiſſe, ſicut ipſa terra Sciptien. ſerius forte Hungarici iuris effecta fuit; obſeruandum et illud, quod exemplo Sanctorum Regum diſcordiam vitaturus donet domum Regalem, ac exemplo Sanctorum Regum inductus hoc idem faciat; Quis amabo adſtruet Sanctum duntaxat Stephanum, et Ladislaum vitaſſe diſcordiam? illos duntaxat caſtra, et terras donaſſe? quin conſtat quosuis Reges tempore coronationis donis auxiſſe Archi-Epiſcopos. Nomenclatione itaque Sanctorum Regum ſuos inſinuat vniuerſos praedeceſſores. Bela IV. anno 1256. in tranſumpto Caroli Roberti apud Pray Hier. Tom. I. p. 138. et 140. de A-Epiſcopo Strigonienſi loquens ait: *cui necdum ſua iura illaeſa debemus conſeruare ab antiquo a Sanctis Regibus noſtris Progenitoribus condonata*, niſi hic vniuerſitas praedeceſſorum ſumatur, neſcio quomodo Bela IV. Sanctos Stephanum, et Ladislaum progenitores ſuos dicere poſſit? Sigismundus Rex anno 1391. apud Cl. Wagner Tom. I. p. 137. Nobiles Scepuſienſes exercituaſſe recognoſcens inquit: *in praeſenti noſtra exercituali expeditione contra Turcos, noſtras, et dicti Regni noſtri vexillos imperata, qui iuxta ſtatuta Sanctorum Regum, et noſtram Sanctionem infra limites dicti Regni Hungariae proficiſci tenebantur, interfuiſſe atteſtamur.* Certe Andreas II. primus reperitur legem Exercituationis tuliſſe: clarum ergo eſt, Sanctos Reges dici quosuis praedeceſſores Reges. Quemadmodum vero vitatum fuit Reges defunctos *Sanctos* appellare, quos *Diuos* nunc diceremus; ita inſolitum erat generali hac nomenclatione *Sanctorum Regum* Sanctos Stephanum, et Ladislaum deſignari. Etenim Sanctus Stephanus ita ſibi nomen Sancti Regis vendicat, vt tum Andreae II. Decreti articulo primo, tum alibi, quotiescunque *Sanctus Rex* absque addito nomine proprio ſcribitur, toties Sanctus Stephanus absque vlla haeſitatione intelligatur; vnde inferendum eſt, ſi vterque Sanctus Rex hac lege deſignatus fuiſſet, vtriusque nomen ſubiungeretur, praeſertim quum Sanctus Stephanus quotiescunque cum Sancto Ladislao nominatur, ſemper ille Sanctiſſimus, hic beatus dicitur, ſi dubitas Ludouici I. Decretum §. IV. vera me ſcripſiſſe perhibebit. Sufficere haec poſſent, niſi inueteratus error expugnandus eſſet; liquidiſſimis itaque argumentis agendum: ſi contendat quispiam per Ly *Sanctos Reges* denique Stephanum, et Ladislaum deſignari, cogetur conſiteri illuſoriam, et technis plenam fuiſſe hanc legem; optime enim conſtabat Proceribus laudatos Sanctos Reges nulli Epiſcoporum tale Priuilegium conceſſiſſe. Conſtabat ſingulis, et recenti memoria, non ita pridem Epiſcopos Comitum officia ſubire coepiſſe, plures tales catalogi, qualem nobis Cl. Pray in Hierarchia ſua Tom. II. de Comitibus Bachienſibus exhibuit, texi poſſent Comitatuum Epiſcopis obnoxiorum, quos Laici moderabantur, neque facta talia, et facti, et iuris notorietate publica vniuerſos ſtatus Regni latere poterant; obliterata nondum erant Decreta in Synodis Regiis ſub S. Stephano edita, quae Comitum, et Epiſcoporum officia diſcernunt: idem prorſus eſt de Synodis Regiis S. Ladislai, quod easdem legenti patebit. Ludicra ergo, et illuſoria, vel technis plena foret lex rem impoſſibilem ab Epiſcopis exigens, quod omnino de tantis viris ſuſpicari non licet. Satis maſculi roboris plena eſt lex haec, vti mox videbimus, vt credamus tantis ambagibus noluiſſe agere Optimates. Tandem poſteriores leges de hac ipſo Comitum officio in conformitate huius legis noſtrae latae omnem tollunt tergiuerſationem. Lex enim haec renouata fuit anno 1609. art. 23. qui ſic habet: *de Epiſcopis Comitibus iuxta Viennenſem concluſionem Rex, et Regnicolae in futu-*

habuerint: Quas producant, (ſi qui habent) infra congregationem praeſentem: Alioquin inuigoroſae relinquantur: Et ſimiliter tales honores, perſonis ſecularibus conferantur.

16. (a) Quia ſunt plures Clerici Praepoſituras, et Abbatias Regulares habentes, qui in habitu Laicali, vel ſeculari per plures annos prouentus huiusmodi Eccleſiarum exhauriunt, et tandem locupletes effecti, in blaſphemiam illius ordinis, vel (b) matrimonia contrahunt, vel autem ſeculares Presbyteri efficiuntur, et ſic Bona Eccleſiarum conſumunt. Quare ſtatutum eſt: quod huiusmodi Praepoſituras, et Abbatias Regulares, Clerici initiati, vel alii Seculares Clerici, vel Presbyteri ſine habitu regulari tenere non poſſint. Sed infra anni ſpatium, habitum illius ordinis (ſub paena amiſſionis illius beneficii) in:ˈ:ere, et aſſumere teneantur.

17. (c) Nullus Clericorum, Secularem, et laicalem habitum deferentium, aliqua beneficia Eccleſiaſtica (etiam ad breue (d) temporis ſpatium) in habitu eodem Seculari perſeuerare volens, tenere, et gubernare valeat.

18. (e) In cauſis ſeculare Forum tangentibus, neminem Regnicolarum Presbyteri, vel alii quicunque, citare praeſumant ad iudicium ſpirituale. Sed ſi ignobiles ſint citandi; in praeſentiam Domini terreſtris: Si vero Nobiles, in praeſentiam Comitis, vel Vice-Comitis, et Iudicum (f) Nobilium illius Comitatus, in quo tales citandi commorantur, legitime requirantur.

19. (g) Iudices ſpirituales neminem compellant ad reſpondendum coram ſe in cauſis prophanis, ſub paena excommunicationis, vel aliter. Alioquin dato, quod quiſpiam hominum errore, vel ignorantia

Zzz 3 du

---

ra, Diaeta concludant, et ipſi ſua Priuilegia producant. Ex hac lege vtique clarum eſt, quam explicamus legem, ita intelligendam, vt priuilegia Sereniſſimorum Regum noſtrorum quorumcunque producere iubeat. Porro Viennenſis concluſio, ſeu pacificatio Viennenſis anni 1606. nunc commemorata ait ad quintum §. ſto. *quae vero de Epiſcopis Comitibus Comitatuum in particulari recenſentur, et vtrum huiusmodi perſonae Eccleſiaſticae, ſaeculares habere poſſint dignitates, id in futura Diaeta Rex, et Regnicolae concludent.* Videndum nunc, quid in ſequente Diaeta, ſeu Synodo Regia concluſum fuerit? Anno 1608. art. 6. dicitur: *vtrum autem Epiſcopi, Seculares in Regno habere poſſint dignitates, id nunc Regia ſua Maieſtas durante adhuc hac Diaeta cum Regnicolis concludet.* Vnde autem factum ſit, quod neque hoc anno, neque ſequente, ſeu neque in hodiernum diem quaeſtio haec per publicam aliquam legem ſuperata ſit, quis diuinando aſſequetur? id tamen dubio caret, Synodi huius noſtrae Regiae legem fuiſſe temporaneam, cuius occaſio iam pandenda eſt: Uladislaus II. inceperat in conferendis perpetuorum Comitum honoribus erga Eccleſias eſſe liberalior, ac ſeculares aequo animo ferre poſſent; neque id vitio iisdem tribuo, quum aſſequendorum honorum ſpes ſibi imminui viderint: contulit quippe Uladislaus II. honorem perpetui Comitis Bachienſis A. Epiſcopo Colocenſi, licet Cl. Pray Hierarch. Eccl. Tomo 2. ad Mathiam Coruinum honoris huius initia referat; inter epiſtolas enim Petri de Warda a Cl. Carolo Wagner editas, *primo* inquit Uladislaus, *de collato ſibi* (loquitur de Petro de Warda) *et Eccleſiae ſuae Comitatus huius Bachienſis honore commemorauit, quem honorem nos quoque bene recordamur ad ſalutem noſtram, et ſingularem deuotionem erga Sanctum Paulum, cuius vocabulo illa Eccleſia A. Eppalis a Diuis Regibus praedeceſſoribus noſtris ſpeciali decorata priuilegio, noſtro quoque antiquo ſingulari beneficio frueretur, illi, et Eccleſiae ſuae in perpetuum contuliſſe.* Idem Uladislaus honorem perpetui Comitis Bihavienſis a Mathia Rege, vti dicit Rmus, ac Cl. Ganóczy in Epiſcopis Varadienſibus, collatum Valentino Epiſcopo Varadienſi confirmauit, ſicut docet Cl. Pray Hier. Eccl. Tom. 2. pag. 190. ex autographo Uladislai; vtraque haec collatio, et reſpectiue confirmatio anno uno, eodemque 1494. edita ſollicitos reddidit Seculares, praecipue quum Comes Temeſienſis ſola de Sorte propter Petrum de Warda honore Comitatus Bachienſis, et propter Valentinum Epiſcopum Varadienſem honore Comitatus Bihavienſis exciderit; hoc vrebat, et vrgebat Hungaros, qui alioquin Uladislaum II. haud magnifaciebant, lex ergo tota perſonam Uladislai ſeriebat, quod euentus docuit, et poſteriores leges perhibent. Antequam diſſerendi finem faciam, illa quoque obiectio refellenda eſt, quae a minus peritis ex titulo legis in corpore Iuris Hungarici legi ipſi praefixo peti poſſet. Titulus autem talis eſt: *Comitatus honor Eccleſiaſticis perſonis non conferendus; niſi priuilegiatis a ſanctis, et primaeuis Regibus.* Duo reſpondeo: primum quidem in legibus non rubrum, ſed nigrum attendi debere; ſecundo titulos eſſe poſteriores legibus, et varios in variis exemplaribus, et ab imperita manu profectos. In MS. Bartpheuſi certe coaeuo titulus talis eſt: *vt viri Eccleſiaſtici honores Comitatuum tenere non poſſint.*

(a) Alias Cap. 58.

(b) Deeſt in MS. noſtro, et forte recte, nam ordinem regularem blaſphemare dicendus non eſt, qui nullo regularis Profeſſionis vinculo adſtrictus Clericus ſecularis ſit; memorabile enim eſt illud S. Auguſtini effatum: *aliquando bonus Monachus vix bonum facit Clericum.* Sanctus Ioannes Chryſoſtomus L. 6. de Sac. C. 16. *Clerici magis debent eſſe abarmati, et robuſti in Spiritu, quam Eremicolae, aut Monachi, quum propiora illi habeant peccandi pericula.*

(c) Alias Cap. 59.
(d) In MS. habetur *vel ad paruum.*
(e) Alias Cap. 60.
(f) In MS. *Iudlium.*
(g) Alias Cap. 61.

ductus, vel metu ſententiae reſpondeat; nullius ſint (*a*) momenti. Et propter excommunicationem homagium excommunicati perſoluat: Quia Regnicolae per ipſos Iudices ſpirituales per tales coactiones, et illicitas excommunicationes, plurimum aggrauantur.

20. (*b*) Si aliquis Iudicum ſpiritualium quempiam Regnicolarum ratione iuris poſſeſſionarii coram ſe citauerit, et cauſſam factum ipſius Iuris poſſeſſionarii tangere agnoſcens, in huiusmodi cauſſa ad vlteriora proceſſerit; Ex tunc in aeſtimatioue talis iuris poſſeſſionarii, coram Iudicibus Regni ordinariis condemnetur.

21. (*c*) Quia ex conceſſione Venerabilium Epiſcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalium, olim in Concilio (*d*) Conſtantienſi conſtitutorum, Regnum hoc in eo priuilegiatum eſſe conſtat, quod nullus extrahatur extra iſtud Regnum ad iudicia, authoritate Litterarum Apoſtolicarum, niſi quum cauſſae aliquae per appellationem legitime fuerint ad Sedem Apoſtolicam deuolutae. Sunt autem plures, qui contra libertates huiusmodi, complures Regnicolas, tam Spirituales, quam Seculares, vigore conqueſtuum (*e*) turbant, et moleſtant. Quare ſtatutum eſt, (prout etiam in Decreto maiori (*f*) continetur) quod nullus extra Regnum iſtud, niſi per viam appellationis extrahatur. Portatores autem couqueſtuum, ſiue ſint Spirituales, ſiue Seculares, ſiue Religioſi, captiuentur, et manibus Regiae Maieſtatis praeſententur, ad Turrim (*g*) mancam pro infligenda illis paena imponendi. Quia autem ſunt nonnulli, qui exemptionis priuilegio a Sede Apoſtolica gaudentes, nequeunt coram Iudicibus Spiritualibus, in hoc Regno commorantibus attrahi in litem; vt contra tales, huiusmodi conqueſtus, ſiue reſcripta Apoſtolica libere apportentur. Extra tamen hoc Regnum, vigore ipſius, non aliter; niſi modo praemiſſo, per appellationem extrahantur.

22. (*h*) Quia ad Eccleſiam Iaurinenſem, et Abbatiam Sancti Martini ſacri montis Pannoniae, nouae pecuniae ſigillares adiuuentae fuiſſe; et pro vnoquoque vaſe, vel etiam pro vna tina, duodecim denarii iudebite, et modu abuſiuo exigi dicuntur; et vtrum Epiſcopus, vel Abbas ipſarum Eccleſiarum, ſuper talibus exactionibus aliqua iura habeant, vel non? euidenter non conſtat. Quare ad tollendum omne dubium ſtatutum eſt: Quod tam Epiſcopus, quam Abbas dictarum Eccleſiarum, iura eorundem, ſi quae habent, ſuper exactionibus praenotatis, ad octauas Feſti Beati Michaelis Archangeli proxime affuturi (absque vlteriori dilatione) producere teneantur; quibus viſis, quod iuſtum fuerit, decernatur.

23. (*i*) Statutum eſt: ſi quis Regnicolarum, cum Dominis Archiepiſcopis, vel Eccleſiarum Praelatis, aut eorum altero, ceteris etiam Viris Eccleſiaſticis in hoc Regno exiſtentibus, ratione bonorum, et iurium poſſeſſionariorum quorumcunque, et praeſertim ad Maieſtatem Regiam deuoluendorum, aliquos contractus, vel etiam aliqua obligamina hucusque qualitercunque feciſſet, vel faceret in futurum; tales Contractus, atque huiusmodi obligamina, nullius ſint roboris, et firmitatis. Imo vniuerſae litterae, in quibuscunque locis credibilibus ſuperinde emanatae, et confectae, inanes habeantur, etiamſi eſſet conſenſus Regius ſuper hoc impetratus. Hoc tamen excepto: Si quispiam

(*a*) In MS. *ſit*, et rectius.
(*b*) Alias Cap. 62.
(*c*) Alias Cap. 63.
(*d*) In MS. habetur *Conſilio*, vnde rurſus patet, promiſcue haec olim vſurpata fuiſſe vocabula, vti in diſſertatione noſtra docuimus.
(*e*) In MS. *Queſtuum*. Hanc vocem fruſtra requires in Gloſſario du Cange, vbi conqueſtus, vel conqueſta ſignificat aquiſitionem, hic querelam deſignat.

(*f*) Id eſt in Synodo Regia Anni 1492.
(*g*) Denotat Turrim Budenſem adhuc exſtantem, quae manca, Vngaris *Csonka* dicitur, quod imperfecta remanſerit, ibi aliqui quaerunt Bibliothecam Mathiae Coruini, et forte non male: quum ſaepe numero magnae Bibliothecae ſint magni Carcerea librorum.
(*h*) Alias Cap. 64.
(*i*) Alias Cap. 65.

piam fortaſſis Praelatorum, ad huiuſcemodi bona iam de facto aliquas pecunias dediſſet, et aperte de datis per eum pecuniis conſtaret: tali eiuſcemodi pecuniae reſtitui debent, (a) quibus reſtitutis, bona tandem illa ſint libera.

24. (b) Praelati Eccleſiarum inuitis Patronis Eccleſiarum, Plebanos ad recipiendam inueſtituram, ſeu confirmationem adſtringere non velint. (c).

25. (d) Sunt praeterea plerique Dominorum Praelatorum, et Virorum Eccleſiaſticorum, qui collationibus beneficiorum Eccleſiaſticorum in ignominiam totius ordinis Clericalis abutentes, illa non perſonis idoneis, et bene meritis; ſed iuuenibus, et indoctis, ad eaque beneficia incapacibus, absque conſenſu Regiae Maieſtatis conferre, illisque titulum huiusmodi beneficiorum adſcribentes, ſoli prouentus eorundem exhaurire, et in vſus proprios conuertere; ſicque cultus Diuini, propter tales abuſiones, quotidie in Eccleſiis Dei negligi conſueuerunt. Quia autem libertate antiqua huius Regni requirente, collationes quorumcunque beneficiorum, in omnibus Eccleſiis Regni, in quibus Regia Maieſtas ius patronatus habere cenſetur, ad Maieſtatem ſuam ſpectare dignoſcuntur; Quare ſtatutum eſt: quod a modo de cetero, ipſi Domini Praelati, et Viri Eccleſiaſtici, in eorum Eccleſiis, quibus ex promiſione Regiae Maieſtatis praeſunt, absque annuentia, et conſenſu Regiae Maieſtatis nulla beneficia Eccleſiaſtica pro tempore vacantia conferre poſſint. Ab illis autem Perſonis iuuenibus, atque idiotis, et indoctis, quibus aliqua Beneficia Eccleſiaſtica, absque conſenſu Maieſtatis Regiae collata fuiſſent; per Regiam Maieſtatem auferantur, et perſonis idoneis conferantur. Deinceps autem dignetur Maieſtas ſua taliter prouidere; quod huiusmodi beneficia Eccleſiaſtica (quae animarum ſunt refocillamina) ſicuti per Maieſtatem ſuam; ita etiam per Viros Eccleſiaſticos, quibus ad hoc facultatem conceſſerit, perſonis tantummodo adultis, et bene meritis, et non iuuenibus, neque idiotis conferantur; vt ſeruitia Diuina, in Eccleſiis, Sacrae coronae huius Regni ſubiectis, eo ſedulius peragantur.

26. (e) Praelati Eccleſiarum Synodum, (quam in eorum Eccleſiis, pro exſtirpandis vitiis, et plantandis moribus Plebanorum, in Dioeceſibus ſuis conſtitutorum, ex inſtitutione Canonica neceſſario celebrare babent) pro pecuniis, ſicuti quidam ex eis hactenus facere conſueuerunt, relaxare; aut Plebanos eosdem, propter relaxationem huiusmodi Synodi, in aliquo taxare, neque etiam Plebani quipiam, ſe ipſos ab ipſa Synodo quouis modo redimere praeſumant.

27. (f.) Quoniam ſunt nonnulli Eccleſiarum Praelati, qui iam ex quadam praua abuſione Plebanos Eccleſiarum per impoſitiones taxarum pro ſuo libitu, plurimum opprimere conſueuerunt: Illi vero Plebani ſub onere gementes, interdum Calices, et cetera Bona Eccleſiarum diripere, cum illisque ſe ab huiusmodi taxis redimere; interdum vero egeſtate coacti, Eccleſias eorum deſerere, et alio aufugere coguntur: Propter quod ipſi Domini Praelati crebro ad Parochianos illorum, interdictum Eccleſiaſticum inponere; ſicque illos aggrauare non verentur. Quare ſtatutum eſt: Quod ipſi Praelati Eccleſiarum, nunquam de cetero (niſi ſemel pro redemptione bullarum ſuarum, et hoc quidem cum moderatione debita) a Plebanis Eccleſiarum ſuarum Dioeceſium, charitatiuum potius, quam coarctatiuum ſubſidium petere, et exigere; vel eos quouis modo ad eorum libitum taxare

(a) In MS. habetur *debeant*, et rectius.

(b) Alias Cap. 66.

(c) In MS. habetur *non praeſumant*; magis certa haec lectio legislatoriae conuenit poteſtati, lex haec vetat inuitis Patronis obtrudi Plebanos, quod omnes Canones vetant.

(d) Alias Cap. 67.

(e.) Alias. Cap. 68.

(f.) Alias Cap. 69.

xare; neque etiam propter ipſos Plebanos, Parochianos eorundem per interdicta Eccleſiaſtica turbare, ſeu moleſtare debeant. Plebani Eccleſiarum taliter ſe gerant in eorum Eccleſiis, quod bona Eccleſiarum per eos non diſſipentur.

28. (*a.*) Quod officiales finitimi, necnon mercatores, ac alterius cuiusuis ſtatus, et conditionis homines, Turcis, aut aliis quibuslibet infidelibus arma, victualia, cultellos, ſeu quaecunque ingenia (*b*) ſub nota perpetuae infidelitatis vendere, vel commutare non praeſumant.

(*a*) Alias Cap. 72.

Ingenium (*b.*) *Ingenium* eſt quaeuis machina bellica ingenio, et arte conſtructa. Sic Tertullianus arietem ad quaſſandos muros vocat *extraneum ingenium*, vti ſupra diximus, alias etiam *argumentoſum ingenium*.

XCI.
SYNODVS REGIA
Sub Vladislao Secundo A: C: MD.

1. Conſeruatio gentium (*a*) per Dominos Praelatos, et Viros Eccleſiaſticos Banderiatos, pro Regni defenſione fienda, obſeruetur ſecundum Regeſtum (*b*) quondam Domini Sigiſmundi Imperatoris, et Regis, in Domo Thauernicali Regiae Maieſtatis repoſitum. De ceteris vero Perſonis Eccleſiaſticis non Banderiatis, decimas tamen habentibus, quantum ad Gentium conſeruationem, ſeruetur ordo, et continentia Decreti minoris, Articulus videlicet decimus quintus, ſuperinde conſcriptus.

2. Articulus quadrageſimus nonus (*c*) de decimis, prout in Decreto minori poſitus eſt, obſeruandus relinquitur. Sed quia ſuper connumeratione, et ſolutione earundem decimarum plurimae differentiae, inter Spirituales, et Seculares perſonas hactenus habitae fuerunt: Propterea vniuerſis differentiis, partes inter easdem ſedatis, exinde concluſum eſt: Quod a modo in futurum, ſucceſſiuis temporibus decimae Dominorum Praelatorum, et Perſonarum Eccleſiaſticarum, hoc modo ſoluantur: primum Domini terreſtres, tam de ſegetibus decimari ſolitis, quam etiam de vinis, nonas eorum ſolitas exigant: Et quicquid a nonis reſiduum fuerit, de eo ſolummodo Domini Praelati, et Eccleſiaſticae Perſonae decimas colligant. Et quod decimae vinoſum, non circa feſtum Beati Martini Epiſcopi, et Confeſſoris, prout hactenus pleriſque in locis fieri ſolebat; ſed tempore vindemiae colligantur, modo, et ordine, in decimationibus ſegetum, iuxta contenta eiusdem minoris Decreti fieri ſolitis, per omnia ſemper obſeruatis: Hoc quoque adiuncto: Quod illi, qui hactenus a ſolutionibus decimarum ſemper exempti fuerunt (prout ſunt Nobiles vnius ſeſſionis, in eorum terris propriis, et Praediales Eccleſiarum, ſaluis tamen iuribus ipſarum Eccleſiarum: Rutheni (*d*) quoque Regiae Maieſtatis in Nagy-Oroſzſalu reſidentes) etiam de cetero ad ſolutionem decimarum non compellantur. Hoc tamen declarato: quod ſi ipſi Rutheni Regiae Maieſtatis aliqua Praedia, aut pecuniaria emptione

(*a.*) Hoc Caput eſt alias Articulus 22. Gentes hoc loco milites notant. Sic Hiſtoria Palaeſtinae apud du Cange lib 4. Cap. 13. in *Saracenorum terram nemo intrare poteſt, niſi cum magna gente.*

(*b.*) De hoc Regeſto ni fallor, ait Zacharias Moſſoczy primus poſt Sambucum tamen editor Decretorum p. 117. *vltra praeſcripta Sigiſmundi Imperatoris ſex Decreta, propoſitiones de modo Exercituandi ſine die, anno, et loco ſcriptae - - - ſub nomine Sigiſmundi Imperatoris extant, quae cum ad Conſtitutiones Regni nihil faciant, hic inſerere non fuit operae pretium.* Quis iam dicet nos authenticam legum collectionem habere? quando vnius arbitrio haec, et illa ſtabant, quis negabit, multa nobis deeſſe?

(*c.*) Hoc caput alias eſt articulus 29. lex vero citata nobis eſt caput VII.

(*ç.* Si exceptio firmat regulam in contrari-

emptione, aut alio quouis quaeſito colore pro ſe vſurpaſſent, de quibus videlicet prius decimae ſolutae fuiſſent, ipſi quoque de illis decimas ſoluere teneantur.

3. Circa (*a*) Articulum Quinquageſimum (*b*) quartum, de decimis agnellorum, additum eſt: Quod illa abuſio, quae in plerisque Comitatibus Regni contra formam huius articuli fieri conſueuit, vt ſcilicet vltra ipſam iuſtam decimam, de ſingulis ſeſſionibus, et portis, decimatores ſinguli, vnum pullum exigant, perpetuo aboleatur.

4. Articulus Quinquageſimus ſextus (*c*) minoris Decreti, de Viris Eccleſiaſticis, qui duo Beneficia tenere non poſſunt, modo, et ordine in eodem Decreto ſpecificatis ſemper obſeruetur, et Regia Maieſtas eum obſeruari faciat. Quia tamen Reuerendiſſimus Dominus Georgius (*d*) Electus Eccleſiae Weſprimienſis, et Secretarius Regiae Maieſtatis, vniuerſo Regno, a pluribus iam annis bene meritus eſſe conſtat; ſine intermiſſione etiam in Curia, et ſeruitiis Regiae Maieſtatis verſatur, et occupatur; In primis igitur eiusdem Regiae Maieſtatis, demumque Dominorum Praelatorum, et Baronum, ceterorum etiam omnium Regnicolarum ſano ad id accedente conſilio concluſum eſt: quod idem Dominus Georgius pro tot, tantisque fidelium ſuorum ſeruitiorum dignis meritis Praepoſituram Eccleſiae Sanctae Trinitatis de ſuperioribus calidis aquis Budenſibus, vltra Epiſcopatum Weſprimienſem praenotatum, ſimul cum gentium conſeruatione de bonis, et Iuribus poſſeſſionariis eiusdem Praepoſiturae pro Regni defenſione ſienda, tenere, gubernareque, et vti vita ſua durante valeat, atque poſſit.

5. Item (*e*) circa Articulum quinquageſimum octauum (*f*) de Clericis, Praepoſituras, et Abbatias Regulares tenentibus, additum eſt: Quod Regia Maieſtas huiusmodi Praepoſituras, et Abbatias, quibuslibet Clericis in habitu ſeculari, contra formam huiusmodi conſtitutionis tenentibus, absque quauis dilatione auferre, et Fratribus Regularibus illius ordinis profeſſis conferre dignetur.

6. Articulus ſexageſimus primus (*g*) Quod in cauſis prutanis nullus citetur ad Iudicium Spirituale, ſuo modo ſemper obſeruetur. Hic inſuper Articulus intelligatur etiam de Ciuibus Ciuitatum liberarum Regiae Maieſtatis, vt ipſi quoque, in vniuerſis cauſis, inter ſeſe motis, et vertentibus, et non Spirituale forum, ſed ſeculare Iudicium concernentibus, non in alicuius Praelati, ſeu Vicarii, ſed in eorum Iudicis duntaxat praeſentiam citari poſſint.

7. Item (*h*) quod Fiſcales Eccleſiarum (*i*) ceſſent, et in perpetuum aboleantur. In cauſis autem, quae forum Eccleſiaſticum, et quae Seculare Iudicium concernunt, iuxta formam huius Decreti minoris, quisque cauſantium procedat.

8. Articulus ſexageſimus primus, (*k*) quod nemo compellatur per Iudices Spirituales ad reſpondendum coram ſe in cauſis

um, quis negabit Ruthenos decimis eſſe obnoxios? memor ſit, velim, lector illorum, quae de vi conſuetudinis in cauſa decimarum ſcripſimus in Diſſertatione noſtra.

(*a.*) Alias art 30.

(*b.*) Nobis erat caput 50.

(*c.*) Alias art. 31. Lex autem citata nobis erat Cap. XIV.

(*d.*) De Frangepanibus deinceps Archiepiſcopus Colocenſis, quem ex ordine aliquo regulari fuiſſe putat Cl. Pray. In Decreti anni 1504 concluſione ſubſcriptus habetur abſque addito *Frater*, quod Religioſum denotat.

(*e.*) Alias art. 32.

(*f.*) Hic Articulus eſt nobis Cap. XVI.

(*g.*) Alias art 33. Lex citata nobis eſt Caput XIX.

(*h.*) Alias art. 34.

(*i.*) Non puto hoc loco intelligi aduocatos Eccleſiarum, ſed Promotores, et Procuratores Fiſci Eccleſiarum, quorum ſeculo decimo ſexto tam frequens in Conciliis habetur memoria, prouti Harduinus Tom. 10. ad Concilium Mexicanum anni 1585. Col. 1619. adnotauit; Horum magna erat authoritas, in plerisque cauſis ſpiritualibus agebant, ſine ipſorum nutu vix aliquid fiebat: hinc poterant partes grauare expenſis, moleſtia aſſicere innocentes, licet ſaluberrimae aduerſus eos leges latae fuiſſent. Patet itaque, cur fiſcales Eccleſiarum aboliros voluerit Synodus haec Regia, quod textus ipſe legis noſtrae docet.

(*k.*) Caput hoc alias eſt art. 35. Lex citata nobis eſt cap. XIX. vti ſupra monuimus.

ſis profanis, prout in Decreto minori poſitus eſt, obſeruetur. Circa quem additum eſt: Quod Vicarii Dominorum Praelatorum, et aliarum Perſonarum Eccleſiaſticarum non foreuſes, et alienigenae, ſed Vngaricae ſolummodo nationis exiſtant: Ne propter non intelligentiam idiomamatum, et ſermonum Vicariorum, ipſi cauſſantes, tam interpretibus, quam etiam Procuratoribus eorum ſuperfluas ſolutiones facere; potiſſimum vero, ne in reſponſionibus eorum, medio interpretum fiendis, deuiare, cauſam quoque ipſam amittere cogantur. Et quod in Foro Spirituali Procuratores in ſede Iudiciaria Vicariorum, tempore diſcuſſionis quarumcunque cauſarum, in quibus ipſi agunt, vna cum Vicario (ſicuti hactenus conſueuerunt) pariter ſedere non audeant; ſed de ſede, conſequenterque domo Iudiciaria, pro tunc exire teneantur.

9. (*a*) Item: quoniam nonnulli Dominorum Praelatorum, et Virorum Eccleſiaſticorum, Plebanos Eccleſiarum Parochialium, Diaeceſibus eorundem ſubiectorum, ad decimandum ſoepenumero mittere ſolent: Illis autem Plebanis in decimatione vacantibus, et occupatis, plures Chriſticolarum, et Parochianorum, absque ſalutari confeſſione, et Sacramenti Euchariſtiae ſumptione decedere; infantesque ſine Baptiſmo extingui conſueuerunt: Quapropter ordinatum eſt; vt amodo inpoſterum, nemo eorundem Plebanorum, in factis decimarum, vel arduis ceteris quoque rebus, per Dominos Praelatos, et Viros Eccleſiaſticos, occupari compellantur.

10. Super (*b*) Articulo Sexageſimo quarto, (*c*) de pecuniis ſigillaribus Eccleſiae Iaurinenſis, et Abbatiae Sancti Martini Sacri Montis Pannoniae deliberatum eſt: Quod Litterae ipſae, quarum vigoribus, eiuscemodi pecuniae ſigillares exigi conſueuerunt, in octauis primitus celebrandis, in Sede Iudiciaria Regiae Maieſtatis producantur. Ex quarum tenore, quod iuſtius videbitur, decernatur: Alioquin ſi Litterae ipſae in eisdem octauis exhibitae non fuerint; viribus per omnia deſtitutae relinquantur, pecuniaeque ipſae poſtea nunquam exigantur.

11. (*d*) Cathedratica, in Poſſeſſionibus, et Eccleſiis penitus, et per omnia deſolatis, non exigantur. In illis autem Poſſeſſionibus, et Eccleſiis, quae aut ignis voragine combuſtae, aut peſtilentiae morbo percuſſae, adeo deſolatae dignoſcuntur, vt vix aliqui colononorum easdem inhabitarent; qui etiam Plebanum Parochialem vix, aut nunquam habere poſſunt; ſolutio huiusmodi Cathedraticorum, per homines Dominorum Praelatorum, et Virorum Eccleſiaſticorum, quorum de ipſo Cathedratico intereſt prouidere; per Vice-Comites, et Iudices Nobilium illorum Comitatuum, vbi ipſae Poſſeſſiones, et Eccleſiae exiſtunt deputatos, iuſte, recteque moderentur: Ita videlicet; vt vbi poſſeſſio, et Eccleſia in prouentu multum decreuit; iuxta conſcientioſam limitationem eorundem decreſcat (*e*) etiam ſolutio Cathedraticorum: Sic tamen; vt poſtquam poſſeſſiones, et Eccleſiae tales reſtauratae fuerint, Cathedratica conſueta ſoluere teneantur.

XCII.

(*a*) Alias Cap. 36.
(*b*) Alias art. 37.
(*c*) Lex haec nobis eſt Cap. XXII.
(*d*) Alias Cap. 38.
(*e*) Licet in priori Synodo florenus ſtatutus pro penſo Cathedratico, id tamen in vſum non venit; amplius enim aliquid ſolutum fuiſſe tenemus; vnde velim, obſerues paucas Vladislaiani temporis leges aetatem tuliſſe.

Digitized by Google

XCII.
SYNODI REGIAE PESTINI
Anno MDI. habitae veſtigium.



c1502.

Nos Comes Petrus, Comes de Sancto Georgio, et de Bozyn, Iudex curiae Sereniſſimi Principis Domini Wladiſlai Dei gratia Regis Hungariae, et Bohemiae etc, nec non Waywoda Tranſyluanus, et Siculorum Comes. Memoriae commendamus per praeſentes, quod quum nos ad inſtantiam, et legitimam petitionem Nobilium Petri, et Tobiae Uz dictorum de Ujſalva, hominem noſtrum, videlicet Magiſtrum Benedictum de Zenth-Maria Stili (a) noſtri Notarium, vnacum Magiſtris Nicolao de Galſa Minoris (b) Cancellariae Regiae, et Gabriele de Orechovvetz Stili Palatinalis Notario, ad infraſcriptam Inquiſitionem faciendam duxiſſemus deſtinandos; Tandem iidem exinde ad nos reuerſi, nobis retulerunt eo modo concorditer: Quomodo ipſi in Feſto Inuentionis Sanctae Crucis proxime praeterito, in Diaeta, ſeu conuentione generali Dominorum Praelatorum, et Baronum, Nobiliumque, et Procerum dicti Regni Hungariae in praeſentiarum (c) de Regio Mandato in Ciuitate Peſthienſi celebrata, ſimul procedendo, a Nobilibus de Sáros, ac de Ung. nec non Abauivarienſis, et Zempliníenſis Comitatuum, ad ipſam Diaetam, ſiue Congregationem confluentium, et congregatorum, a quibus ſcilicet decens, et opportunum fuiſſet, diligenter inquirendo talem de infraſcriptis ſciuiſſent, et experti fuiſſent certitudinis veritatem, quod dum circa feſtum Natiuitatis Domini proxime praeteritum, praefati Petrus, et Tobias Uz, et quondam Laurentius ſimiliter Uz de praefata Uzfalva, Carnalis dicti Tobiae, dicti exponentis, pro ſuccidendis Lignis, cum familiaribus, et mercenariis ipſorum ad quandam ſyluam ipſorum Hatharſa, megye erdeje vocatam, in territorio praedii eorundem Petri, Tobiae, et quondam Laurentii Thamáſfalva vocati, in dicto Comitatu de Sáros exiſtentis, adiacentem miſiſſent: Tunc Nobilis Michael de Gergellaka, neſcitur quo ſpiritu ductus, ex propria commiſſione, et ſpeciali mandato Magnifici Moyſis Burlay de Gergellaka, Magiſtri Curiae Regiae, et Egregii Nicolai de eadem Gergellaka, aſſumptis, et coadunatis ſecum prouidis, Anthonio, et Nicolao Bothka, Ambroſio, et

Stili Notarius.

(a) Stilus, vt docet du Cange, formulam, methodum conficiendi acta forenſia ſignificat; patet Stili Notarium eſſe formularum Concinnatorem, expeditorem. Iudices autem Curiae ſemper expediuant mandata diuerſa, apud eos conficiebantur acta publica. Stili ergo Notarium nunc vocaremus Expeditorem, niſi forte Stili Notarius ſit ille, quem nunc Protonotarium appellamus; et recte nam Palatinus non minus, quam Iudex Curiae ſuos habent Protonotarios.

(b) Minor Cancellaria Regia vocatur Cancellaria perſonalis praeſentiae Regiae.

(c) Ignoſcet bonus Lector, quod memoriam celebratae Synodi Regiae huc inſeruerim, quod eo fine feci, vt aliquis bonarum litterarum amans Decreta ipſa proferat.

et Demetrio Sżgó, Vincentio mercenario eorundem Ambroſii, et Demetrii, Petro Seles, Matthaeo Filio eiusdem, Georgio Zaby, Egidio ſimiliter Zaby, Matthaeo Synay, Michaele Razyn, Anthonio Newik, Iacobo filio eiusdem, Ioanne, et Valentino Sabo, Georgio Nagh, Sebaſtiano Róſa, et Alberto Threzkás dicti Melchioris, item Andrea Nagh, Antonio Zabi, Andrea Pesk, Georgio Gegew, Alberto Filio eiusdem, altero Georgio Németh, Emerico Sabo, et Stanislao filio eiusdem Gaſparo Gech, anteſati Moyſis Buzlay, Ladislao, et Simone Sabo, annotati Nicolai de Gergellaka, in eadem Poſſeſſione Gergellaka commorantibus, Iobbagionibus ſcilicet ipſorum, manibus armatis, et potentiariis ad dictam ſyluam dictorum exponentium Hathárſa megye erdeje, conſequenterque in, et ad eosdem exponentes, et dictum quondam Laurentium fratrem carnalem eiusdem Thobiae Uz, et praefatos familiares ipſorum veniendo, ibique eosdem nullis ipſorum culpis, et demeritis exigentibus, duris verberum, ac lethalium vulnerum plagis vſque ad abundantiſſimam ſanguinis ipſorum effuſionem ſauciaſſent, et vulneraſſent, ex quibus quidem vulneribus, idem quondam Laurentius non poſt multos dies vitam ſuam finiuiſſet temporalem, et tandem ligna ibidem ſuccisa, et diſſecata, nec non ſecures eorum ab eisdem auferendo, aſportaſſent, et quo ipſorum placuiſſet voluntati, feciſſent potentia mediante, in praeiudicium, et damnum praefatorum exponentium valde magnum. Datum Budae tertio die termini praenotati, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo primo. (*L.S.*) Lecta per Magiſtrum Ladislaum Protonotarium.

XCIII.

SYNODVS REGIA

intuitu Piſeti A-Epiſcopi Strigonienſis Anno, et Loco incerto celebrata inter *D*ecreta *R*egum Hungariae Hannouiae edita.

Certa res eſt, et per multa regeſta, ac alia documenta probari poteſt, quod Reges Hungariae ab eorum montaniſtis receperunt Vrburas, (*a*) hoc eſt de ſingulis mineris auri, argenti, et cupri habuerunt decimam partem, et quoties Rex habuit decimas partes huiusmodi minerarum, toties diuiſit, et dedit Archiepiſcopo Strigonienſi vnam partem, et vocabatur iſta datiu decima (*b*) decimae, et durauit huiusmodi exactio Vrburarum vltra centum annos; quoniam quod ſemel inſcribitur regeſtis Regum, et Archiepiſcoporum, non ita cito obliuioni traditur. Et quum iam praefata Vrburarum repoſitio a multis, vt praemiſſum eſt, annis fuiſſet continuata, et montaniſtae praeuia ratione cum eorum argento a toto eo tempore fuiſſent liberi, ita, vt cuicunque voluerunt, illud diuendere potuerunt ſine aliqua mulcta Regis, et Camerariorum. Poſtquam autem ſoepedicti Reges, et Archiepiſcopi, per nonnullos Montaniſtas ſoepe ſoepius fuiſſent decepti in eo, quod non bonas mineras, ſed aliquando viliſſimas depoſuerunt, quas poſtea cum commodo, et vtilitate non potuerunt conflare; ex crebra itaque vtilitate, mutatione, et varietate minerarum permo-

Vrbura eſt decima.

(*a*) Vrburas decimas eſſe erutarum minerarum ſatis patet ex Synodi Regiae memoria, quam ex vetuſto Codice poſt Sambucum damus. Vrburas tum Ludouicus I. art. 13. tum Mathias Decr. VI. art. 49. Ius Regale, ſeu cenſum ad Fiſcum pertinentem appellant. Decimam autem eſſe Vrburas patet ex Thuroczio in Sigismundo Rege C. 13.

(*b*) His conſonat Bela IV. anno 1256. apud Cl. Pray in Hier. Tom. 1. pag. 137. vbi vulnera Eccleſiae Strigonienſis enarrans ait: *Eccleſiam gra- uatam, et iniuriatam eſſe in decimis exigendis de Vrburis Regi perſolutis, et exactis, in quibuslibet argenti fodinis, et auri fodinis.* Carolus I. ſimiliter decimam appellat. id, quod A-Epiſcopo Strigonienſi ex mineris dabatur. Decreti ſui §. 1. ait: *Simul cum decimis A-Epiſcopalibus dedimus, iterato elocauimus.*

moti nolentes diutius decipi, et damnificari; adhibuerunt in Conſilium Praelatos, et Barones, et concluſerunt, quod Reges Regni Hungariae futuris temporibus a Dominis Montaniſtis, et Montanis, non vrburas huiusmodi minerarum, ſed more aliorum Regnorum, totum lucrum Camerarum pro ſe ipſis retinerent, ita tamen, vt ſtolnas haereditarias, et aquae ductus omnes pro conſeruatione regalium montanorum, ſuis impenſis debito intertenerent, et ſoepe fatis Archiepiſcopis de ſingulis marcis pagamenti monetae, pro tempore currente ſinguli vnum piſetum (a) exoluerent, prout et hodie fit, et iam plus, quam a centum annis inconcuſſe obſeruatum eſt. Et poſtquam Reges, et Archiepiſcopi in antiquiſſimis eorum regeſtis, et priuilegiis inueniunt vocabulum Vrburarum, a tot, vt praemiſſum eſt, annis eorum Praedeceſſoribus ſolutarum, ſatagunt illas ſoepius, ſed fruſtra, ex nouo a Montaniſtis extorquere, et ſic vni boui duas cutes per indirectum, et contra naturam detrahere; ac ſi neſcirent ante dictam limitationem per Regnicolas factam, et iam a tot annis irreuocabiliter obſeruatam: alioqui tot Reges, et Archiepiſcopi auri, et argenti cupidiſſimi, per omnia grauamina, imo etiam varias excommunicationes, et Perſonarum detentiones, illas nomine Almae EccleſiaeStrigonienſis a Montaniſtis extorſiſſent: auri enim ſacra fames, quid non mortalia pectora vexat? imo praefati Archiepiſcopi fuerunt iurati, vt prouentus iam dictae Almae Eccleſiae Strigonienſis, ſi qui eſſent ab eadem auulſi, vellent omnibus modis recuperare, et ſoepius praeuia ratione hoc conati ſunt, ſed repugnante iuſtitia oleum, et lampada perdiderunt: Nam: Fallitur augurio ſpes bona ſoepe ſuo. etc.

Piſetum quid ſit?

(a.) Primum hic indigitandus error, qui celeberrimo du Cange obrepſit, dum ſcriberet Piſetum eſſe Ius Strigonienſis vrbis in aurariis fodinis; hoc enim neque Strigonienſis vrbis, ſed Archiepiſcopi Ius eſt, neque ad aurarias fodinas reſtrictum, ex argenti enim, imo et cupri fodinis competebat. Bela IV. in paulo ante laudatis litteris videtur Piſeti meminiſſe, dum ait: *Item de lucro Camerae, quod dicari in Regno eſt conſtitutum, ſaluo eo, quod de qualibet marca, in Camera, vbi denarii cuduntur, vnum pondus argenti finni ſibi perſolui debeat nomine ſuae Eccleſiae:* Quid autem piſetum ſit, non videbatur inter noſtrates conuenire. Cynoſura Iuris Vngarici Caroli I. Decretum laudans ait: *Piſetum, ſeu pondus Archiepiſcopi Strigonienſis eſſe vnum groſſum.* Piſetum autem auri valere florenos duos. Mihi dubium nullum eſt, eſſe tertiam partem vnciae. In Regeſto antiquo litterarum Tabularii Archiepiſcopalis Strigonienſis reperio in capſa littera A. ſignata, numero 20. et 24. huiusmodi Regum litteras extare: *Litterae Mathiae Regis confirmatoriae Litterarum Ioannis de Huniad Patris eiusdem, quibus continetur, quod de Riuulo Dominarum ſemper de qualibet marca argenti cuſi, ſiue non cuſi, vnum* nehézék (latine Piſetum) *ſoluatur. Litterae Ludouici Regis cum impreſſo Sigillo, quomodo Ciui cuidam Budenſi Cameram Syrmienſem locauerit, ita, vt de ſingulis marcis Archiepiſcopo vnum piſetum, ſeu* nehézék *ſoluatur.*

XCIV.

SYNODVS REGIA

Sub Vladislao Secundo A: C: MDIV.

1. Regia (a) Maieſtas amodo deinceps honores Comitatuum nemini in perpetuum conferat. A Dominis vero Praelatis, qui in exhibitione Literarum a Sanctis Regibus ſuper collatione Comitatuum emanatarum iuxta contenta minoris Decreti iam defecerunt, (b) honores ipſorum Comitatuum auferat.

2. Et, ſi (c) Comites, vel Vice-Comites, contra formam praeſentis Articuli, conſtituti, aliquam deliberationem, vel proceſſum iuridicum facerent, nullius ſit vigoris, atque firmitatis.

(a) Hoc Caput alias eſt articulus 3.

(b) Quinam illi fuerint, dicere non habeo, aliquos tamen defeciſſe non dubito, quum autem noſtra aetate ferme omnes hoc honore potitos fuiſſe ſciamus, temporaneam oportet fuiſſe legem hanc, quod iam monuimus.

(c) Caput ſecundum alias eſt continuatio articuli 3. ſed quia de diſparatis agit rebus, ad tollen-

3. Item (*a*) quia in Donationibus, et collationibus bonorum, et iurium poſſeſſionariorum, ad Regiam Maieſtatem deuoluendorum, omnes ferme conſtitutiones Regni hactenus factae inter ſe diſcrepare videntur; Semota igitur omni ambiguitate, et diſcrepantia, deliberatum eſt: Vt Regia Maieſtas, iuxta ſuam voluntatem, de cunctis iuribus poſſeſſionariis ad ipſam deuoluendis libere diſponere; externis tamen nationibus (prout etiam in Decreto priori cauetur) nulla iura poſſeſſionaria, Eccleſiaſtica videlicet, et ſecularia conferre poſſit.

4. (*b*) Quoniam ſunt nonnulli Eccleſiarum Praelati, qui Plebanos Eccleſiarum, Dioeceſibus eorum ſubiectarum, nomine charitatiui ſubſidii taxare ſolent, adeo, vt interdum et Calices, et alia Eccleſiarum bona, per eosdem Plebanos neceſſitate adurgente diripiantur: Nonnullae etiam ipſarum Eccleſiarum, Rectoribus longa per tempora vacant. Propterea ordinatum eſt: quod amodo deinceps nullus omnino Dominorum Praelatorum, infra quatuor integrorum annorum, a die electionis, et confirmationis ſuae computando, ſpatia, Plebanos Eccleſiarum ſuarum quouis modo taxare poſſit. Transacto vero ipſorum quatuor annorum ſpatio, ſemel, et nunquam amplius, charitatiuum potius, quam coarctatiuum ſubſidium (iuxta videlicet prouentuum Plebanorum exigentiam) ad redemptionem Bullae ſuae ab eisdem Plebanis pro ſe habere, et exigere valeat, atque poſſit. Si vero infra terminum dictorum quatuor annorum, talis Praelatus alio beneficio, vel Praelatura potietur; ſequens Praelatus itidem facere debebit.

5. (*c*) Quoniam propter indebitas decimas, nec non excommunicationes, et interdictorum impoſitiones, per Dominos Praelatos, et Viros Eccleſiaſticos, ac factores eorum; crebro etiam per eos, quibus decimas ipſorum arendare ſolent, Regnicolae, et eorundem coloni ſoepenumero grauantur. Quae vt de cetero fieri nequeaut, ſtatutum eſt: Quod dum, et quandocunque, quiſpiam Regnicolarum, vel Colonorum ipſorum, praetextu huiusmodi indebitarum decimarum excommunicatione, aut interdicto grauatus fuerit; ex tunc, ipſi Domino Praelato, cuius Dioeceſi ſubeſſe dignoſcitur, vel alii perſonae Eccleſiaſticae, cui videlicet decimae ſolui debent; ſi in domo ſua, aut alias in propinquo reperiri poterit: ſin autem; factori eius, ſeu in perſona ipſius conſtituto, primum ſignificare teneatur. Et ſi ſatisfactionem, ac recompenſam per eosdem de illatis habuerit, bene quidem; alioquin ad triceſimum ſecundum diem dici euocationis ex hinc fiendae computando, tales Regiae Maieſtatis (vbicunque conſtituta fuerit) per litteras praeceptorias ſuas, et exhibitorias: Regia Maieſtate vero abſente, Locumtenentis eiusdem, euocentur in praeſentiam. Ex parte quorum indilate iudicium, et iuſtitia ibidem adminiſtretur. Vbi, ſi Nobilis, vel Colonus, priuata in perſona indebite decimatus, excommunicatus, vel interdicto moleſtatus extitiſſe compertus fuerit; in homagio talis Nobilis, ſeu Coloni; ſi vero tota poſſeſſio, ſeu Coloni eodem modo grauati fuiſſe comperirentur; in centum florenis auri, partim Iudici, et partim Actori perſoluendis, iidem Domini Praelati, et eorundem Factores, atque Decimatores conuincantur.

6, (*d*) Ad Articulum decimum quintum, et vigeſimum Decreti minoris, de Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, et ceteris Viris Eccleſiaſticis, Banderiatis, et non Banderiatis, decimas tamen habentibus, iſtud additum eſt: Quod quilibet eorum, iuxta limitationem in eodem Decreto minori expreſſatam, gentes ſuas ſemper paratas (*e*) habere, tenereque: et easdem neceſſi-

dam confuſionem in duo capita diſpeſcuimus articulum hunc.

(*a*) Alias art. 10.

(*b*) Alias art. 12.

(*c*) Alias Art. 23.

(*d*) Alias Art. 24.

(*e*) Ad intelligentiam huius legis ſciendum: Archiepiſcopos, et Epiſcopos habuiſſe in poſſeſſioni- Exercituantes Epiſcoporum.

neceſſitate ingruente, dum ſcilicet, etquando gentes, officialesque, et ſtipendiarii Regiae Maieſtatis (quae primo, et ante omnia leuari debent) ad tutelam, defenſionemque Regni non ſufficerent; ſtatim leuare, et illo, quo opus erit, mittere; et tam diu, quoadusque neceſſarium erit, inibi conſeruare: Vbi vero hoſtium tanta fuerit multitudo, vt ſtipendiarii, et officiales Regiae Maieſtatis, gentesque Dominorum Praelatorum, et Virorum Eccleſiaſticorum hoſtibus illis reſiſtere non ſufficiunt; tunc poſtea gentes quoque Dominorum Baronum, ac tandem ceterorum Regnicolarum leuari, et in auxilium, ac ſuccurſum illorum mitti debebunt: ſub nota perpetuae infidelitatis, paena ſcilicet in Decreto minori ſuperinde declarata.

7. (*a*) Citationes in foro Eccleſiaſtico, non niſi cum expoſitione, (*b*) amodo inpoſterum decernantur. Et, ſi ex huiusmodi expoſitione cauſa ipſa profana eſſe, aut alias forum Eccleſiaſticum non concernere agnita fuerit; Vicarii cauſam ipſam in eorum praeſentiam nullatenus acceptent; ſub poena in minori Decreto expreſſata.

8. (*c*) Solent nonnulli Dominorum Praelatorum, vniuerſos Plebanos Dioeceſibus Eccleſiarum ipſorum ſubiectos, ad id coarctare; vt poſtquam ad Plebaniam eliguntur, ſtatim Epiſcopo ipſorum ſe praeſentare, ipſisque iuramentum praeſtare, ac ab eis Litteras ſuperinde habere, et excipere teneantur. Quod in manifeſtam perniciem Nobilium vergit, quum a tempore Sancti Regis Stephani, liberam ſemper pro ſe Plebanos eligendi habuerint facultatem. Ideo ordinatum eſt; vt de cetero nemo Plebanorum ad hoc teneatur, nec quisquam illorum, inuitis Patronis, confirmetur. Nam aliter, Coloni illius Poſſeſſionis, vbi id contingit, decimas Praelato eorum reddere nullatenus praeſumant; ſed in conſeruationem caſtrorum finitimorum, decimae ipſae conuertantur.

9. (*d*) Nemo in habitu ſeculari, Praepoſituras, et Abbatias Regulares de cetero tenere, et gubernare poſſit. Nam etiam hactenus contra Deum, et blaſphemiam Dei, ipſae Praepoſiturae, et Abbatiae gubernatae exiſtunt. Et quod vniuerſas Abbatias, et Praepoſituras ordinibus ſuis, Abbatibus ſcilicet, et Praepoſitis Regularibus, Regia Maieſtas (contemplatione primum omnipotentis Dei, illorumque Sanctorum, quorum in honorem Eccleſiae ipſae fundatae, et dedicatae exiſtunt) ab Eccleſiis, quibus annexae ſunt, ſeparandas, reddere, et reſtituere dignetur. Dempta Abbatia, ſeu Eccleſia Petri Varadini, quae ex annuentia Regiae Maieſtatis, Dominorumque Praelatorum, et Baronum, ac vniuerſorum Regnicolarum, Archiepiſcopatui Colocenſi, honeſtis ex cauſis, et rationibus, iam pridem annexa extitit. In qua nihilominus, Diuina officia ſedulo, et integerrime peragantur.

10. (*e*) Poſtremo: quod Regia Maieſtas omnia Decreta ſua, et ſtatuta in diuerſas partes hactenus poſita, in vnam formam Decreti iam redigi faciat.

XCV.

bus, et oppidis ſuis exercituantes, qui nullo alio ſeruitii genere tenebantur, quam ſeruitio militari, quandocunque imperabatur. Sic Bela IV. Anno 1256. immunitates A-Epiſcopi Strigonienſis enarrans sit: *Nullus Iudicum Curiae Noſtrae Palatinorum - - - - - Cives Nobiles exercituantes Conditionarios, Hoſpites, Ruſticos, Villanos, et Inquilinos eidem Eccleſiae Strigonienſi ſubiectos poſſit, vel valeat iudicare.* Ex huiusmodi exercituantibus Banderis conſtitiſſe puto; hinc patet gentes paratas habere quomodo iubeantur Praelati, nunc autem tales homines Praelati non habent.

(*a*) Alias Art. 25.

(*b*) Vt conſtet illico qualitas cauſae.

(*c*) Alias Art. 26.

(*d*) Alias Art. 27.

(*e*) Alias Art. 31.

XCV.
SYNODVS REGIA
Anni MDV.



Az Magyar (a) Urak Rákos mezein-való végezéſének máſſa; hogy ſoha idegen Nemzetből Királyt közöttők nem teſznek.

Nos Thomas, Tituli S. Martini in montibus Sacroſanctae Romanae Eccleſiae Presbyter Cardinalis Strigonienſis, Gregorius de Frangepanibus Colocenſis, et Bachienſis Eccleſiarum Canonice vnitarum, Archiepiſcopi, ac Sigismundus Turzó Tranſyluanienſis, Georgius Waradienſis Cancellarius Regius, Franciſcus Iaurinenſis, Nicolaus de Csák Cſanadienſis, Nicolaus de Báthor Waczienſis, Stephanus Nittrienſis Epiſcopi, et Ioannes Orſzág electus Syrmienſis, Eccleſiarum Praelati, ac Bartholomaeus Prior Auranae, Comes Dubicenſis, item Emericus de Perén Comes perpetuus (b) Comitatus Abaujvárienſis, Regni Hungariae Palatinus, et Iudex Cumanorum, Comes Petrus, Comes de Sancto Georgio, et de Bozin, Iudex Curiae Regiae, ac Waiuoda Tranſyluanus, Ioannes de Zapolya Comes perpetuus (c) terrae Scepuſienſis, Dux Laurentius de Uylak, Ioſa de Som Comes Temeſienſis, ac partium inferiorum Capitaneus Generalis, Blaſius de Ráska Thauernicorum, Moyſes Buzlai de Gergellaka Ianitorum, Georgius de Bátor Agaſonum, Michael de Palocz Pincernarum - - - - - Podmaniczky de Podmanin Cubiculariorum Regalium Magiſtri, Antonius de eadem Palocz, Franciſcus Comes de praedictis S. Georgio, et de Bozin, Georgius de Kaniſa Banus Nandor-Albenſis, Ioannes Berizló Regni Raſciae Despotus, Stephanus de Telegd Theſaurarius Regius, Ioannes Bebek de Pelsőcz, Georgius Drágffi de Bebeök, Thomas Szécſi de Felsö Lindva, Michael Orſzág de Gut, Franciſcus Hedervára, Stephanus Rozgony de Mogyorós, Ioannes de Homonna, Sigismundus de Loſoncz, Georgius Comes de Merczin, Andreas Both de Bajna, et Franciſcus Balaſſa de Gyarmat, Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Bani Electi, Ioannes Pető de Gerſe Ianitorum Regalium Magiſter, Ioannes Tarczai Siculorum, Ambroſius Sárkány de Akos háza, Poſonienſis Comites, Michael de Chák, Ioannes Bánfi de Loſoncz Barones, nec non Barnabas Bellai Zewrinicenſis, Georgius More de Cſula, Nador-Albenſis, Nicolaus Kende de eadem Cſula, et de Szabácz Bani,

(a) Id eſt *Exemplar Concluſionis Dominorum Vngarorum in campo Rákos factae, quod nunquam extraneum ſibi in Regem eligent.* Titulum hunc ex tranſumptu Capituli Eccleſiae Albenſis ad inſtantiam, et requiſitionem Spectabilis, ac Generoſi Dni Michaelis Teleki de Szék Comitatus Albenſis Tranſyluaniae, Thordenſis, et Marmaroſienſis Comitis anno 1687. edito mutuati ſumus. Hanc autem Synodum Regiam hic attexere placuit, tum quia inter tabulas legum relata nondum fuit, tum quia perhibet, qua ratione iurent Epiſcopi.

(b) Vide ſis effectum Legum Vladislaiani aeui; Hic idem Emericus de Perén non obſtantibus legibus, ne cuipiam Rex perpetuos honores Comitatuum conferat, in Diaeta anni 1504. titulo hoc vti coepit.

(c) A Matthia Rege gens Zápoliana hoc honoris incrementum accipit, vt cera rubea vti eidem liceret.

Bani, Marcus Horváth de Kamichácz, Caſtellanus Caſtri Budenſis, Emericus Török de Enying, Michael de Pakos, Martinus Czobor de Czobor Szent Mihály, Michael de Zoh, Paulus de Magh Vice-Palatinus, Ludouicus Szerecſen de Meſztegneü Vice-Iudex Curiae Regiae, Magiſtri Ioannes de Ellyevelgh Palatinalis, Stephanus de Werböcz Iudicis Curiae Regiae, et partium Regni Tranſyluanarum, Matthaeus Mezögyan, et Franciſcus de Marocha Perſonalis praesentiae Regiae Maieſtatis Protonotarii, nec non Michael Imreſſi de Szerdahely, Andreas Litteratus de Bancha, Comes Cſongradienſis, Oſualdus Korláthkeü, Caſtrorum Tata, et Comaromienſis Caſtellanus, Nicolaus Zólſomy de Albeſz, Nicolaus Székely de Kevend, Ladislaus de Kis-Várda, Nicolaus Hagymáſi de Berekzö, Albertus de Bakos; Item Stephanus Keſſerii de Gybárd, Ladislaus de Szent Péter de Walkó, Franciſcus Herczeg de Zekeſö, Stephanus Iſtvánſſi de Kiſs Aſzſzony-ſalva, Ioannes Bika de Teremhegy, Georgius Orhonáz de Kraſſóſeü, Leonardus Dacho de Eür de Baranya, Stephanus de Korotna, Ioannes Janchi de Gordova, Ladislaus Lengyel de Tóthi, Ioannes Kálmán de Innakod Semigienſis, Franciſcus Bodó de Györgyi, Paulus, et Nicolaus de Dombo, Georgius Szerechen de Meſztegnyö, Nicolaus de Morga Tolnenſis, Thomas de Artánd, Nicolaus de Torda, Michael de Tóld, Ioannes de Bajon, Nicolaus de Mochthó Biharienſis, Georgius Kerechen, Blaſius de Chán, Andreas Kaczer de Lak Szaladienſis, Georgius de Siütke, Ladislaus Sibrik de Szarvaskend Caſtriferrei, Franciſcus de Eſſegvár; Georgius de Hoſzutóth, Lazarus de Hathalom, Ioannes de Ajka Veſprimienſis, Georgius de Néma, Blaſius Ligandi Iaurinenſis, Georgius de Illyésháza, Ludouicus de Kemend Poſonienſis, Gregorius Erdeüs Albenſis, Ioannes Megy Sedis Sold, Ioannes Baloghi de Fiür, Ioannes Vas de Vasdinye Comaromienſis, Clemens Roſon Trenchinienſis, Matthaeus de Fubin de Arva, Chriſtophorus Tarnóczi de Túrócz, Thomas Tormai Liptovienſis, Georgius Maſinczki Zolienſis, Stephanus Máriáſi de Markus-ſalva, Georgius Thernei Scepuſienſis, Georgius Forgách de Gimes, Benedictus de Tapolcsán, Michael de Salgó Nitrienſis, Ladislaus de Káloa, Georgius Baronjai Barſienſis, Blaſius de Ság, Oſualdus de Szántó, Georgius Radnot de Terjen, Sigismundus Kartali de Nemhi Neogradienſis, Paulus de Kövár, Georgius Mocskos de Nyenye, Ladislaus Cſehi, Ioannes Bakos de Oſgyán Hontenſis, Nicolaus Etelej de Siül, Michael Kendereſi de Gyál, Magiſter Adam de Horváthi Peſtienſis, Stephanus de Thah, Caſpar Cſikó de Pomaſz Piliſienſis, Franciſcus de Baſztheü Strigonienſis, Ioannes de Cſetnek, et Dominicus de Páſztov, Gallus de Bellvén Heveſſienſis, Nicolaus Lorántſſi de Serke, Franciſcus de Rima-ſzécs, Ioannes de Feled Gömörienſis, Franciſcus Gyulaſſi de Kaza, Stephanus de Réchk Borſodienſis, Petrus Thurzó de Bethlehem-ſalva, Ladislaus de Fanchal Aba-uivárienſis, Chriſtophorus de Pan, Georgius de Cſáp Zemplinienſis, Matthaeus de Zvinya, Sebaſtianus de Segnye de Sáros, Dominicus Dobó de Ruszka, Nicolaus de Strite de Ung, Ladislaus Iakchy de Káſzon, Blaſius de Namény, Martinus de Darócz de Bereg, Georgius de Uihely, Nicolaus de Békény de Ugocſa, Ioannes Getcs, Ioannes Bertnai Maramaroſienſis, Bartholomaeus de Chahol, Georgius de Gatal, Ioannes Szepeſſi Szathmarienſis, Nicolaus de Sármaság, Thomas de Bénje Szólnok mediocris, Ieronimus de Illosva de Kraſzna, Melchior de Parlak, Clemens Dérſi de Petri, de Zaholch, Sebaſtianus, et Petrus Abrahamſi de Gerla, Ladislaus de Ladán de Bikes, Ladislaus Vas de Gyalu, Philippus de Bán-réve, Ioannes de Veſen Szolnok exterioris, Bernardus Lépes de Váraskeſzi, Andreas Horvát de Zarand, Antonius Derſſi de Petri de Zaránd, Bartholomaeus Patóczi de Kechkeméth, Petrus de Ravazd, Nicolaus Akos de Keſzi, Stepha-

nus Kenter de Iványháza Orodienſis, Ladislaus de Telegd, Gregorius Makó de Makóſalva, Lucas de Kutas Cſanadienſis, Ladislaus de Gyarmath Temeſienſis, Bartholomaeus Kerei de Torontal, Michael de Kendereſz, Franciſcus Zoltai Bacſienſis, Andreas Peres, Ioannes de Doroſzló de Bodrog, Gregorius de Docz, Gregorius Péſtéuyi de Martonos, Stephanus de Sevényháza Cſongradienſis, Nicolaus de Szelnatacs, Sigismundus Rátkai de Poſega, et Michael Petrovich de Orbaſz Comitatuum praedicti Regni Hungariae Nobiles, Proceresque, et Primores eiusdem Regni vniuerſi, in praeſenti Diaeta, et conuentione noſtra generali in campo Rákos, de mandato praefati Domini noſtri Wladislai Regis, in profeſto Beati Michaelis Archangeli proxime praeterito celebrata conſtituti, et exiſtentes. Memoriae commendamus tenore praeſentium ſignificantes, quibus expedit vniuerſis: Quod quum nihil in terris ſit, aut fiat DEO acceptius, vel naturae humanae accommodatius, quam communi patriae, vniuerſorumque hominum coetui quam optime, quamque ſtudioſiſſime conſulere, omnesque conatus, curam, ſolertiam, omne denique ſtudium, et induſtriam ad vſum, et ſalutem ipſius Patriae, et Gentis ſuae referre, quoque ipſa ſalua ſit, et incolumis, praeſentia pariter, et impendentia exactius, vigilantiusque intueri, et vniuerſa diſcrimina, in quae illa ex incuria, et deſidia Conſeruatorum eiusdem facile incidere poſſet, et ea ita propulſare, vt in tuto, et tranquillo collocata, et ſtabilita ex omni parte eſſe videatur; Hinc igitur nos in animo noſtro ſoepe reuoluentes grauem illam, et prope exitioſam huius Inclyti Regni Hungariae deſolationem, atque indigentiam, in quibus illud idem hoc tempore enormiter admodum iacere, quisque facile conſpicere poteſt, volentes more optimorum Regnicolarum, et Patriae noſtrae amatorum, atque conſeruatorum, eiuscemodi deſolationi, atque extremae ruinae eiusdem maturius conſulere, plures hinc inde Diaetas, magnos etiam, et inexplicabiles labores, fatigia, et expenſas, in ea ipſa re hucusque fecimus; Et licet aliqua ſint per haec tempora multis, et variis curis, et laboribus reformata, et rectificata, tamen vnum hoc praecipuum comperimus, per quod hoc ipſum Regnum noſtrum vehementer dilaceratum, debilitatumque, et ad hanc turpem deſolationem, et in omnibus ſuis membris deformitatem exſtitit redactum, quod videlicet hoc ipſum Regnum ſoepenumero ab alienigenis, et forenſibus Dominis, et Regibus exſtitit gubernatum, quorum temporum, ſi praeterita commemorare liceret, aut opus eſſet, facile appareret, Regnum hoc nunquam maius detrimentum, nunquam maius periculum, et deſolationem ſibiiſſe, quam tunc, quum ſub forenſi Dominio, et non ſui Linguagii fuit tentum, et gubernatum. Hi etenim Forenſes priuatis ſuis rebus eorum intenti, priusquam mores, et conſuetudines huius Scythicae Gentis, quae ſicuti Regnum hoc cum maxima ſanguinis ſui effuſione, et Fratrum ſuorum ingenti caede acquiſiuit, ita ferro, et armis modo quoque tutare ſolet, didiciſſent, ſemper otio potius, et quieti, quam armis incubuerunt; quo factum eſt: vt Rama, Seruia, Gallicia, Lodomeria, Bulgaria, Dalmatiaque, et alia quam plurima Fortalitia per eorum incuriam ab hoc Regno ſunt alienata, adeo, vt dilaceratis extremitatibus verendum nobis ſit, ne hoſtiles impetus iam etiam ad interiora ſe conuertant, quae minime acta fuiſſe arbitramur, ſi haec Gens Hungarica natalis ſoli dulcedine allecta, non de exteris nationibus, ſed de gente ſua quempiam Regem idoneum pro ſe elegiſſet. Nam vt ſereniſſimorum Andreae ſecundi, Patris vtpote Regis Belae IV., ac Ludouici, et Matthiae, aliorumque Diuorum (a) Hungariae Regum acta, praeclaraque geſta (quibus Gentem hanc Scythicam non ſolum claram, magnificamque nomine, et gloria reddiderunt, verum famam ipſius per totum orbem terrarum

longe

(a) In alio Exemplari habetur: *Dominorum.*

Digitized by Google

longe, lateque diffuſam ad aethera vſque extulerunt) breuitatis ratione praetereamus, nullus eorum, qui de ſtirpe Hungaricae nationis ad Regale faſtigium ſublimatus fuiſſe dignoſcitur, diſpendium, ſed potius augmentum, et vtilitatem huic Regno attulit. Econtra vero, qui de extera Natione inducti exſtiterunt, non ſolum huic Regno periculo fuere, verum etiam, vt hoſtes interdum ſaeuiſſimi, intra viſcera Regni crudeliter graſſando, probro maximo gentem hanc affecerunt. Huic igitur, et noſtro tanto malo, omnium ſupremo diſpendio volentes iam tandem occurrere, ne ſi moderuum gratioſiſſimum Dominum noſtrum, Dominum Wladislaum Regem Hungariae, et Bohemiae etc. qui nos omni Gratia, et libertate non modo gratioſe rexit, et conſeruauit, ſed etiam plures libertates noſtras reformauit, ab hac luce ſine haeredibus Maſculis decedere contingat, nos, et hoc Regnum in maiori diſcrimine permaneat, et ne quisque Forenſium Principum Regnum iſtud ſibi violenter vſurpet, Nosque in ſeruitutem perpetuam redigat, maxime etiam, et praecipue ea ratione inducti, quod per totum orbem nulla dignoſcitur Natio, ſeu Gens, quae non de Gente, et ſanguine, atque Natione ſua Regem, et Dominum ſibi eligeret. Ne igitur hoc Regnum, quod antemurale, Clypeusque Chriſtianitatis exiſtit, et magna ſua, ſuorumque caede ſemper Chriſtianitatem ipſam defendit, minus, et quodammodo infelicius aliis eſſe videatur; ſanciuimus, et vnanimiter omnes a minori ad maximum, et a maximo ad minorem ſtatuimus, et ordinamus, quod amodo deinceps, quotiescunque, et quandocunque hoc Regnum Principe, et Rege orbabitur, nullique haeredes Maſculini, qui de iure, et conſuetudine eiusdem Regni ſuccedere debent, ſuperſtites remanſerint, ex tunc de cetero in perpetuum, nullum penitus extranearum (a) Nationum, cuiuscunque Linguae exiſtat, in Regem noſtrum eligemus, ſed tantummodo Hungarum ad hoc officium requiremus aptum, et idoneum parili voto, et vnanimi conſenſu, et voluntate, in campo duntaxat Rákos, et non alibi, pro Domino, et Rege noſtro aſſumemus, eligereque, et aſſumere, ac acceptare debeamus. Quoniam autem exſtant nonnulli Reges, et Principes vicini, qui ad hoc Regnum pro ſe vendicandum quotidie anhelant, quin poſt obitum praefati Sereniſſimi Regis Domini noſtri, ſiquidem absque haeredibus Maſculis (quod Deus auertat) decederet, vel etiam Eo in humanis adhuc agente, hoc Regnum, vel partes, et membra ſua armis impetere, aut aggredi, Ipſumque, et Nos omnes, vi forſitan, et armis ſubiugare ſibi conarentur: Ne igitur in tali caſu hoc ipſum Regnum, et partes eiusdem, et maxime Fratres, et amici noſtri, in finibus exiſtentes, per eosdem hoc Regnum praeter noſtram vnanimem electionem, et contra huiusmodi ſtatutum noſtrum, ſeu etiam alias qualitercunque occupare, et ipſis appropriare volentibus, opprimantur, promiſimus, et iurauimus, promittimusque, et iuramus in Noſtris, ac haeredum, et Succeſſorum noſtrorum nominibus, et perſonis omnes ſtipulata manu, Nos Praelati, ad noſtrae conſcientiae puritatem, (b) Nos vero Barones, Proceres, et Nobiles praefati ad fidem (c) noſtram Chriſtianam, atque honorem, et humanitatem (d) noſtram; Quod in tali caſu nullus alterum

(a) In alio Exemplari habetur *exterarum*.

Epiſcopi quomodo iurent.

(b) Epiſcopos enim Canones, non niſi certis caſibus, corporaliter iurare vetant. Eſt autem corporaliter iurare, dum vel crux, aut reliquiae, ſiue Sancta Euangelia corporaliter tanguntur, aut etiam pectori manus iurantis admouetur. Volunt autem Canones Epiſcopos iurare *in verbo veritatis, in fine Sacerdotii ſui.* Iuramentum, quod hic praeſtiterunt Epiſcopi vocandum foret: *Iuramentum per inſtrumentum.*

(c) Nihil Hungaris familiarius, quam per fidem iurare; hinc Iuramentum fidem vocamus, ac dum iusiurandum dicimus, fidem ſuſcipere, fidem dicere, Hungarico idiomate dicimur. Heſto Scholaſticus apud du Cange ait: *Tunc Rex propria manu ſub teſtimonio fidei Chriſtianae in manu Epiſcopi, et Abbatis firmauit.*

In ſecuritatem iuramenti vita, et bona obligantur.

(d) Similem iurisiurandi formulam, in qua vitam, et bona ſua obſtringunt, placet hic ea penu noſtra depromere: „Nos Georgius Suljok Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, Valentinus Török de „Enyingh, et Ioannes Zalay Comes Poſonienſis,

terum derelinquet, ſed alter alteri ſecundum limitationem ſuperinde factam cum gentibus ſuis, quas iuxta contenta generalis Decreti noſtri conſeruare debent, et dum opus erit, maiori etiam potentia, qua poterit, ſemper, et quidem in tempore fideliter ſuccurrere, imo, ſi neceſſarium fuerit, totum hoc Regnum, et conſequenter nos omnes per ſingula capita inſurgere, talique hoſti occurrere, et pro ipſa Patria noſtra vſque ad mortem decertare teneamur, nec interim vllo pacto cedere debeamus, donec, et quouſque nos a tali hoſte in libertatem vendicabimus, et Regnum hoc illius impetitione, ſeu infeſtatione, Dei auxilio liberabimus, et in tranquillitatem priorem reponemus. Si qui vero noſtrum contrarium praemiſſorum facere praeſumerent, tales perpetui infideles Regni habeantur, quibus neque Maieſtas Regia de nouo conſtituta, et nec totum ipſum Regnum Gratiam facere poſſit, ſed iugo perpetuae ſeruitutis, et ruſticitatis ſubiecti, reatus ipſorum paenam luant ſine fine. Harum noſtrarum, quas Nos Praelati, et Barones appenſione Sigillorum noſtrorum, ſub veris armis noſtris; Nos vero Proceres, et Nobiles praeſati ſigillis praelibatorum Dominorum Emerici de Perén (a) Comitis, et Palatini, ac Comitis Petri Iudicis Curiae Regiae, et Wayvodae Tranſyluanienſis. authenticis communiri fecimus, vigore, et teſtimonio Litterarum mediante. Datum in Campo Rákos praedicto, Quinto decimo (b) die congregationis noſtrae generalis antedictae, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo quinto.

„Paulus Bakich, Stephanus Majlath, Stephanus „Sulyok, et Blaſius ſimiliter Sulyok promittimus „ad fidem Chriſtianam noſtram, ac honorem, et „humanitatem, quod Magnificum Thomam Nadasdi vſque ad emiſſionem capitum noſtrorum, „et omnium bonorum, ac rerum noſtrarum, in omnibus negotiis eius nunquam relinquemus, et „pro ipſo capita noſtra, ac bona, et res noſtras „omni periculo exponemus, ipſumque contra quaslibet perſonas cuiuscunque ſtatus, et conditionis „vſque ad mortem in omnibus ſuis negotiis, et „rebus tam bonis, quam malis, iuxta noſtram poſſibilitatem defendemus. Harum noſtrarum vigore, „et teſtimonio propriis manibus noſtris ſubſcriptarum, et ſigillis noſtris roboratarum mediante. „Datum in Caſtro Sörzencze, Sabatho die poſt Feſtum omnium Sanctorum, Anno Domini 1531. „Georgius Sulyok Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis m. p. Valentinus Török de Enyingh m. p. „Stephanus Majlath m. p. Sulyok Iſtvány m. p. Sulyok Balás m. p., et Ioannes Zalay de Kerecheny m. p.„

(a) Vt vberius haec pateant, ac vna liqueat, qua ratione tunc Decreta Synodorum Regiarum, exemplar conſtitutionum habere volentibus dari conſueuerint, adiungo hic initium, et finem exemplaris, ex quo Synodum hanc Regiam exſcripſimus, quod ſic habet: *Nos Comes Petrus de Sancto Georgio, et de Bozin, Iudex curiae Sereniſſimi Domini Vladislai Dei gratia Regis Hungariae, Bohemiae etc. ac Vaiuoda Tranſyluanus, memoriae commendamus tenore praeſentium ſignificantes, quibus expedit vniuerſis: Quod, quum in praeſenti Dieta, ſeu Conuentione generali vniuerſorum Dominorum Praelatorum, ac Baronum, ceterorumque Regnicolarum in profeſſo Beati Michaelis Archangeli proxime praeterito, de Regio mandato in Campo Rakos celebrata quaedam litterae eorundem vniuerſorum Dominorum, et Regnicolarum Sanctionales, et Conſtitutionales, factum cuiusdam vnionis, et conclusionis eorum ſuper electione noui Regis, poſt obitum praefati Domini noſtri Regis Vladislai, Domini noſtri gratioſiſſimi, ſiquidem absque haeredibus maſculis decedat, pendu, ratificatae in ſe exprimentes in pergameno Priuilegiorum confectae, Sigillisque eorum impendentibus communitae coram iis Dominis, et Regnicolis, nobisque praeſentibus in ipſo Campo Rakos, ad legendum pariter, et ſermone vulgari declarandum, fuiſſent exhibitae: Mox Egregii Ladislaus Iakeby de Kaczon, Blaſius de Naményi, Martinus de Darocz de Comitatu Beregh, in ipſorum, et aliorum eiusdem Comitatus Nobilium nominibus, et perſonis, noſtram exurgentes in Praeſentiam, paria earum Litterarum Sanctionalium per nos eidem vniuerſitati Nobilium ipſius Comitatus de Beregh dari petierunt, Iurium eorum ad cautelam, quarum tenor talis eſt:* Concluſio autem ſequitur in hunc modum. *Inclinati fauorabiliter, tenorem earundem Litterarum de verbo ad verbum, et ſine diminutione, et augmento aliquali tranſcribi, et tranſumi, praeſentibus Litteris noſtris patentibus inſeri facientes, memoratis Ladislao Iakeby, et Blaſio de Namény, ac Martino de Darocz, conſequenterque ipſi Vniuerſitati Nobilium dicti Comitatus de Beregh, volentibus, et conſentientibus praefatis Dominis, et Regnicolis dand. duximus, et concedend. Datum loco, termino, et Anno praenotatis.* Vidimus, et habemus ad inſtantiam aliorum tranſcripta ſimilia exemplaria, imo ex ipſis originalibus poſt preces multas, ac pecunias etiam profuſas ex ipſo Originali deſcribi fecimus; tantis nimirum ſumptibus conſtat eruiſſe aliqua, quae alii vix legere dignantur.

(b) Id eſt 13tia Octobris; quum 28ua Septembris Diaeta celebrari coeperit.

XCVI.
SYNODVS REGIA
Anni MDVII. ſeu Vladiſlai II. Regis Decretum VI.

1. Quicunque contra ſtatuta, Decretaque Regni, palam, et aperte egerit, Decretaque huiusmodi temerario auſu violare de cetero praeſumpſerit (prout ha-

Regnum

Digitized by Google

Digitized by Google

ctenus per plerosque Potentes fieri ſolitum erat) talis, ſi fuerit Praelatus, aut altera Perſona Eccleſiaſtica; in amiſſione Praelaturae, vel alterius dignitatis, et beneficii: ſi vero Baro, vel Nobilis, in amiſſione vniuerſorum bonorum ſuorum, et iurium ſuorum poſſeſſionariorum conuincatur eo facto, et perpetuus Regiae Maieſtatis, ac Regni infidelis, et exul habeatur. (*a*)

Et talium Praelaturas, beneficia, ſeu dignitates, et iura poſſeſſionaria, Regia Maieſtas, cui maluerit, liberam donandi, et conferendi habeat facultatem.

Quos ſi Maieſtas ſua hoc modo punire; Praelaturasque, ſeu beneficia, aut dignitates, vel iura poſſeſſionaria auferre, et alteri conferre, donareque recuſaret; extunc, ſi mediocris perſona ſpiritualis, aut ſecularis id facere tentauerit, per Comites, vel Vice-Comites, ac gentes, et vniuerſitatem Nobilium eiusdem Comitatus, vbi tales reſidentiam habent, iuxta eorum libitum puniatur, vniuerſaque Bona, et res eiusdem in publicam praedam conuertantur.

Si vero potens quispiam fuerit, ad huius proterniam, rebellionemque domandam, nec non bonorum, et iurium poſſeſſionariorum, dignitatumque, et beneficiorum ablationem. praefati Dominus Palatinus, ac Iudex Curiae Regiae, vel ſupremus Capitaneus, per vniuerſitatem Nobilium illius Comitatus, vbi talis aperta Decreti violatio facta fuerit, requiſitus, leuatis praemiſſo modo ſuis, ac aliorum Dominorum, et Comitum gentibus, inſurgere, ac ſub praemiſſa dignitatis, et officiorum ſuorum amiſſione adimere teneatur.

2. Quod (*b*) durantibus generalibus Diaetis, vniuerſa iudicia in Curia Regia, Sedibus ſpiritualibus, et Comitatibus ceſſent, vt vnusquisque rebus totius Regni eo facilius intendere valeat.

3. Maieſtas (*c*) ſua vniuerſa beneficia Eccleſiaſtica, maiora ſcilicet, et minora, ab illis, qui plura poſſident, auferat, et vnum duntaxat apud eum (quod videlicet eligendum pro ſe duxerit) relinquat. Et quod vniuerſas Abbatias, Praepoſituras, et alia Monaſteria Religioſorum (demptis duabus illis Abbatiis, Sexardienſi, et Péchvaradienſi, quae per Reuerendiſſimum Dominum Petrum (*d*) Cardinalem a Curia Romana liberatae exiſtunt, quasque idem vita ſua durante, vel infra eum terminum, quo Dei munere in Pontificem forte aſſumetur, poſſidebit) viris Religioſis, et conſequenter Fratribus illius ordinis, cui Eccleſia ipſa dedicata fuit, ſi earum poſſeſſores habitum regularem eiusdem ordinis induere, et infra feſtum Natiuitatis Beati Ioannis Baptiſtae proxime venturum aſſumere recuſauerint, de facto conferat.

4. Decimae (*e*) iſto modo de cetero ſemper reddantur, ita vt de capetiis vna Dominis Praelatis pro decimis, altera vero Dominis Terreſtribus pro nonis exigatur, octo Colono ſeminanti remanebunt.

(*a*) Hic art. alias eſt 8
(*b*) Alias 12.
(*c*) Alias 13.
(*d*) Petrus Rheginus is erat Tit. S. Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis, Epiſcopus Veſprimienſis.
(*e*) Alias Articulus 15.

XCVII.

SYNODVS REGIA
Anni MDXIV. alias Vladislai II. Regis Decretum VII.

Domini Praelati, ac Barones, et ceteri Regnicolae noſtri, accepta mente noſtra, quum diu, multumque conſultaſſent, tandem collatis ſententiis, et re concluſa, quosdam nobis articulos communi voto, et conſenſu parili (demptis articulis facta criminalia, et honeſtatem Clericalem concernentibus, ad quos ipſi Domini Praela-

lati conſentire (a) non potuerunt) formatos, atque compoſitos, noſtrae obtulerunt Maieſtati.

1. (b) De omnibus terrae naſcentiis, ſiue metantur, ſiue falcentur; praeterea de vinis, Dominis ipſorum nonas, ſeu nonam partem, vltra decimas Praelatis eorum debitas, ſoluere teneantur: Ita, vt ex decem capetiis ſegetum, ſeu decem cubulis vinorum, ruſtico octo manebunt; Quantum tamen ad decimas attinet, ſolummodo de illis ſegetibus, quibus hactenus conſueuerunt, decimas dare, ſoluereque debebunt.

2. Nemo (c) de ruſtica progenie natus in Epiſcopum, vel Archiepiſcopum (ob perpetuam praemiſſae ruſticanae proditionis memoriam) per Regiam Maieſtatem promoueatur: Et ſi quispiam promoueretur, nemo illi decimas dare (d) teneatur.

3. Et (e) quod perſonae quoque Seculares, contra Eccleſiaſticas, Ciuitatesque liberas, et Iobbagiones Regios, ſolummodo in poena praenotata (f) et non in amiſſione poſſeſſionis, aut villae contineantur.

4. Domini (g) vero Praelati per eorum viſitatores, huiusce ſceleris participes Presbyteros exquiri ſtatim, et perpetuis carceribus mancipari faciant. Imo, ſi per quospiam Nobiles, vel eorum famulos comprehendi (h) poterunt, libere detineantur, et ad manus Praelati ſui, vel factoris eiusdem tradantur, poenam praenotatam inituri (i).

5. De (k) honoribus comitatuum per Regiam Maieſtatem extunc (l) prouidendum eſt: Quia negligentia aliquando, (m) et vitio, interdum vero potentia, et inſolentia Comitum multa incommoda ſequuntur. Et quod honor Comitatus Heueſienſis, iuxta contenta Decreti, perſonae Seculari conferatur; quia Epiſcopus Agrienſis extra Regnum moratur: Qui ſi ad reſidentiam venerit, vel autem Eccleſia ipſa Praelatum alium reſidentem habuerit; honor eiusmodi Comitatus iterum ad Eccleſiam redeat. (n)

6. Item (o) quod praeter vnum beneficium nemo Spiritualium, et Eccleſiaſticarum perſonarum (ſecundum Decreti formam) de cetero tenere, et gubernare poſſit. Et ea ſtatim Regia Maieſtas bene meritis conferat: Aliter autem illa ad conſeruationem caſtrorum finitimorum conuertantur.

7. Presbyteri (p) non beneficiati, et Scholares ſcholas inhabitantes, arma, vel pixides (q) de cetero gerere non audeant, Nam ſi Presbyter, aut Scholaris (niſi extra Regnum tranſiturus) arma, vel pixides de cetero tulerit, etiam per ruſticam manum, ablatis ſuis armis, aut pixidibus comprehendi poſſit, ac ad manus Praelati, vel Archidiaconi ſui, ſi in propinquo erit: aliter autem Vice-Archidiaconi vinctus aſſignari debebit. Qui illum manibus Domini Praelati ſui, vel factoris eiusdem, tradere teneatur carceribus mancipandum, et graui poena puniendum. Quod ſi ipſe Vice-Archi-Diaconus facere recuſaret, extunc ſolus ipſe per Comitem

(a) Qua ratione id accipiendum ſit, diximus in diſſertatione de Synodis Regiis. Adnotare hic placet in praefatione huius Synodi in editis ingentem cubare errorem, quum dicatur, *tumultum nefandiſſimum, quem plebs ruſticana ſuperiori aetate*, quum in MS. Bartfenſi poſitum ſit: *ſuperiori aeſtate*, quis neſcit quantum aetas, et aeſtas diſtent.

(b) Alias 18.

(c) Alias 24.

(d) In recentiſſima memoria nefandae ſeditionis, cui forte etiam Eccleſiaſtici eiusdem proſapiae conſortes erant, lex haec lata, prouti etiam perpetua ſeruitus tempori duntaxat deſeruiit; quis ignorat, leges temporibus congruere debere? male ergo in vſum reuocarentur moribus abrogatae leges.

(e) Alias 32.

(f) Id eſt *areſtatione rerum fugitiui.*

(g) Alias 48.

(h) Quicunque bene expenderit ea, quae in diſſertatione de Synodis Regiis diximus, non poterit offendi ſtatuto legis huius; ingentia enim mala, qualis erat ſeditio ruſticorum, honeſtata Crucigerorum nomine, ingentia depoſcunt remedia.

(i) Rurſus error cubat in editis; in MS. enim Bartfenſi habetur: *luituri*, et procul dubio genuina eſt lectio MS. codicis; poenam enim inire nemo grammaticorum dixit illum, qui poenam luit.

(k) Alias 56.

(l) In MS. longe melius legitur: *ex nunc*. Nihil enim praeceſſit, quod tempus aliquod deſignaret.

(m) Senſus luxatus in editis. In MS. habetur: *negligentia, et aliquando vitio, interdum vero potentia.*

(n) An maius aliquod Priuilegium deſiderari poteſt, dum lex Priuilegii vicem ſubit, vel Priuilegium in Legem abit?

(o) Alias 59.

(p) Alias 60.

(q) Id eſt: ſclopos.

Digitized by Google

mitem, et Vice-Comitem captiuetur, et ad manus ipſius Domini Praelati, vel eius factoris tradatur, poena praenotata puniendus.

8. Ceterum (a) quia plerique Decimatorum, tempore decimationis vinorum, omnes indifferenter Nobiles, et ignobiles quantumcunque exiguo, et vili pro debito, vel alio negotio areſtare conſueuiſſe perhibentur; Areſtatio autem iuxta Generalis Decreti formam, praeter vnum caſum ibidem declaratum, fieri non poteſt: Et alias decimatoribus ipſis non iudicandi quemquam, ſed decimandi duntaxat data eſt facultas: Propterea iidem Decimatores ſeſe de cetero in negotium areſti (praeter factum decimarum) ingerere, vel immittere nullatenus praeſumant. Nam ſi non ceſſauerint, etiam Coloni talium locorum ad decimarum ſolutionem non compellantur, ſed decimae ipſae per Dominos Terreſtres in hae parte exigantur, et ad Caſtrorum finitimorum conſeruationem, (b) reformationemque conuertantur.

(a) Alias 64.

(b) Deeſt in MS.

ALIAE EIVSDEM ANNI MDXIV.
ſiue Eccleſiaſticae Leges ex opere Tripartito
excerptae, et hac Synodo Regia confirmatae.

1. Iuſtitia eſt conſtans, et perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens. Et hoc non quantum ad actum ſemper, ſed quantum ad affectum. Iuſtitia enim eſt animi diſpoſitio, et mentis affectus, quo quis dicitur iuſtus, dum videlicet quis ſine perſonarum acceptione, et diſtinctione velit cuilibet, quantum in ſe eſt, ius ſuum tribuere. Item iuſtitia eſt habitus bonus tribuens cuique ſuam dignitatem, Deo religionem, parentibus obedientiam, maioribus reuerentiam, paribus concordiam, minoribus diſciplinam, ſibi ipſi caſtimoniam, et pauperibus, ac miſeris compaſſionem operoſam. Item aliter: iuſtitia eſt habitus animi (communi vtilitate ſeruata) ſuam cuique tribuens dignitatem, et ſic eſt congrua diſpoſitio animi ſingulis in rebus recte diiudicans cauſas. Beato enim Gregorio teſte in rebus humanis ſummum bonum eſt, iuſtitiam colere, et vnicuique iura ſeruare, nam vbi eſt iuſtitia, ibi eſt omnium reliquarum virtutum concordia; omnes enim virtutum ſpecies (vt inquit Hieronymus) vno iuſtitiae nomine continentur. Cui adſtipulatur verſiculus ille Heſiodi: *iuſtitia in ſe ſe virtutes continet omnes.* Quae praeclariſſima virtutum, eo ſplendore mortalium oculos perſtrinxit, vt affirmet Ariſtoteles, neque heſperum, neque luciferum tantopere rutilare. Duplex eſt autem iuſtitia, ſcilicet naturalis, et legalis. Naturalis eſt conſtans, et perpetua voluntas ius ſuum (vt praenotatum eſt) vnicuique tribuens: Et ſine illa nullus poteſt regnum Dei poſſidere. Legalis vero dicitur lex, quae ſoepe mutatur, ſine qua nec gentes, nec Regna diu poterunt permanere. Vnde et iuſtum aliquid dupliciter intelligitur fieri; vno modo ex ipſa natura rei, quod dicitur Ius naturale, alio modo ex quodam ſtatuto (a) inter homines, quod dieitur ius poſitiuum.

2. Ius autem, quantum ad noſtrum propoſitum ſpectat, tantum valet, ſicut rectum, vel iuſtum: quod a iuſtitia deriuatur. Et in propoſito accipitur pro noſtris conſuetudinibus, ſiue ſcriptis, ſiue non ſcriptis. Vnde ius nomen generale eſt, et lex ſpecies Iuris eſt. Omne enim ius legibus, et moribus, hoc eſt iure ſcripto, et non ſcripto conſtat. Per Tullium ſic definitur: eſt ars, ſiue ſcientia boni, et aequi, ſecundum quam Nos, Sacerdotes, id eſt ſaeras leges,

(a) Minus adaequatis definitionibus, ac loquendi formulis legum compilatorem vti, clarum eſſe poteſt cuiuis, ni oculos claudere velit; hinc lectorem monendum volui. Sane non ſolum humanum ius poſitiuum aut eſt, aut dici poteſt. Ius enim omne vel eſt Diuinum, vel humanum; illud porro vel eſt naturale, vel poſitiuum; humanum vero vel gentium, vel ciuile.

Digitized by Google

leges, et cuilibet iura ſua miniſtrantes appellamur. Aliter autem ius dicitur collectio legitimorum praeceptorum, quae nos arctant ad obſeruandum bonum, et aequum, hoc eſt vtilitatem, et aequitatem, ſiue veritatem iuſtitiam deſignantem. Ius itaque duplex eſt. Quoddam enim eſt ius publicum; quoddam vero priuatum. Publicum eſt, quod principaliter ad imperium, et regimen Regnorum, publicamque vtilitatem ſpectat, et in ſacris, ac Sacerdotibus, et in Magiſtratibus conſiſtit. Vnde qui laedit Sacerdotes, vel res ſacras, vel Magiſtratus, hoc eſt Rectores populi, ab omnibus tanquam pro crimine publico accuſari poterit: Priuatum vero eſt ius ſpeciale, quod ad ſingulorum hominum vtilitatem pertinet: Et illud triplex eſt, ſcilicet ius naturale, ius gentium, et ius ciuile. Ius igitur naturale eſt commune omnium nationum, eo quod vbique inſtinctu (*a*) naturae, et non conſtitutione aliqua habetur, ſiue quod natura omnia animalia docet, et docuit. Et hoc non ſolum eſt humani generis proprium, ſed etiam omnium animalium. Inde deſcendit maris, et foeminae coniunctio, liberorum procreatio, et educatio, omnium vna libertas, ac acquiſitio eorum, quae coelo, terra, marique capiuntur. Item depoſitae rei, vel commodatae pecuniae reſtitutio, violentiae proximi per vim repulſio. Nam hoc, aut ſiquid huic ſimile eſt, nunquam iniuſtum, ſed naturale, aequumque habetur. Item alio modo ius naturale intelligitur, quod in Lege Moſaica, et Euangelio continetur: quo quis iubetur alteri facere, quod ſibi vult fieri, et prohibetur alteri inferre, quod ſibi fieri nolit. Vnde verſus: *Quod tibi vis fieri, mihi fac, quod non tibi, noli. Sic potes in terris viuere iure poli.* Ius itaque naturale dupliciter poteſt conſiderari; vno modo in quantum conſideratur homo, prout habet in ſe naturam rationalem, in qua participat cum Diuinis: Et ſic ius naturale, quod cadit in hominem, dicitur ius Diuinum. Alio modo ius naturale conſideratur in homine, quantum ad naturam ſenſualitatis, in qua participat cum ceteris animalibus, vt ſenſu, motu, et inſtinctu. Et hoc modo ius cadens in hominem, dicitur eſſe ius naturale. Ius Gentium duplex eſt, ſcilicet primaeuum, et ſecundarium. Ius gentium primaeuum eſt; quo omnes gentes ab initio vſae ſunt, naturali ratione inductum, abſque aliqua conſtitutione gentium, vt neminem laedere etc. Et hoc a iure naturali nihil diſcrepat, niſi ratione diuerſorum reſpectuum. Nam ius naturale, et gentium pariter dicitur, ſed diuerſo reſpectu: Naturale ſcilicet, in quantum ratione naturali eſt inductum: Gentium vero, in quantum gentes a principio orbis ſine vlla conſtitutione alia, eo vſae ſunt. Et hoc iure ſtatus ſerui eſt integer, quia naturali ratione omnes liberi naſcebantur. Ius gentium ſecundarium eſt ius a gentibus non ratione naturali, ſed ratione publici boni, et ad communem vſum introductum. Et hoc ſoepenumero diſcrepat a iure naturali: quia iure naturali omnia erant communia, omnes erant liberi; de iure vero gentium, facta eſt diuiſio dominiorum, et rerum inuenta ſeparatio: introducta ſunt bella, captiuitates, ſeruitutes, et alia huiusmodi, quae iuri naturali

An inſtinctus lex naturae?

(*a*) Sobrie haec accipienda ſunt. Lex enim naturalis nequaquam inſtinctu quodam naturae ſiue nititur, ſiue promulgatur, neque ius naturae nobis cum beſtiis commune eſt. Quis dubitauit vnquam ius naturae obligare? omnemque legis neceſſitatem, qua conſtringimur, a ſuperiori quopiam promanare debere? quae ergo haec natura; cuius inſtinctus vetat, et praecipit? ſi digitum Supremi artificis tollas, natura neminem obligare valet; quum ab vnoquoque noſtrum diuerſa haud ſit. Lubet Tullium lib. 2. de legibus Cap. 4. mihi pag. 761. differentem audire; ait is: *Videamus, priusquam adgrediamur ad leges ſingulas, vim, naturamque legis; ne, quum referenda ſint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore ſermonis, ignoremusque vim ſermonum eius, quo iura nobis definienda ſint. Hanc igitur video Sapientiſſimorum fuiſſe Sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum eſſe aliquod populorum, ſed aeternum quiddam, quod vniuerſum mundum regeret imperandi, prohibendique ſapientia: Ita Principem legem illam, et vltimam mentem eſſe dicebant omnia ratione, aut cogentis, aut vetantis Dei.* Manilii lib. 1. de Aſtronomia verſus idem inſinuant.

Vis animae diuina regit, ſacroque meatu
Conſpirat Deus: et tacita ratione gubernat.

Tacita ratione gubernat Deus: ius enim naturae, eſt aeterna lex Dei ab ipſamet creatura rationali per rectam rationem promulgata. Haec

rali ſunt contraria. (a) Ex hoc etiam gentium iure omnes pene contractus inducti ſunt, vt emptio, venditio, conductio, et his ſimilia. Ius autem Ciuile eſt, quod quisque populus, vel quaeque Ciuitas ſibi propter Diuinam, humanamque cauſam conſtituit: et vocatur ius Ciuile, quaſi proprium ius Ciuitatis. Quod tripliciter poteſt accipi, 1mo: Generaliter; et eſt, quod in vna quaque ciuitate generaliter obſeruatur. 2do: Specialiter; et eſt, quod quisque populus, vel quaeque Ciuitas ſibi proprium, Diuina, humanaque cauſa conſtituit. 3tio: Excellenter; ad excellentiam videlicet Iuris Romanorum, quod etiam Ius Imperiale nominatur. Dum enim non exprimitur nomen huius, vel illius ciuitatis, tunc per excellentiam tantum Ius Romanum ſignificatur: ſicuti per Poetam apud Graecos Homerus, apud Latinos Virgilius ſubauditur. Et per Apoſtolum in Sacro eloquio alterius nomine non expreſſo, Sanctus Paulus intelligitur.

3. Sciendum itaque, quod ius naturale differt ab aliis Iuribus tribus modis: Primo origine, nam incepit ab exordio naturalis creaturae. Secundo dignitate: quia ius naturale apud omnes gentes aequaliter ſeruatur, a ſolo Deo inſtitutum, firmum, et immutabile manens; alia vero iura, quae populus, vel Ciuitas ſibi conſtituit, ſoepe mutantur, vel contraria conſuetudine, vel alia minori lege, in contrarium poſtea lata, et introducta. Tertio amplitudine: (b) quia iure naturali omnia communia ſunt, ſed iure gentium, velciuili hoc meum, illud tuum eſt. Ceterum omnes populi, qui legibus, aut moribus vtuntur, et reguntur, partim ſuo proprio, partim vero communi omnium hominum iure vtuntur. Hi enim, qui ſuo tantummodo iure, et non communi gaudent, et aliquod ius proprium ſibi inſtituunt; illud ius ciuile nominatur. Quod vero apud omnes gentes communiter obſeruatur, ius gentium appellatur.

4. Quia (a) dictum eſt ſuperius, quod omne ius, aut legibus, aut moribus, hoc eſt iure ſcripto, vel non ſcripto, conſtat: De iure igitur ſcripto, id eſt humana lege breuiter ſciendum, quod lex diuerſimode deſcribatur. Primo namque eſt conſtitutio populi, qua maiores natu cum plebibus aliquid ſanxerunt, ſed haec definitio propoſito noſtro non quadrat, quum omnis poteſtas conſtitutionis, et condendae legis, quae olim apud populum fuerat, in praeſentiarum ad Principem noſtrum ſpectet, vt infra clarius dicetur; Alio modo lex eſt, ſanctio acta iubens honeſta, et prohibens inhoneſta, atque contraria; vel aliter: eſt recta ratio ab aequitate tracta, iubens honeſta, et vetans inhoneſta. Item ſecundum Papinianum, et Demoſthenem: lex eſt intentio hominis, donum Dei, dogma ſapientum, correctio violentorum exceſſuum, ciuitatis compoſitio, et criminis fuga. Ex qua quidem definitione colligitur, quod Lex inuentio humana eſt: Poſtquam enim multiplicato genere humano, et irrepentibus vitiis, in tyranidem Regna conuerſa ſunt, neceſſario opus fuit leges condere, quarum primi inuentores, qui fuerint, in praefatione ſuperius declaratum habes. Dicitur deinde in definitione legem donum Dei eſſe, ſecundum enim Chryſoſtomum, Lex Dei eſt vna legalis via, quae nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinat. Populus ergo ſine lege, qui Dei dicta, et Legum documenta contemnit, per

C c c c diuer-

licet ita ſe habeant, excuſari tamen poteſt Werböczius noſter; ſecutus eſt enim veteres quosdam Iuriſconſultos, qui ius naturae pr. Inſtit. et L. 1. §. 3. ff. de I. et I. pro inſtinctu quodam naturali ſumpſere.

An ius naturae mutabile?

(a) Haec quoque ſobrie ſumenda. Ius enim naturae eſt inmutabile *mutatione propria*, quam Scholaſtici *directam* vocant; at mutationem *improprìam*, ſeu, vt iidem Scholaſtici loquuntur, *indirectam* recipit; *propria* enim legis mutatio ea eſt, quando iisdem circumſtantiis permanentibus ceſſat legis obligatio; circumſtantiis autem mutatis, rem ipſam variari in aperto eſt, vnde ſi vera loqui amamus, nulla mutatio locum habet in iure naturae, quare contraria iuri naturae lex vigorem habere nulla poteſt, ſeruitutem porro iuri huic contrariam non eſſe, ſi euincere vellem, actum agerem.

(b) Forte potius inde deberet repeti amplitudo, quod omnes gentes obliget.

(a) Alias 6.

diuerſas errorum vias laqueum perditionis incurrit. Omniumque legum inanis eſt cenſura, niſi Diuinae legis imaginem gerat, quia humanae leges eatenus valent ſolum, quatenus non diſcrepant a Diuinis; prout et ſapiens teſtatur inquiens: „Per me Reges regnant, et legum conditores iuſta decernunt.„ Ideo leges humanae emanare debent e lege Diuina. Nam illa Reſpublica ſola eſt ordinata, quae legibus regulatis lege Diuina gubernatur. Lex ergo contra legem Diuinam, nec populi aſſenſu, nec conſuetudine diuturna, eſt valida. Tertia conditio legis ex definitione declarata eſt, quod ſit dogma ſapientum. Vbi ſciendum, quod ſicuti Principes non debent punire innocentem, ita non debent abſoluere reum, et facinoroſum a poena, et diſciplina, maxime, quando quis peccat in Rempublicam: *Qui enim iuſtificat impium, et condemnat iuſtum, vterque abominabilis eſt apud Deum.* Quarta legis conditio, quod ſit violentorum exceſſuum correctio. Nam ideo factae ſunt leges, vt harum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia. Non enim inducerentur homines ad legis obſeruantiam, niſi eſſet timor poenae legalis inferendae per publicam perſonam. Quinta conditio legis, quod lex ſit ciuitatis compoſitio: Ciuitas enim ab vnitate Ciuium nominatur. Ergo omnes leges etiam in hoc Regno noſtro ad commodum Reipublicae Iudices referre oportet. Nam vt ex medicina nihil debet ſperari, niſi quod ad corporis vtilitatem ſpectet, quoniam eius cauſa inſtituta eſt, ſic a legibus nil oportet colligi, niſi quod Reipublicae totius communitatis conducat, quia eius cauſa, et ad hoc ſunt conceptae. Sexta conditio, quod lex debet eſſe criminis fuga, ſecundum enim B. Thomam Aquinatem leges humanae ad retrahendum homines a vitiis, et inducendum ad virtutes ſunt factae. Nam homini ineſt naturaliter quidam appetitus ad virtutem, ſed ipſa virtutis perfectio neceſſe eſt, vt adueniat homini per aliquam diſciplinam, quae maxime per legis obſeruantiam aduenire ſolet. Ideo ſubinfert idem S. Thomas, quod lex eſt ordinatio rationis ad bonum comune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata, eſtque regula, vel menſura actuum agendorum, vel omittendorum: Vnde lex debet eſſe iuſta, honeſta, poſſibilis ſecundum naturam, et ſecundum conſuetudinem Patriae, loco, temporique conueniens, neceſſaria, et vtilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem incautae captionis contineat (id eſt ne aliquis poſſit eam captioſe interpretari. Si tamen quid ambiguum, vel obſcurum fuerit, eius eſt interpretari, qui condidit; vel ne laqueus alicui paretur per eam) nullo priuato commodo, ſed pro communi Ciuium vtilitate conſcripta. Ideo autem iſta conſideranda ſunt, quia quum leges inſtitutae fuerint, non erit poſtea iudicandum de ipſis, ſed oportebit iudicare ſecundum ipſas.

5. Quoniam(*a*) omnes leges aut Diuinae ſunt, aut humanae, Diuinae autem natura, humanae vero moribus, et conſuetudinibus conſtant, ideoque hae diſcrepant, quoniam aliae aliis gentibus placent. Fas lex Diuina eſt: Ius lex humana. Nam tranſire per agrum alienum fas eſt, quia *Domini eſt terra, et plenitudo eius*: Ius vero non eſt, quia ſtatuto, aut conſuetudine prohibetur. Vnde quaeritur, quare factae ſint leges humanae? et reſpondetur, quod ideo, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, et in ipſis improbis formidato ſupplicio refraenetur audacia, et nocendi facultas. Quadruplex eſt autem officium legis, quia omnis lex, aut permittit, aut vetat, aut punit, aut imperat. Permittit aliquid, vt vir fortis, et virtuoſus petat praemium. Vetat, vt Sacrarum Virginum nulli petere liceat connubium. Punit, vt qui caedem fecerit, capite plectatur. Quandoque etiam imperat, vt diliges Dominum Deum tuum. Vnde verſus: „*Quattuor ex verbis virtutes colli-*

ge

(*a*) Alias 7.

ge legis, permittit, punit, imperat, atque vetat.

6, Sed (*a*) quaerendum videtur, an valeat ſtatutum contra ius Canonicum, vel naturale, vel Diuinum? Dic (quoad ius Canonicum) ſi ſtatutum ſit contra libertatem Eccleſiarum diuturnam, vel Priuilegia eis conceſſa, non valet. Idem dicendum, ſi circa ea fiunt ſtatuta, quae ſalutem animae reſpiciunt. Circa cauſas vero profanas ſtatuta ciuilia derogant Canonibus, et eos tollunt. Quantum autem ad ius naturale, vel Diuinum; licet ſtatuta non poſſint illud ex toto tollere, poſſunt tamen diſtinguere, vt exempli gratia, lex Diuina dicit indiſtincte: Non occides; tamen lex humana, et ſtatutum concedit homicidium in multis caſibus. Idem dicendum de decimis, quae debentur de iure Diuino, (*b*) et tamen Papa multos priuilegiat ſuper decimis non ſoluendis. Concludamus ergo, quod per ſtatutum, ac legem, vel reſcriptum non poteſt ius naturale, vel Diuinum in ſui vniuerſo tolli: Nec enim ſummus Pontifex, vel alius quiſpiam poſſet ſtatuere, vt non obſeruaretur vetus, vel nouum Teſtamentum, vel quod liberi non educarentur a parentibus; ſed in aliquibus caſibus particularibus poteſt fieri ex iuſta cauſa contra ius diuinum, (*c*) vel naturale, v. g. vt praedo poſſit occidi, vel fur nocturnus.

7. Nunc (*d*) quaeſtio ſubiungenda eſt; an Iudex ſecundum allegata, et probata Partium, vel ſecundum quod nouit, et ex conſcientia debeat iudicare? verbi gratia: aliquis accuſatur de capitali, vel alio crimine, et Iudex ſcit illum eſſe innoxium, quia vidit id crimen ab alio fuiſſe patratum: tamen teſtes contra eum teſtificantur, an condemnabit ſcienter innocentem? Dic, quod iudicare pertineat ad Iudicem, ſecundum quod fungitur publica poteſtâte, ideo inſtrui debet in iudicio: non ſecundum quod ipſe Iudex nouit tanquam perſona priuata, ſed vt ſibi innoteſcit, tanquam perſonae publicae. Id autem poteſt ſibi dupliciter innoteſcere; vel in communi per leges ſcilicet publicas, Diuinas, aut humanas, contra quas probatio non admittitur; vel in particulari per inſtrumenta, et teſtes, et alia legitima documenta, quae magis ſequi debet iudicando, quam illud, quod ipſe nouit in perſona priuatâ. Ideo inquit S. Auguſtinus: „Iudex bonus nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum leges, et iura pronuntiat.„ In hoc tamen caſu Iudex debet eſſe valde ſollicitus, vt foueat partem illam, quam in conſcientia ſua ſcit eſſe veram, ne pereat propter defectum teſtium, et Aduocatorum. Si vero eo ventum ſit, vt adeo validae probationes in iudicio proferantur, quae nec repelli, nec collidi valeant; omni arte, et ſtudio eſt Iudici eniteudum, vt innocens conuictus eripiatur. Si nulla eiuscemodi via reperiri poteſt, quaerat rationem, ſi ſine ſcandalo fieri poſſit, vt alteri cauſam committat; ſi id nequit, tunc proferat ſententiam ſecundum allegata, et probata. Eſt enim Iudicis officium magis laborare pro ſalute boni publici, quam ſingularis, quum et ipſe, in quantum Iudex, ſit perſona publica, et bonum commune ſit nobilius particulari, vt habetur primo Ethicorum. Nam ſi Iudex ferret ſententiam pro innocente, in Iudicio tamen conuicto, redundaret in perniciem publicam; populus enim ſcandalizaretur, viaque aperiretur innocentes opprimendi, et noxios abſoluendi. Si enim Iudex vellet innocentem punire, diceret ſe conſcientia ſua ſcire eum eſſe reum. Pariter, et ſi vellet ſceleratum abſoluere. Et ſic iniquis Iudicibus male iudicandi aditus pateret. Fateor eſſe, qui aliter ſentiant, ſed haec videtur opinio communior, et aequior fore.

8. Sed (*e*) quia conſtans eſt Theologorum

(*a*) Alias 9.

(*b*) Recolenda hic ſunt, quae in diſſertatione de Synodis Regiis diximus, qua ratione nimirum decimae Iuris Diuini ſint; vnde patebit, qua ratione Papa aliquos a decimarum praeſtatione abſoluat.

(*c*) Vide, quae de mutatione Legis naturalis paulo ante diximus.

(*d*) Alias 15.

(*e*) Alias 16.

Digitized by Google

gorum ſententia, quemlibet, qui contra conſcientiam facit, peccare. Sciendum igitur, quod duplex eſt conſcientia, videlicet *Rei*, et *dicti*. Vude Iudex licet faciat contra conſcientiam *rei*, id eſt negotii, vel facti, non tamen facit contra conſcientiam *dicti*, hoc eſt: teſtimonii. Aliud eſt enim ſimpliciter ſcire, et aliud eſt, prout debet Iudex ſcire, Iudex autem duplicem perſonam repraeſentat, vnam *priuatam*, aliam *publicam*. Fieri autem poteſt, vt aliquid ſciat tanquam perſona *priuata*, et id neſciat tanquam perſona *publica*; ſicut Chriſtus dicitur, aliquid ſcire vt Deus, et illud ueſcire vt homo; prout eſt illud teſtimonium euangelicum: *De die autem illa, et hora* (ſcilicet extremi iudicii) *nemo ſcit, neque Angeli Dei, neque Filius, niſi Pater ſolus*, quod intelligitur, Filium neſcire vt hominem, ſcire tamen vt Deum. Idem eſt de Sacerdote confeſſionem audiente, qui etiam interrogatus per viam teſtimonii, poſſet dicere, ſe neſcire audita in confeſſione, quia neſcit, vt teſtis. Sic etiam Iudex debet informare conſcientiam ſuam in his, quae ad propriam perſonam attinent, ſecundum ea, quae in publico iudicio ſciri poſſunt. His duo adiungam. Vnum, quod ſi ſit ſupremus Iudex, vt Papa, et Imperator, vel alius, qui non adſtringitur legibus, tunc debet ſequi veritatem; ſi vero eſt Iudex inferior, tenetur ſecundum allegata, et probata etiam contra conſcientiam iudicare; nec tunc peccat, quia obſtringitur ad id faciendum iuris authoritate. Secundum eſt: quod ſi Iudex ſedeat pro tribunali, et contingat aliquem ibi coram eo aliquod delictum facere, tunc poteſt illum ſtatim punire, ac ſi probaretur per teſtes. Melius eſt enim probare aliquid per ipſum factum, quam per teſtes; ſi vero non ſedeat pro tribunali, tunc ſecus. Nam ſi Iudex ex feneſtra Praetorii, vel domus ſuae intueatur vnum quempiam interficientem, et quoniam hoc homicidium, vel non defertur in Iudicium, vel delatum non probatur, et Iudex voluerit homicidam de ſe ipſo ſubiicere torturae, (*a*) vt veritas per illius confeſſionem eliciatur, certe non poterit. Sola enim Iudicis ſcientia ad hoc non ſufficit, vt ad torturam reus deueniat, quum ipſe illud neſciat vt Iudex, ſed vt priuata perſona, nec ipſius teſtimonium in hac parte valet, quum in vna, et eadem cauſa nemo poſſit eſſe teſtis, et Iudex; igitur aliunde eſt edocendus: vel per teſtes, vel alia documenta, vt poſſit torquere criminoſum. Dubium quoque eſt de miniſtris, et executoribus, qui ſciunt teſtes falſe iuraſſe, vel Iudicem iudicaſſe; tamen coguntur a Iudice innocentem interimere, vel aliter punire. Vnde communis eſt Theologorum ſententia, eos non debere obtemperare, ſi pro certo id ſciant, ſecus vero ſi dubitent: quia tunc excuſantur propter obedientiae bonum. Ideo ſecundum Sanctum Thomam, ſi ſententia intolerabilem errorem, et iniuriam contineat, non debent obedire; alioquin excuſarentur carnifices, qui Martyres occiderunt. Si vero non adeo manifeſtam contineat iniuſtitiam, tunc non peccant exequendo, quia ſententiam ſuperioris non habent diſcutere; nec ipſi innocentem interimunt, ſed Iudex, cui miniſterium praebent.

(*a*) Poenale examen in Hungaria antea viguiſſe hinc ſcimus, vix tamen aliam deſuper legem, niſi hanc, et partis tertiae titulum vigeſimum, Nobiles per Ciuitates ratione alicuius ſuſpicionis torqueri vetantem reperire licet.

PARTIS PRIMAE.

1. Sciendum (*a*) in primis eſt, quod perſonarum, de quarum Iuribus, et conſuetudinibus nunc agitur, aliae ſunt Spirituales, ſiue Eccleſiaſticae: aliae vero Seculares. Et quamuis perſonae Spirituales, (quarum medio ſalutem humanam Dominus, Saluator noſter adminiſtrari voluit) perſonis ſecularibus digniores habeantur, tamen omnes Domini Praelati, et Eccleſiarum Rectores, ac Barones, et ceteri Magna-

(*a*) Alias 2.

gnates, atque Nobiles, et Proceres Regni huius Hungariae, et ratione nobilitatis, et bonorum temporalium, vna, eademque libertatis, exemptionis, et immunitatis praerogatiua gaudent, nec habet Dominorum aliquis plus, nec Nobilis quispiam minus de libertate: Hinc etiam vna, eademque lege, et conſuetudine, ac vno, et eodem iuridico proceſſu in iudiciis vtuntur, homagiorum (*a*) duntaxat quantitas variatur. Nam Domini Praelati, et Barones centum, Nobiles vero quinquaginta marcas pro homagiis ſuis conſequuntur, vt infra clarius dicetur. Et hoc quoque non ratione libertatis, ſed praetextu dignitatis, et officii; Praelati utpote occaſione dignitatis ſacerdotii: Barones vero reſpectu officii, quo funguntur, et a Principe ſublimantur. Vnde et Regi propinquiores in ſtando, vel ſedendo, et primi in conſilio voces emittendo, atque priores Rempublicam augmentando, et defenſionem Patriae peragendo, ceteris Nobilibus exiſtunt, virtuteque dignitatis, et officii merito praeferuntur.

2. Quia (*b*) dictum eſt ſuperius, quod omnis nobilitatis, et poſſeſſionariae collationis plenaria poteſtas in Principem noſtrum translata ſit: ideo aduertendum, quod Princeps ipſe noſter vniuerſorum Dominorum, Baronum, et Magnatum, ac aliorum Regni Nobilium, poſſeſſionatorumque hominum, in caſu, quo quis eorum ſine haeredibus, et poſteris deceſſerit, verus, et legitimus Succeſſor ſit. Omnia enim bona, et iura eorum poſſeſſionaria ab ipſa Sacra Regni Hungariae corona, virtute translationis praenotatae, originaliter dependent, et ad eandem ſemper reſpiciunt, deuoluunturque eorum poſſeſſore legitimo deficiente. Vnde inoleuit iſta conſuetudo dudum approbata, quod vnica, et ſingularis perſona exiſtens, veroque, nec non legitimo ſucceſſore carens, ac deſtituta, ſuper Iuribus ſuis poſſeſſionariis, ſine conſenſu Regio nil quidquam iure perennali diſponere poteſt. Imo etiam pignoris titulo nullam de eisdem faſſionem, vltra communem aeſtimationem eorundem, faciendi habet facultatem, prout infra latius ſuo loco ſuper ea re tractabitur. Praeterea cunctorum quoque Dominorum Praelatorum, et Virorum Eccleſiaſticorum, Princeps ipſe Noſter verus pariter, et legitimus Succeſſor eſt: Non quantum ad bonorum, et Iurium poſſeſſionariorum ab Eccleſia ablationem, et ſequeſtrationem, ſed quantum alteri (vacantibus Praelaturarum ſedibus, et Eccleſiarum Rectoratibus) ad gubernandum cum Eccleſia collationem: ſaluo iure confirmationis Archiepiſcopatuum, et Epiſcopatuum, quae iurisdictioni ſacro-ſanctae Romanae duntaxat Eccleſiae ſubeſſe dignoſcitur.

3. Sciendum (*c*) autem, quod licet Papa, ſeu Summus Pontifex, vtramque iurisdictionem, temporalem ſcilicet, et ſpitualem habeat; in collationibus tamen Beneficiorum Eccleſiaſticorum pro tempore vacantium in hoc Regno, Summus ipſe Pontifex nullam iurisdictionem exequitur praeter confirmationis auctoritatem: Et hoc quadruplici ratione. Primo: ratione fundationis Eccleſiarum, quia Reges Hungariae, quum ſoli fuerint omnium Eccleſiarum, et Epiſcopatuum, Abbatiarum, et Praepoſiturarum in hoc Regno fundatores; per eiusmodi fundationem, omnem facultatem Iuris Patronatus, nominationis, electionis, ac collationis beneficiorum ſibi ipſi acquiſierunt, et vindicarunt. Qua ex cauſa, Iuris videlicet Patronatus ratione, pertinet ſemper ad Reges noſtros hoc in Regno beneficiorum Eccleſiaſticorum collatio. Secundo: ratione ſuſceptae Chriſtianitatis: quia Hungari non per praedicationem Apoſtolicam, vel Apoſtolorum, quorum Principis vicem, et perſonam in terris Papa gerit, ſed per inſtitutionem proprii Re-

 gis

(*a*) Id eſt: redemptio capitis, quod nimirum delicto obligatum erat alteri; vocatur etiam *emenda capitis*. In Capitularibus Regum Francorum huiusmodi ſolutio, *compoſitio* dicitur, *manuum redemptio* multis locis ibidem reperitur. Sic in Capitulari quinto Caroli M. anni 803. cap. 13. *ſi inuentus fuerit quis chartam falſam feciſſe, aut falſum teſtimonium dixiſſe, manum perdat, aut redimat.*

(*b*) Alias 10.

(*c*) Alias 11.

gis eorum, Sanctiſſimi videlicet Stephani Regis, de quo et ſuperius memini, conuerſi ſunt ad catholicam fidem: Qui primus omnium Epiſcopatus, Abbatias, Praepoſituras hoc in Regno fundauit, et harum omnium Eccleſiarum Praelaturas, ac Beneficia ſolus ipſe ex nutu Summi Pontificis, quibus maluit (idoneis tamen, et virtutibus probitatum inſignitis) contulit; ſicut Eccleſia de eo ſolenniter canit: „Hic (videlicet Sanctus Stephanus) ad inſtar Salomonis, ſtruit „templa, ditat donis, ornat gemmis, et „coronis, cruces, et altaria.„ Et mox ſubinfertur: „Ad regendum haec, Praelatos vi„ros ponit litteratos, iuſtos, fidos, et pro„batos, ad robur fidelium. Sic talentum ſibi „datum, Deo reddens duplicatum, ab aeter„no praeparatum ſibi, ſcandit ſolium.„ Ecce aperte deſcribitur, quod ipſe, et non alter quiſpiam, ad regenda templa per eum conſtructa, donisque ditata, Praelatos iuſtos, et fidos poſuit; prout ex eius quoque hiſtoria, et pluribus priuilegiis ſuper Eccleſiarum fundationibus, et dotationibus confectis liquide patet. Itidem et plerique Caeſarei, ac Pontificii Iuris interpretes ſuis commentariis conſcriptum prodidere. Vnde etiam Rex, et Apoſtolus dici meruit eo, quod vices Apoſtolorum in terris praedicatione, et bonorum operum, atque exemplorum exhibitione geſſit. Et propterea duas quoque cruces per collationem Summi Pontificis, in ſignum ſuae ſanctitatis, quod ſcilicet Rex, et Apoſtolus iuſte diceretur, digne meruit habere pro armorum inſignibus. Vnde ab illius tempore gens Hungarica duplicatam crucem (*a*) pro armis, ac inſignibus habere pariter, et geſtare conſueuit. Inſignium namque quatuor fluminum: ſcilicet Hiſtri, ſeu Danubii, ac Thybiſci, ſeu Thyciae, nec non Zauae, et Drauae, a Regno Pannoniae, quod modo Hungari incolunt, atque inhabitant, pro ſe vendicauit. Tertio: ratione legitimae praeſcriptionis: quoniam Reges Hungariae a tempore regiminis eiusdem Beatiſſimi Stephani Noſtri Regis, qui anno Dominicae Incarnationis primo (*b*) ſupra milleſimum in Regem Hungariae gentis feliciter inunctus pariter, et coronatus eſt, ad haec vſque tempora ſemper in reali, et pacifico vſu, ac poſſeſſione collationis huiusmodi Beneficiorum Eccleſiaſticorum, plus quam per quingentos annos perſiſtentes, tempus praeſcriptionis Iurium Eccleſiaſticorum, etiam Sanctae Sedis Apoſtolicae, iteratis vicibus dudum tranſcenderunt. Quarto: quia iſta libertas Regni, quantum ad beneficiorum collationes, olim tempore Domini Sigismundi (*c*) Imperatoris, et Regis noſtri, vna cum compluribus libertatibus huius Regni, in generali, ac celebri Concilio Conſtantienſi (cui triginta, et duos Cardinales, demptis aliis viris Eccleſiaſticis, et multis Principibus Chriſtianis praefuiſſe conſtat) corroborata, Iurisque iurandi religione firmata fuit: prout in Bulla ſuperinde confecta, clare continetur. Hoc autem Concilium (vt ſummarie, breuiſſimeque tangam) per quadriennium durauit: Nam anno Domini Milleſimo quadringenteſimo decimo quarto incepit. In quo Concilio tandem anno ſalutis Milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo Papa Otto, qui Martinus quintus appellatus eſt, electus extitit. Poſtea vero anno ſequenti, videlicet Milleſimo quadringenteſimo

(*a*) Si hoc legis teſtimonium contendas, cum illis, quae Turoczius Chron. part. 1. cap. 14. memorat, Attilanorum inſignium vſum ad tempora Ducis Geyſae viguiſſe, ſat clarum euadet Belam IV. dum in ceris, et numiſmatibus geminatam crucem adhibuit, deceſſorum ſuorum veſtigia ſecutum.

(*b*) Satis iam conuenit inter omnes, S. Stephanum ipſo anno Chriſti Milleſimo fuiſſe coronatum, quod ipſae litterae Sylueſtrinae, vigeſima ſeptima Martii anni modo ſati editae perſuadent. Chartuitius ait: *benedictionis ergo Apoſtolicae litteris cum corona, et cruce ſimul allatis, Praeſulibus cum Clero, Comitibus cum populo, laudes congruas decantantibus, dilectus Deo Stephanus Rex unctione Chriſmatis perunctus, diademate Regalis dignitatis feliciter coronatur.* Vt primum litterae allatae ſunt, nihil morae datum, neque apparet, cur anno integro coronatio procraſtinata fuiſſet? Chronicon MS. Seculi XII. quod nos Bolduenſe alibi appellauimus, ſic habet: *Milleſimo Stephanus Hungarorum Rex coronatus eſt:* Turoczius anno MII. bello cum Gyula Duce implicitum fuiſſe perhibet.

(*c*) Ipſe Sigismundus Rex in Diplomate anni 1408. apud Cl. Pray de Prioratu Auraniae pag. 35. labores a ſe peractos recenſens inquit: *Pro Sacri Romani Imperii, et noſtri Patronatus honore laborando.*

ſimo decimo octauo, idem Concilium ipſius Martini Pontificis, praefatique Sigismundi Imperatoris iuſſu diſſolutum fuit, (*a*) et in eodem Concilio Ioannes vigeſimus tertius ſe Pontificatu (licet inuitus) abdicauit; Gregorius vero ſponte ceſſit, et renunciauit. Sed Benedictus pene reſiſtens, et cedere nolens, decreto Concilii reprobatus, ac Pontificatu priuatus extitit. Et in eodem Concilio Ioannes Huſs, et Hieronymus Pragenſis eius condiſcipulus, haeretici combuſti, et incinerati fuerunt. Schiſma vero, pro quo tollendo, et dirimendo Concilium ipſum (Spiritus S. gratia mouente) congregatum pariter, et celebratum erat, nouem, et triginta annis duraſſe recolitur: Quod tandem opera ipſius Sigismundi Imperatoris ſublatum extitit, atque pax, et tranquillitas peroptata Dei Eccleſiae feliciter reſtituta eſt.

4. Quum (*b*) igitur collatio Beneficiorum Eccleſiaſticorum ſimul cum bonis, et iuribus poſſeſſionariis ad Eccleſias Dei pertinentibus, ad Principem, et Regem noſtrum ſpectare dignoſcatur, ideo omnes Viri Eccleſiaſtici cuiuscunque ordinis, gradus, ac dignitatis exiſtant, qui in hoc Regno Hungariae Caſtra, Caſtella, Fortalitia, Ciuitates, Oppida, Villas, Poſſeſſiones, et Praedia, vel alia etiam quaecunque iura poſſeſſionaria gubernant, et poſſident, non obſtante dignitatis, et exemptionis eorum praerogatiua, et libertate, Regi, et Principi huius inclyti Hungariae Regni legitime coronato inſtar perſonarum Secularium eiusdem Regni, ad homagium (*c*) fidelitatis praeſtandum ſemper obligantur. Et ratione huiusmodi bonorum temporalium, quae poſſident, quorumlibet etiam actuum potentiariorum, ac aliorum negotiorum inde emergentium, in praeſentiam quorumlibet Iudicum Regni ordinariorum, ab eorum aduerſariis (ſi quos habuerint) in cauſam libere conueniri, et attrahi poſſunt, coram quibus more aliorum ſecularium reſpondere, iuriqu. ſtare tenentur.

5. Aduertendum (*d*) eſt autem, quod duplici ratione, atque via, dominium aliquorum bonorum quis habere dicitur. Primo: Iure poſſeſſorio, dum quis reale, pacificumque dominium, tam in fructibus percipiendis, quam etiam ſeruitiis per colonos exhibendis, bonorum aliquorum aperte tenet; et hic modus generalis eſt, ac omnibus manifeſtus. Secunda via dominium bonorum dicitur aliquis habere, iure, vel modo ſucceſſorio, quando deuolutio aliquorum Iurium poſſeſſionariorum ad ipſum manifeſte ſpectat: Prout in bonis, et iuribus poſſeſſionariis fratrum carnalium in propinqua linea generationis habetur. Verbi gratia: licet frater carnalis, altero fratre ſimiliter carnali ſuperuiuente, dominium reale, ac poſſeſſorium bonorum ſuorum poſt factam cum eo diuiſionem non habeat, ius tamen, ac dominium ſucceſ-

ſorium

Concilium Conſtantienſe quis diſſoluit?

(*a*) Martinus V. in Seſſione XLV. et vltima celebrata decimo Kalendas Iunii ait: *Hoc etiam requirente praeſente Sacro Concilio ex certis, et rationabilibus, ac iuſtis cauſis ipſum Concilium abſoluimus, omnibusque, et ſingulis in eo exiſtentibus ad propria remeandi, ipſo approbante Concilio licentiam impertimur.*

(*b*) Alias 12,

Clerici an poſſint Homagium praeſtare?

(*c*) Homagium nolim hoc loco ſumi pro homagio illo, ſeu hominio, de quo tamdiu in Eccleſia DEI fuit diſceptatum; certum quippe eſt hominium, ſeu homagium, a fidei Sacramento, ſiue fidelitatis iuramento fuiſſe diuerſum, minus enim fidei Sacramento, quam hominio aduerſabantur Epiſcopi. Diſplicebat hominium: quia indecorum videbatur, Epiſcopum fieri hominem laici; iuramentis refragabantur Epiſcopi, quia exiſtimabant ordinis, et miniſterii ſui ſanctimonia (verbis vtor Thomaſſini) arctiſſime alligari Dei, Regiaque obſequio, et fidei, eorumque verbis tantundem ineſſe ponderis, quantum aliorum Sacramentis. Hoc certe loco iuramentum fidelitatis ab Eccleſiaſticis exigitur, et recte additur ea ratio, quod nimirum bona temporalia poſſiderent. Perſpexit vim huius argumenti S. Gregorius VII. et inde manauit hoc illius Decretum, quod laudatus Thomaſſinus par. 2. lib. 2. cap. 49. mihi pag. 377. recitat in haec verba: *Omnia ea, quae ab eo* (Laico) *tenet, ſibi, antequam vllam patiatur iniuriam, dimittat.* Quare oecumenici concilii grauitate dignum eſt illud temperamentum, quo concilium Lateranenſe IV. anno 1215. vnum id prohibuit, ne Laici a Clericis iis exigerent fidei Sacramentum, quibus temporalia nulla ſeu beneficia, ſeu feuda contuliſſent; *nimis*, verba ſunt concilii, *de iure Diuino quidam laici vſurpare conantur, cum viros Eccleſiaſticos nihil temporale detinentes ab eis, ad praeſtandum ſibi fidelitatis iuramentum compellunt. Sacri authoritate concilii prohibemus, ne tales Clerici ſecularibus praeſtare cogantur huiusmodi iuramentum.*

(*d*) Alias 67.

ſorium de facto, et immediate habet: cuius virtute poſtquam frater ipſe ſine haeredibus deceſſerit, mox, et immediate ſuperſtes, et in humanis agens frater bona deſuncti fratris ſimpliciter, absque omni ſcilicet ſtatutione iuridica, et alio proceſſu iuris, pro ſe vendicabit, et poſteritati ſuae iuſte, meritoque applicabit. Et ſi frater ipſe deſunctus filias, et vxorem poſt ſe relinqueret, et bona ſua ſexum foemineum non ſequerentur, ita videlicet, quod prius viuente fratre praemortuo, et progenitorum quoque ſuorum temporibus reale dominium aliqua foeminarum in eisdem bonis non habuiſſet; tunc easdem filias, infra tempus maritationis earundem; vxorem autem, ſeu relictam illius tamdiu, quousque ſub nomine, et titulo Domini, et mariti ſui vixerit, et tempus viduitatis ſuae peregerit, eo praeciſe iure, et modo, quo frater ille deſunctus, dum ſuperuiueret, victu, et amictu, omnibusque vitae neceſſariis, iuxta bonorum illorum exigentiam educare, prouidereque, et conſeruare, ac honeſte tandem filias nuptui tradere: Vxorem autem (ſi voluerit) nuptui pariter tradere, et inſuper Dotalitium, ac res Paraphernales eiusdem perſoluere, frater ipſe ſuperuiuens de iure tenebitur. Idem quoque de contractibus, ſeu fraternalibus adoptionibus (vbi de eo contractu manifeſte conſtat) eſt ſentiendum. Nam licet frater praemortuus haeredibus ex ſuis lumbis deſcendentibus caruerit, haerede tamen deſtitutus, qui ſucceſſor legitimus appellatur, nondum defecit. Secus tamen eſt de illis fratribus, qui ante ſexaginta, aut centum, ducentos, vel plures annos in bonis, et iuribus eorum poſſeſſionariis diviſi fuiſſent, et a tanto iam tempore vix etiam genealogiae ſuae lineae memoria baberetur, ſed ſolo quaſi nomine fratres condiuiſionales dicerentur. Nam in hoc caſu ea lege procedendum eſt; prout in facto iurium poſſeſſionariorum, per defectum ſeminis aliquorum decedentium, a Maieſtate Regia impetraturum procedi ſolet.

6. Quoniam (a) Praeſcriptionem tam praetextu bonorum haereditariorum, quam etiam Iurium poſſeſſionariorum impignoratitiorum, ſed et actuum potentiariorum in Iudiciis allegare ſoepenumero conſueuerunt; pauca igitur de praeſcriptione neceſſario dicenda occurrunt: Et primo de eius quidditate; deinde vero de ipſius duratione, et diuerſitate. Sciendum igitur, quod praeſcriptio eſt termini ad iuridicam tum retentionem, tum reaquiſitionem bonurum, de iure ſtatuti temporalis completio. Quae ſuper bonis, ſeu Juribus poſſeſſionariis venditis, occupatis, et quomodolibet alienatis, Regalibus, centum; Eccleſiarum quadraginta; Nobilium triginta duorum; Ciuium (b) vero duodecim annorum curriculis completur. In actibus ſiquidem potentiariis triginta duorum ſimiliter annorum ſpatium praeſcriptiu requirit. Villanorum (c) praeſcriptio unius anni integri duntaxat, et unius diei terminum complectitur. Inter fratres vero generationales, et condiviſionales, ratione Jurium poſſeſſionariorum (demptis actibus potentiariis) ac in Dotalitiorum, et Quartalitiorum per eos ſolutione; praeſcriptio nunquam admittitur. In foro autem Eccleſiaſtico praeſcriptio aliter allegatur; ſed quia non eſt mei inſtituti aliquid de Eccleſiaſtico foro differere, illud ſilentio pertranſeo; et quorum intereſt, limitandum committo. Ceterum, quanquam in metis quoque rectificandis, et iuribus impignoratitiis, plurimi peritorum, praeſcriptionem non eſſe admittendam communi ſententia, et proverbio adſtruant; quia tamen haec allegatio non ſimpliciter eſt intelligenda, ſed recto moderamine diſcutienda, illam igitur ſuis in locis inferius dilucide declarabo.

7. Quanquam (d) Iura poſſeſſionaria impignoratitia nedum poſſidere, aut gubernare damnabile, ſalutique contrarium; verum etiam aliquid de illis ſcribere formidabile videatur: quoniam tamen Leges Imperiales, atque civiles eius uſum admit-

tunt

(a) Alias 79.
(b) Hic appellantur Ciues, qui alicui ciuitati adſcripti ſunt.

(c) Id eſt: ruſticorum; parte enim tertia ruſticis ius ſcribens ait: *de villanis, id eſt jobbagionibus.*
(d) Alias 80.

ſunt, adeo in hoc Regno, partibusque ſibi ſubiectis vſus iſte pernicioſus multum inoleuit, incrementumque grande coepit, vt ſi quosdam poena generalis Decreti (a) ſuper ea re inter cetera editi, non perterreret, etiam depoſita, et perſoluta pecunia eis debita, bona, ac iura ipſa impignoratitia remittere nusquam curarent, ſed in perniciem animarum ſuarum, quamdiu poſſent, ea detinerent: Propter quod de pignorationis ipſius modo, et vigore, pauca hic ſubnectenda ſtatui.

8. Vnde ſciendum, (b) quod impignoratio iurium poſſeſſionariorum dupliciter intelligitur, videlicet ex parte pignorantis, ſeu dantis, et ex parte ereditoris, ſeu recipientis. Ex parte igitur dantis, impignoratio eſt iuris proprii, neceſſitate cogente, temporalis ad vtendum alteri conceſſio: quantum autem ad creditorem, ſeu recipientem; impignoratio eſt iuris alieni cum fructuum perceptione, et capitalis ſummae repetitione pernicioſa, damnabilisque (c) ad tempus retentio.

9. Item (d) quia plurimarum ciuitatum, villarum, ac poſſeſſionum, multorumque oppidorum, et praediorum metae, ac curſus metales fluuiorum, et aquarum fluuialium diſtinctione cinguntur, pariter et clauduntur, per huiusmodi autem fluuii inundationem, atque vehementiam, magnae ſoepenumero terrarum, pratorum, et ſyluarum particulae ſcinduntur, et ad partem alterius vicinae ciuitatis, aut oppidi, vel poſſeſſionis ſegregantur, et accedunt: Impetus enim, et vehementia fluminis de ſuo ſolito curſu, alueoque, et meatu in alium nouum meatum ſoepenumero vergi, dilabique ſolet: Vnde nonnulli putauerunt, et opinati ſunt eiuscemodi terras, prata, et ſiluas, quae ſcilicet ex ipſius aquae curſus, meatusque, ſeu aluei transmutatione in partem alterius vicinae ciuitatis, oppidique, vel poſſeſſionis ceciderint, et ſegregatae fuerint, ad eandem ciuitatem, aut oppidum, vel poſſeſſionem poſtea ſpectare, pertinereque debere; allegantes, et adſtruentes: metas ſuas, per curſum, meatumque, et alueum fluminis dirigi: quod tenendum non eſt. Nam hoc modo plurimae fraudes committi, et aquae, ſeu flumina per occulta canalia, (e) ac foſſata interdum ſatis exigua, vel aggerum poſitionem, et repleturam in eum, quem quis mallet locum, et alueum deflui, terraeque, et ſyluae, aut prata alterius facillime per hoc vſurpari poſſent. Sic itaque contraria opinio intelligenda eſt, quod ex quo fluuialis, ſeu fluminis, praeſertim vero nauigabilis prouentus magnae aeſtimationis cenſetur; Ideo quocunque aqua, ſeu fluuius labatur, et defluat, ciuitas, aut oppidum, vel poſſeſſio illa, de cuius territorio in alterius terram, ſeu territorium verget, aut diuertet, nunquam per hoc ſuis prouentibus, puta molendinis, vadis, vectigalibus, piſcaturis, aliisque vtilitatibus priuabitur: ſed quemadmodum prius, dum fluuius in ſuo vero, ſolitoque, et antiquo meatu currebat; ita etiam nunc, quum in alium nouum iam declinauerit, liberam, plenariamque ſuis prouentibus, et vtilitatibus fruendi, et vtendi habet facultatem. Verum tamen ſyluae, prataque, et terrae, ſolummodo illius erunt, cuius prius erant, et qui pacificum eorum dominium habebat. Hinc eſt, quod nonnulli aggeres, et repleturas pro defenſione terrarum ſuarum, et pratorum, aut ſyluarum in terris, et territoriis aliorum facere, tenereque permittuntur. Ne ſcilicet in propriis terris, et territoriis per aquarum inundationem, aut vehementiam damna patiantur. Per hoc tamen alienas huiusmodi terras pro ſe vendicare non intelliguntur. Simile eſt de molendinorum aggeribus, et repleturis ſuper decurſum illorum fluuiorum, quorum medietas vni, et altera alteri poſſeſſori, vel villae deſeruit, conſtructorum. Quarum

 finis

(a) Deſignatur hic Mathiae Decreti VI. art. 25. vi cuius bona, et pecuniam amittit huiusmodi foenerator.

(b) Alias 81.

(c) Impignorationem velut vſuram, Canonicae damnant Leges.

(d) Alias 87.

(e) Canalium dici obſeruauimus in Synodo Sardicenſi, quamuis alio ſenſu; id tamen verum manet, non ſolum canalem, ſed etiam canalium; vnde canalia, dici; ſicut etiam canaletum, ſeu paruus aquae ductus occurrit apud du Cange.

finis, licet in terris alterius adiaceat, adiacereque de iure permittatur, (dummodo huiusmodi repletura damnum apertum alteri parti afferre non videatur) tamen per hoc nec fluuius, nec terra alterius vſurpatur, ſed vero dominio ſuo ſemper reſeruatur.

10. Item (a) ſuper ſolutione dotum, et rerum paraphernalium id occurrit animaduertendum, quod quamquam dos (vnde dotalitium deſcendit) ac donatio, et paraphernum (b) longe differant, nos tamen confuſo vocabulo dotem, et donationem ſimul permiſcentes; dotalitium, vel ſolummodo dotem dicimus, quae vxori propter eius deflorationem, et concubitum de bonis mariti datur. Paraphernales autem dicimus omnia bona mobilia, quae mulieri, aut per maritum, aut parentes, vel fratres, ſiue etiam alios quoscunque tempore ſolennitatis nuptiarum, aut deſponſationis, vel ſubarrhationis eius dantur. Vnde ſciendum, quod e Regni noſtri veteri, approbataque conſuetudine, dotalitium eſt merces faeminarum legitime coniugatarum ob debitum matrimonii de bonis, et iuribus poſſeſſionariis maritorum iuxta ſtatus illorum exigentiam dari conſueta. Nam ſecundum ſtatus, et dignitatis maritorum praeeminentiam, ac bonorum, et iurium poſſeſſionariorum eorundem quantitatem variatur, ſitque ſolutio dotalitiorum: verbi gratia relicta Baronis plus conſequitur ratione dotalitii, quam relicta vnius Magnatis. Itidem relicta Nobilis centum, vel quinquaginta colonos poſſidentis, plus nomine dotis aſſequitur, quam alterius Nobilis, cui minor fuerit colonorum numerus. Si enim maritus officium Baronatus geſſerit, tunc mulier ipſa centum marcas: Si vero Magnas, vel Baro ſolo nomine fuerit, et officio Baronatus caruerit, aut inſignis Nobilis, vel Miles extiterit, et quinquaginta ſeſſiones Iobagionales populoſas, vel plures habuerit, relicta eius quinquaginta marcas pro dote ſua conſequitur: marcam quamlibet per quatuor flor. Hungaricales, aut 400. denarios praeſentis monetae computando. Relictae autem inferioris ſtatus, et conditionis Nobilium, de bonis, et iuribus maritorum poſſeſſionariis, ſecundum magis, et minus, iuxta ſcilicet bonorum quantitatem, aeſtimatione communi mediante (excluſis agris, ſyluisque, et pratis, ac aliis pertinentiis, ac prouentibus bonorum exterioribus) dotes ſuas rehabere poterunt; mortua vero muliere, qui ſibi in linea conſanguinitatis propinquior erit, dotalitium eius requirendi, ſibique vendicandi habet facultatem.

11. Notandum (c) tamen eſt, quod veſtes, et aliae quaelibet res cum ſponſa per parentes, vel fratres, aut alios quoſpiam tempore (vt praenotatum eſt) ſolennitatis nuptiarum, aut deſponſationis, vel ſubarrhationis eius datae (quas nos res paraphernales dicimus) mortuo marito ſine liberis eidem ſponſae, hoc eſt vxori (ſi quae ex illis reſtabunt) ſimul cum dote ſua ſaluae manebunt, reſtituique debebunt: Nec tempore diuiſionis aliarum rerum mobilium, huiusmodi res ſecum traditae diuiſioni ſubiacebunt. Imo ſi etiam liberos, filios videlicet, et filias habuerit, et ad ſecundas nuptias forſitan ſe mulier ipſa transtulerit, vel aliter cum eisdem liberis ſuis cohabitare noluerit, libere res illas pro ſe retinebit. Sponſa vero ſine liberis, et teſtamento defuncta, res ipſas parentes eius, vel fratres propinquiores, recuperare, ſibique vendicare poſſunt. Liberos tamen ſi poſt ſe reliquerit, ad illos deuoluentur. Res autem per ſponſum ſponſae, aut pro honore nuptiarum, aut pro ſubarrhatione traditae, decedente (antequam conuenirent) ſponſa, nunquam per ſponſum recuperari poterunt: Verum tamen poſt copulam carnalem, ſi ſine liberis, et inteſtata (nam teſtamentum ſuper illis facere poteſt) ab hoc ſeculo decederet; apud maritum manebunt.

12.

(a) Alias 93.
(b) Obſeruat du Cange vocem graecam eſſe, idemque valere, ac peculium. Deſumpta eſt haec conſtitutio ex lege, 8. Cod. de pactis conuent. *Hac lege decernimus.* Ea enim ſunt paraphernalia, quae extra dotem ſunt. (c) Alias 100.

Digitized by Google

12. Aduertendum (*a*) inſuper eſt, quod ſi mulier violata fide, qua marito ſuo tenetur, adulterium commiſerit, et in adulterio deprehenſa, diuortium tandem ſubſecutum fuerit, perdit ipſa dotem ſuam, ſed non res Paraphernales, hoc eſt, res ſecum tempore nuptiarum per parentes, aut fratres, vel virum ſuum, ſiue etiam alios quospiam datas, vel etiam per virum ſuum traditas; verum ſi poſt adulterium maritus mores eius ſcienter approbauerit, cum ipſa cohabitando, et concumbendo; tunc etiam dotem ſuam recuperabit, et poſtea neque necem illi propter adulterium (ſi etiam ſecundo peccauerit) maritus inferre valebit: quam prima fronte, vbi ſcilicet ad notitiam eius adulterium deuenit, libere, iureque inferendi (*b*) habet facultatem. Vbi autem ipſa mulier ob huiusmodi adulterium iuridice extremo ſupplicio mulctata fuerit, fratres eius ſolummodo res paraphernales, et non dotalitium eius recuperare poterunt. Et hoc, ſi liberos non habuerit, aut teſtamentum de illis non fecerit: Nam hoc modo ad liberos ſuos deuoluentur, vel teſtamentariis ipſis cedent.

13. Item (*c*) ſi inter virum, et vxorem propter conſanguinitatem, vel affinitatem ignoratam diuortium factum fuerit; tunc foemina tam dotem, quam res Paraphernales a viro rehabebit. Soboles etiam ipſorum (ſtante coniugio procreatae) in bonis, et iuribus vtrorumque parentum poſſeſſionariis iure ſucceſſorio permanebunt. Per hoc tamen non eſt intelligendum, quod vterque ſexus aeque ſuccederet: ſed ſi bona ipſa iuri ſolummodo maſculino deſeruiunt, ad filios duntaxat ſpectabunt: Si vero vtrumque ſexum ſequuntur, tunc filii, et filiae aequaliter ſuccedunt. Attamen ſi ſcienter, et contra prohibitionem fratrum, vel eis ſuccedere debentium, matrimonium contractum, et tandem diuortium ſecutum, vel non ſecutum fuerit; ſoboles durante matrimonio generatae in bonis, et iuribus poſſeſſionariis eorum parentum ſuccedere non poſſunt, ſed ad fratres generationales, vel alios ſuccedere debentes eo facto deuoluuntur. Quas etiam ſi Papa legitimaret (*d*) tamen ad ſucceſſionem bonorum (quae ad fratres generationales, illis non exiſtentibus, Regiam Maieſtatem reſpiciunt) ipſa legitimatio locum non haberet: Mulier praeterea dote ſua carebit: Res Paraphernales ſolummodo ſuas a marito ſuo rehabe revalebit.

14. Scientia (*e*) autem coniugum apparebit ex hoc; ſi matrimonium illud reclamantibus, et contradicentibus fratribus, vel aliis, ad quos ſucceſſio ſpectat, aut in tali propinquo gradu conſanguinitatis fuerit contractum, quod eorum vtrisque notoria fuiſſet. Conſanguinitas enim ſecundum Sacros Canones, et Regni quoque noſtri legem, vſque ad quartum gradum incluſiue connubium prohibet, atque vetat.

15. Inde (*f*) ſequitur, quod ignorantia in hac parte legitimas, ſcientia vero illegitimas ad ſucceſſionem bonorum immobilium vtrorumque parentum proles generat, atque producit, et illegitimas proles, quantum ad ſucceſſionem praedictam. Neque Summus (vt praefertur) Pontifex,

 neque

(*a*) Alias 105.

An adulterae coedes licita?

(*b*) In hac Lege obſeruandum, dici: *prima fronte*, id eſt illico in lecto deprehenſae, iuſto dolore iram acuente, et moras non terente mortem inferri poſſe. In lege Baiuuariorum, ſeu Dagoberti Regis capitulari tertio, titulo VII. cap. 2. ſtatuitur de adultero: *ſi in lecto cum illa interfectus fuerit, pro ipſa compoſitione, quam ſoluere debuit marito eius, iaceat in ſuo ſcelere ſine vindicta.* Non vindicatur itaque hoc factum, iudicio tamen Dei reſeruatur, ac ideo Decretorum S. Ladiſlai Lib. 1. Caput 13. eo remittit interfectorem, *ſiquis uxorem cum altero viro adulterantem necauerit, Deo de ſe rationem reddat.* Non videtur tamen hac noſtra lege aliud marito concedi, quam ut prima fronte, ubi ad notitiam eius deuenit vxoris crimen, eam accuſare, et vindictam Iudicis expoſcere valeat; et hinc dicitur: iure inferendi habeat facultatem; paulo enim poſt ait haec Lex noſtra: *Ubi autem ipſa mulier ob huiusmodi adulterium iuridice extremo ſupplicio affecta fuerit.* Iure ergo inferre mortem ſignificat, accuſare, et mortem depoſcere, poſt moram enim non licebit accuſare uxorem.

(*c*) Alias 106.

(*d*) Summi Pontifices neque ſolent ordinarie, et directe legitimare in ordine ad effectus ciuiles, id eſt ſucceſſionem; hinc dicitur cap. *Per venerabilem* 13. titulo qui filii ſint legitimi, *non ſolum in Eccleſiae Patrimonio, ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem, verum etiam in aliis Regionibus, certis cauſis inſpectis, temporalem iurisdictionem caſualiter exercemus.*

(*e*) Alias 107.

(*f*) Alias 108.

neque etiam noſter Princeps in praeiudicium. et contra voluntatem filiorum legitimorum, et aliorum de iure ſuccedentium legitimare poteſt: niſi in caſu, quo filiis, aut fratribus non exiſtentibus, ſucceſſio directe ad Principem noſtrum ſpectaret. Nam in hoc caſu cuicunque, et qualitercunque voluerit ipſe Princeps, liberam ſuper illis bonis, et iuribus poſſeſſionariis, diſponendi habet facultatem.

16. Hinc (*a*) eſt etiam, quod orphani durante pupillari eorum aetate, ſolummodo per productionem, et oſtenſionem litterarum reuiſionalium (*b*) ab omni cauſa, et lite tempore pupillaris aetatis ipſorum, contra eos mota liberantur. Nec coguntur ad inſtantiam alicuius in proceſſu cuiuſuis cauſae, vel litis, ſiue ratione Iurium poſſeſſionariorum, aut dotalitiorum, vel quartalitiorum, ſiue actuum potentiariorum, vel damnorum, aut etiam aliorum quorumcunque negotiorum, aduerſus eos in ipſa pupillari, ſeu illegitima eorum aetate ſubortae, et ſuſcitatae (demptis tamen cauſis tempore patris ipſorum inchoatis) infra tempus legitimae aetatis eorum reſpondere. Verumtamen ſi occaſione Iurium poſſeſſionariorum ſtante adhuc, et durante pupillari, et illegitima ipſa aetate, cauſa aliqua per longum litis proceſſum terminari ſolita contra pupillos exorietur, tunc tenebit quidem proceſſus vſque ad reſponſionis terminum, ſed in ipſo reſponſionis termino virtute Litterarum reuiſionalium pupillaris, vel illegitima aetas orphanorum allegari, et cauſa ipſa per hoc ad primum annum legitimae aetatis, hoc eſt ad duodecimum annum orphanorum integram, quando videlicet iam primo Procuratores conſtituere incipient, prorogari, differrique debebit. Nam aliter, ſi prius reſpondere cogerentur, vel etiam ex imperitia ſponte reſponderent, talis reſponſio non tenebit, ſed ſimpliciter, et de plano retractari valebit.

17. Quoniam (*c*) autem ad nonnullorum negotiorum expeditionem perneceſſaria eſt bonorum aeſtimatio, ideo ſeries, ac modus eius hic merito ſubnecti debet. Vnde notandum eſt, quod iuxta veterem, et approbatam huius Regni noſtri conſuetudinem, aeſtimatio dicitur bonorum mobilium, et immobilium competentis valoris limitata quaedam, ac ſtatuta taxatio. Vel aliter: aeſtimatio eſt rei mobilis, et immobilis ſecundum ſui aequiualentiam, vel valorem taxata quaedam limitatio. Et duplex eſt aeſtimatio, ſcilicet perennalis, et communis; aeſtimatio perennalis, quae in iuribus duntaxat poſſeſſionariis, et non rebus mobilibus fieri ſolet, decies tantum facit, quantum communis; In aeſtimatione namque communi vna ſeſſio Iobagionalis populoſa pro vna marca, ſeu ad vnam marcam quatuor florenos facientem: In perennali vero aeſtimatione ad decem marcas, quadraginta florenos continentes computatur. Quae perennalis aeſtimatio paucis in rebus, ac cauſis committitur, ſed vniuerſus fere coetus Dominorum Praelatorum, ac Baronum, Magnatumque, et Nobilium, aeſtimatione communi (vt plurimum) vtitur; niſi enim in faſſionibus, vel obligaminibus quorumpiam aeſtimatio perennalis claro ſermone declarata, aut in conſtitutionibus Regni publicis expreſſa fuerit, eius vſus raro admittitur. Cuius quidem aeſtimationis ſeries hoc modo ſequitur: Caſtrum lapideum aeſtimatur ad marcas centum. Item monaſterium (*d*) ſiue clauſtrum ſepulturam Patronorum, et aliorum ſpecialium Nobilium habens, aeſtimatur ad marcas 100. Eccleſia cum duobus pinnaculis, ad modum monaſterii fundata

(*a*) Alias 129.

(*b*) In gratiam extraneorum, qui haec noſtra legere dignabuntur, adnotare debemus; orphanos huiusmodi ad Capitula, et Conuentus adferri, ubi inſpectis eorum vultibus, auditisque Parente alterutro ſuperſtite, et conſanguineis, teſtimonium ſuper probabili eorum aetate dari ſolet; quae litterae teſtimoniales *reuiſionalium* nomen ſortitae ſunt.

(*c*) Alias 133.

(*d*) Nimia aſſueti ſunt noſtratum plurimi, antiquis verbis moderni aeui ſenſum et vim imprimere, vnde multi genuinum legum noſtrarum ſenſum non aſſequuntur; dum monaſterium itaque legis, id intellige, quod nunc cryptam appellamus, oſtendit enim du Cange hac voce: *monaſteria* appellari capellas, ſeu ſacella circa Baſilicam aedificata, in quibus defunctorum corpora ſepeliebantur, quum ea intra baſilicas ſepelire non liceret, citat in hanc rem Agnellum in vita S. Maximi, qui Monaſteria quae?

data aeſtimatur ad marcas 50. Eccleſia cum duabus turribus, ſeu duobus pinnaculis, non penes monaſterium exiſtens, vel non per modum monaſterii fundata, ad marcas 25. Omnes aliae Eccleſiae matronae (*a*) cum vna turri pulturam habentes aeſtimantur ad marcas 15. ſine turri autem conſtructae, tamen cum ſepultura ad M. 10. Capella lignea, ſeu ſacellum non lapideum, ſepulturam tamen continens ad mareas 5. abſque ſepultura vero ad marcas 3. Eccleſiae autem. et Capellae extra Matronam Eccleſiam fundatae non ponuntur in ſerie aeſtimationis.

ait. *Ad latera vero ipſius Baſilicae monaſteria parva ſubiunxit, quae omnia* etc. et recte appellantur ſepulturae *monaſteria*, erant enim, teſte S. Paulino *in cellulas diſtinctae*; a cellulis etiam monaſteria dicta fuiſſe planum eſt, ideo enim Iſidoro referente *vnius monachi cella monaſterium dici poteſt*. Lex noſtra id ipſum confirmat, dum ait monaſterium, ſiue *clauſtrum ſepulturam habens*, et rurſus dum ait: Eccleſia ad modum monaſterii fundata. Dein ſimpliciter ſepulturam habentes Eccleſias diſtinguit, vbi nimirum in terram defodiebantur cadauera.

(*a*) Id eſt Matrices; libet huc tranſcribere ex du Cange verba Math. Paris. *Cathedralis Eccleſia B. Petri in Colonia, quae eſt omnium Eccleſiarum, quae ſunt in Alemannia, quaſi Mater, et Matrona.* Conſtat porro ſolas Matrices ſepulturae ius habuiſſe. Hac itaque lege non Eccleſiae aeſtimabantur, ſed ius ſepulcri, et Patronatus; nihilque vulgatius in veteribus diuiſionalibus, quam diuiſio iuris Patronatus. Matronae Eccleſiae

PARTIS SECVNDAE

1. Quaeſtio (*a*) occurrit pertractanda: vtrum Princeps per ſe poſſit condere leges, ac ſtatuta, an opus ſit, vt populi quoque accedat conſenſus? Vnde aduertendum, quod quamuis olim populus iſte Hungarorum, dum adhuc ritu viueret gentilium, et non Regem, ſed Ducem, ac Capitaneos haberet directores, omnis poteſtas condendae legis, et conſtitutionis apud eos (*b*) fuerit; verum poſteaquam ad fidem Catholicam ſunt conuerſi, et Regem ſponte ſibi ipſis elegerunt; tam condendae legis, quam etiam cuiuslibet poſſeſſionariae collationis, atque omnis Iudiciariae poteſtatis facultas, in iurisdictionem Sacrae Regni huius coronae, qua cuncti Reges Hungariae coronari ſolent, et ſubſequenter Principem, ac Regem noſtrum legitime conſtitutum, ſimul cum imperio, et regimine translata eſt. Et ſic poſtea Reges ipſi convocato, interrogatoque populo, conſtitutiones facere coeperunt: prout et temporibus noſtris fieri conſueuit. Attamen Princeps proprio motu, et abſolute, potiſſimum ſuper rebus iuri Diuino, et naturali praeiudicantibus, atque etiam vetuſtae libertati totius Hungaricae gentis derogantibus, conſtitutiones facere non poteſt, ſed accerſito, interrogatoque populo: *ſi eis tales leges placeant, an ne?* qui quum reſponderint, quod ſic, tales poſtea ſanctiones (ſalno ſemper Diuino, naturalique iure) pro legibus obſeruantur. Plerumque autem et populus ipſe nonnulla, quae ad publicum bonum conducere arbitratur, vnanimi conſenſu decernit, in ſcriptisque Principi porrigit, ſupplicans ſuper illis leges ſibi ſtatui. Et ſi princeps ipſe eiuscemodi ſanctiones acceptauerit, et approbauerit, tunc vim legis pari modo ſortiuntur, et de facto pro legibus reputantur. Quae tamen omnia, ſpecialiter Principis, (*c*) et non populi ſtatuta nuncupantur; eo quod niſi utroque modo Principis accederet conſenſus, et confirmatio, nullius cenſeretur firmitatis ipſa conſtitutio. Verum generali nomine conſtitutiones ipſae, ſoepenumero Regni Decreta vocitantur.

2. Nomine (*d*) autem, et appellatione populi hoc in loco intellige, ſolummodo Dominos Praelatos, Barones, et alios Magnates, atque quoslibet Nobiles, ſed non ignobiles. Licet autem iſte terminus: *Populus* includat omnes Nobiles, et ignobiles

(*a*) Alias 3.

(*b*) Si Anonymo Belae Notario credimus, iam tunc quoque eadem, atque nunc viget, erat condendarum legum ratio, cuius verba alibi recitauimus. Teſtimonium perhibet locus ipſe a conſtituto ſub Arpad Duce legum ordine nomen nactus *Szer*, quod ordinem notat. De loco, ubi ſub Arpad leges ordinatae ſunt, inquit Cl. Katona in hiſt. critica Ducum p. 151. *A* Szer, *quod veteres exprimebant* Zeer, *Zeer - Monoſtra dicebatur; eodem Monaſterio ſubinde temporum iniuriis exciſo, nunc locus idem* Puszta szer *dictus*.

(*c*) Hinc Synodi noſtrae Regiae, huius, vel illius Regis Decretum, edictum vocantur.

(*d*) Alias 4.

les pariter, de ignobilibus tamen (qui *plebis* nomine intelliguntur) in hac parte nihil eſt ad propoſitum. Populus enim eo differt a plebe, quo genus a ſpecie. Nam appellatione populi vniuerſi Nobiles tam Magnates, quam inferiores, etiam ignobilibus computatis, ſignificantur; plebis autem nominatione ſoli ignobiles intelliguntur.

3. Quia (*a*) omnia Priuilegia ſigillis roborari, communirique ſolent; ideo ſuper ſigillis quoque in hac parte aliquid dicendum conuenit. Vbi ſciendum, quod ſigillum eſt notorium ſignum auro, vel alteri metallo, vel cerae impreſſum, corroborans omne factum. Et duplex eſt ſigillum, ſcilicet authenticum, et non authenticum. Authenticum dicitur, quaſi authoritatem tenens, cui credi debeat, et eſt proprie Principum, ac ordinariorum Iudicum regni, nec non Capitulorum, et Conuentuum. Et huiusmodi ſigillum authenticum literis appoſitum confirmat omne factum in ipſis literis expreſſum, atque declaratum. Habent praeterea etiam ciuitates, et oppida ſigilla authentica, per Reges, et Principes ipſis conceſſa: quae in factis, et rebus coram eis, et in medio eorum vertentibus, ac emergendis, robur ſortiuntur firmitatis. Non authentica vero ſunt priuatarum perſonarum ſigilla: et talia nihil perpetuitatis ſub ſe continere poſſunt. Quorum multa ſunt genera: alia enim ſunt Dominorum Praelatorum, nec non Comitum perpetuorum, et aliorum Baronum, officia Baronatuum pro honore tenentium; et alia ab eisdem Baronibus propagatorum: alia vero Nobilium, et Procerum Regni veris, et peculiaribus armorum inſignibus exſculpta, et effigiata. Sciendum tamen, quod Praelati, ut Archiepiſcopi, et Epiſcopi, nec non Prior Auranae, ac Comites liberi, et perpetui Regni; etiam Raſciae Deſpotus, per literas eorum proprias, et notoriis ſigillis ipſorum roboratas Procuratores (*b*) conſtituendi facultatem habent; ceteri autem Barones, et Magnates, atque Nobiles, coram ipſis Iudicibus Regni ordinariis, ac in locis teſtimonialibus, Capitulis ſcilicet, et Conuentibus, et Procuratores conſtituere, et alias faſſiones (ut verbo domeſtico utar) facere tenentur. Iudices ſiquidem Regni ordinarii, ac ipſa loca teſtimonialia, ſigilla authentica habentes, et habentia; ſub eorum ſigillis tam Procuratores conſtituendi, quametiam cunctas alias faſſiones (rite tamen, et legitime) faciendi habent authoritatem.

4. Aduertendum (*c*) praeterea eſt, quod euocationes, nec non bonorum, ac Iurium poſſeſſionariorum ſtatutiones, reſtatutiones, metales reambulationes, admonitiones, et aliae quaelibet Iudiciariae executiones, per hominem Regium, aut Palatinalem cum teſtimonio illius Capituli, vel Conuentus, quod, vel qui in ipſo Comitatu, ubi executio fit, habetur: Si autem neutrum eorum habetur, tunc cum teſtimonio alterius loci ſibi vicinioris, fieri ſemper, et peragi debent. Aliter enim condeſcendet cauſa; per actorem (ſi voluerit) de nouo inchoanda, et reſuſcitanda. Demptis teſtimoniis Capitulorum Albenſis, Budenſis, et Boſnenſis Eccleſiarum, atque Conuentus Cruciferorum de Alba: qui in quibuscunque executionibus, per totum Regnum Hungariae, et partes ſibi ſubiectas, procedendi habent authoritatem. Simplices autem inquiſitiones ſuper actibus potentiariis, etiam per aliorum Capitulorum, et Conuentuum propinquiorum teſtimonia, ubilibet exequi poſſunt.

5. Neceſſarium (*d*) eſt quemlibet teſtium antequam fateatur, ſuper eo iuramentum deponere: quod ipſe omni timore-

(*a*) Alias 13.

(*b*) Noſtrates monitos volo, quemadmodum apud alias quoque gentes, nullum inter Procuratorem, et Plenipotentiarum diſcriminis intercedit, ita apud nos quoque obtinuiſſe, quod formulae antiquae docent. Quare neſcio, an lege hac nominati ad ſolam *Procuratoriam* (domeſtica phraſi utor) conſtitutionem reſtringi valeant; illis prorſus notarum in corpus Iuris factarum fabricatoris arbitraria eſt animaduerſio: „*ſcilicet Comites Poſonienſis, Temeſienſis, et non alii*„ legem enim ample ſonantem, et quosvis Comites liberos perpetuos complectentem latius, ac ipſe vellet, patere uſus docet quotidianus.

(*c*) Alias 21.

(*d*) Alias 28.

re, odio, fauore, et amore, ac praemio litigantium remoto, ac poſtpoſito, veritatem non celabit, falſitatem non iuſtificabit, iuſtitiam non falſificabit, ſed prout res illa, de qua examinabitur, ſibi nota eſt, vel conſtat, iuſte declarabit.

6. Vnde (*a*) iuſto Dei, et humano iudicio quilibet fidefragus, et periurus (quem nos communi vocabulo *Aucarium* hoc eſt: *Ludas* appellamus) acriter eſt puniendus. Amittit enim (ubi de periurio fuerit conuictus) vniuerſa, et quaelibet iura ſua poſſeſſionaria, atque cuncta bona mobilia, ubilibet adiacentia, et quocunque nomine nuncupata. Imo proprietate honorum ſuorum priuabitur, et perpetuo carebit. Et non ſolum his exhaereditabitur, ſed etiam in perſona ſua (amiſſo humanitatis honore) tanta ignominia afficietur, ut inter alios Chriſticolas tanquam ab humanitate relegatus, atque ſegregatus, diſparibus veſtibus indutus, zona canabea ſuccinctus, diſcalceatis pedibus, et nudato capite ſemper incedere cogatur. In iudicio vero ipſe contra neminem, aduerſus autem eum quilibet agendi habebit auctoritatem. Et hoc intellige reſpectu iurisdictionis ſacrae coronae Regni, et contra Principem noſtrum fieri. Nam aduerſus actorem ſolummodo in homagio, et emenda capitis ſui ducentos florenos faciente periurus, et fidefragus ſolet condemnari. Vbi ſciendum, quod periurium duobus modis committi intelligitur. Primo modo dicitur, transgreſſio liciti iuramenti, quando videlicet quispiam promittit aliquid alteri fide mediante ſe daturum, vel hoc, et id facturum, et deinde promiſſionem huiusmodi transgreditur. Et hoc caſu praemiſſa infamia, et bonorum amiſſio non ſemper ſequitur. Nam per validam aegritudinem, ac viarum diſcrimina, et temporum diſturbia, promittens ipſe ſoepenumero ſuper his excuſatur. Nihilominus tamen promiſſum adimplere, et obſeruare compellitur. Secundo modo periurium dicitur: mendacium iuramento firmatum, in fraudem, et periclitationem iurium cuiuspiam malitioſe commiſſum. Et hoc modo paena *aucariorum* praedeclarata ſemper decernitur, atque pronunciatur.

7. Sciendum (*b*) eſt autem, quod quilibet Praelatus, et Baro ex officio, Abbasque, et Praepoſitus infulatus, et annulatus pro decem perſonis nobilibus, ratione ſuae dignitatis habet iurandi poteſtatem. Praelatus autem, et Abbas, ac Praepoſitus in Eccleſia ſua Cathedrali *ad conſcientiae ſuae puritatem* coram teſtimonio alicuius Capituli, vel Conuentus per Iudicem ad id deputandi: ceteri autem ſui coniuratores, et item omnes Barones, atque Nobiles *ad fidem eorum Deo debitam*, in loco ad id per Iudicem deputato ſacramenta praeſtare tenentur. Et proinde etiam homagia ipſorum Dominorum Praelatorum, et Baronum, ac Abbatum, et Praepoſitorum infulatorum ad centum marcas, quadringentos florenos facientes, ſe extendunt.

8. Sciendum (*c*) ulterius, quod tres ſunt caſus, in quibus etiam contra Spirituales, et Eccleſiaſticas perſonas capitalis ſententia pronunciatur: per quam, vltra amiſſionem patrimoniorum, et beneficiorum ipſorum, capitalis poena decernitur, atque ſequitur. Primus caſus, ſi quis eorum crimen laeſae Maieſtatis commiſerit. Secundus, ſi notam infidelitatis manifeſtam incurrerit. Tertius, ſi quis ipſorum voluntarium, et deliberatum homicidium, ac latrocinium patrauerit, aut patrari fecerit. Propter quod praehabita degradatione (*d*) capite plecti debebit. In quibus quidem caſibus licet bona Eccleſiarum, quibus praeſunt, non amittant, tamen priuata, ac ſeparata patrimonia, et iura poſſeſſionaria, ſi quae habent, inſuper cuncta beneficia Eccleſiaſtica, quae poſſident, perdere, et amittere ſolent; ſed in ter-

(*a*) Alias 30.
(*b*) Alias 40.
(*c*) Alias 44.
(*d*) Superfluum foret lectorem monere nobis, degradationem idem eſſe, ac depoſitionem; monendus tamen nobis eſt, ut Sacerdotii, et Imperii concurſum obſervet, quomodo nimirum talia Eccleſiaſtica Iurisdictione, publicae propicia tur ſaluti.

in tertio caſu, deliberato ſcilicet homicidio, ac latrocinio, patrimoniorum proprietatem, et haereditatem non amittunt, ſi fratres habuerint conditionales, ad quos illa iure ſucceſſorio ſpectant: quoniam caput in hac parte capite compenſari ſufficit. In ceteris autem cauſis, et caſibus perſona Spiritualis, et Eccleſiaſtica contra Secularem, et e conuerſo Secularis aduerſus Spiritualem aequali paenae, et grauamini ſubiacet; emendae ſcilicet capitis, vel homagii, atque damnorum illatorum refuſioni. De quibus Iudex actori, et damnum paſſo (iuxta modum ſuperius praedeclaratum) ſatisfactionem impendere tenetur. Et haec conſuetudo ex generali maxime decreto Sereniſſimi Principis condam Domini Alberti (*a*) Romanorum, et Hungariae Regis, Auſtriaeque Ducis excerpta eſt, atque proceſſit: Quae etiam in generali moderno (*b*) Decreto noſtro roborata habetur, et confirmata.

9. Item (*c*) ſi perſona Spiritualis eniuscunque ſtatus, et dignitatis exiſtat, ad ſolutionem, et reſtitutionem aliquorum debitorum aggrauata fuerit; tunc aduerſario ſuo pecuniaria ſolutione ſatisfacere tenetur. Et ſi noluerit, aut non poterit, tunc de bonis Eccleſiae per Iudicem aduerſario ipſi (infra illius ſpatium temporis, quo de prouentibus ipſorum bonorum debita recuperari poterunt) ſtatuendis, et occupandis ſolutio, ac ſatisfactio eſt impendenda. Pecuniaria autem appellatione, intelligitur hoc in loco quodlibet aurum, et argentum, ac omnis moneta pro tempore currens. Vbi vero ad ſolutionem, et refuſionem damnorum illatorum condemnatus extiterit; iſto caſu poterit (ſi voluerit) rebus cum mobilibus, et venalibus, iuxta tamen verum valorem huiusmodi rerum, aduerſario ſuo ſatisfactionem impendere. Alioquin de bonis, ac iuribus poſſeſſionariis Eccleſiae in hac quoque parte, Iudex cauſae, aduerſario illius perſonae conuictae, ſtatutione debita ſatisfacere tenetur.

10. Item (*d*) Si Capitulum, vel Conuentus collectiuo nomine pro actibus potentiariis maioribus, vel minoribus, quocunque ſententiarum genere condemnatur, tanquam unica, et ſingularis perſona grauatur, et non ſinguli ſingulariter debent condemnari, exceptis praemiſſis caſibus, homicidii videlicet voluntarii, et deliberati, ac criminis laeſae Maieſtatis, et notae infidelitatis, pro quibus omnes delinquentes (modo antelato) ſunt puniendi. Verum, ſi certae perſonae Capitulares, et non tota communitas aliquos actus potentiarios de bonis Eccleſiarum perpetrauerint, tunc ipſae perſonae ſeorſim a communitate, ex eo loco, vbi talia mala commiſerunt, ad iudicium libere poterunt euocari, praeſertim ſi patrimonia non habuerint priuata. Et quamuis ea habuerint, nihilominus de loco praenotato citari, et euocari queunt, ac iuxta cauſae meritum ſententia contra eos per Iudicem ferri poterit, atque pronunciari.

11. Item (*e*) ſi una perſona Capitularis bona haereditaria, et patrimonia ſeparata non habens, in emenda ſui capitis conuincetur, vel in refuſione damni condemnabitur, et rebus mobilibus deſtitutus reperietur: Quaeritur unde, et qualiter aduerſario ſatisfactio fiat? quia non de commiſſione Capituli mala ipſa patrauit, et ex conſequenti bona Capituli propterea non videntur eſſe diripienda. Dicendum, quod quia mala ipſa, et facinora, unde videlicet emenda capitis, vel damnorum refuſio ſubſecuta eſt, de medio, et tanquam de membro ipſius Capituli, illa patrauit: quae perpetrare aut non potuiſſet, aut locum patrandi non habuiſſet, ſi in huiuſcemodi beneficio conſtitutus non fuiſſet; Ideo de prouentibus beneficii eiusdem Capitularis conuicti, per reliquos Capitulares Actori ſu-

(*a*) Videlicet Decreti eiusdem Regis art. 38.
(*b*) Vladiſlai Decreti VII. articulo 32.
(*c*) Alias 45.
(*d*) Alias 46.
(*e*) Alias 47.

Digitized by Google

ſuper eisdem rebus obtentis ſatisfactio eſt impendenda.

12. Item (*a*) uniuerſi officiales Eccleſiaſticarum perſonarum, ſiue ſint ſpirituales, ſiue ſeculares, occaſione quorumcunque actuum potentiariorum, ſi quos de officiolatibus eorum commiſerint, vel perpetrauerint, de eisdem officiolatibus ipſorum, inſtar aliorum Regni nobilium, et officialium libere ſemper iure conueniri, atque ad iudicium citari, et euocari poſſunt. Et ſi in iudicio conuicti fuerint, de dictis officiolatibus eorum tam aduerſario, quam etiam Iudici ipſorum ſatisfactio adminiſtrabitur. Domini autem illorum (ſi talia non commiſſione eorum fuerint illata, vel irrogata) poterunt ipſos officiales ad debitam emendam, et ſatisfactionem, etiam cum detentione perſonarum ſuarum compellere. Prout hoc de officialibus habetur etiam in Decreto primo moderni Domini noſtri Vladislai Regis, articulo vigeſimo quarto.

13. Item (*b*) ſi Praelatus cum ſuo Capitulo, vel Conuentu fuerit ad iudicium ſimul euocatus, tunc ſi Praelatus, et Capitulum, vel Conuentus in illis iuribus poſſeſſionariis, de quibus actus eiuscemodi potentiarii, aut alia malorum genera commiſſa, vel patrata fuiſſe dicuntur, et quaeruntur, indiuiſi fuerint comperti, Praelatus in hoc caſu non ſeparatim a ſuo Capitulo, vel Conuentu, ſed ſimul cum eisdem aut abſolui, aut condemnari debet. Quoniam ratione indiuiſionis cum ſuo Capitulo, vel Conuentu vna communitas eſſe cenſetur. Si tamen de diviſis inter eos iuribus poſſeſſionariis mala ipſa ſuborta, perpetrataque fuiſſe comperientur, tunc Praelatus, aut Capitulum, vel Conuentus ſeparatim, et ſeorſim condemnatur. Hinc eſt, quod ſi Praelatus cum ſuo Capitulo, vel Conuentu ſimul euocabitur, tunc ratione diuiſionis, vel non diuiſionis, etiam iuramentum illis diuerſimode praeſtandum adiudicatur. Nam ſi modo antelato Praelatus cum ſuo Capitulo, vel Conuentu indiuiſus fuerit, tunc ipſe Praelatus cum ſuis coniuratoribus tam in ſua, quam etiam totius Capituli, vel Conuentus perſonis, ſacramentum praeſtare debebit; ſi vero diuiſus extiterit, tunc tam idem Praelatus cum ſuis, quam etiam Lector, aut Cantor, ſiue Cuſtos, vel Decanus in perſona ipſius Capituli, vel Conuentus iterum cum ſuis coniuratoribus, iuxta deliberationem, et ſententiam Iudicis ſeorſim, et ſeparatim iuramenta eorum deponere tenentur. Et per Praelatos intellige non ſolum Dominos Archiepiſcopos, et Epiſcopos; ſed etiam Abbates, aut Praepoſitos tam Seculares, quam Regulares omnes.

14. Item (*c*) Praelati Eccleſiarum a ſuis fratribus, Capitulo videlicet, vel Conuentu diuiſi, a die electionis eorum priuilegio pupillari gaudent. Quibus de vetuſta Regni lege, et approbata conſuetudine permiſſum eſt, et conceſſum, quod etiam in cauſis tempore patris eorum inchoatis, infra unius anni integri ſpatium, ad cuiuſuis inſtantiam reſpondere non teneantur: vt interim iura paterna, et literalia inſtrumenta reuidere, calculareque, et deinde proſecutioni cauſarum ſuarum commode ſuperintendere poſſint. Hoc tamen intellige in facto iurium poſſeſſionariorum, et exhibitionis literalium inſtrumentorum fieri. Nam in ceteris cauſis praetextu actuum potentiariorum motis, in quibus productio literarum ſubſequi non debet, haec conceſſio minime ſuffragatur, quae praemiſſo modo, et in praemiſſis caſibus, et cauſis etiam legitimae aetatis, hoc eſt aetatem quatuordecim, iuxta modernorum vero conſuetudinem, duodecim integrorum annorum habentibus, a Principe ſemper concedi, et in Iudiciis obſeruari ſolet. Si tamen fuerint indiuiſi; tunc huiusmodi permiſſio, et libertatis praerogatiua illis patrocinari non poteſt. Nam Capitula, vel Conuentus priuilegio maiorum gaudent, et aetatem perfectam, hoc eſt viginti quatuor anno-

(*a*) Alias 48.
(*b*) Alias 49.
(*c*) Alias 50.

Digitized by Google

annorum integrorum ſemper repraeſentant, quibus haec prorogationis libertas non competit obſeruari. Abſurdum enim videtur, vt poſt electionem cuiuslibet Abbatis, vel Praepoſiti, aut Lectoris, Cuſtodis, Cantorisque, vel Canonici cauſa dudum mota, vſque ad anni integri reuolutionem ſemper in ſuſpenſo relinqueretur, et ſic indeciſa per aliquot annos penderet, concluſioneque ſua fraudaretur.

15. Vlterius (*a*) ſi de bonis, et iuribus poſſeſſionariis cuiuspiam Praelati, aut Abbatis, vel Praepoſiti, actus potentiarii, vel malorum genera patrarentur, atque committerentur; et talis Praelatus, aut Abbas, vel Praepoſitus, quamdiu in humanis ageret, propterea in curiam Regiam non euocaretur, vel aliter in cauſam quomodolibet non attraheretur, tunc decedente eo, ſucceſſor ſuus ratione huiusmodi actuum potentiariorum, quantum in perſona ſua condemnari, et aggrauari non poterit: ſed ſolummodo ex parte Iobagionum ac familiarium (*b*) illius Eccleſiae, per quos mala illa perpetrata fuiſſe dignoſcuntur, Iudicium, et iuſtitiam Actori facere, et impendere tenetur. Quoniam bona, et iura poſſeſſionaria Eccleſiarum (ſicuti praenarratum eſt), nemo Praelatorum, aut Abbatum, vel Praepoſitorum, ſeu etiam aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum propter ſuos exceſſus amittere, et ab ipſa Eccleſia alienare poteſt. Sed ſi quispiam illorum in emendae capitis ſententia conuictus fuerit, tunc ſolummodo de homagio, et damnis illatis ſatisfacere (modo praedeclarato) debet. Succeſſor itaque ſuus, qui non haereditario iure, ſed via electionis ſucceſſit, emendam capitis illius praedeceſſoris ſui (ex quo euocatus non fuit) ſubire, compenſareque non tenetur. Prout etiam filii ob delicta paterna, facta prius euocatione, ſententiarum capitalium, vel emendae capitis grauamine, quantum ad poenam non ſubiacent, ſed ſi conuicti fuerint, ſolummodo in aeſtimatione iurium paternorum conuincentur. Et hoc, ſi patres eorum in humanis agentes euocati fuerint; aliter enim, ſi poſt obitum parentum euocatio ſubſequetur, non iam delictum patris, quia iura poſſeſſionaria forſitan occupauerat, vel res, et bona mobilia alterius diripuerat; ſed filiorum, qui male occupata, vel res direptas detinent, compenſari, metirique ſolet. Si igitur in facto occupationis bonorum cauſa mota fuerit, quia forte Eccleſia bona illa habet, et poſſidet, etiam decedente quolibet Praelato, aut Abbate, vel Praepoſito, Succeſſor ſuus in hoc caſu ſemper euocari, et condemnari poteſt. Et hoc idem eſt intelligendum etiam de illis Eccleſiarum Praelatis, qui per translationem in alterius Eccleſiae beneficium, vel dominium ſe conferunt moraturos.

16. Item (*c*) quod nulla cauſa factum iuris poſſeſſionarii concernens, ſi etiam promiſſio, vel teſtamentum occaſione talis iuris poſſeſſionarii interveniſſet, coram ipſis Spiritualibus perſonis, vel eorum vices gerentibus tractari poterit, ſed omnis eiuscemodi cauſa in curia Regia coram Iudicibus eiusdem ordinariis ſolet examinari, pariter et terminari. Quidquid enim quisquam promittat, vel teſtetur, ſemper tamen ſtaudum eſt eius iudicio, ad cuius authoritatem, et iurisdictionem res ipſa (pro qua promiſſio, et teſtamentum emittitur) principaliter ſpectat. Certum eſt autem, quia hoc in Regno non niſi Iudicum ordinariorum curiae Regiae ſententiis, et literis adiudicatoriis iura poſſeſſionaria gubernantur. Vicariorum vero, vel aliorum Iudicum Spiritualium literae, et ſententiae, in hac parte nuſquam obſeruantur. Nam et alias acceſſorium debet ſequi forum ſui principalis, propterea cauſa factum Iuris poſſeſſionarii tangens in praeſentia Iudicis Spiritualis ventilari, concludique nequit. Et idem eſt ſentiendum e-

tiam

(*a*) Alias 51.

(*b*) Familiares appellantur illi, qui ſunt de familia, et ſecernebantur a ſeruis, ſicut etiam lex noſtra ſecernit, l. 3. Cod. Theodoſ. *Ne praeter crimen laeſae Maieſtatis.*

(*c*) Alias 52.

tiam de cauſis ratione forte debitorum, (a) vel aliorum negotiorum in qua fides intervenerit. Hinc ſi ille, qui fidem praeſtitit, morte deceſſerit, antequam eius cauſa ſuſcitaretur, in ſede ſpirituali ea tractari non poteſt; nam fides, et eius poena perſonalis eſt, quae extincta perſona extinguitur in iudicio ſemper. Si quid tamen debiti, vel alterius rei iuxta fidem in promiſſione annexum, et appoſitum fuerit, hoc coram iudice ſuo ſeculari Actor ipſe ab haeredibus, et aliis legitimis ſucceſſoribus defuncti requirendi habet authoritatem.

17. Item (b) ſolent Capitula, ac Conuentus in eorum villis officiales, et villicos, qui in medio Iobagionum ſuorum temporalem iuriſdictionem exerceant, tenere, et conſeruare. Quorum iudicium, et iudicii impenſio eam virtutem, et vigorem habere dignoſcitur, ſicuti perſonaliter fuiſſet per alios Capitulares, aut Conuentuales adminiſtratum. Decanus etiam in perſona Capituli eandem habet authoritatem. Verum tamen extra officiolatum ſuum ſine literis Procuratoriis totius Capituli, pro eodem Capitulo reſpondere non poteſt.

18. Sciendum (c) vlterius, quod licet Prior Auranae, vtroque titulo, Spirituali videlicet, et Seculari gaudeat, iura tamen poſſeſſionaria inſtar Eccleſiaſticarum perſonarum gubernat, ideo de ipſo quoque ſpecialiter pauca ſubiungere dignum duxi. Vbi aduertendum, quod Prioratus Auranae olim in hoc Regno per Excellentiſſimum Principem Dominum Ludouicum Regem fundatus, et inſtitutus fuiſſe perhibetur: qui quum Regnum Siciliae, ſiue Neapolitanum valido cum exercitu, necem Fratris ſui carnalis, Diui Andreae, eiusdem Regni, et Hieruſalem Regis vindicaturus inuaſiſſet, a Rhodianis non paruum fertur auxilium nauale ſibi collatum fuiſſe. Vnde et eorum zelo inductus, ſingularique amore permotus, in ſignum Religionis, et profeſſionis Rhodianorum, poſt felicem, et victorioſum ſuum reditum, Prioratum ipſum Auranae multis poſſeſſionibus dotatum inſtituit, atque fundauit. Cuius Prior pro tempore conſtitutus ex regulari Rhodianorum obſeruantia, militiam ſecularem pro fidei Catholicae defenſione, et tutamine ſemper exercere, vxoriſque ſolatio procul motus, atque deſtitutus, caſtitatem perpetuam obſeruare tenetur. Quapropter occaſione ipſius abſtinentiae, et caſtitatis digne inter ſpirituales perſonas computatur. Quum igitur Prior ipſe Auranae utroque titulo, Spirituali ſcilicet, et Seculari (prout praenarratum eſt) gaudeat, Venerabiliſque, et Magnificus in ſuo titulo ſcribatur, Venerabilis vtpote propter caſtitatem, et regularem obſeruantiam: Magnificus; ſiquidem tanquam Baronum vnus, ob ſingularem militiam, quae magnifici, generoſique cordis eſſe debet; bona enim temporalia, quae poſſidet, Spiritualibus, et

---

Debita exiguntur per excommunicationem.

(a) Debita in foris ſpiritualibus etiam poena excommunicationis interpoſita fuiſſe exacta, hoc, quod ſubiungo, exemplo ſufficienter patebit, quod ex Stilu fori Eccleſiaſtici Mathei Benezthy damus „*Demetrius etc. Pro parte Reuerendiſſimi Do-„mini Francisci Warday Electi Eccleſiae Vacienſis „nobis fuit expoſitum, qualiter Benedictus Batthya-„ny etc. a praefato Domino exponente mille flore-„nos auri in parata, et numerata pecunia ex cauſa „veri, et gratuiti mutui, nec non quinquaginta vaſa „vinorum in, et pro tercentis, et quinquaginta flore-„nis auri ſinceriſſime leuaſſet, recepiſſet, et habuiſ-„ſet, quos quidem mille, et alios tercentos, et quin-„quaginta florenos auri ſimili modo in parata, et nu-„merata pecunia idem Dominus Benedictus praefato „Domino exponenti rigore, ac mediantibus litteris ſuis „cautionalibus, manu ſua propria ſubſcriptis, et ſigil-„lo ſuo ſub impreſſis in his terminis tunc venturis, iam „vero dudum praeteritis, reſpectiue in forma Camerae „Apoſtolicae ſub poenis, et cenſuris eccleſiaſticis, et „aliis in eadem contentis, et eidem Domino Bene-„dicto plene notis, fideque ſua Christiana mediante, „antedicto Domino exponenti integraliter, et reali-„ter, et cum effectu reddere, et perſoluere promiſiſſet, „et ſe obligaſſet: nihilominus tamen idem Dominus „Benedictus neſcitur, unde motus, fidei, et promiſ-„ſionum ſuarum huiusmodi immemor, dictos mille ter-„centos, et quinquaginta florenos auri, nedum dictis „terminis, ſed et usque modo reddere, et perſoluere re-„cuſaſſet, et recuſaret de praeſenti, etc. ferimus* „(forte ſententia) *in his ſcriptis de praeſcriptis mille „tercentis, et quinquaginta florenis auri anteſato Do-„mino exponenti ſatisfacere, illosque reddere, et per-„ſoluere debeat, et teneatur etc. Salua etc.*„ Benedictus Batthyani, ſi praeſertim aetas Demetrii attendatur, idem ipſe fuit, qui Caſtellanus Budenſis fuit, et opus Tripartitum Werbőczii cum aliis expendit. Obſeruatum pariter volo nullam hic uſurae mentionem fieri.

(b) Alias 53.

(c) Alias 54.

Digitized by Google

Eccleſiaſticis patrimoniis quodammodo connexa eſſe videantur. Ideo, ſi quando ſententia contra eum fertur, non in emenda duntaxat capitis ſui (quae ratione ſui Baronatus ad quadringentos florenos aduerſae tantummodo parti perſolvendos ſe extendit) ſed inſuper in damnis per eum commiſſis, et de Bonis Eccleſiae more aliarum Eccleſiaſticarum perſonarum refundendis: Et praeterea cunctorum patrimoniorum ſuorum (ſi quae ultra bona Prioratus habet) amiſſionem conuinci ſolet, et aggrauari. Et hoc ſi in facto maioris potentiae condemnabitur; nam in minoribus actibus potentiariis ipſum quoque, ſicuti et alium quemcunque, onera, et grauamina minus laedunt. Intelligendum eſt etiam, ſi contra Magnates, vel etiam Nobiles Secularis conditionis conuincetur, aut ſententiabitur: Nam contra Eccleſiaſticam perſonam, nec Prior ipſe maiori onere grauabitur, quam perſona Spiritualis aduerſus eum grauaretur. Sciendum tamen eſt, quod in praemiſſis tribus caſibus, videlicet criminis laeſae Maieſtatis, notae infidelitatis, et voluntarii, deliberatique homicidii, Prior ipſe, ultra praemiſſam poenam, etiam caput amittere, ſeu capitalem ſententiam ſubire ſolet, atque debet: dum tamen euidenter, et iuridice fuerit conuictus, et condemnatus. In aliis autem rebus, quantum ad iura Regni, Priuilegio Praelatorum uti, gaudereque conſueuit. Exercitia nihilominus militaria more Baronum, et Magnatum pro Regni defenſione ſemper peracturus.

PARTIS TERTIAE.

1. Quanquam (a) ex parte Iudaeorum non ſit inſtituti mei quidquam adnotare, quum Iudaei varia, et diuerſa habere cognoſcantur ſuper eorum legibus priuilegia, pleriſque in locis ſaluti contraria, et alias pernicioſum videatur de vſuris iudicare; ex quo tamen ſoepenumero contingit Iudaeis contra Chriſtianos iuramentum imponi, et adiudicari, formam iuramenti Iudeorum apponendam cenſui.

Ego Iudaeus iuro per Deum Viuum, per Deum Sanctum, per Deum omnipotentem, qui fecit coelum, et terram, mare, et omnia, quae in eis ſunt; quod in hac cauſa, qua me hic Chriſtianus inculpat, innocens ſum penitus, et immunis. Et ſi reus ſum; terra me abſorbeat, quae Dathan, et Abyron abſorbuit. Et ſi reus ſum; paralyſis, et lepra me inuadat, quae precibus Heliſaei, Naaman Syrum dimiſit, et Giezi puerum Heliſaei inuaſit. Et ſi reus ſum; caducus morbus, fluxus ſanguinis, et gutta repentina me tangat, et mors ſubitanea me rapiat, diſpereamque in corpore, et anima, ac rebus meis, et in ſinum Abrahae nunquam perueniam. Et ſi reus ſum; lex Moyſi in monte Sinai ſibi data me deleat, et omnis ſcriptura, quae in quinque libris Moyſi ſcripta eſt, me confundat. Et ſi iſtud iuramentum meum non eſt verum, et iuſtum; me deleat Adonai, et ſuae DEItatis potentia, Amen.

Vſurae damnantur.

(a) Alias 36. legem hanc adduximus, ut pateat lege noſtra damnari uſuras adeo, ut de illis vel ſermonem habere periculo plenum videatur. Similem ferme iuriſiurandi formulam iuraſſe Iudaeos in Foro Spirituali, docemur ex ſtilo Fori Spiritualis circa annum 1520. concinnato, et ex praeclariſſima bibliotheca Venerabilis Capituli Poſonienſis pro ſua in me humanitate communicato, quae talis eſt pag. 324. *„Iuramentum Iudaeorum: „Iuras tu Iuda in hac forma, videlicet: per Deum „Patrem omnipotentem Sabaoth, qui apparuit Moyſi „in rubo, vel per verum Adonai Patrem, quod re„ſpondebis recte, et veritatem dices de eo, quod in„terrogaberis. Reſpondeat: Iuro. Et ſi tu culpa„bilis eris, vel periurauerις, ſis diſperſus inter gen„tes, et moriaris in terra inimicorum tuorum, et ſic te „terra abſorbeat, ſicut Dathan, et Abyron. Reſpon„det: Amen.*

XCVIII.
SYNODVS REGIA
Tolnenſis Anni MDXVIII. ſub Ludouico II.

1. Capitula (*a*) vero, et Conuentus, Praepoſitique, et Abbates, ultra gentes eorum, quas ratione decimarum conſeruare tenentur; aliae item perſonae Eccleſiaſticae, Religioſae, et non Religioſae, decimas non habentes, ſimiliter de viginti ſeſſionibus ipſorum Iobagionalibus, ſingulum vnum equitem modo praemiſſo ſint mittere obligati.

2. Dominae (*b*) quoque Sanctimoniales, et aliae mulieres Viduae, Iobagiones habentes, modo ſimili exereituari facere teneantur.

(*a*) Alias 3.

(*b*) Alias 4.

XCIX.
SYNODVS REGIA
Bachienſis eiusdem Anni.

1. Domini (*a*) Praelati, tam ratione decimarum, quam etiam Iobagionum ipſorum, ſemper medietatem gentium ipſorum in confiniis conſeruare, et tempore manifeſtae neceſſitatis, etiam alteram medietatem ad litteras Dominorum Capitaneorum Regiae Maieſtatis, quibus ſubſunt, illuc mittere; Officiales quoque finitima ipſa tenentes. gentes ſuas ratione officiorum ſuorum conſeruare debentes, ſecum, et inibi modo ſimili paratas tenere ſemper ſint obligati.

2. Quia (*b*) vero per Dominos Praelatos, et viros Eccleſiaſticos decimas habentes, ſuper magno, et ſuperfluo onere conſeruationis gentium, querimonia ſoepe defertur; quod ſcilicet vltra exigentiam, et quantitatem prouentuum ipſorum, gentes pro Regni defenſione conſeruare cogerentur. Quae vt e medio tollatur; iuxta formam, et continentiam Generalis Decreti, in ſingulis Regni Comitatibus, tot probi, et fide digni Nobiles per vniuerſitatem Nobilium eorundem Comitatuum eligantur, quot in eisdem Comitatibus Iudices Nobilium habentur. Qui vna cum eisdem Iudicibus Nobilium (praeſtitis per ipſos iuramentis) tam de prouentibus eorundem Dominorum Praelatorum, et virorum Eccleſiaſticorum decimas habentium, quam etiam numero Iobagionum, a quibus decens, et oportunum fuerit, diligenter experiri, et eorum computum, atque numerum ſub ipſorum ſigillis infra proximum feſtum Beati Iacobi Apoſtoli, Dominis Aſſeſſoribus, et Conſiliariis transmittere teneantur: vt in Dioeta, et Conuentione Generali amodo primitus celebranda, iuxta exigentiam facultatum, et prouentuum, numerumque Iobagionum ipſorum, gentium per eos conſeruatio, iuſte, et honeſte limitetur. Interea vero gentes ſuas hoc modo, quo hactenus ſoliti ſunt, iuxta formam Generalis Decreti, et regeſti (*c*) Excellentiſſimi Principis quondam Domini Sigismundi Imperatoris, et Regis, pro Regni defenſione conſeruare teneantur.

3. Vt curia (*d*) Maieſtatis Regiae honeſte, et ſeruitiorum multitudine ſit referta, et decorata; vniuerſa iura Patronatus omnium Eccleſiarum, et beneficiorum Eccleſiaſticorum, tam per Maieſtatem Regiam, quam etiam Sereniſſimum quondam Dominum Vladislaum Regem genitorem ſuae Maieſtatis chariſſimum piae memoriae, cuicunque collata, reuocata habeantur. Et Maieſtas ſua Regia de cetero cuncta Beneficia Eccleſiaſtica ab illis, qui vltra vnum habent, pariter auferat, et iuxta contenta generalis Decreti conferat: vt plures Deo gratioſe ſeruire, plures etiam gentes pro defenſione Regni conſeruare poſſint.

 C.

(*a*) Hoc caput eſt alias Articuli primi paragraphus quintus.

(*b*) Alias 2.

(*c*) Donec itaque illud reperiatur, caecutimus, quum perpetua eorſum fiat prouocatio.

(*d*) Alias art. 15.

C.

SYNODVS REGIA Budenſis Anni MDXXII.

1. Quod (*a*) violatores Eccleſiarum, ac puellarum, et mulierum, qui fuerint, capitali poena puniri faciant: et gentes in domos Nobilium, et Presbyterorum, contra eorum voluntatem, deſcendere non permittant.

2. Reliqua (*b*) vero Iudicia, tam in Sedibus Comitum Parochialium, quam etiam Vicariorum huius Regni, intra dictam expeditionem generalem ceſſent, et ſuſpenſa habeantur: Vt liberius, et ſolutioni praemiſſae contributionis, ac ſubſidii vacare, et expeditioni quoque ipſi ſe conformare quilibet poſſit. Spirituales tamen perſonae, in cauſis inter ſe motis liberam agendi, et prouidendi habeant authoritatem.

(*a*) Alias 36.

(*b*) Alias 56.

CI.

SYNODVS REGIA Budenſis Anni MDXXIII.

1. Regia (*a*) Maieſtas vna cum Dominis, et Conſiliariis ſuis ex nunc eum modum, et ordinem conſtituat, ne quiſpiam gentium, ſiue externarum, ſiue internarum, et etiam Dominorum, et Nobilium, tempore progreſſionis eorum ad bellum, vel in ipſo quoque exercitu, et bello, Dominis, ac Nobilibus, et ruſticis ipſorum damnum inferre audeat. Nemo etiam in domibus Nobilium, aut Presbyterorum, contra ipſorum voluntatem, ac conſenſum condeſcendere praeſumat; contrarium facientes, poenam capitis ſubeant: prout etiam in articulis Dioetae Feſti Beatae Eliſabeth viduae, clara ſuperinde mentio pariter, et conſtitutio habetur conſcripta. Ita, vt laeſus querimoniam porrigat Capitaneo, et ille teneatur de illatis damnis, ac iniuriis laeſo ſatisfacere. Qui ſi non fecerit, dicat ſuperiori, principalique Capitaneo. Idem eſt intelligendum; vt ille ſimili poena per Regiam Maieſtatem puniatur, ſi contrarium egiſſe deprehendetur.

2. Praepoſiti (*b*) Abbates, Capitula, Conuentus, Moniales, bona, et iura poſſeſſionaria Secularia poſſidentes, hoc idem facere de perſonis eorum teneantur. Et de Iobagionibus nihilominus ipſorum, prout alii poſſeſſionarii Nobiles, exercituare ſint obligati. Ita, vt tot mittantur equites, quot ſunt in Capitulo Canonici: et inſuper, decimas quoque (*c*) Iobagionales praenarratas, mittere teneantur. Praepoſiti tamen Seculares, ac aliae perſonae Eccleſiaſticae duplex beneficium habentes, ſeu in dignitate conſtitutae, iuxta limitationem Dominorum Praelatorum ſuorum, perſonaliter aduenire ſint obligati.

(*a*) Alias 21.

(*b*) Alias 42.

(*c*) Decimae Iobagionales, quales ſint, explicat articulus XIX. Regiae huius ſynodi, vbi praecipitur, vt de ſingulis decem ſeſſionibus Iobagionalibus unus eques in hoſtem ducatur.

CII.

RESCRIPTVM

Ludouici II. Anno MDXXV. editum.

Quod inuitis Praelatis leges rite ferri nequeant.

Ludouicus Dei gratia Rex Hungariae, et Bohemiae etc. Fidelibus Noſtris Egregiis, et Nobilibus Comitatus (*a*) etc. ſalutem, et gratiam. Quamuis in Dioeta proxime praeterita, ea, quae concernunt Regni ſalutem, et libertatem, una vobiſcum, ceteriſque Dominis Regnicolis tractare, et concludere, ordinationesque ſuperinde factas executioni demandare parati fuerimus: accidit tamen cum ingenti diſplicentia Noſtra, non ſine Veſtro etiam maximo incommodo, vt hic conuentus variis tumultibus agitatus, rebus omnibus infectis, ac perturbatis diſſolueretur, ac inſuper nonnullorum caſualis conuentus in Hatuan pro feſto natiuitatis Beati Ioannis Baptiſtae contra noſtram voluntatem, et auctoritatem indiceretur. Quid ſit in cauſa huius noui conuentus, aut quid boni adferre, vel Nobis, vel huic Regno poſſit, non videmus. Nam quod pro Regni libertate, ac commodo Nobis faciendum eſt, id totum libentiſſime ſemper facturi ſumus. Neque in hoc a voluntate noſtra (*b*) Praelati, et Barones diſcrepant, quod eorum quoque voluntas eſt, vt libertas Regni in omnibus obſeruetur; Non videmus etiam, quod hac noua Diaeta praeſcripta declarauimus, neque Dominos illuc ire patiemur; ſolus autem ordo veſter, aliis ordinibus abſentibus concludere aliquid perfecti non poſſet; expenſae fierent inanes, tempus annonae colligendae perderetur, pauperes Nobiles illuc accedentes nimium grauarentur, coloni a tranſeuntibus opprimerentur, poſſentque ex hoc conuentu alia quoque incommoda multa toti Regno euenire. Sciatis autem, quod Nos ordinationes pro libertate, et commodo Regni factas, exequi iam incipimus, et id quidem ab externis nationibus. Quod autem inceptum eſt a nobis, ita continuabimus, vt Regni libertati omni ex parte ſatisfiat, et Articuli executioni demandentur. Quas ob res Fidelitati Veſtrae ſub poena indignationis Noſtrae mandamus, quemadmodum aliis etiam Comitatibus mandauimus, vt ad praedictum conuentum non accedatis, ſed domi maneatis, neque vos moueant illa conuitia, quae iactata eſſe dicuntur in eos, qui illuc non irent. Nos enim, qui ſumus Rex, et Princeps Veſter, auctoritate noſtra Regia decernimus, illos omnes, qui ad praedictam Diaetam non iuerint, ſaluo eorum honore domi manere poſſe, et ob hoc nemo Veſtrum audeat aliquem, vel aliquos probris, vel vituperiis inceſſere, aut aliqua vi, damno, et iniuria afficere ſub poena praeattacta. Quoniam autem Regni negotia grauiſſima communem omnium ſalutem, et conſeruationem concernentia, ſine Generali, et illa quidem concordi Diaeta tranſigi non poſſunt: Conuentum (*c*) ad feſtum Beati Michaelis Archangeli proxime venturum, hic Budae celebrandum indicimus, mandantes Fidelitatibus Veſtris harum ſerie firmiter, vt ad praedictum conventum huc Budam ſub poena Decreti debeatis conuenire, de praedictis Regni negotiis

(*a*) Quum circulare fuerit, et aequali tenore ad omnes Comitatus ſcriptum, non expuſuimus nomen Comitatus. Litteras has editas fuiſſe perhibet articulus 17. anni 1526. dum ait: „quia „Dioeta Hatuanienſis contra mandata Regiae Maie„ſtatis, et libertates Regni extitit celebrata, prout „etiam ſua Maieſtas per ſuas litteras ſuperinde ad „omnes Comitatus datas certificare nos dignata eſt.„

(*b*) Quantum pondus Praelatorum votis inſit? hinc ſufficienter patet.

(*c*) Synodum hanc Regiam celebratam fuiſſe teſtatur art. 38. ſubſequentis anni, vbi dicitur: *quum nondum ſit etiam pro media parte exactum ſubſidium unius floreni per Regnicolas anno praeterito* (id eſt anno 1525.) *oblatum*; *ideo* et ceter. Decreta tamen non habemus.

gotiis tractaturi. Interim autem decimas (*a*) Eccleſiarum, quibus gentes ad Regni defenſionem tenentur, citra omnem diffi-cultatem exſoluere. Et vos quoque Gentes veſtras in confiniis in pleno numero tenere debeatis. Secus facere non praeſumentes. Datum Budae Feria 2da proxima poſt Feſtum Pentecoſtes Anno Domini 1525.

(*a*) De his decimis Seniores Fraternitatis 24. regalium Parochorum litteris haec conſignarunt, apud Cl. Wagner in Analectis Scepuſii Tom. 2. p. 192: „Anno Domini milleſimo quingenteſimo de„cimo octauo circa feſtum Diui Georgii, aut poſt, „facta eſt congregatio Nobilium totius Regni in „Batsh, ibidem concluſerunt facere exactionem in „Clerum totius Prouinciae, ut unusquisque bene„ficiatus daret Regi pro erigendis, et reparandis „caſtris in metis Turciae decimam omnium pro„uentuum; ſicut fieri ſolet in decima Papali etc. „ſed totus Clerus viriliter reſtitit, (credo de toto Scepuſienſi Clero loquuntur, ideo enim excommunicatio fuit propoſita, quia Praelati hanc decimam dari debere cenſuerunt) „et omnino tale man„datum contra libertatem Eccleſiae factum reſpue„runt. Ideo Praelati Nobiles anno ſequenti vide„licet 1519 - - aliam viam inierunt, et miſerunt ora„tores ad Sanctiſſimum Dominum Leonem Papam „decimum, ut ſua Sanctitas conſentiret, et daret „Sereniſſimo Principi Ludouico decimam.„ Exſtat apud eundem Wagner pag. 198. Breue Apoſtolicum ſuper exactione hac decimae prouentuum Eccleſiaſticorum. Similiter tentarunt A. C. 1524. decimas Cleri abrogare, quae tamen in Synodo Regia infra danda Clero firmatae ſunt, et reſtitutae.

CIII.

SYNODVS REGIA

Anno Chr. MDXXV. habita.

1. Sigillum Regiae Maieſtatis (*a*) annulare Secretarius Vngarus, donante Maieſtate ſua, teneat mox, et immediate. Pari ratione etiam Reginalis Maieſtas ſigillum ſuum, Vngaricae nationis homini, Reuerendiſſimo Domino Cancellario, Suae Maieſtatis benemerito, pariter conferre dignetur.

2. Ceterum *Fukkari*, et omnes nationes externae, qui theſauros Regni palam exhauriunt, et educunt, de hoc Regno ſtatim ablegentur, et exmittantur, in eorumque locum Vngari conſtituantur. Nationes tamen externae, cuiuscumque linguagii exiſtant, ſi Maieſtatibus ſuis, et huic Regno ſeruire voluerint, ad ſtipendia conſueta libere veniant, et conducantur: attamen in confiniis Regni, Vngarorum more ſeruire, militareque teneantur. Oratores quoque, Caeſareus, et Venetus, e Regno exmittantur. Lutherani etiam omnes de Regno extirpentur, et ubicunque reperti fuerint, non ſolum per Eccleſiaſticas, verum etiam per Seculares perſonas libere capiantur, et comburantur.

(*a*) In collectione, quae adhuc Moſſocziana habebatur, quatuor duntaxat leges comparent, tertia, quarta, vigeſima tertia, et trigeſima, non ſatis felici forte extractae; Nos totam Synodum Regiam recitabimus ex Codicibus vaticanis deſcriptam, cui ex aduerſa columna iungimus Synodum Regiam Hatuanienſem Anni 1525, cui nullum locum dandum exiſtimarunt Editores; quia forte nunquam attente legerunt: ſufficit ipſis dicere, quod reuocata, antiquata, et abrogata ſit. At magnopere errant; Reſcriptum enim Ludouici II., quod paulo ante adtulimus, aliud quoddpiam conuenticulum Hatuanini pariter habitum abrogat, Articulus autem decimus ſeptimus Anni 1526, qui nimirum leges Hatuanienſes infregiſſet, prouocat ſe ad modo laudatum Reſcriptum. Si itaque Ludouicus II. aliud quodpiam Conuenticulum inſectatus fuit, illud procul dubio vigore deſtituit modo laudata lex. Noſtra autem Synodus incolumis euaſit; quod ſequentibus demonſtrari exiſtimo: Primo enim dicit Reſcriptum Dioetam *caſualem* duntaxat fuiſſe *Conuentum*; ſi itaque Rex de Noſtra Hatuanienſi loquitur, aſſertio Regis ſuſtineri nequit; quippe quum illa fuerit praeuie per Rakoſienſem conſueto more indicta. Dein ait Rex Praelatos Dioetae illi haud conſenſiſſe, qui tamen Noſtrae adſenſum praebuerunt; imo Rex ipſe adprobauit Dioetam hanc Noſtram, et Regno vſque adeo non diſplicuerunt illius ſancita, quod pleraque legum Anno 1526. conditarum tabulis inſeruerint. Praeterea duae ſunt praecipuae notae reiecti conuenticuli; quod Regia Auctoritas depreſſa, et Palatinus ab officio ſuo deiectus fuerit: Verum noſtra haec in multis rigorem legum Rakoſienſium emolliuit. de Palatini creatione autem nec verbulum habet. Damus itaque debito vigore praeditam Synodum Hatuanienſem. De vtraque monendum occurrit, quod in iis, quae in ipſo contextu *curſiuo*, vt aiunt, charactere impreſſa ſunt, duae hae Synodi diſſideant; item quod a loco illo, vbi aſteriſcus praefixus eſt, non diuerſa ſolum, ſed alia quoque habeant; denique ea, quae poſt contextum articuli vniuscuiusuis minutiori charactere comparent, Noſtrae ſint animaduerſiones cum textu nequaquam confundendae. Legibus quoque numeros adnexuimus, vt facilius inter ſe conferri valeant.

ARTI-

A R T I C V L I.

In Conuentu generali pro ſeſto Natiuitatis Sacratiſſimae Virginis Mariae editi 1524., et in Dioeta ſimiliter generali pro Dominica *Iubilate* in campo Rákos celebrata reformati 1525. Ex Codice M. S. Vaticano Nro. 3924. p. 375.

1. Vt omnes conſtitutiones iam factae, et mox quoque formandae, atque concludendae effectum ſortiantur, et exequutioni demandentur; Conſilium Regium, quod magna in parte per exteras nationes hactenus gubernatum, et directum eſt, reformetur. et vt omnia in Conſilio Regio maturo tractatu, maturaque deliberatione fiant; et ad effectum perducantur: Nec alter Conſiliariorum alteri ſuper diſſidio. et non concordi ſententia (prout plerumque contingere ſolet) culpam impingere poſſit; et exinde debita exequutio negotiorum Regni praetermittatur: *De medio Dominorum Praelatorum, et Baronum Regia Maieſtas aliquot Perſonas pro nunc eligat, et penes ſe accipiat, qui plenariam auctoritatem habeant, infra venturam generalem Dioetam pro feſto Natiuitatis Beati Ioannis Baptiſtae, in Oppido Nagh Hattuan appellato* celebrandam, omnia in Conſilio Regis tractanda (aliis Dominis Praelatis, et Baronibus forſitan diſſidentibus, et non concordantibus) *decernendi, concludendi, et exequutioni demandandi* officia Regia, tam finitima, quam etiam interna, et alia omnia cum conſenſu Regiae Maieſtatis mutare, *donare*, et diſtribuere, bono, et vtili, ac Maieſtati ſuae, et huic Regno conducibili, *perſpicuaeque* diſpenſationi prouentuum Regiorum ſuperintendere, atque prouidere; et generaliter omnia perficere. Domini nihilominus Praelati, et Barones (eorum dignitate exigente) in Conſilio ipſo Regio intereſſe, tractare, et ſententias ſuas declarare more hactenus conſueto libere poſſint. *Sententia tamen, et auctoritas omnium rerum apud praenotatas Perſonas electas maneat: ne per varias opiniones, et ſententias, negotia Regiae Maieſtatis, et Regni ſui turbentur, ac praetermittantur.*

(Legem hanc abrogauit articulus primus anni 1526 ſtatuens: vt Rex ſua authoritate vtatur.)

2. Nationes tamen externae in Conſilium Regium de cetero non admittantur. Vniuerſa etiam officia tam Regiae, quam etiam Reginalis Maieſtatis, vt ſunt Magiſtratus Curiae, Cubiculariatus, Tauernitatus, Pincernatus, Dapiferatus, et Agazonatus, et Portarii quoque Maieſtatum ſuarum:

3 Praeterea Caſtellanatus omnium Caſtrorum, Cameraeque ſalium, ac auri, et argenti: nec non Triceſimae, et vigeſimae, Cementum, ac Quinquageſimae, et honores Comitatuum ſuarum Maieſtatum, Hungaricae nationis duntaxat hominibus Nobili de proſapia propagatis, et non forenſibus conferantur, prout continetur etiam in Decreto. Ab illis autem externae nationis hominibus, qui nunc eiuſcemodi officia tenent, mox, et immediate, defactoque auferantur; et de

A R T I C V L I.

In Conuentu, et Dioeta Generali pro feſto Natiuitatis Beati Iohannis Baptiſtae in oppido Hathuan celebrata per vniuerſos Dominos Praelatos, et Barones, ac Regni Nobiles editi, et per Regiam Maieſtatem approbati, atque confirmati Anno 1525. Ex Codice MS. Vaticano Nro. 3924. p. 384.

1. Vt omnes Conſtitutiones iam factae, et *modo* quoque formandae, atque concludendae effectum ſortiantur, et exequutioni demandentur; conſilium Regium, quod magna in parte per exteras nationes hactenus gubernatum, et directum eſt, reformetur: et vt omnia in Conſilio Regio maturo tractatu, maturaque deliberatione fiant, et ad effectum perducantur. Nec alter Conſiliariorum alteri ſuper diſſidio, et non concordi ſententia (prout plerumque contingere ſolet) culpam impingere poſſit; et exinde debita exequutio negotiorum Regni praetermittatur: *Maieſtas Regia Dominos Palatinum Regni, ac Cancellarium, Iudicem Curiae, et Theſaurarium ſuae Maieſtatis tamquam ſupremos Conſiliarios ſuos penes ſe accipiat. Praeterea de medio quoque Nobilitatis huius Regni octo Perſonas electas, iuxta Generalis Decreti contenta, in Conſilium ſuum Regium pariter admittat, qui poſt Maieſtatem ſuam Regiam plenariam auctoritatem habeant infra venturam generalem Dioetam pro feſto Beati Georgii Martyris proxime venturo* celebrandam, omnia in Conſilio Regio tractanda (aliis Dominis Praelatis, et Baronibus forſitan diſſidentibus, et non concordantibus) *cum Maieſtate Regia decernere*, concludere, et exequutioni demandare; officia Regia tam finitima, quam etiam interna, et alia omnia cum conſenſu Regiae Maieſtatis mutare, et diſtribuere, bonae, et vtili, ac Maieſtati ſuae, et huic Regno conducibili, *proficuaeque* diſpenſationi prouentuum ſuperintendere, atque prouidere; et generaliter omnia perficere. Domini nihilominus Praelati, et Barones (eorum dignitate exigente) in Conſilio ipſo Regio intereſſe, tractare, et ſententias ſuas declarare more hactenus conſueto libere *valeant, atque* poſſint. *Nihilominus per Maieſtatem Regiam, quod cum praeſcriptis Conſiliariis concluſum fuerit, ratum maneat, atque firmum.*

(Quae de octo perſonis Nobilibus in Conſilium Regis adſciſcendis dicuntur, rurſus articulo 31. anni 1526 ſancita fuere.)

2. Nationes tamen externae in conſilium Regium de cetero non admittantur. Vniuerſa etiam officia, tam Regiae, quam etiam Reginalis *Maieſtatum videlicet* Magiſtratus, Curiae, Cubiculariatus, Tauernitatus (Thauernicatus) Pincernatus, Dapiferatus, et Agazonatus, et Portarii quoque Maieſtatum ſuarum: Praeterea Caſtellanatus, *ac Prouiſoratus* omnium Caſtrorum, Cameraeque ſalium, ac auri, et argenti; nec non Triceſimae, Vigeſimae, Cementum, ac Quinquageſimae, et honores Comitatuum ſuarum Maieſtatum, Hungaricae nationis hominibus duntaxat, Nobili de proſapia propagatis, et non forenſibus conferantur; prout continetur etiam in Decreto. Ab illis autem externae nationis hominibus, qui nunc huiusmodi officia tenent, mox, et immediate, defactoque auferantur. Et de

de beneficiis quoque Eccleſiaſticis hoc idem eſt intelligendum.

4. Et quod ſigillum quoque Regiae Maieſtatis annulare Secretarius Hungarus, donante Maieſtate ſua, teneat: Pari ratione *etiam* Reginalis Maieſtas ſigillum ſuum Hungaricae nationis Homini, *Rdiſſimo* ſcilicet Domino Cancellario, ſuae Maieſtatis benemerito, pariter conferre dignetur.

(Haec legem Zacharias Moſſoczy compilationi ſuae, aut potius Illuſtrationi adrexuit, et articulum tertium inſcripſit.)

5. Ceterum, quod Fukkarii, et omnes Nationes externae, qui Theſauros Regni palam exhauriunt, et educunt, de hoc Regno ſtatim ablegentur. et exmittantur, in eorumque locum Hungari conſtituantur. Nationes tamen externae cuiuscunque linguagii exiſtant, ſi Maieſtatibus ſuis, et huic Regno ſeruire voluerint ad ſtipendia conſueta, libere veniant, et conducantur. Attamen in confinibus Regni, Hungarorum more ſeruire, militareque teneantur. *Oratoresque Caeſareus, et Venetus de Regno exmittantur.* Lutherani etiam omnes de Regno extirpentur: et vbicunque reperti fuerint, non ſolum per Eccleſiaſticos; verum etiam per Seculares Perſonas libere comburantur.

(Fukarii, ſeu Fukkarii, aut rectiore ſcribendi ratione Fucarii, ſunt procul dubio Veneti. Fuca enim, vel habet de Cange, eſt pars Sinus Veneti, hodie *la Foſe* dicta, ſic appellata e Teutonico *Fuke*, quod caſſam, ſeu rete verriculum ſignificat. Venetorum oratori maxime indignabantur Hungari, Venetus itaque nominatim abeſſe cupiebant.)

6. Item quod ſtipendia, ſeu ſallaria Burgoni, et aliis externis nationibus deputata de cetero non reddantur. Obligamina etiam quaelibet ſuper Regiis prouentibus cuipiam per Regiam Maieſtatem, vel Dominum Theſaurarium facta, nullius ſint firmitatis; ſed vniuerſi prouentus *Regii* manibus duntaxat Domini Theſaurarii Regii ſtatim, et de facto aſſignentur. *Emericusquoque Salomon, aliter Zerencſes appellatus, non ſolum ſuis officiis deſtitutus, et a cura vtriusque Maieſtatis abiectus habeatur, verum inſuper iuxta ſua demerita, et ſcelera contra eum iam propoſita, ac teſtimonia aduerſus ipſum declarata, et accepta ſtatim puniatur.*

(Et hinc eſt, quod articulo 3. anni 1526. Regi commendatur, vt probum, et idoneum Theſaurarium ſibi deligat. Articulo 6. autem diſſipationum rei tore, et iuſtitia mediante puniendi decernuntur.)

7. Item, quod Regia Maieſtas metas per Dominum Palatinum ſuperiori anno erectas, et per Comanos, et Philiſteus iterum *diſtractas* per *vim*, ex Magiſtris Prothonotariis ſecundum contenta litterarum Palatinalium exinde confectarum, abſque vlteriori mora rurſus erigere, et reintegrari, et nondum erectas, ex nouo reambulari, et erigi facere dignetur.

8. Item

de Beneficiis quoque Eccleſiaſticis hoc idem eſt intelligendum, *quod ſcilicet ab Aduenis, et externis auferantur, Hungarisque per vtramque Maieſtatem conſerantur.*

(Reſcripto ſuo, quod ſupra recitauimus, perhibet Rex ſe initium dediſſe remouendorum exterorum, vt autem Regina quoque Domeſticis conferat officia, denuo canit articulus 40. anni 1526.)

3. Et quod ſigillum quoque Regiae Maieſtatis annulare Secretarius Hungarus, donante Maieſtate ſua, teneat. Pari ratione Reginalis Maieſtas ſigillum ſuum Hungaricae nationis Homini, Domino ſcilicet Cancellario ſuae Maieſtatis benemerito, pariter conferre dignetur.

4. Ceterum, quod *omnes* Fukarii, et omnes Nationes externae, qui Theſauros Regni palam exhauriunt, et educunt, de hoc Regno ſtatim ablegentur, et exmittantur, in eorumque locum Hungari conſtituantur. Nationes tamen externae cuiuscunque linguagii exiſtant, ſi Maieſtatibus ſuis, et huic Regno ſeruire voluerint, ad ſtipendia conſueta libere veniant, et conducantur. Attamen in confinibus Regni, Hungarorum more ſeruire, militareque teneantur. Lutherani etiam omnes de Regno extirpentur, et vbicunque reperti fuerint, non ſolum per Eccleſiaſticos, verum etiam per Seculares perſonas libere comburantur: *et bona eorum Fiſco Regio, Dominisque Terreſtribus, vbi reperti fuerint, applicentur.*

(Hanc legem Illoſuai excerpſit, et ſuae inſeruit collectioni. Mirum ſane, quum praemiſerit leges in Diaetis 1524 et 1525. conditas non fuiſſe confirmatas. Id ſi ita eſt, nullus vnquam Lutheranorum arſit; quod in Diſſertatione praeuia de Synodis Regni contendebam. Sed ſubſiſtat per me licet lex iſta, ego ſemper illud *S.* Auguſtini de Donatiſtis in ore habebo: „ex occaſione „terribilium iudicum, ac legum, ne in aeternae iudicii „poenas incidant, corrigi eos cupimus, non necari, „nec diſciplinam circa eos negligi volumus, nec ſuppli„ciis, quibus digni ſunt, exerceri, ſic igitur eorum pec„cata compeſcenda, vt ſint, quos poeniteat peccaſſe.„)

5. Item, quod ſtipendia, ſeu ſallaria Burgoni, et aliis externis nationibus deputata, de cetero non reddantur. Obligamina etiam, *et litterae* quaelibet ſuper Regiis Prouentibus cuipiam per Regiam Maieſtatem, vel Dominum Theſaurarium facta, *et confectae*, nullius ſint firmitatis. Sed vniuerſi prouentus *Regii* manibus duntaxat Domini Theſaurarii Regii ſtatim, et de facto aſſignentur.

(Haec lex iterata fuit articulo 25. anni 1526.)

6. Item, quod Maieſtas Regia metas per Dominum *Stephanum de Bathor*, *pridem* Palatinum, ſuperiori anno erectas, et per Comanos, et Philiſteos iterum deſtructas per vnum ex Magiſtris Prothonotariis ſecundum contenta literarum ſuarum Palatinalium exinde confectarum, abſque vlteriori mora rurſus erigere, et reintegrari, et nundum erectas, ex nouo reambulari, et erigi facere dignetur.

(Eadem haec conſtitutio totidem pene verbis renouata fuit articulo 41. anni 1526, eo ſolum dempto, quod Palatini nomen non exponatur.)

7. Item

8. Item, quod occupationes per Dominum Marchionem, et alios potentes nouiter factae, etiam inuitis occupatoribus per Regiam Maieſtatem rectificentur abſque mora.

9. Item, quod Pecudes, et Pecora, hoc eſt: Boues, Oues, Vaccae, et Equi gregatim, vel alio ſub colore, ac coria eorundem animalium de hoc Regno per hunc annum propter extirpationem praeſentis cupreae monetae, et propter inſtantem, futuramque expeditionem oon educantur; Et ſi educerentur, vbicunque reperti fuerint, auferantur, non obſtante literis Regiae Maieſtatis ſuperinde conficiendis.

(Haec Lex eſt in Hatuanienſi numero decima.)

10. Item, quod Triceſimae, quae in Nandor Alba, et Zalonkemen exigi conſueuerant, de cetero in Varadino Petri exigantur: ne arma, ſales, pixides, et cultelli in Thurciam deferantur.

11. *Item*, quod tam Regia, et Reginalis Maieſtates, quam etiam Domini Praelati, et Barones, ac etiam Nobiles vniuerſos Iobbagiones poſt inſurrectionem, et ſeditionem ruſticanam ad bona ipſorum, vel abductos, vel ſaltu, furtimque locatos. ſub poena in Decreto generali exinde conſcripta, *ex nunc*, et de facto *reſtitui* faciant.

(Haec lex in Hatuanienſi numero octaua eſt.)

12. Et metas Regia Maieſtas, tam ex parte Morauiae, quam etiam Auſtriae praeter vlteriorem moram rectificari facere dignetur.

(Haec curius in Hatuanienſi numero nona eſt.)

13. Item, quantus in Gentium conſeruationem defectus, tam per Dominos Praelatos, ac Barones, et alios quoque Nobiles hactenus fuerit commiſſus, omnibus conſtat. Ne igitur *de cetera* vel defectus, vel negligentia in Gentibus conſeruandis committantur: ne etiam damna per eos in tranſitu, ac proceſſu ipſorum Nobilibus, et Ignobilibus inferantur, ſtatutum eſt, quod vniuerſi Domini Praelati, et omnes Viri Eccleſiaſtici, ac Barones, et Nobiles, qui ratione bonorum ſuorum, vel de bonis ſuis propriis quinquaginta equites, ſiue armigeros, ſiue leuis armaturae, ſeu Huzarones tenere non poſſunt, pecunias exercituales de bonis eorum in medium Nobilium illorum Comitatuum, vbi huiuſcemodi bona adiacent, adminiſtrare teneantur; et in quolibet Comitatu vnus Capitaneus per Vniuerſitatem Nobilium eligatur, qui tam bona omnium Dominorum, *et* Nobilium in illo Comitatu adiacentia dicare, quam etiam Gentes militaris exercitii peritas conducere, et iuxta limitationem praeſcriptorum Dominorum Conſiliariorum ſecundum neceſſitatis exigentiam illas ſemper in confinibus tenere, et copiam Regeſti ſuper Dicatura poſt rectificationem in ſede Iudiciaria faciendam, manibus Vice-Comitis aſſignare, tempora etiam, et dies conductionis Gentium, atque demiſſionis earum ad *confinia* ſemper conſcribere, et Nobilibus notificare debeat, et teneatur: Ne fraus in Gentibus conſeruandis, ſolutionibusque *eisdem* faciendis committatur, Nobiles etiam in literis ipſorum ſupremo Capitaneo

7. Item, quod occupationes per Dominum Marchionem, et alios potentes nouiter factae, etiam inuitis occupatoribus per Regiam Maieſtatem rectificentur abſque mora: *Sic videlicet, vt Regia Maieſtas ad ſingulos Regni Comitatus, ad quatuor partes eiusdem Regni quatuor Magiſtros Prothonotarios, vna cum Perſonalis Praeſentiae Regiae Maieſtatis Locumtenente, ac Vice-Palatino, et Vice-Iudice Curiae ſuae Maieſtatis, ex nunc tranſmittere dignetur. Et penes eosdem Locumtenentem, ac Vice-Palatinum, et Vice-Iudicem Curiae, Magiſtros Prothonotarios vniuerſitas Nobilium duas Perſonas, quas voluerint, Iuris peritas, et benemeritas eligant, qui vniuerſas terras, ſyluas, prata, foenilia, flumina, piſcaturasque, et villas, ac portiones villarum poſt obitum Sereniſſimi Principis quondam Domini Mathiae Regis, minus iuſte, et indebite, ac praeter iuris aequitatem de manibus aliquorum occupatas, et occupata, comperta ſuperinde mera rei veritate, et obſeruata iuris aequitate rectificare; et quos de iure concernere agnouerint, eisdem mox, et immediate reddere, alios etiam cunctos potentiarios pariter reuidere, complanareque teneantur.*

8. Et quod tam Regia, et Reginalis Maieſtates, quam etiam Domini Praelati, et Barones, ac etiam Nobiles vniuerſos Iobbagiones poſt inſurrectionem, et ſeditionem ruſticanam ad bona ipſorum vel abductos, vel ſaltu, furtimque locatos ſub poena in Decreto generali exinde conſcripta *per praefatos Locumtenentem, Vice-Palatinum, ac Vice-Iudicem Curiae Regiae, Magiſtrosque Prothonotarios, et duas electas Perſonas, in ſingulis Comitatibus* de facto, *et immediate reddi* faciant.

9. Et metas *quoque* Regia Maieſtas tam ex parte Morauiae, qimm etiam Auſtriae *et Styriae* praeter vlteriorem moram rectificari facere dignetur.

(Haec quoque Lex iterata fuit articulo 28. anni 1528.)

10. Item, quod Pecudes, et Pecora, hoc eſt: Oues, Boues, Vaccae, et Equi gregatim, vel alio ſub colore, et coria eorundem animalium de hoc Regno per hunc annum propter extirpationem praeſentis cupreae monetae, et propter inſtantem, futuramque expeditionem, *ſub poena in minori Decreto exinde ſpecificata* non educantur, *neque exmittantur*: Et ſi educerentur, vbicunque reperti fuerint, *prout in eodem Decreto continetur*, auferantur, non obſtante (*obſtantibus*) Literis Regiae Maieſtatis ſuperinde *forſitan* conficiendis: *ſi tamen extra Regnum, et non nundinas liberas, ſeu fora hebdomadalia in hoc Regno celebranda abigantur.*

11. Item, quod Triceſimae, quae in Nandor Alba, et Zalokemtis exigi conſueuerant, de cetero in Varadino Petri exigantur: ne arma, ſales, pixides, et cultelli in Turciam deferantur.

12. Item, quantus in conſeruatione Gentium defectus, tam per Dominos Praelatos, et Barones, ac alios quoque *Comitatuum* Nobiles hactenus fuerit commiſſus, omnibus conſtat. Ne igitur negligentia, vel defectus in Gentibus conſeruandis committantur; ne etiam damna per eos in tranſitu, ac proceſſu ipſorum Nobilibus, ac ignobilibus inferantur, ſtatutum eſt, quod vniuerſi Domini Praelati, et omnes Viri Eccleſiaſtici, ac Barones, et Nobiles, qui ratione bonorum ſuorum, vel de bonis ſuis propriis quinquaginta equites, ſiue armigeros, ſiue leuis armaturae, ſeu Huzarones tenere non poſſunt, pecunias exercituales de bonis eorum in medium

neo Regio numerum Gentium mittendarum reſcribere; numerum etiam ſeſſionum Iobbagionalium illorum Dominorum, qui per ſe *incipient* iuxta limitationem praeſcriptam Gentes *tenere*, ipſi Capitaneo pariter ſignificare teneantur; *et* Capitaneus *ipſe* Gentes praenotatas reuidere, et perluſtrare ſciat, ne defectus in Gentibus ipſis vtcunque reperiatur. Damna vero, ſi quae per illas in tranſitu cuipiam irrogarentur, per Capitaneum earum ſemper rectificentur, atque rependantur.

14. *Praeterea*, in ſingulis Comitatibus *quatuor* probi, et Nobiles Viri per vniuerſitatem Nobilium *eorum Iudicio poſtquam hinc ad propria redibunt*, celebranda eligantur, qui tam Dominorum Praelatorum, et *aliorum* Virorum Eccleſiaſticorum prouentus *decimales, quam etiam Dominorum Baronum, et aliorum ſpecialium Nobilium pariter prouentus de ſodinis auri, argenti, cupri, ferri, calibis, plumbi, et aliorum metallorum: item agnis vinorum, akoaibus, tributis, vadis, ſtagnis, ſeu piſcaturis Danubialibus, Tyſiaeque, et aliorum fluuiorum: Nec non de decimis portorum annuatim prouenientium, ſub iuramento reuidere, et intelligere, et ſuper illis Regeſtum facere, ac illius copiam, in quantum ad Dominos Praelatos, et Barones attinet, ad praefatam generalem Dietam ſecum portare, et tandem rationem huiusmodi prouentuum decimalium, localium, et aliorum praenarratorum iuxta limitationem in eadem Dieta faciendam. In quantum vero Nobiles ipſos tangit, ſecundum limitationem vniuerſorum Nobilium cuiuslibet Comitatus, Gentes perſe ipſos conſeruare, et dum perſonaliter ad expeditionem futuram proficiſcentur, pro Regni tutela, et defenſione ſecum ducere teneantur, Domini tamen Praelati, et alii viri Eccleſiaſtici ratione decimarum, more hactenus conſueto, exercituabunt.*

15. Item, quod Patroni Eccleſiarum, et Tutores Pupillorum, bona Eccleſiarum, et ipſorum Pupillorum pro ſe non computent, ſed in medium Nobilium connumerentur. *Plebanorum etiam de Riuulo Dominarum, Sároſpatak, Beregzaz, Zeuleus* (Zeölös) *et Ardo* (hae omnes Parochiae ſunt Dioeceſis Agrienſis) *prouentus pariter reuideantur, et gentes exinde in caſu praemiſſo conſeruare teneantur.*

16. Et, quod bona, ac iura Poſſeſſionum Liberarum Ciuitatum in medium Comitatuum pro Gentium conſeruatione connumerentur.

17. Item, Regia *etiam*, et Reginalis Maieſtates ratione dignitatis, et bonorum ſuorum Banderia ſua parata ſemper habere dignentur; Officiales quoque finitimi, tam ratione bonorum ſuorum, quam etiam officiorum ipſorum Gentes ſuas integre conſeruare teneantur.

18. Loca per Thurcos combuſta, et deſolata non dicentur: Libertini tamen nonniſi *illi*, qui victu, et amictu Dominorum ſuorum vtentur in hac parte relaxentur.

19. Inquilini etiam in domibus propriis habitantes, et aratra, vel vineas proprias habentes dicentur, ne Regni *tuitio* in Gentium conſeruatione minuatur, atque deficiat.

20. Item, quod per Dominos Conſiliarios Regios limitentur, et conſtituantur ſtatim loca ſuper prouentibus Regiis, vbi, et de quibus Officiales finitimi ſallaria ſua rehabeant; et ad illos prouentus nemo ſe de cetero ingerere audeat; ne Officiales Budae cogantur mendicare, et per hoc officia eorum vacua relinquere. Reliquos etiam prouentus Regios, et Curiales, *Seruitores* vtriusque Maieſtatis ita moderare, ne tot diſſipationes, quot

um Nobilium illorum Comitatuum, vbi eiuscemodi bona adiacent, adminiſtrare teneantur, et in quolibet Comitatuum vnus Capitaneus per vniuerſitatem Nobilium eligatur, qui tam bona omnia Dominorum Nobilium in illo Comitatu adiacentia *ſub iuramento firmiſſimo* dicare, quam etiam Gentes militaris exercitii peritas conducere, et iuxta limitationem praeſcriptorum Conſiliariorum *Regiorum* ſecundum neceſſitatis exigentiam illas ſemper in confinibus tenere, et copiam *Regiſtri* ſuper Dicatura poſt rectificationem in Sede Iudiciaria faciendam manibus Vice-Comitis aſſignare: Tempora etiam, et dies conductionis Gentium, atque demiſſionis earum ad *officia* ſemper conſcribere, et Nobilibus notificare debeat, et teneatur; ne fraus in Gentibus conſeruandis, ſolutionibusque faciendis committatur. Nobiles etiam in litteris ipſorum *ſummo* Capitaneo Regio numerum Gentium mittendarum reſcribere; numerum etiam ſeſſionum Iobbagionalium illorum Dominorum, qui iuxta limitationem praeſcriptam per *ſemetipſos cogentur* gentes *conſeruare*, ipſi Capitaneo pariter ſignificare teneantur; *Vt* Capitaneus Gentes praenotatas reuidere, et perluſtrare ſciat, ne defectus in Gentibus ipſis vtcunque reperiatur. Damna vero, ſi quae per illas in tranſitu cuipiam irrogarentur, per Capitaneum earum ſemper rectificentur, atque rependantur. *Quodſi Capitaneus ipſe facere nollet, ſolus propterea iuri conuenienter puniatur.*

13. *Et, quod Gentes vniuerſorum Dominorum Praelatorum, et Baronum, et Regni Comitum, ſi quae nondum ſunt miſſae, ſub poena in generali Decreto exinde expreſſa, ex nunc ad officia, loca ſcilicet eis deputata mittantur, atque ſeruentur.*

14. *Quia per Dominos Praelatos, ac viros Eccleſiaſticas decimas habentes, ſuper magno, et ſuperfluo onere conſeruationis Gentium querimonia ſaepe defertur, vt ſcilicet vltra exigentiam, et quantitatem prouentuum ipſorum Gentes pro Regni defenſione conſeruare cogerentur: Quae vt remedio tollatur* (legendum: e medio tollatur) *iuxta formam, et continentiam dicti generalis Decreti*, in ſingulis *Regni* Comitatibus *tot* probi, et *fide digni* Nobiles per vniuerſitatem Nobilium *eorundem Comitatuum* eligantur, *quot in eiſdem Comitatibus Iudicialium* (id eſt: quot Iudiciales, ſeu Iudices Nobilium) *habentur*, qui *vna cum eiſdem Iudicialibus, praeſtitis per ipſos iuramentis*, tam de prouentibus *eorundem* Dominorum Praelatorum, et Virorum Eccleſiaſticorum *decimas habentium, quam etiam numero Iobbagionum ſuorum, a quibus decens, et opportunum fuerit, diligenter exprimi, et eorum computum, atque numerum ſub ipſorum ſigillis infra proximum Feſtum Beati Martini Epiſcopi, et Confeſſoris Dominis Conſiliariis, et Aſſeſſoribus transmittere teneantur, vt in Dieta, et Conuentione generali modo primitus celebranda iuxta exigentiam facultatum, et prouentuum, numerumque Iobbagionum ipſorum, Gentium per eos conſeruatio iuſte, et honeſte limitetur. Interea vero Gentes ſuas modo, quo hactenus ſoliti, iuxta formam ipſius generalis Decreti, et Regiſtrum Excellentiſſimi Principis quondam Domini Sigismundi Imperatoris, et Regis, Regni pro defenſione conſeruare teneantur.*

15. Item, quod Patroni Eccleſiarum, et Tutores Pupillorum Bona Eccleſiarum, et ipſorum Pupillorum pro ſe non computent, ſed in medium Nobilium connumerentur:

(Legem hanc tum refricat, tum explicat articulus 23. anni 1526. ex quo diſcimus Patronos Eccleſiarum nequaquam occupaſſe bona, ſed illa ſuis adnumerari feciſſe, vt Eccleſiis ſolae pecuniae extraordinariae ſoluendae obuenirent.)

16. Et, quod bona, ac iura poſſeſſionum libera-

Digitized by Google

quot fuerunt haſtenus, in prouentibus Regiis de cetero committantur.

21. Item, quod cuſio praeſentis Monetae de cetero ceſſet, et Regia Maieſtas bonas Monetas, prout temporibus Sereniſſimorum Principum quondam Dominorum Mathiae, et Wladislai Regum, et in principio quoque regiminis Maieſtatis Domini noſtri Clementiſſimi fuerat, cudi facere dignetur, verumtamen *infra praefatam generalem venturam Dietam pro feſto Natiuitatis S. Iohannis Baptiſtae praedicto celebrandam, monetae* iam cuſae, more haſtenus ſolito pro vno denario veteri currant, et accipiantur.. Attamen in rebus vendibilibus Regia Maieſtas ordinationem pridem factam, atque publicatam obſeruare faciat. Et ſi venditores contrarium facerent, res eorum vendibiles, ac mercimonia vbique locorum in predam publicam conuertantur.

22. Verum quia omnis haec penuria, ac cariſtia rerum vendibilium, et mercimoniorum, quae modo Regnum iſtud oppreſſit, ex cuſione praeſenſis monetae cupreae prouenit, atque creuit, plures ſunt autem, qui monetas praeſentes cudi fecerunt, alii ex permiſſione Regiae Maieſtatis, alii vero propria eorum temeritate, veritas itaque eſt de praemiſſis exquirenda, et ratio recta capienda, et exigenda. Qui igitur de voluntate Regia monetas in vero pondere, ſeu liga quatuor Lothonum cudi fecerunt, ſi iuſtam rationem de illis dare poterunt, abſoluti habeantur. Illi tamen, qui monetas ipſas adulterauerunt, et in liga trium Lothonum, vel aliter infra quatuor cudi feciſſe comperti fuerint, non ſolum ad rectam rationem dandam ſint obligati, verum etiam *eorum* lucrum, quod ex huiuscemodi adulteratione, fraude perceperunt, Regiae Maieſtati reddere, refundereque teneantur. Qui vero propria temeritate cudi fecerunt, prout in Decreto quoque continetur, nota perpetuae infidelitatis condemnentur.

23. Ceterum, ſi qui extraneorum Hominum monetas extra Regnum iſtud cuſas, et fabricatas in hoc ipſum Regnum de cetero importauerint, et deprehendi poterint, mox, et defacto comburantur, et incinerentur, pecuniaeque cuſae ab eis auferantur. Hoſpites quoque, et diſpenſatores eorum in hoc Regno, ſi de cetero reperti fuerint, pari poena puniantur.

24. *Item, quod Maieſtas Regia Banatum Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae a Domino Iohanne de Thab propter manifeſta odia, et diſcordias, apertasque hoſtilitates cum Nobilibus illorum habitas, et contracta, auferre, et Hungaris conferre dignetur: ne illa Regna inter tot inimicitias, et odia, diſturbiaque pereant, et periclitentur.*

25. *Item, quod Stanislaum, et Iacobum Kocheſ de hoc Regno Maieſtas Regia ablegare, et licentiare dignetur, propter homicidium per eos Anno ſuperiori patratum, et pecuniae per eos in hoc Regno congregatae per Regiam Maieſtatem auferantur, et ad caſtra finitima conuertantur.*

26. *Item,* quod Teſtamentum quondam Domini Georgii Archiepiſcopi Strigonienſis Maieſtas Regia exequutioni faciat demandare, et Seruitoribus *ſuis* ſolutionem facere. Pecunias, et res alias pro Miſſa perpetua Capitulo Strigonienſi per eum dignetur reddere gratioſe.

(In Hatuaniano eſt Numero 25.)

27. Quod pecuniae Teſtamentariae, aliaeque res Reuerendiſſimorum quondam Dominorum Thomae, et Georgii Strigonien. ac *Gregorii* Colocen. Eccleſiarum Archiépoſcoporum *pro nunc* exquiſitarum Ciuitatum *noniter empta* in medium Comitatuum pro Gentium conſeruatione connumerentur.

17. Item, Regia, et Reginalis Maieſtates ratione dignitatis, et honorum ſuorum, Banderia ſua parata ſemper habere dignentur. Officiales quoque finitimi, tam ratione bonorum ſuorum, quam etiam officiorum ipſorum Gentes ſuas integre *pariter* conſeruare teneantur, *prout in Decreto conſcriptum habetur.*

18. *Item, quod* loca per Turcas combuſta, et deſolata non dicentur: Libertini tamen non niſi qui victu, et amictu Dominorum ſuorum vtuntur, in hac parte *conſeruationis Gentium* relaxentur.

19. Inquilini etiam in domibus propriis habitantes, et aratra, vel vineas proprias habentes, dicentur: Ne Regni *defenſio* in Gentium conſeruatione ex eorum numero minuatur, atque deficiat.

20. Item, quod per Dominos Conſiliarios Regios limitentur, et conſtituantur ſtatim loca ſuper prouentibus Regiis, vbi, et de quibus officiales finitimi ſallaria ſua rehabeant, et ad illos prouentus nemo ſe de cetero ingerere audeat; ne Officiales *ipſi* Budae cogantur mendicare; et per hoc officia eorum vacua relinquere. Reliquos etiam prouentus Regios, et Curiales, *Oratores* vtriusque Maieſtatis ita moderare, ne tot diſſipationes, quot haſtenus fuerunt, in prouentibus Regiis de cetero committantur. *Et quod ſingulis annis Theſaurarius Regius, et Prouiſor Budenſis ſuper cunctis prouentibus Regiis, Dominis eisdem Conſiliariis, et Aſſeſſoribus, in feſto Epiphaniarum Domini, ac diebus immediate ſequentibus, ad id ſufficientem rationem, et computum dare teneantur.*

21. Item, quod cuſio praeſentis monetae de cetero ceſſet; et Regia Maieſtas bonas monetas, prout temporibus Sereniſſimorum Principum quondam Dominorum Mathiae, et Wladislai Regum, et in principio quoque regiminis Maieſtatis Domini noſtri Clementiſſimi fuerat, cudi facere dignetur. Verumtamen *infra feſtum Beati Laurentii Martyris proxime venturum* monetae iam cuſae more ſolito pro vno denario veteri, *poſt vero praedictum Feſtum, interea, quo moneta noua, et bona multiplicabitur, duo ex eisdem cupreis pro vno bono, et antiqua moneta* currant, et accipiantur. Attamen in rebus vendibilibus Maieſtas Regia ordinationem pridem factam, atque publicatam obſeruare faciat. Et ſi venditures contrarium facerent, res eorum vendibiles, ac mercimonia, vbique locorum in predam publicam conuertantur.

(Articulus 24 anni 1526. ad huius legis formam cuſus eſt.)

22. Verum quia omnis haec penuria, ac cariſtia rerum vendibilium, et mercimoniorum, quae modo Regnum iſtud oppreſſit, ex cuſione praeſentis monetae cupreae prouenit, atque creuit; plures autem ſunt, qui monetas praeſentes cudi fecerunt; alii ex permiſſione Regiae Maieſtatis, alii vero propria eorum temeritate, veritas itaque eſt de praemiſſis *per Regiam Maieſtatem* exquirenda, et recta ratio capienda, et exigenda. Qui igitur de voluntate Regia monetas in vero pondere, ſeu liga quatuor Lothonum cudi fecerunt, ſi iuſtam rationem de illis dare poterunt, abſoluti habeantur. Illi tamen, qui monetas ipſas adulterauerunt, et in liga trium Lothonum, vel aliter infra quatuor cudi feciſſe comperti fuerint, non ſolum ad rectam rationem

Digitized by Google

exquirantur, et ad Regni neceſſitates conuertantur.

28. *Item*, quod aurum, et argentum de hoc Regno non educantur, et ſi *reperientur educentes*, vbique libere auferantur.

29. *Item Magnifico Francifco de Hederuár ſalaas condeſtus ad ſe expurgandum (ſi poterit) per Regiam Maieſtatem vigore Decreti libere concedatur, et conferatur.*

30. Item, quod Nobiles partium inferiorum, et ſignanter duodecim Comitatus a Zeuerino uſque Poſegam in eorum libertatibus iuxta contenta Decreti conſeruentur, et prouentus eorum de deſertis reſtituantur.

* * *

31. Quamnis plurimae conſtitutinnes, et ordinatinnes, plurima ſtatuta, et Decreta incrementum regiminis Maieſtatis Regiae Domini noſtri Gratioſiſſimi inprimis. demum ſalutem, et quietum ſtatum totius Regni huius tangentia, et concernentia ſoepenumero ſtabilitae fuerint, et concluſa, nulla tamen via, nullo modo, nulloqne ordine effectum, et exequutionem propter varios turbatores hactenus ſortiri potuerunt, ſed omnes expenſae, labores, ſatigiaque Regnicolarum in irritum tranſierunt, propterea, vt turbatoribus earum conſtitutionum aliquando via praecludatur, et Reſpublica Regni huius in bonum ſtatum redigatur, Generalis. et una Congregatio, et Dieta vniuerſis. et ſingulis Nobilibus. ac alterius cuiusuis ſtatus, et conditionis poſſeſſionatis Hominibus ad proximum feſtum Natiuitatis Beati Iohannis baptiſtae in oppido Nagh Hathuan appellato in Comitatu Heueſien. habito celebretur, ad quam vniuerſi Nobiles tam Iobagiones habentes, quam etiam vnius ſeſſionis aduenire: et Nobiles Iobagiones habentes de ſingulis decem ſeſſionibus eorum Iobagionalibus vnum Equitem leuis armaturae: de Comitatibus autem partium ſuperiorum, videlicet Tryncben. Thuroth, Arua, Lyptho, Zolyon. Zepes. et Sáros, loco Equitum Pedites Pixidarios ſecum ducere, ſoli etiam in perſonis eorum, non in curribus chochis, ſed more exercitantium venire, Nobiles autem vnius ſeſſionis res mobiles in valore centum florenorum habentes, perſonaliter aduenire; ceteri vero decem ex eis vnum mittere teneantur.

(De Chochiis vel Kochiis, Kotſiis lege diſſertationem ſecundam Tomo primo Hungariae Promptuarii pag. 15, et aliam rurſus Tom. 4. pag. 460. inſertam.)

32. Item, Capitula, Conuentus, Praepoſiti, Abbates, Moniales, et aliae Perſonae Eccleſiaſticae patrimonia, ſeu iura poſſeſſionaliter habentes, et poſſidentes, pro eorum perſona ſingulum vnum Equitem, et inſuper de ſingulis decem ſeſſionibus eorum Iobagionalibus, inſtar aliorum Regni Nobilium ſingulum vnum Equitem mittere ſint obligati.

33. Item Ianitores, ſeu Magiſtri Curiae Dominarum Conſortum Specialium Nobilium, pro cuſtodia Domus, ac familiae eorum domi quidem manere poſſunt: attamen loco ipſorum vnum ſingulum Equitem mittere tenebuntur.

34. De Stipendiariis Dominorum, ac Nobilium idem eſt intelligendum, quia videlicet ad ſtipendia Dominorum ſuorum in ſeruitiis eorum conſtituti veniunt, ideo in perſoois eorum alios Equites adducere debeant.

35. Item fratres indiuiſi, vel Pater cum filio indiviſus, vnum duntaxat ex eis natu maiorem, ſiue principaliorem mittere teneatur.

26,

nem dandam ſint obligati, verom etiam *totum* lucrum, quod ex *eiusdem adulterationis* fraude perceperunt Regiae Maieſtati reddere, refundereque teneantur. Qui vero propria *eorum* temeritate cudi ſecerunt, prout in Decreto quoque continetur, nota perpetuae infidelitatis condemnentur.

23. Ceterum, ſiqui extraneorum hominom monetas extra Regnum iſtud cuſas, et fabricatas, in hoc ipſum Regnum de cetero importaoerint, et deprehendi poterint, mox, et de facto comburantur, et incinerentur; pecuniaeque cusae ab eis auferantur. Hoſpites quoque, et diſpenſatores eorum in hoc Regno ſi de cetero comperti fuerint, pari poena puniantur.

(Concordat cum articulo 35 anni 1526, ſi excipias, quod transgreſſores nequaquam ad rogum, ſed ad ſecurim damnantur. Si fas eſt verum dicere, maiores noſtri nimium faciles in extruendis, et accendendis rogis erant, expreſſerunt in eo quoque vehementiam, et viuacitatem ſuam; id tamen diffitendum non eſt, quod tam facile extruxerint, atque accenderint, ſi tamen accenderunt vnquam.)

24. *Ne autem fraus, et dolus, prout hactenus in rebus vendendis, et emendis committatur, vbique per totum hoc Regnum pro frumentorum, et Bladorum venditione, et emptione, atque vinorum ducillatione, vno, et eadem menſura, cubulus ſcilicet, et quartale, ac Pyntha Budenſis formetur. Verumtamen haec menſura, atque Pyntha in priorem, et priſtinum ſtatum, et formam, quae nuper diminuta fuit, redigatur, et per ſingulas Regni Comitatus, omnesque Ciuitates liberas diſtribuatur. Pretium tamen non aequale, ſed iuxta locorum exigentiam, prout ſcilicet carius, vel vberius res vendibiles creſcunt, aut deſeruntur, taxetur, et limitetur.*

25. Quod teſtamentum *Reuerendiſſimi* quondam Dñi Georgii Archi-Epiſcopi Strigonienſis exequutioni faciat Regia Maieſtas demandare, et Seruitoribus ſolutionem facere. Pecunias, et res alias pro Miſſa perpetua Capitulo Strigonienſi per eum *datas, et relictas*, dignetur reddere gratiose.

26. Quod pecuniae teſtamentariae, aliaeque res Reuerendiſſimorum quondam Dñorum Thomae, et *dicti* Georgii Strigonien. ac Georgii Colocen. Eccleſiarum Archi Epiſcoporum, *et Franciſci de Warda Epiſcopi Tranſiluanien. ex nunc* exquirantur, et ad Regni neceſſitates conuertantur.

(Optimo iure id ſtatuere poterat Synodus Regia, ſiquidem teſte articulo 28 anni 1526 ad redimenda caſtra impignorata pecunias ſuas deſtinarat Georgius Archi-Epiſcopus Strigonienſis.)

27. Quod aurum, et argentum de hoc Regno non educantur: et ſi reperitur educens, vbique libere auferantur, *prout continetur in Decreto*.

28. Item quod Nobiles partium inferiorum, et ſignanter duodecim Comitatus a Zeuerino vſque ad Poſega. in eorum libertatibus, iuxta contenta Decreti conſeruentur, et prouentus eorum de deſertis reſtituantur.

* * *

29. Item quod de cetero cauſae in Curia Regia cum proceſſu ſolito Regni hactenus tractari conſuetae in cauſam honoris non conuertantur.

30. Et quod Litterae adiudicatoriae per Regiam Maieſtatem contra libertatem. et conſuetudinem Sedis Suae Iudiciariae, et Regni ſui abſoluta ſua auctoritate extradari commiſſae, et extradatae, nullius ſint firmitatis, et aduerſae parti litterae legitimae, ac iuridicae contra prae-

di-

Digitized by Google

36. Item Comitatus partium inferiorum, videlicet Themes, Thorontal, Bath, Walkos, Zſerem, et Poſega pro cuſtodia partium inferiorum domi quidem manere poſſunt, certos tamen nuncios de eorum medio deſtinare teneantur.

(Bács, Walka, Zeverinenſis, Poſega ſcriberemus hodie.)

37. De Sclauonia, et Tranſyluania hoc idem eſt intelligendum; quod ſcilicet oratores duntaxat ipſorum mittant. Verumtamen in Sclauonia mille, et in Tranſyluania ſimiliter mille Equites paratos habeant, vt quo iuxta ordinationem in ipſa Dieta ventura faciendam neceſſarium erit, mox illos transmittere poſſint.

38. Siquis vero Dominorum Praelatorum, et Baronum huius Regni incrementum Regiminis Maieſtatis Regiae, ſalutemque huius Patriae, et libertatem Nobilium, ſuamque propriam cupit, ad ipſam Dietam libere venire poterit, ſe de vero membro huius Regni eſſe declaraturus: Verumtamen non cum externis Gentibus, ſed incolis huius Regni veniat.

39. Interim vero, quo Dieta ipſa peracta, finitaque fuerit, vniuerſi Nobiles in ſeruitiis quorumcunque Dominorum praeoccupati, et conſtituti, etiam Caſtellani Caſtrorum, et alii factores eorum, omnibus ſeruitiis, et officiis Dominorum ſuorum cedere, renunciareque, et non aliter eisdem Dominis iſtorum ſeruire teneantur, niſi palam intellexerint eos, vel alterum ipſorum ad praedictam Dietam venturum, acceſſuroſque, cum Nobilibus vna bonum publicum Regiae Maieſtatis, et Regni ſui ordinaturos, ac procuraturos. Qui ſi contrarium in praemiſſis fecerint, proditores Regni, et vniuerſae nobilitatis habeantur: et talium bona Regia Maieſtas, cui voluerit, in perpetuum libere conferat. Res vero mobiles per alios Nobiles illius Comitatus, in quibus tales reſident, in predam publicam conuertantur: Domus eorum diſtrahantur: ſoli capite plectantur, et filii quoque, ac filiae eorum perpetuae ruſticitati ſubiiciantur.

40. Et de Nobilibus quoque illis, qui ad Dietam ipſam modo praemiſſo, ordineque praedeclarato venire contempſerint, hoc idem eſt intelligendum. Et nemo eorum peregrinatum eundo, vel aliud ſubterfugium quaerens Dietam ipſam praetermittere praeſumat.

41. Ceterum vniuerſi Nobiles cuiuslibet Comitatus ſub capitaneatu, et ductu Vice-Comitis ſui, vel ſi Vice-Comes ipſe ad hoc ineptus, ac inſufficiens viſus fuerit, ſub Capitaneo per ipſam Vniuerſitatem Nobilium eligendo venire teneantur. Et nemini in via venientes, ac ad propria redeuntes damnum inferre, vel aliquem in perſona laedere praeſumant. Et ſi quis eorum damnum cuipiam intulerit, aut in perſona laeſerit, Capitaneus ipſe ad requiſitionem damnificati, aut laeſi hominis indilate iudicium, et iuſtitiam facere ſit obligatus. Qui ſi non fecerit, per vniuerſitatem Nobilium ad praedictam Dietam confluentium, prout videbitur, et merebitur, in eadem Dieta puniatur. Et quilibet Comitatus prima die Dietae ſaltem ad veſperum, ſi non prius, in dicto oppido Hathuan conſtituatur, ne in expectando alter alterum, ibidem diutius immorari Nobiles ipſi cogantur.

42. Item, quod vniuerſae decimae Dominorum Praelatorum, ac aliorum virorum Eccleſiaſticorum infra celebrationem praeſcriptae generalis Dietae in ſuſpenſo habeantur: nec cuipiam co-

dictas violentas litteras pariter reddantur, non obſtantibus quoque huiuſcemodi litteris de facto, et abſolute emanatis, exequutioni demandentur.

31. *Item*, quod Iudicia *breuia ſtatuto vno per Regiam Maieſtatem termino* more *hactenus conſueto* celebrentur. Verumtamen dolus, et fraus, quae in inhibitionibus, et peregrinationibus hactenus inter cauſantes, et litigantes abuſiuo modo fieri conſueuerat, de cetero ceſſet: Ita quod inhibitiones iuſtae, et rectae fieri quidem poſſint, prout in Decreto *quoque* continetur. Verumtamen illis, qui vel praeſentes fuerint in loco iudiciorum, vel in aliis cauſis contra alios egerint, aut actionem *illorum* reſponderint, inhibitio non detur, neque obſeruetur; Peregrinationis vero prorogatio (quia peregrinatio ſalutis, et non fraudis *ratione* fieri debet) penitus, et in toto tollatur atque ceſſet.

* * *

32. Item, quod omnia Decreta Regni per Dominos Conſiliarios Regios, et Aſſeſſores Iuratos ſedis Iudiciariae Regiae, infra venturam Generalem Dietam in vnum corpus Decreti redigantur; Et leges quoque, ac iura ſcripta interim perlegantur, et ex nouo reuideantur, atque reuiſa in eadem Dieta per Regiam Maieſtatem confirmentur.

33. Item, quod honores Comitatuum Regia Maieſtas ad ſupplicationem vniuerſitatis Nobilium cuiuslibet Comitatus talibus Perſonis conferre dignetur, quae ipſis Nobilibus placitae, et acceptabiles videbuntur, ne oppreſſionem, et defectum in iure ipſorum per eos Comites, qui eisdem diſplicent, et contrarii ſunt, quouis modo patiantur.

34. Item, quamuis Triceſimae, et Ciuitates Regiae prae manibus Dominorum Iohannis Wayuodae Tranſyluanienſis, et Georgii Fratris ſui carnalis, Comitum ſcilicet Schepuzien. in certa pecuniarum ſumma, titulo inſcriptionis habitae, tam ſecundum contenta Decreti pro Feſto Beati Lucae Euangeliſtae in Anno Dñi 1524, quam etiam iuxta formam articulorum quoque Bachiae in anno ſalutis 1518. conſcriptorum, reſtituta ea capitali ſumma pecuniarum, pro qua apud manus ipſorum exiſtunt, ex rationibus, et cauſis ibidem declaratis, Regiae Maieſtati reddi, et dimitti debeant; Ne tamen vlterius Regia Maieſtas eiuſcemodi prouentibus, et Ciuitatibus deſtituta maneat, ſed vniuerſi prouentus ſui Regii ad manus ſuas in tempore, et ex nunc veniant, atque reſignentur; Ne etiam ipſi Domini Comites Schepuſienſes pecuniis eorum Primarii (lege: *priuari*) videantur, propterea concluſum eſt, quod Maieſtas ſua Regia vniuerſa Caſtra, Caſtella, Oppida, Villas, Poſſeſſiones, Praedia, Portionesque, et quaelibet iure poſſeſſionario Illuſtris quondam Laurentii Ducis vbilibet habita, et adiacentia, praefatis Comitibus (quos etiam alioquin eadem iura poſſeſſionaria vigore cuiuſdam fraternalis contractus, et Regii conſenſus exinde adhibiti concernere, et eisdem adiudicata quoque extitiſſe perhibentur) remittere, et reaſſignare quoque facere dignetur. Cunctis litteris ſuis Donationalibus, Inſcriptionalibus, et Impignoratitiis, ac etiam Statutoriis ſuper eisdem bonis, et iure poſſeſſionario pro parte quorumcunque hactenus confectis, et emanatis, vigore praeſentis conſtitutionis per omnia caſſatis, et annihilatis, viribusque deſtitutis, et defacto relictis, iure duntaxat foeminei, vel etiam virilis ſexus, ſiqui ſuperſunt Ho-

Digitized by Google

eorum ſoluant, et tandem quidquid pro vtilitate Reipublicae huius Regni, pro reformatione caſtrorum finitimorum, et ciuitatum deſtructarum in confinibus, et de eisdem decimis faciendum videbitur, communi omnium ſententia in ipſa Dieta decernatur. Interim tamen ipſi Domini Praelati, ac viri Eccleſiaſtici, Gentes eorum, quas in confinibus habent, ſub poena perpetuae amiſſionis decimarum ſuarum ad propria reducere non praeſumant.

43. Item, quod interim vniuerſa iudicia, tam in curia Regia, quam etiam in ſedibus ſpiritualibus, et Comitatuum generaliter ceſſent, demptis cauſis Dñorum Comitum Zepuſienſ. et aliorum ratione bonorum quondam Domini Laurentii Ducia dudum motis, et nondum terminatis, pro quibus Maieſtati ſuae, vt illas decidere faciat absque mora, ſupplicatum eſt, et ceteris factum honoris, ac priuati compromiſſi concernentibus. Verum de cetero cauſae in curia Regia cum proceſſu ſolito Regni hactenus tractari conſuetae, in cauſam honoris non conuertantur.

(Concordat cum lege 29. Hatuanienſi.)

Praeterea vniuerſae literae ad Iudicatorem (*forte legendum eſſet: adiudicatoriae*) omnium Dñorum, et Regnicolarum ſuper cauſis in termino celebrationis iudiciorum diei Dominicae *Reminiſcere* proxime tranſactae adiudicatis, et ad Maieſtatem Regiam appellatis, vniuerſisque per eam remiſſis, quia vetuſtae legi, et libertati totius Regni huiuscemodi dilatio palam praeiudicari videtur.

(Addendum foret: *expediantur*. Nimirum literae adiudicatoriae, de quibus ſupra.)

44. *Poſtremo*, quod iudicia *poſt proximam feſti Natiuitatis S. Iohannis Baptiſtae Dietam ſolito* more celebrentur. Verumtamen dolus, et fraus *illa*, quae in inhibitionibus, et peregrinationibus hactenus inter cauſantes, et Litigantes abuſiuo modo fieri conſueuerat, de cetero ceſſet; Ita quod inhibitiones iuſtae, et rectae fieri quidem poſſint, prout in Decreto continetur. Verumtamen illis, qui vel praeſentes fuerint in loco Iudiciorum, vel in aliis Cauſis contra alios egerint, aut (ad) actionem *aliorum* reſponderint, inhibitio non detur, neque obſeruetur. Peregrinationis vero prorogatio (quia peregrinatio ſalutis, et non fraudis *cauſa* fieri debet) penitus, et in toto tollatur, atque ceſſet.

(Confer legem 31. Hatuanienſem.)

Hominum, in eisdem bonis, et iuribus poſſeſſionariis, virtute, tituloque ſanguinis habito ſaluo remanente; ideo ipſi quoque Comites Schepuſienſes vniuerſas Tricelimas, ac Ciuitates Regias prae manibus eorum hactenus, vt profertur, titulo inſcriptionis pro grandi florenorum annuorum ſumma habitas, et exiſtentes, Maieſtati ſuae Regiae vice verſa, et in recompenſum praemiſſorum, quiete, et absque pecuniarum ſolutione reſignare teneantur.

35. Item quamquam tributa ſicca, et arida, atque ſuper aquis, et fluuiis ab infra deſcendentibus, et ſupereuntibus exigi conſueta, contra Deum, eiusque iuſtitiam exigi videantur, et exinde in Decreto quoque Sereniſſimi Principis quondam Dñi Ludouici Regis, per Inuictiſſimum Principem quondam Dñum Matthiam Regem felicis coronationis ſuae confirmato, conſtitutio quaedam, et abolitio eorum facta habeatur, absque debita tamen reuiſione: quod ſcilicet illorum ſiccum, et aridum exiſtat, et per eorum pontem, et repleturam habeat, ac iuſta, rationabilique de cauſa exigatur, concluſio perfecta fieri non poteſt. Quapropter ſtatutum eſt, quod in ſingulis Regni huius Hungariae, et partium ſibi ſubiectarum octo probi, et Nobiles viri eligantur, qui ſtrictiſſimo ſub iuramento cuncta tributorum ſiccorum, et in aquis quoque exigi ſolitorum, pontes etiam, et repleturam habentia loca peragrare, perluſtrareque, ac oculata fide conſpicere: Deinde ab vicinis, et Commetaneis eorundem theloneorum, Nobilibus, ac ignobilibus pariter ſub quantitate exactionis eiuscemodi tributorum, quantum videlicet de vnoquoque curru, equite, et pedite accipi, et exigi conſueuerunt; et quae illorum repleturas, vel pontes habeant; et quae ſimiliter arida, ſiccaque exiſtant, certo certius edoceri, informarique, et ad proximum feſtum Beati Martini Epiſcopi, et Conſeſſoria ſub eorum, atque vice-Comitum, et Iudicialium ſigillis, Conſiliariis, et Aſſeſſoribus Regiis fideliter conſcribere, et ipſi Domini Conſiliarii, et Aſſeſſores ſuper cuiuslibet tributi tam abolitione, et diſtractione, quam etiam exactione, veram, iuſtamque, et honeſtam limitationem, ac taxationem facere, et iuxta eamdem limitationem, et taxationem poſtea cuncti Tributarii procedere, theloneaque, et deponere, et exigere debeant, atque teneantur ſub amiſſionis poena tributorum ipſorum.

36. Item vt curia Maieſtatis Regiae, honeſte, ac ſeruitorum frequentia, ac multitudine ſit referta, et decorata, vniuerſa iura Patronatus omnium Eccleſiarum, et Beneficiorum Eccleſiaſticorum tam per Maieſtatem Regiam, quam etiam Sereniſſimum quondam Dominum Wladislaum Regem Genitorem ſuae Maieſtatis chariſſimum piae memoriae, cuicunque collata, reuocata habeantur. Et Maieſtas ſua Regia de cetero cuncta beneficia Eccleſiaſtica, demptis Canonicatibus, et ſimplicibus Archidiaconatibus, ac Rectoratibus altarium, quibuscunque Sola voluerit, iuxta praeallegatum Decretum pro feſto Beati Lucae Euangeliſtae editum, conferet. Praeterea cuncta Beneficia Eccleſiaſtica ab illis, qui vltra vnum habent, per Regiam Maieſtatem pariter auferantur; Et iuxta contenta generalis Decreti, Perſonis benemeritis diſtribuantur, vt eo plures Deo glorioſe ſeruire, plures etiam Gentes pro Regni defenſione conſeruare poſſint.

(Renouata eſt haec lex Anni 1536. Articulo 21.)

37. Item, quia omnia occaſio impedimenti, qua ſolutio decimarum Dominorum Praelatorum,

et

et aliorum virorum Eccleſiaſticorum, infra praeſentem Dietam nuper ſuſpenſa fuerat, Deo Glorioſo Duce iam ſublata eſt: Ideo vniuerſae decimae eorundem Dominorum Praelatorum, ac aliorum Eccleſiaſticorum more hactenus conſueto vbique libere, et pacifice reddantur, atque perſoluantur.

(Ludouicus II. Reſcripto ſuo, quod paulo ante dedimus, decimas Eccleſiis vindicauit)

38. Item, quod officia Cancellariatus, Iudicatus Curiae, Theſaurariatus, ac Magiſtratus Curiae Regiae Maieſtatis, et Prouiſoratus Budenſis ſua Maieſtas Regia ex nunc mutare, et alios, qui in rebus, et factis ſuae Maieſtatis, et Regni ſui effectiue procedent, et exequutionem faciunt, in locum modernorum Officialium praefigere dignetur.

39. Quod ad proximum Feſtum Beati Martini Epiſcopi, et Confeſſoris per totum hoc Regnum Hungariae in bonis tam Regiae, et Reginalis Maieſtatum, quam etiam vniuerſorum Praelatorum, et Baronum, et Regni Nobilium, ſinguli centum denarios veteres vnum florenum facientes per Dicatores Regios connumerentur, et modo, ac ordine, quo in Gentium conſeruatione fieri conſueuit, incluſo lucro Camerae Maieſtatis Regiae exigantur: Quorum ſeptuaginta quinque Maieſtati Suae Regiae, et reſidui viginti quinque denarii Reginali Maieſtati pro ſubſidio, et conſeruatione Banderiorum ſuorum cedant, atque ſoluantur. Vbi autem monetae veteres dari, ſoluique non poterint, duae monetae nouae pro nunc currentes ſoluantur, et accipiantur.

(Hoc ipſum denuo ſancitur articulo 39. anni 1526)

40. Item, quod ad Feſtum Beati Georgii Martyris proxime venturum vna generalis Dieta ſub poena in generali Decreto expreſſa in campo Rákos celebretur, in qua Decreta in vnum corpus Decreti modo praenarrato redigantur, et leges Regni conſcriptae reuideantur, intelligantur, atque confirmentur. In reliquis etiam Regiae Maieſtatis, et Regni ſui rebus quidquid pro vtilitate, et commodo, ac quieta conſeruatione Maieſtatis ſuae, et Regni ſui faciendum videbitur, vnanimi voto decernatur, atque concludatur.

41. Quod licet anno ſuperiori vniuerſitas Dominorum, ac Nobilium Regiae Maieſtati in eo ſupplicauit, et exinde articulos quoque ediderit, vt Maieſtas ſua Regia, illos, qui Caſtra Nandoralben., et Sabach. amiſerant, ſeruatis in hac parte conditionibus in ipſis articulis declaratis, nota infidelitatis condemnare dignaretur; et ex eo Maieſtas ſua Regia Magnificum Franciſcum de Hederwára, alias Banum dicti Caſtri Nandoralben. ipſa infidelitatis nota condemnauerit; bona etiam, et iura poſſeſſionaria certis Fidelibus ſuis perpetuo donauerit; quia tamen Maieſtas ſua Regia certis de cauſis egregios Valentinum Therek, ac Stephanum, et Blaſium Swolyok ſuper amiſſione praedictorum Caſtrorum, in qua pariter participes, et culpabiles dicebantur, abſolutos declarauit, atque commiſit, ideo praelibatum quoque Franciſcum de Hederwára pari ratione ad ſupplicationem praefatorum Dominorum, et Nobilium ſuper praedeclarata amiſſione, ſeu potius violenta expugnatione dicti Caſtri Nandoralben. abſolutum reddere, et inter fideles ſuos connumerare, vniuerſaque Bona ſua ſibi remittere, et remitti facere dignetur.

42. Item, quoniam in diſcuſſione, et examine cuiusdam cauſae alias inter Dominam Euphemiam relictam quondam Ioannis Bodo, vt Actricem ab vna, ac Dominam Annam relictam quondam Magnifici Moyſis Buzlay veluti in cauſam attractam altera, partibus, ratione certorum actuum potentiariorum dudum motorum, et ad quamdam atteſtationem deductae, praefata Domina Anna quoddam aduerſus ipſam Dominam Euphemiam ex iudiciaria deliberatione Perſonalis Praeſentiae Noſtrae contra vetuſtam legem, et approbatam conſuetudinem huius Regni Noſtri, vt profertur, facta, praeſtitiſſe, depoſuiſſeque perhibetur iuramentum; Ideo vt vetuſta lex, et conſuetudo ipſius Regni Noſtri ſalua remaneat inconcuſſa: Ne etiam vnus aliam conſuetudinem induxiſſe videatur, non obſtante einſcemodi iuramentali diſpoſitione, veluti abuſiuo modo facta, in termino Iudiciorum Breuium primitus celebrandorum partes inter praenotatas ex nouo iudicium fiat, atque celebretur; et quidquid iuxta veterem legem, ac conſuetudinem approbatam ipſius Regni Noſtri, ſecundumque Deum, et eius Iuſtitiam in hac parte faciendum videbitur, id ratum maneat, atque firmum.

(In laudato Codice Vaticano ſequens notula alio charactere legebatur ſubiuncta)

Non poſuerunt articulum, quod ſtipendium Militum pro hoc anno ſit auctum ad tres florenos pro menſe certis de cauſis, ſed propterea maxime, quod nolunt, neque poſſunt eis ſatisfacere in eamdem rationem.

CIV.
SYNODVS REGIA
Campi Rákos Anni MDXXVI.

1. Vt (a) ſolum Maieſtas Regia (et nemo Dominorum Praelatorum praeter ſimplicem Canonicatum) (b) beneficium conferendi habeat facultatem. Non tamen externis, ſed Vngaris, et Coronae Vngariae ſubiectis.

 2. Quia

(a) Alias 21.

(b) In Stylo cancellariae Mathiae Regis, quem Cl. Stephanus Zékely pro more ſuo piae memoriae Epiſcopo Quinque-Eccleſienſi Georgio Klimo vendidit, et Cl. ac Rmus D. Ioſephus Koller memoratae Eccleſiae Canonicus, decus, et ornamentum, mecum communicauit, ſequentia adnotauit modo laudatus Zékely: *Ludouicus II. be-*

2. Quia (*a*) ſolent non nulli Dominorum ſub nomine Iuris Patronatus Eccleſiarum bona, cum omnibus, quae ad officium Abbatum, et Religioſorum Fratrum, atque Monialium pertinent, tempore connumerationis pecuniarum exercitualium, inter bona ſua facere connumerari; Vnde ſtipendiarii Comitatuum, in plerisque Comitatibus eſſent diminuti. Igitur ſtatutum eſt, vt omnia huiusmodi bona Religioſorum amodo deinceps in medium Comitatus connumerentur: Vt etiam numerus ſtipendiariorum augeatur: Et nullus Dominorum praetextu Iuris Patronatus huiusmodi Eccleſiae bona pro ſe connumerari facere audeat: Exceptis huiusmodi beneficiis, quae de bonis, et haereditate Dominorum eſſent fundata, et excerpta.

3. Metas (*b*) Vngariae cum Morauis, et Auſtralibus Regia Maieſtas rectificare, et caſtra illa impignorata, ad quorum redemptionem per quondam Georgium (*c*) Archiepiſcopum Strigonienſem notabilis quaedam legata eſt ſumma pecuniarum, redimere dignetur.

4. Et (*d*) vltra haec, vt melius poſſit confinibus, et Regni neceſſitatibus, et defenſioni ſubveniri: Obtulerunt iidem Domini Praelati, et Barones, et Regnicolae ſe de ſingulis iobagionum ſuorum portis, ſingulos quinquaginta denarios bonae monetae (incluſo lucro Camerae) ad Feſtum Beati Martini proxime venturum daturos.

neficium conferendorum Canonicatuum, et aliorum minorum beneficiorum ceſſit Epiſcopis. Quod Priuilegium Clero datum poſſidet R. P. Stephanus Kaprinai e S. I. Hiſtoriae Patriae ſtudioſiſſimus, et feliciſſimus collector: Et ſi Priuilegium illud nunquam lucem videat, quod omnino vero ſimile eſt, lex haec memorata Priuilegii locum ſubibit, luculentumque perhibebit teſtimonium.

(*a*) Alias 23.

(*b*) Alias 28. patet hinc quam recte uſi ſint maiores noſtri prouentibus Eccleſiaſticis.

(*c*) Fuit is Georgius de Palocz perpetua noſtra commeodatione dignus.

(*d*) Alias 39.

IVRAMENTVM

quo tempore Ioannis de Zapolya Wayvodae, ad obſeruationem Articulorum in Ciuitate Peſtienſi per Praelatos, et Barones in Congregatione eorum Generali Anno MDXXVI. conditorum ſemet ſinguli obſtrinxere. (*a*)

„Iſten téged úgy ſegéllyen, Boldog (*b*) „Aſzſzony néked irgalmat úgy nyerjen, „Iſtennek minden Szentei éretted úgy imádgyanak, Iſtennek ſzent Teſte vég napodon üdvöſſégedre úgy haſznállyon: „A Föld tetemidet úgy fogadgya be, onnét harmad napon úgy ki-ne-veſſe; „Magad magod úgy ne ſzakadgyon, Itilet napján Iſtennek a ſzent ſzinét ugy láſſad, „Pokolba úgy ne temetteſſél; Hogy a ſzerzetes Conſtitutionum regiſtromba, kit az „orſzág ſzerzéſsére meg iratattanak volna, „azt eröſſen, és tökélleteſséggel, mint meg „tudod, ſemmit ellene nem téſz, és nem „téteſz.„

CV.

(*a*) Hungaria non parum refert, quae iuris iorandi formula in publicis Comitiis obtinuerit, atque ideo ex penu mea hoc Iuramentum inferendum exiſtimaui ex authentico exemplari deſumptum.

(*b*) Latine redditum tale eſt: „Ita te adiuuet Deus, beata Virgo tibi propitiationem ita „impetret, omnes Sancti Dei ita intercedant, „Corpus Domini Sanctum vltima die ita tibi proficiat ad ſalutem, terra ita te ſuſcipiat, inde triduo poſt ne eiiciat, ſemen tuum ita non deficiat, in die iudicii ita faciem Dei videas, ita in „inferno ne ſepeliaris, ſicut in Regeſtro conſtitutionum, quae Regnum exarari fecit, contenta „fideliter, et plene, prout ſciueris, obſeruabis, et „nil in obuerſum facies.

CV.
SYNODVS REGIA
Budenſis Anni MDXXVIII.

1. Inprimis: vt hoc Regnum poſt tantam cladem, et ruinam a ſuis hoſtibus ſuſceptam futuris periculis; potiſſimum ex manifeſto apparatu Imperatoris Turcorum imminentibus valeat praeſeruari, ſtatutum eſt, et concluſum: quod vniuerſi Domini Praelati, et Barones, Regnique Proceres, et tota Nobilitas, cum omnibus gentibus eorum pro defenſione Regni conſeruandis, et non minus per ſingula capita, vna cum omnibus eorum colonis, more exercituali bene inſtructi, cum equis, et armis, et ſingulis eorum bellicis apparatibus prompti ſint, et parati: vt ingruente neceſſitate pro defenſione Regni, dum per Maieſtatem Regiam, Dominum noſtrum Clementiſſimum fuerint requiſiti; tam easdem gentes ſuas mouere, quam etiam per ſingula capita eorum una cum colonis ipſorum, prout rei expoſtulauerit neceſſitas; ac ſub poena alias in ſimilibus obſeruari ſolita, ſpecialiter autem in Decreto quondam Domini Sigismundi Imperatoris denotata, confiſcatione, vt puta, omnium bonorum, et iurium ſuorum poſſeſſionariorum, in loco, et termino per Maieſtatem Regiam deputando conſtitui debeant, et ſint obligati.

2. Concluſum (a) eſt inſuper, et determinatum; Quod vniuerſi Domini Praelati, et Barones, ac Regni Nobiles, gentes, et homines eorum exercituales a ſingulis viginti ſeſſionibus iobagionalibus pro Regni defenſione oblatos; promptos, et paratos habere debeant, et teneantur: vt ingruente infra tempus Generalis expeditionis neceſſitate, easdem ad Regni defenſionem, et neceſſitatem, iuxta Regium Mandatum ſine dilatione mouere valeant, et poſſint.

(a) Alias 8.

CVI.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDXXXVI. in Feſto Beatae Eliſabeth celebrata, alias Ferdinandi I. Decretum III.

1. Quum (a) Reuerendiſſimo Domino Archiepiſcopo Eccleſiae Strigonienſis, ex eiusdem Eccleſiae antiquae priuilegiis tanquam Summo, et Secretario Cancellario Regio iure competat; vt ipſe iuxta formam Generalis Decreti Regni, tanquam Perſonalis Maieſtatis Regiae Praeſentia, vnus ex Iudicibus Regni ordinariis eſſe cenſeatur: Tum igitur ex eo, tum etiam, quod ſit et Vngariae Primas; Maieſtas Regia, inter Dominos Locumtenentem, et ceteros Eccleſiaſticos Conſiliarios, ac Iudices Regni ordinarios, eum faciat ordinem; vt idem Dominus Strigonienſis, et in conſilio, et in iudicio, pro ſuo, et Eeclesiae ſuae honore (vt conuenit) ſua libere fungatur authoritate.

2. Decimae (b) frumenti, et vini quum in plerisque locis ſoleant in arendam locari, his, qui iuſtis, et conſuetis decimis contenti eſſe nolunt; ſed tyrannide quadam intolerabili, nomine decimae omne, quod volunt, auferunt, propterea decreuimus damna illata ſimul cum poena violentiae per eos, ad quos huiusmodi decimae pertinent, iure fore refundenda.

3. Si (c) tamen laeſus ipſe, et damnum

(a) Alias 15.
(b) Alias 38.
(c) Alias 39.

mnum paſſus, ſibi magis commodum fore arbitratur; liberum ſit illi, eum, qui in exactione decimae aliquam violentiam, ac iniuriam intulerit, in ius vocare, et ab eo omne id, quod oblatum foret, ac poenam violentiae ſimul iure repetere.

4. De bonis, (*a*) et iuribus poſſeſſionariis, beneficiis item, ac officiis, praefecturisque arcium, et vectigalium Regiorum, alienigenis non conferendis, ac inſcribendis; Regia Maieſtas in his etiam, ad inſtar Praedeceſſorum ſuorum Vngariae Regum, ſe ipſum geret.

5. Immunitates (*b*) Eccleſiarum Parochialium ſemper obſeruentur: nec quiſpiam ſub poena in generali Decreto expreſſa, eas violare audeat.

6. In (*c*) Beneficiis Eccleſiaſticis, quibus quispiam pro fide, et fidelitate Maieſtati Regiae debita per hos annos ſpoliatus extitit, poſtquam Deo optimo maximo authore, ſiue tractatibus pacis, ſiue armis Maieſtas Regia Vngariam recuperauerit; ſpoliatos in integrum, vt conuenit reſtituet.

7. Quum (*d*) aliquot Capitula, et Conuentus aduerſario Maieſtatis Regiae obediant; et alioquin multa impedimenta ex temporis iniuria plerumque emergant, quominus ea, quorum intereſt, Capitulorum, et Conuentuum loca, executionem aliquam cuipiam fidelium Maieſtatis Regiae neceſſario facere poſſint: Propterea placuit, vt Capitula quaeque, et Conuentus, ad loca huiusmodi executionum magis vicina, ſi quas fecerint, vel facturi ſint executiones (citra tamen dolum, et fraudem) ubique efficaces habeantur.

(*a*) Alias 42.
(*b*) Alias 51.
(*c*) Alias 53.
(*d*) Alias art. 58.

CVII.
SYNODVS REGIA.
Poſonienſis Anni MDXXXVII. pro Feſto Conuerſionis B. Pauli celebrata, ſeu etiam Ferdinandi I. Decretum IV.

1. Domini (*a*) Praelati, et aliae perſonae Eccleſiaſticae decimas habentes pro dignitate Eccleſiaſtica conſcientioſe: Laici vero, qui quocunque modo, ex temporis iniuria decimas Eccleſiarum tenerent, ſub fide Deo debita, dimidium decimae partis decimarum ipſarum, ad proximum feſtum Beati Georgii (*b*) Martyris: Alteram vero eius partem d midiam ad Feſtum Aſſumptionis Beatiſſimae virginis Mariae proxime venturum, ad manus praefatorum Dominorum Diſpenſatorum adminiſtrare teneantur.

2. Ad

(*a*) Alias 15.
(*b*) Huiusmodi exactionis diſciplinam egregie ob oculos ponet Edictum Pauli de Varda, quod ex Analectis Wagnerianis eo libentius damus, quod confirmet ea, quae in Diſſertatione de Synodis Regiis diximus; En Pauli de Varda Edictum: *Paulus de Varda Archiepiſcopus Eccleſiae Metropolitanae Strigonienſis, Primas, et Legatus natus Regni Hungariae, ac Supremus Regiae Maieſtatis Cancellarius etc. etc. Vniverſis, et ſingulis Honorabilibus, et Diſcretis Dominis Eccleſiarum Parochialium, et Capellarum, Altariumque, Hoſpitaliumque etiam Rectoribus in, et ſub Iurisdictione Spirituali Strigonienſi, quam aliorum Reuerendiſſimorum, Reuerendorum, ac aliorum Dominorum Praelatorum Regularium videlicet, et Secularium Eccleſiaſticarum perſonarum ſub ditione, et regimine Sereniſſimi Principis, et Domini Domini Ferdinandi Romanorum Hungariae, Bohemiae &c. Regis ſemper Auguſti, vbilibet intra ambitum huius Regni Hungariae commorantibus, et exiſtentibus Salutem in Domino ſempiternam, et noſtris infraſcriptis firmiter obedire mandatis: Sacrorum Canonum ſanxit authoritas omnes, et ſingulos cuiuslibet ſtatus, gradus, et ordinis, conditionis, praeeminentiae, et dignitatis exiſtant, etiam Sacroſanctas Eccleſias Dei, et perſonas illarum, Patriam, et Rempublicam ipſorum ad extremam redactam neceſſitatem, excidiumque calamitoſum propenſam, ob invaſione, et oppreſſione hoſtili, quibus premitur, vt in ea pax, quies, et tranquillitas publica, inopesque, et egeni, debiles, orphani, viduae, et aliae miſerabiles perſonae fruantur, incendia vetentur, iniuriae proximorum pellantur, periculis Captiuorum occuratur, praeſertim dum ad haec ſubeunda vires, et facultates Secularium perſonarum minime ſufficere conſtiterit, tueri, et defendere, proque pia totius Cleri, et Secularium perſonarum vtilitate manus adiutrices porrigere, et contribuere debere. Quum igitur vobis omnibus exploratiſſimum, ob oculosque cuiuslibet veſtrum poſitum ſit,*

Cleri Contributio

2. Ad (*a*) quam quidem contributionem decimae decimarum, Dominus Reverendiſſimus Strigonienſis non ſit adſtrictus, ſed ratione huiusmodi decimae partis decimarum inter praeſcriptas gentes ad ipſam particularem Regni defenſionem deſignatas, ad generalem uſque expeditionem propriis impenſis, quinquaginta equites leuis armaturae continue teneat: Quibus in ipſa generali expeditione adiungat totidem Armigeros, et ducentos Huſzarones, (*b*) quos etiam ratione huiusmodi decimae partis decimarum, et aliorum prouentuum ſuorum durante ipſa expeditione generali conſeruet.

3. Plebani (*c*) quoque, ac Capellarum, et Altarium Rectores, per ternos florenos hoc ordine contribuant: Vt ipſi per Vice Archidiaconos coram Dicatore, ad id in teſtimonium adhibito, tempore connumerationis generalis contributionis conſcribantur: deinde habita ſuperinde eorundem Vice Archidiaconorum conſcientioſa limitatione quisque iuxta ſuam facultatem (*d*) ſoluat.

4. Facta (*e*) autem huiusmodi connumeratione, ſummam pecuniae ſoluendam vice Archidiaconi, quisque ſcilicet ex ſua ditione, ſimul cum Regiſtris, ſinguli eorum bene munitis, ad manus Dominorum Regni Diſpenſatorum, modo praemiſſo fideliter adminiſtrent.

5. Regia (*f*) Maieſtas Eccleſias Dei, quae in manibus Laicorum habentur, mature liberare dignetur: Et ne aliquam earum cuipiam in futurum inſcribat.

et manibus fere ſubiicitur? quo in diſcrimine, quibusque periculis, procellis, incendiis, et tempeſtatibus Regnum hoc, et in eo omnes Eccleſiae Dei, vna cum Miniſtris earum, ab hoſtibus cruentiſſimis Fidei noſtrae Chriſtianae, aliisque immaniſſimis praedatoribus internis, et externis verſentur, et agitentur adeo, vt niſi aeſtibus, et incendiis eiusmodi latiſſime iam graſſantibus primo quoque tempore occurratur; verendum profecto eſt: Ne Regnum ipſum, vna cum incolis, et Eccleſiis Dei omnibus, quam primum ruant, et peſſumdentur. Proinde Regia Maieſtas Dominus noſter Clementiſſimus, cupiens pro debito Regiae ſuae Celſitudinis pernicioſis his calamitatibus imminentibus maturius, quam fieri poterit, occurrere, in proximis Comitiis Poſonii pro feſto Conuerſionis Diui Pauli Apoſtoli celebratis, de expreſſa omnium Dominorum Praelatorum, et Baronum, totiusque Nobilitatis voluntate, et aſſenſu voluit, ſtatuit, et ordinauit, Apoſtolicaque ex ſuperabundanti ad id impetrata, vt vos omnes, et quilibet veſtrum, et aliae quoque perſonae Seculares poſſeſſionatae quorumlibet Comitatuum pro tutela, et defenſione Regni, Pacisque, et tranquillitatis publicae conſeruandae cauſa, florenos tres ad feſtum Diui Ambroſii Epiſcopi, et Confeſſoris proxime, et immediate affuturum Nobis, et hominibus noſtris ſpecialiter deputatis ſub poena confiſcationis, et direptionis omnium bonorum veſtrorum, reddere, et perſoluere modis omnibus debeatis, et teneamini. Quocirca vobis omnibus, et ſingulis Honorabilibus, et Diſcretis Dominis Eccleſiarum Parochialium, Capellarum, altariarum, et hoſpitalium Rectoribus praefatis, in virtute ſalutaris obedientiae, et ſub maioris excommunicationis ſententiae poena committimus, et mandamus, quatenus mox acceptis praeſentibus, ac dum, et quando cum praeſentibus fueritis requiſiti, ſiue alteruter veſtrum fuerit requiſitus, praedictos tres florenos non in duobus terminis, vt perſonis ſecularibus ex edicto, et commiſſione Maieſtatis Regiae iniunctum eſt, ſed ad feſtum tantum Beati Ambroſii praeſcriptum attento, quod honeſtius ſit, et minus moleſtum vobis ſemel ab hoc onere totaliter exonerari, quam duabus vicibus pro eo vrgeri, et inquietari: quilibet veſtrum ſuo Archidiacono, Nobis, ſeu hominibus noſtris per nos ad id ſpecialiter deputatis tradendos, et aſſignandos, limitatione tamen opportuna inter eos, qui inter vos ditiores, et egentiores fuerint, per eundem Vice-Archi-Diaconum conſcientioſe praehabita: ita videlicet totaliter, vt abundantia ditiorum ſuppleat defectum egentiorum realiter, et cum effectu, ac ex integro reddere, et perſoluere debeatis, et teneamini. Secus vlla ratione facturi. Praeſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum in Arce noſtra Strigonienſi in Dominica Reminiſcere *Anno Domini MDXXXVII.*

(*a*) Alias 16.

(*b*) Ex hac etiam lege patet leuis armaturae milites ita compellari; Ceterum Cl. Palma exiſtimat *Huszár* dictum eſſe, quod ſit pretium viginti domorum; *Husz* enim ſignificat viginti, et *Ar* pretium, et ſane plerumque a viginti domibus vnus ſtatuendus erat.

(*c*) Alias 17.

(*d*) Hoc ipſum Ferdinandus commiſit eodem anno intuitu Cleri Scepuſienſis, *Quia Clerus* (Scepuſienſis) *tum ab aduerſariis, tum a noſtris praeſentibus vſque ad cutem ſpoliatus eſſe dicitur, committimus vobis, vt non iuxta conſtitutionem praefatam, ſed ſecundum facultatem, et poſſibilitatem eorum, ad huiusmodi ſubſidii ſolutionem Clerum ipſum cogatis.*

(*e*) Alias 18.

(*f*) Alias 19.

Digitized by Google

CVIII.

SYNODVS REGIA

Criſienſis Sclauoniae, et Croatiae Anni MDXXXVIII.

1. Gentes, (*a*) et ſtipendiarii quorumcunque, in domibus, ac curiis Dominorum, et Nobilium, ac etiam Plebanorum nullibi condeſcendere audeant, neque praeſumant.

2. Et (*b*) quia tempore proximae expeditionis, perſonis etiam Eccleſiaſticis parcere non poteramus, ſed in eos quoque contributionem impoſueramus, quam ad priuatas Regni neceſſitates exponendam deputaueramus; nunc autem intelligimus Regiam Maieſtatem, Dominum Noſtrum Gratioſum, ipſam contributionem perſonarum Eccleſiaſticarum aliter erogandam commiſiſſe: quare ſupplicandum eſt Regiae Maieſtati, vt ſua Maieſtas dignetur contributionem illam nobis exigendam, et ad Regni neceſſitates exponendam concedere gratioſe. Interim autem, donec a ſua Maieſtate exinde relationem veram obtinuerimus, vniuerſi Presbyteri, ac Plebani, et aliae perſonae Eccleſiaſticae contributionem ipſam penes ſe conſeruare debeant.

(*a*) Alias 10

(*b*) Alias 16.

CIX.

SYNODVS REGIA

Nouizolienſis Anni MDXLII. alias Ferdinandi I. Decretum V.

1. Beneficia (*a*) ac bona, et alia quaelibet iura poſſeſſionaria, nec non decimae, et alii prouentus Eccleſiarum Dei, ac Dominorum Baronum, nulla inſcriptione per Regiam Maieſtatem cuipiam obligata, vel donata, intra Dominicam Palmarum, ſub eadem nota infidelitatis ſuis Dominis (*b*) reſtituantur.

2. Praeterea (*c*) ordinatum eſt; quod ſi Maieſtas Regia, Dominus Noſter Clementiſſimus perſonaliter huic executioni intererit, penes Maieſtatem ſuam vniverſi etiam Domini Praelati, et Barones, aliique poſſeſſionati homines in propria perſona, et capite adeſſe teneantur: Et vltra praeſcriptam vnius floreni, et ſexageſimae contributionem, de ſingulis etiam viginti colonis, ſingulum equitem ſecum adducant. Si qui autem inter hos equites, armis minus bene inſtructi eſſe, per Dominum Capitaneum tempore luſtrationis (vt ſemper fuit obſeruatum) reperirentur; debebit in illos idem Dominus Capitaneus animaduertere, et illos de exercitu excludere, et meliores loco eorum conducendos curare.

3. Domini (*d*) autem Capitulares, ultra eas gentes, quas ratione decimarum alere tenentur; pro ſua quisque perſona ſingulum equitem mittere debeant; Ita tamen, vt Dignitates, maiores prouentus habentes, ſimplicibus Canonicis in ſolutionibus (*e*) equitum auxilio ſint, iuxta prouentuum quantitatem, et diuiſionem.

4. Priuatarum (*f*) vero Eccleſiarum, aut Conuentuum Praepoſiti, Plebani, et alias

(*a*) In editis 3. In Mſ. ſtili Cancellariae primus.
(*b*) In praeſato Mſ. additur: *integre*.
(*c*) Alias 32.

(*d*) Alias 34.
(*e*) In Mſ. eodem habetur: *ſolutione*.
(*f*) In Editis 35. In Mſ. citato idem cum priori.

liae Perſonae Eccleſiaſticae, qui iuxta Decreta Regni, ratione decimarum ad Regni defenſionem gentes non tenent; decimam partem prouentuum omnium dare, et contribuere teneantur. Ita tamen, vt in huiusmodi taxatione, vna perſona Eccleſiaſtica per Praelatum eligatur in qualibet Dioeceſi.

5. Viſum (*a*) eſt Dominis Praelatis, et Baronibus, quod iſta contributio, tam vnius floreni, quam etiam ſexageſimae colonorum, ſed et Nobilium vnius ſeſſionis, ac decimae (*b*) prouentuum priuatarum perſonarum Eccleſiaſticarum; ad manus Dominorum Theſaurariorum (qui ex Dominis duo, ex Nobilibus vero tres ad id eligerentur) exſolui deberet. Nobilibus vero Regnicolis viſum eſt, quod iſta contributio vnius floreni, et ſexageſimae de eorum bonis, ac Capitulorum, Praepoſitorum, et Abbatum, omniumque alierum poſſeſſionatorum hominum, qui ab olim in medium Comitatus contribuere fuerant obligati; nec non Nobilium vnius ſeſſionis, ac priuatarum perſonarum Eccleſiaſticarum, ad manus Fratrum ſuorum, qui in ſingulis Comitatibus duo fide, et integritate idonei ad id eligerentur, exſolui deberet: vt ea gentes ſingulorum Comitatuum iuxta quantitatem huiusmodi ſummae contributionis ſine defectu conducerentur, ac tam contra externum hoſtem, quam etiam pro pace, et tranquillitate interna conſeruanda, ſine defectu intertenerentur, iuxta Decreta Regni, et antiquas libertates ſuas, ac certis aliis ex cauſis, rationibusque per eosdem Nobiles coram Dominis propoſitis.

6. Quia (*c*) autem pro ſceleribus noſtris, quae ſingulis ferme horis, et diebus committimus, Deus ſit omnium primus placandus: ideo opus eſſe cenſuimus ad caſtra Eccleſiaſticas perſonas etiam mitti debere. Teneantur igitur Monachi, cuiuscunque ordinis, et profeſſionis ſint, duos Fratres de ſingulis monaſteriis eorum mittere, qui Euangelium Dei caſtrenſibus praedicent, vitia corrigant, confeſſiones audiant, et pro fide Chriſtiana fideliter (*d*) tuenda vnumquemque animent, et confortent.

7. Si qui autem (*e*) Dominorum, Nobilium, aut Eccleſiaſticarum perſonarum, ſenio grauati eſſent, vel morbo affecti, vt perſonaliter non poſſent intereſſe expeditioni; ſic iuſte excuſati, ire quidem ad bellum non teneantur, tamen pro ſua perſona equitem vnum mittere, et vltra hoc pro vigeſima colonorum ſimiliter vnum equitem dare ſint obligati.

(*a*) Alias 36.

(*b*) Fraternitas 24. Plebanorum Scepuſienſium apud Wagner Tom. 2. p. 230. haec conſignauit: *Quum Turcus Budam huius Regni Metropolim ab Hungaris fraudulenter occupaſſet, et pro huius perditi defenſione in Conuentu generali in Nouizolio Biſtriciae conueniſſent, decreuerunt communi conſenſu omnes ſtatus, et ordines, ſeculares, et ſpirituales perſonas taxare, vt tali pecunia collecta populus ſeruari poſſit, ac Nobiles ferme omnes in propriis perſonis inſurgere, et contra Turcum crudeliſſimum bellum mouere, ac Regno iterum Dei auxilio expellere niterentur; ideo omnes Plebani decimas decimarum, hoc eſt decimam partem decimarum praeteriti anni dare compelluntur.*

(*c*) Alias 41.

(*d*) In Ms. habetur: *viriliter.* (*e*) Alias 42.

CX.

SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDXLII. alias Ferdinandi I. Decretum VI.

1. Domini (*a*) Praelati, Abbates, Praepoſiti, Capitula, Conventus ratione decimarum, bonorumque, et perſonarum ſuarum, pro futura generali expeditione

(*a*) Alias 26.

ditione omnia ea onera, quae in conſtitutione Nouizolienſi expreſſa ſunt, ſubire debeant.

2. Inſcriptiones (*a*) illas, quas Regia Maieſtas ſuper Caſtris, Caſtellis, ac cunctis bonis, et prouentibus Eccleſiarum Dei, ac Dominorum Baronum per haec tempora feciſſet, et iuxta conſtitutionem Nouizolienſem, in propria perſona ſua reuidere debuiſſet: praeoccupationibus tamen grauiorum negotiorum ſuae Maieſtatis cognoſcere hactenus minime licuiſſet: eas itaque omnes inſcriptiones, Maieſtas ſua Domino Locumtenenti, et Iudicibus Regni ordinariis, in proximis Iudiciis reuidenda, et adiudicanda committere dignetur: Ne per abſentiam ſuae Maieſtatis indeciſae maneant.

(*a*) Alias 46.

CXI.

SYNODVS REGIA

Nouizolienſis Anni MDXLIII. pro Feſto B. Eliſabeth celebrata, alias Ferdinandi I. Decretum VII.

1. Quum (*a*) et ceteri Status iuuare communem defenſionem debeant; Domini Praepoſiti, Abbates, et Capitulares, ratione decimarum ſuarum, onera in priori conſtitutione Nouiſolienſi ſpecificata ferre debebunt. De bonis autem eorum poſſeſſionariis inſtar Nobilium, et pro continua defenſione, et pro expeditione generali equites ratione colonorum alant: Et ratione perſonarum ſuarum ad expeditionem praedictam generalem pro eorum facultate equites dare debebunt.

2. Eccleſiarum (*b*) Parochialium Plebani, Magiſtri Capellarum, et altarium Rectores ad praeſentem neceſſitatem decimam partem prouentuum ſuorum contribuant, exigatque ab illis Dicator, veritate rei conſcientioſe cognita.

3. Decreuerunt (*c*) autem Domini, et Status ſeruandam eſſe libertatem Dominorum Nobilium, et perſonarum Eccleſiaſticarum, ne quis ſcilicet militum, vel Capitaneorum ad eos, Dominis inuitis, condeſcendat.

4. Quum (*d*) ex querelis publice propoſitis conſtet Capitula, Conuentus, et Eccleſiaſticas perſonas indigne decimis ſuis ſpoliari, per nonnullos tum Dominos, tum Nobiles, adeo, vt nec ſuſtentationi illorum, nec oneribus defenſionis ratione decimarum impoſitis ſatisfieri poſſit: debebunt Domini Capitanei dare operam, vt violenti huiusmodi coerceantur, decimaeque iis, ad quos ſpectant, reddantur.

5. Ex quo (*e*) ſuperiori celebratione Iudiciorum, plurimae cauſae proceſſu iuris cognitae, et pleraeque etiam deciſae, executione careant: videtur, vt huiusmodi adiudicationes, et ſententiae executioni demandentur, debeantque Domini Capitanei teſtimonia Capitulorum, et Conuentuum defendere, vt tuto ad executiones proficiſci queant. Quod ſi tamen caſu, vel aliquo rationabili impedimento obſtante literae aliquae ſententionales hoc tempore executioni demandari non poſſent, nihilominus in ſuo vigore permaneant, quoad ſuo tempore executionem ſortiri poſſint. Capitula vero, et Conuentus ab antiquo obſeruato more teſtimonia ſua ad executiones mittere debeant.

CXII.

(*a*) Alias 13.
(*b*) Alias 17.
(*c*) Alias 24.
(*d*) Alias 28.
(*e*) Alias 29.

CXII.

SYNODVS REGIA
Tyrnauienſis Anni MDXLV. alias Ferdinandi I. Decretum VIII.

1. Quod (*a*) vniuerſi Domini Praelati, Barones, Proceres, Nobiles, et alii poſſeſſionati teneantur perſonaliter penes Perſonam Sacratiſſimae Coeſareae, et Regiae Maieſtatis in generali expeditione intereſſe ſub nota infidelitatis. Et quod de ſingulis decem colonis ſuis iuxta connumerationem portarum, quae proxime futura eſt, (in qua nullus penitus libertinus, vel alius quispiam praeter inquilinos exemptus habebitur) vnum equitem armis bene inſtructum penes ſuas perſonas in eadem generali expeditione ſecum habere debebunt.

2. Quod (*b*) Praelati, et perſonae Eccleſiaſticae decimas habentes, ſuper equites, quos de decem Iobagionibus eorum, modo praeſcripto habere debebunt; etiam de decimis eorum, quantum nunc percipiunt, equites ſuos teneant de ſingulis centum florenis, equites quinque.

3. Perſonae (*c*) Capitulares, et beneficiatae, equites ratione capitum ſuorum teneant, iuxta conſtitutionem Nouizolienſem priorem, vltra eos, quos ratione decimarum, et colonorum ſuorum tenent.

4. Ex (*d*) Plebanis villanis, (*e*) et Rectoribus altarium decem perſonae teneant vnum equitem, ita vt inter ſe ſe facta collatione, is, qui et rebus, et prouentu potior fuerit, ad intertentionem equitis plus ſoluat.

5. Plebani (*f*) liberarum, et montanarum ciuitatum, ac Beregſzáz, Szölös, Sáros Patak, et aliorum potiorum locorum (vel Patroni earundem, qui Plebanias eiusmodi poſſident) teneant iuxta prouentus eorum, ex ſingulis centum florenis, equites duos ſub amiſione beneficiorum, et rerum ſuarum.

6. Prouentus, (*g*) et decimae Epiſcopatus Agrienſis, de manibus Dominorum per ſuam Maieſtatem eliberentur, et ad conſeruationem Arcis (*h*) Agrienſis conferantur.

7. Quod (*i*) Maieſtas ſua caſtrum Szaruaskö demoliri iubeat, et bona eiusdem caſtri ad conſeruationem Agrienſem conuertantur, et occupentur: Quod caſtrum ſemper ad Agriam pertinuit.

 CXIII.

(*a*) Alias 5.
(*b*) Alias 17.
(*c*) Alias 22.
(*d*) Alias 23.
(*e*) Id eſt ruralibus, vti ſequens lex perhibet.
(*f*) Alias 25.
(*g*) Alias 53.
(*h*) Ad articulum hunc reſpondit Ferdinandus I. ac vna quae tum ſua, tum Regni mens fuerit, docet inquiens: Non poſtremam ſibi hactenus fuiſſe curam, decimas ipſas de manibus ſecularium perſonarum eripiendi, et Eccleſiae ipſi Agrienſi reſtituendi; tum ad eiusdem Arcis defenſionem, tum ad Eccleſiam iſthic reparandam, eiusque miniſteria ad honorem Dei Optimi Maximi continuanda: in cauſa tamen huius rei hactenus dilata hoc fuiſſe, quod Arcem ipſam, et Eccleſiam (cui Regia Maieſtas Sacra Praelatum, et Epiſcopum iam pridem alioqui praefeciſſet) Petrus Perény, praeter honeſtum, et aequum intertenuiſſet, nec hactenus caſtrum ipſum, ſoepius a ſua Maieſtate admonitus, reddendum curaſſet. Quare quum primum Arcem ipſam e manibus Petri Perény eripuerit (quod futurum breui credit) Maieſtas ſua Sacra prouidebit mox, tum de idoneo, et ſufficienti eius Eccleſiae Epiſcopo, tum etiam, vt decimae ad eandem Arcem adminiſtrentur, atque applicentur. Errat itaque Petrus de Réua, dum narrat Perényio Agriam, et Tatam in praemium datam fuiſſe.
(*i*) Alias 54.

CXIII.
SYNODVS REGIA.
Poſonienſis Anni MDXLVI. alias Ferdinandi I. Decretum IX.

1. Vt (a) Plebani quarumcunque Ciuitatum, Oppidorum, ac Villarum, ſiue Regiae, ſiue Reginalis Maieſtatis, ſeu Dominorum, aut Nobilium ea loca ſint; teneantur de ſingulis perſonis uxoratis ſub Parochia, ſeu Plebanatu vniuscuiusque eorum exiſtentibus, ſingulos denarios vngaricos perſoluere, ii videlicet, qui priuatos, aut proprios colonos non habent. Quibus vero coloni ſunt, illi de propria burſa iuxta numerum colonorum ſuorum denarios quinquaginta praeſcriptis duobus terminis, pari ratione cum ceteris Dominis, et Nobilibus, perſoluant. Singuli etiam Rectores Capellarum, et altarium ſingulos quinquaginta denarios in feſto praedicto Laurentii perſoluant, eaque pecunia omnis Maieſtati Regiae adminiſtretur.

2. Quod (b) Domini Praelati, et aliae perſonae Eccleſiaſticae, gentes ſuas ratione decimarum ſuarum, quae adhuc reſtant; iuxta tenorem Decreti, in confiniis conſeruare teneantur.

3. Quod (c) Nobiles poſſint ſeruire etiam Dominis Praelatis, et Baronibus, qui Nobilium libertates perturbare non ſolent, neque praedis, et oppreſſione pauperum, vel Nobilium, aut Eccleſiarum Dei gaudent: Contra vero his, qui manifeſte inobedientes, et publicarum conſtitutionum violatores, Regiorum prouentuum, ſeu contributionum perturbatores ſunt, praedasque, ſpolia, homicidia, et id genus mala exercere ſolent; nullus ex Nobilibus Vngaris ſeruire praeſumat. Contrarium facientes, et penes eorum Dominos facinoroſos deprehenſi, poenâ debita puniantur: Ita videlicet, vt bona eorum, veluti Regio Fiſco deuoluta, perſonis bene meritis per Maieſtatem Regiam conſerantur, ac etiam in perſonas eorum animaduertatur: Quemadmodum etiam in ipſos eorum Dominos animaduerti debebit.

4. Quod (d) Maieſtas Regia, tam de Epiſcopo Agrienſi collocando, quam etiam aliis neceſſariis ibidem prouidendis, clementer recordari dignetur: Et ponat ibi Capitaneum cum praeſidio neceſſario, pro loci illius, et partium ſuperiorum tuitione, atque defenſione.

5. Quoniam (e) variae querimoniae deferuntur, ſuper conductione, arendatioque, et exactione decimarum, quas potentiores ante tempus in arendam conducere, atque ita a pauperibus colonis, inſolitis modis magis illorum oppreſſione exigere conſueuerunt: Ob id ſtatutam eſt, vt a modo inpoſterum Domini Praelati, vel alii decimas habentes, vſque ad feſtum Diui Georgii decimas ſuas nemini locare poſſint; vt interim Nobiles decimas bonorum ſuorum conducere pro ſe valeant. Exacto autem illo die, liceat cuicunque decimas ipſas conducere; Sic tamen, vt ſolitam decimam, et modo antiquo in huiusmodi obſeruato, nec aliter exigant, Plebaniſque ſuam perſoluant ſedecimam. (f)

6. Item (g) bona Capituli Caſtriferrei per Mauritium Fyerſth, et alia ex metis Regni Vngariae, tam a manibus Nobilium, quam aliorum iniuſte occupata, remitti faciat ſua Maieſtas.

CXIV.

(a) Alias 7.
(b) Alias 16.
(c) Alias 21.
(d) Alias 45.
(e) Alias 55.
(f) In dorſo Priuilegii cuiusdam ſeculo hoc exarati adnotatum legi, in partibus ſuperioribus Hungariae in gratiam Acatholicorum Miniſtrorum fuiſſe inductam octavam, ex quo tempore etiam Parochi Dioeceſis Agrienſis octauam percipiunt.
(g) Alias 58.

CXIV.
SYNODVS REGIA
Tyrnauienſis Anni MDXLVII. alias Ferdinandi I. Decretum X.

1. Supplicant (a) Comitatus, ac ſimul Ordines, et Status Regni Maieſtati ſuae, vt decimas Epiſcopatus Iaurinenſis, ab annis compluribus quibusdam Germanis inſcriptas, ex quibus decimis, iidem Germani magno cum foenore pecunias ſuas iam dudum perceperint, exigere iam tandem ab illis, et Domino Capitaneo generali ad munitionem arcis, et Ciuitatis Iaurinenſis aſſignare dignetur gratioſe.

2. Fortalitium (b) in Clauſtro de Kolos, per Dominum Podmaniczky poſt dirutum Caſtellum Szerdahel erectum; vnde circumuicinis Nobilibus, et colonis non parua damna eueniunt, Maieſtas ſua euerti, et demoliri iubeat, Eccleſia tamen, ſiue Templum, integra maneat; et Abbas in Abbatia regularis ordinetur.

3. Porro (c) quod ad decimas Eccleſiarum attinet, ad tollendos tumultus, qui in perceptione earundem decimarum ſoepenumero contingunt, auertendasque pauperum, vel Nobilium, vel colonorum oppreſſiones, et damna etiam eorum, ad quos ſpectant decimae, is eſt ordo conſtitutus: vt Domini Praelati, vel Capitula, et Conuentus decimas habentes, et easdem locare in arendam volentes, ad Feſtum Diui Georgii Decimatores ſuos mittant ſingulis annis, ad loca praecipue eorum Diſtrictuum, in quibus habent decimas: ibique per ipſos denuncianda curent Dominis, ac Nobilibus, ex quorum bonis proueniunt decimae; vt quicunque de ſuis bonis decimam conducere voluerint in arendam, ſolitum, et iuſtum pretium eo mittant, vel afferant; atque ita Dominis terreſtribus ante omnes alios, ſi conducere voluerint, locare decimas teneantur. Ex pretio autem earundem decimarum, modo praemiſſo arendatarum, vel ex ipſis in ſpecie perceptis, iidem Domini Praelati, Capitula, et Conuentus, praeter neceſſitates ipſorum quotidianas, pro dignitate, ſtatu, et conditione ipſorum, gentes ad defenſionem Regni conſeruare debebunt.

4. Nobiles (d) patriis ſedibus eiecti per Turcas, et qui ad loca tutiora profugerunt, non teneantur decimas ſoluere ex vllis terrae fructibus, etiam in illis bonis, ad quae ſe ſe receperunt.

5. Praeterea (e) ſupplicant Status, et Ordines, quod Maieſtas ſua poſſeſſionem Capituli Eccleſiae Caſtriferrei, per Dominum Mauritium (f) Fyerſth ſuperioribus annis occupatam (de qua etiam antea Maieſtati ſuae eſt ſupplicatum) iam tandem eidem Capitulo reddi, et remitti iubeat. Alias etiam differentias, quae ratione quorundam praediorum, et terrarum, Nobilibus Sarkány, Raiki, et aliis de Comitatibus Caſtri ferrei, et Sopronienſi, cum Dominis Germanis eſt, reuideri, et rectificari facere, Maieſtas ſua dignetur.

(a) Alias 21.
(b) Alias 25.
(c) Alias 35.
(d) Alias 36.
(e) Alias 38.
(f) In rubrica legis vocatur Mauritius Brandeburgenſis Elector.

CXV.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDXLVIII. alias Ferdinandi I. Decretum XI.

1. Inprimis (a) quoad negotium Religionis, omnes Ordines, et Status Regni vna voce ſentiunt; cultum Diuinum, et Religionem ad priſtinam normam

eſſe

(a) Alias 5.

eſſe redigendam, et haereſes vndique tollendas, iuxta admonitionem ſuae Regiae Maieſtatis.

2. Id (*a*) autem ita recte fieri poſſe exiſtimant; Si omnibus Eccleſiis Praelati, ſiue ſint Epiſcopi, ſiue Praepoſiti, ſiue Abbates, viri Eccleſiaſtici, et doctrina praediti, quamprimum praeficiantur. Qui et ipſi doceant verbo, et exemplo gregem ſibi commiſſum, et Vicarios ſuos, Miniſtrosque ſibi ſubiectos, eorum officium exercere faciant: mittantque ſine mora in omnes partes Archidiaconos, Vice-Archidiaconos, et alios, quorum intereſt, ad docendam plebem. Quibus, ſi ipſi forte pro ſe ſufficientes non ſunt, Praedicatores boni adiungantur, vt vbique vetus Religio, priſtinusque Dei cultus reſtituatur. Parochos etiam in omnibus oppidis, et villis tales conſtituant, qui veram doctrinam ſapiant, et eandem doceant, Sacraque adminiſtrent, iuxta ritum Sanctae Eccleſiae Catholicae. Iidem etiam Praelati, pro facultatibus ipſorum Scholas erigant, in quibus bonae literae, et vera Religio doceatur, vt ſic in dies magis prava dogmata tollantur, et vetus Religio repullulet: Praedicatoresque boni per Regnum diſpergantur. Sacerdotes autem non creentur, niſi probatae vitae, ac doctrinae viri; his ſacerdotia Eccleſiaſtica, beneficiaque conferantur. Ipſi autem Praelati, penes Eccleſias ipſorum iugiter reſideant; Et vnus quisque ſiue Praelatus, ſiue alius Vir Eccleſiaſticus vnum tantum beneficium poſſideat, non plura; ſi quis Praelatus publicis muneribus occupatus, penes Eccleſiam reſidere non poſſet; Vicarium virum ſufficientem, et Eccleſiaſticum, loco ſui continue teneat penes Eccleſiam.

3. Vt (*b*) autem facilius, et citius boni, et docti viri per Regnum diſpergantur, dignetur Maieſtas ſua Regia, iis, qui in Gymnaſiis bonis literis operam dant, gratioſe prouidere, ita vt ſtudia ipſorum continuare, et perficere poſſint.

4. Praeterea (*c*) vt Praelati omnes modo praemiſſo officio ipſorum poſſint omni ex parte ſatisfacere; videntur bona omnia Eccleſiaſtica quocunque nomine vocentur, prouentusque, ac decimae: item Abbatiae, aliaque omnia beneficia, quae per Laicos poſſidentur; quaeque a Maieſtate ſua Regia ad beneplacitum, vel ad tempus iam praeteritum inſcripta ſunt, vel per Laicos de facto, et ſine titulo occupantur, de manibus quorumcunque ſtatim eliberanda eſſe, et his reſtituenda, ad quos ſpectant. Si quae autem beneficia huiusmodi vacarent, ea Maieſtas Regia perſonis idoneis conferat. Super bonis autem, et prouentibus Epiſcopatus Iaurinenſis, et aliis ſimiliter iam inſcriptis, Maieſtas ſua (quemadmodum gratioſe ſe obtulit) dignetur tractatus fieri curare, quibus tractatibus, ea bona, ac prouentus, quo facilius poteſt, de manibus eorum, penes quos ſunt, eliberentur.

5. Et (*d*) quoniam Epiſcopatus fere omnes, qui ſub ditione Regiae Maieſtatis ſunt, in his diſturbiis, magna ex parte bonis, et prouentibus ipſorum ſpoliati ſunt, adeo, vt vix quotidiani ſumptus Epiſcopis ſuppetant, nedum arces ipſorum finitimas conſeruare poſſint: Supplicant Ordines, et Status Regiae Maieſtati, vt ſua Maieſtas inſtet, et efficiat apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum (id quod etiam Ordines, et Status publico nomine facturi ſunt) quo Sanctitas ſua, confirmationes (*e*) Epiſcoporum nondum conſecratorum gratis concedat: Authoritatemque inſuper gratis tribuat aliquibus ex iis, conſecrandi hic in Regno ſuffraganeos, vt ſint, qui ſacros ordines impertiant. Nam et hactenus Suffraganeorum inopia, multis in locis magnus defectus Clericorum, et Sacerdotum in Regno accidit.

6. Prae-

(*a*) Alias 6.
(*b*) Alias 7.
(*c*) Alias 8.
(*d*) Alias 9.
(*e*) Quae fuerit vera cauſa dilatarum confirmationum huiusmodi, diſcimus ex Card. Pallauicino in Hiſt. Concilii Trid. lib. 4. cap. 8. Vbi narrat aliquando a Ferdinando fuiſſe rogatum Summum Pontificem, vt confirmationes differret, quo ſic Hungari magis ad pacis conſilia adducerentur.

6. Praeterea (*a*) quum hactenus multis in locis, ex licentia multorum Dominorum, et Nobilium homines idiutae, et plerumque Mechanici, ac alii, Praedicatorum fungi officio veriti non ſint, videtur ordinibus, et ſtatibus Regni, vt Praedicatores, Archidiaconi, Vice-Archidiaconi, et alii, qui modo ſupradicto, ad reformationem Religionis per Praelatos emittentur, diligenter tales prohibere, et ad priſtinam, veramque Religionem redigere curent. Qui ſi reſipiſcere nollent; tum debonis illis eiiciantur, et ex merito puniantur. Domini autem terreſtres, non ſolum id non impediant, ſed ipſos Praedicatores, et alios Miniſtros verbi Dei, per Praelatos emiſſos, iuuent omnibus modis ad exercendum officium ipſorum. Si quis ex eis aliter facere intelligatur; ad primam requiſitionem ſuae Maieſtatis, vel in eius abſentia Domini Locumtenentis; perſonaliter, vel per Procuratorem comparere teneatur, et iure conuictus ex merito puniatur.

7. Anabaptiſtas (*b*) et Sacramentarios (*c*) iuxta admonitionem Regiae Maieſtatis, qui adhuc in Regno ſuperſunt, procul expellendos eſſe de omnium bonis, Ordines, et Status Regni ſtatuerunt. Nec amplius illos, aut quempiam illorum, intra Regni fines eſſe recipiendos.

8. Praeterea (*d*) bona, et prouentus Monaſteriorum, et Clauſtrorum, ac Capitulorum defertorum (excepta Bélavár, et eius pertinentiis, quas Maieſtas Regia, durante beneplacito ſuo, Franciſco Tahi, ad ſuſtentationem eius ad tempus conceſſit) ad alendos doctos Parochos, et verbi Dei ſinceros Praedicatores; qui populum in veteri Orthodoxa vera, Catholicaque fide, et Religione conſeruare, et ſi qui ab ea deſciuerunt in hoc Regno, ad eam reducere ſtudeant: Nec non ad inſtaurationem, et erectionem Scholarum particularium, earundemque Magiſtrorum, qui docti, et probi ſint, intertentionem: Et denique ad bonae ſpei, ac indolis iuuenum, et adoleſcentum, vt bonis operam dare litteris poſſint, promotionem, et auxilium; applicentur, et conuertantur. Quo tali ratione, boni, et docti viri alantur, et nutriantur. Ad haec autem praemiſſa, iita atque ordine exequenda, prouentusque praedictos in praemiſſum vſum fideliter conuertendos; quilibet Praelatus ſub ſua Dioeceſi curam gerere teneatur, ac vbi opus fuerit, Maieſtati Regiae de adminiſtratione huiusmodi rationem reddat.

9. Supplicant (*e*) Ordines, et Status Regiae Maieſtati Domino eorum Clementiſſimo, vt tam ſua, quam Sacrae Maieſtatis Caeſareae authoritate agat apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum, quo Sanctitas ſua Generale Concilium, pro complanandis omnibus differentiis, variisque opinionibus de Religione, ſine diuturniori mora celebrare dignetur. Quod ſi Sanctitas ſua id differret; Maieſtas Caeſarea dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilii diutius protrahatur.

10. Videntur (*f*) etiam per Regiam Maieſtatem eligendi aliquot viri iuriſperiti, qui iura Regni revideant: Et ſi quid contra aequitatem, iusque Diuinum eſſe videbitur, in melius reforment. Et quidquid per ipſos fuerit concluſum, producatur per ipſos in futura Dioeta, per Maieſtatem Regiam ſuper Palatini creatione indicenda, et eodem tempore ſuper illis concludatur per ſuam Maieſtatem.

11. Quod (*g*) Kolos fortalitium diruatur: et Abbatia, ſi Abbatem non habet, Viro Religioſo conferatur.

12. Si (*h*) quas autem decimas ipſi ſponte locare voluerint; eas vſque ad Feſtum Beati Georgii nemini alteri, quam Dominis terreſtribus eorum locorum, ex quibus decimae proueniunt, arendare poſſint. Quo quidem Feſto Beati Georgii adveniente, vnusquisque Dominus, et Nobilis ſuper arenda decimarum bonorum ſuorum

Hhhh 3

(*a*) Alias 10.
(*b*) Alias 11.
(*c*) Hoc nomine venerunt ii, qui nunc Calviniani, vel potius Helueticae confeſſionis affectae dici volunt.

(*d*) Alias 12.
(*e*) Alias 13.
(*f*) Alias 21.
(*g*) Alias 47.
(*h*) Alias 61.

Digitized by Google

orum concordare teneatur cum Praelato, vel alia perſona Eccleſiaſtica, aut alio quouis, ad quem decima ſpectat, ſiue eius officiali, qui ad Comitatum, ſeu Diſtrictum, ob id ad praemiſſam diem mitti debebit. Ita, vt ſi ab antiquo pretium illius decimae, quam in arendam conducere voluerit, expreſſum, et limitatum eſſe conſtet, teneatur decimae Dominus, ipſo limitato, et conſueto pretio, decimam ipſam Domino fundi ſupradicto conducere volenti, locare, et is pretii huiusmodi dimidiam partem, tempore eiusmodi arendationis ſtatim; alteram vero mediam partem ad Feſtum Diui Nicolai, vel Purificationis Beatae Mariae, iuxta locorum conſuetudinem perſoluere teneatur. Cuius autem decimae limitata arenda non eſt, ſi Dominus fundi cum Praelato, vel alio decimae Domino, vel eius officiali concordare non poſſit, ex tunc Praelatus decimam ipſam pro ſe retinere, et nemini alteri arendare poſſit, priusquam decimam ipſam in ſpecie non collegerit; et ita collectam, cuicunque voluerit, vinum, et fruges libere diuendere valeat. Si quis Praelatus, vel perſona Eccleſiaſtica decimam bonorum quorumcunque Dominorum, aut Nobilium, ante Feſtum praedictum Beati Georgii, alii, quam Domino terreſtri ipſius loci arendauerit, vel non facta modo praemiſſo concordia cum Dominis ipſis terreſtribus, ſub praetextu aliquo, ante meſſis tempus, vel vindemiae, decimam alteri locare audeat, decimam illius loci, pro eo anno amittat, et eam Dominus fundi gratis habeat. Similiter ſi quis Dominus, vel Nobilis inuito Domino decimae, ſe ad illam quouis modo ingereret, et eius exactionem quocunque modo impediret, aut turbaret, in poenam dupli eius decimae, mox incurrat; quae ab eo irremiſſibiliter defacto exigatur.

13. Coloni (*a*) Nobilium ad conuehendas decimas quorumcunque Praelatorum, et perſonarum Eccleſiaſticarum, per Dominos decimarum, vel earum arendatores, nusquam compellantur, contra tenorem Decreti.

14. Capitulum (*b*) Varadienſe, et Sancti Stephani Proto-Martyris, in Comitatibus vbique, vbi antea executionem fecerunt, deinceps quoque faciant; deque ea re Maieſtas Regia ad Fratrem Georgium ſcribere dignetur; vt is omnino executionem huiusmodi patiatur.

15. Capitula (*c*) et Conuentus, dum ad executionem exeunt, non plus, quam denarios duodecim pro itinere vnius diei exigant: quemadmodum etiam antea fuit concluſum ſub poena amiſſionis beneficii. Redemptio autem litterarum fiat iuxta antiqua Decreta.

(*a*) Alias 62.
(*b*) Alias 64.
(*c*) Alias 67.

CXVI.
SYNODVS REGIA
Anni MDL. ſeu Ferdinandi Decretum XII.

1. Porro (*a*) quod Maieſtas ſua diſerte ſimul, et pie fideles ſuos hortari dignata eſt ad vnionem Fidei, et Religionis: Agnoſcunt in hoc quoque Ordines, et Status Regni ſingularem in Deum optimum maximum Regiae Maieſtatis pietatem, et in ſubditos Clementiam: Arbitranturque ſecundum benignam, et paternam admonitionem ſuae Maieſtatis enitendum eſſe omnibus modis; vt Sancta, et Catholica Fides, ac Religio, Deique Optimi, Maximi cultus (iuxta veterem Sanctorum Patrum doctrinam) longo tempore per vniuerſum orbem Chriſtianum recepta, atque approbata, vbique in Regno reſtituatur: euulſisque vndique haereſibus, et impiis doctrinis, Sanctae Romanae, et Catholicae Eccleſiae (quae vnica eſt, et ſibi perpetuo con-

(*a*) Alias 12.

Digitized by Google

conſtans errare non poteſt) omnes ex omnibus ordinibus, et ſtatibus Regni perpetuo adhaereant, ac velut membra in vnum corpus conglutinentur, vt ſic vera, et ſolida animorum coniunctio, vnioque in Regno, et exinde Dei Optimi Maximi miſericordia, in dies magis augeatur.

2. Vt (*a*) autem id citius, et facilius fiat, videtur ſecundum eandem Regiae Maieſtatis piam adhortationem, vt Epiſcopi, et Praelati, qui vel ſolo etiam titulo (vt nunc ſunt tempora) eandem dignitatem poſſident, primum moribus, et exemplis, deinde vero doctrina, et praedicatione, muneri ipſorum, quantum fieri poterit, inſiſtere, ac inuigilare debeant; idque vel imprimis curare, vt Religionem, cultumque Diuinum ſub eorum Dioeceſibus diſſeminent vbique, ſecundum primam Catholicae Eccleſiae normam, gregemque ſibi commiſſum, ab erroribus, et maleſanis doctrinis auocare, ac tanquam e tenebris ad lucem reducere conentur piis eorum concionibus, doctrinaque a Sanctis Patribus deprompta. Iidem etiam Vicarios, Archidiaconos, Parochos, Concionatores tales vbique curent conſtituere, et omni ſtudio vndique conquirere; a quibus hoc idem eorum paſtorale officium, ipſis Epiſcopis, vel abſentibus, vel legitimis aliis impedimentis praepeditis rite peragatur; neque quidquam praetermittatur, ex quo Diuini cultus, priſtinaeque, et verae Religionis detrimentum, atque inde animarum iactura ſequatur.

3. Videtur (*b*) autem illud apprime eſſe neceſſarium, vt quo Epiſcopi tum per ſe, tum vero ſuos ad id delectos Vicarios, ac ceteros miniſtros, munia ipſorum rite poſſint obire (quum plerique ex ipſis Epiſcopis a Regia Maieſtate tum antea, tum proximis temporibus ad id muneris electi, non dum ſint a Sancta Sede Apoſtolica confirmati, ac proinde impares ſint ad praeſtandum ea omnia, quae ipſorum officio incumbunt) Maieſtas Regia dignetur primo quoque tempore, praecipuo aliquo oratore ſuo miſſo, diligenter inſtare, et efficere apud futurum ſummum Pontificem; vt gratuitam confirmationem Epiſcoporum a ſua Maieſtate electorum in Regno Hungariae, nec non Suffraganeorum aliquot in locis neceſſariorum, clementer largiri, et in manus Suae Maieſtatis expeditas Bullas huiusmodi liberaliter mittere dignetur; vt eas Maieſtas ſua Epiſcopis ipſis, ad quos ſpectauerint, benigne diſtribuere, et illi hoc modo confirmati munus ſuum Paſtorale valeant poſtmodum liberius exercere. Conſtat etenim calamitoſis his temporibus, quibus Regnum armis hoſtilibus diu vexatum eſt, Epiſcopatuum reditus, ac bona, vel maiori ex parte imminuta eſſe; vel ſi quae adhuc ſuperſunt, in viam ad conſeruandas arces finitimas vix ſufficere, nedum ad quotidianas neceſſitates Epiſcoporum pro dignitate ſatis eſſe poſſe: vsque adeo, vt quae olim Annata pro huiusmodi confirmationibus in vrbe pendi ſolitae erant, haudquaquam vel minima ex parte hoc tempore videantur poſſe conflari: Atque ita interim multa negliguntur, in quibus pietatem, et religionem peſſumdari neceſſum eſt: Quemadmodum hactenus ob hanc cauſam, multis in locis contigiſſe res ipſa edocuit: Siquidem conſecratorum Epiſcoporum inopia, qui vel ſaltem ordines impertirent, Presbyterorum, aliorumque Miniſtrorum Eccleſiae, mira paucitas, orbitasque, in multis Regni partibus eſt ſubſecuta, atque hinc facilior prauis dogmatibus aditus fuit.

4. Videtur (*c*) etiam nomine ordinum, ac ſtatuum Regni Orator aliquis ad ipſum futurum ſummum Pontificem deligendus eſſe, qui non ſolum negotium confirmationis huiusmodi vrgeat penes ſuam Sanctitatem; verum etiam Regni ſtatu diligenter expoſito, et quantis in periculis adlaboret Vngaria, propugnaculum totius Reipublicae Chriſtianae, ad confinia tuenda, confirmandaque, ſubſidium aliquod ſtudeat (cum ipſo Regiae Maieſtatis Oratore, porrectis humiliter nomine totius Regni precibus) a ſua Sanctitate, aliisque Italiae Principibus impetrare.

5. Prae-

(*a*) Alias 13.
(*b*) Alias 14.

(*c*) Alias 15.

5. Praeterea (*a*) quum nulla ratione poſſent Epiſcopi munus rite exercere, niſi patienter audiantur ab iis, ad quos docendos miſſi ſunt, tum ipſi, tum ipſorum ad id electi Miniſtri: ac niſi plebs ſubdita pareat eorum doctrinae, praeceptisque, et non deſinant hi, qui plus ceteris videantur poſſe, moliri aliquid contra ipſorum pios conatus: neque ſolum Concionatores ad docendum miſſos libere admittant; verum etiam teneantur pro viribus defendere: Videtur idcirco is modus adhibendus eſſe, vt Seculares omnes ſine vlla controverſia, aut diſputatione, contentioneque obedientes, (vt par eſt) ſe ſe praebeant eorum Epiſcopis, et ad id per eos delectis Miniſtris, in his videlicet: quae ad Deum, eiusque cultum ſpectant, neque contra eorum doctrinam quouis modo, aut quauis ratione ſe ſe audeant efferre; ſed ſiquid deliberatione egere, aut in diſputationem vocari poſſe, ipſis, vel eorum forte alicui videretur, relinquat id totum Generali Concilio dirimendum, in quo, ſi quae in fide, et Religione reformanda eſſe videbuntur, Diuina inſpiratione informatum iri ſperandum eſt: Interim autem, veteribus Sanctae Eccleſiae Catholicae inſtitutis inſiſtendum, nec cuiquam quouis praetextu, ab illis quoquo modo videtur eſſe diſcedendum.

6. Vt (*b*) autem Epiſcopi ipſi, et eorum Miniſtri, Archidiaconi, Plebani, et id genus alii rite poſſint exercere officium ſuum, omnis querelae, et tergiuerſationis occaſione ſubmota, videtur aequum, et iuſtum eſſe, vt iuxta benignam adhortationem Regiae Maieſtatis decimae, et alii prouentus, bonaque Eccleſiarum, his ad quos ſpectant, integre de omnibus reddantur, neque in eas, partemue earum, inuitis Dominis ſe quisquam ingerat. Supplicantque Ordines, et Status Regni Sacrae Regiae Maieſtati; dignetur bona, et prouentus Eccleſiarum, quae adhuc ſunt ſub inſcriptione apud nonnullos Seculares tam Vngaros, quam externos quoscunque, clementer eliberare, et Praelatis, Eccleſiisque, ad quos ab antiquo ſpectant, reddere: Et eos, apud quos huiusmodi bona, et reditus Eccleſiaſtici inſcripti ſunt, aliunde contentos fieri curare: Quemadmodum ipſa Maieſtas ſua, pro rerum, ac temporum ratione, ſe ſe prudenter tractaturam, pro eorum eliberatione obtulit.

7. Supplicant (*c*) etiam in eo vehementer, vt Praelaturas, et alia Eccleſiaſtica beneficia, tam maiora, quam minora, quae vbiuis nunc in Regno vacant, et necdum cuiquam a Sua Maieſtate collata ſunt; praecipue autem Archiepiſcopatum Strigonienſem, qui iam inde fere ab ipſis Chriſtianae Religionis in Vngaria primordiis, Caput (ſecundum Regiam Maieſtatem) in Regno omnium Eccleſiarum fuit, ex quo Religionis, cultusque Diuini, in toto Regno vel tuendi, vel augendi praecipua ſemper ratio dependet; perſonis bene meritis, et Maieſtati ſuae gratis, minimeque externis conferre dignetur; vti ſane Maieſtas ſua, quam primum fieri queat, ſe facturam clementer obtulit: Vt ſic vbique facilius Diuinus cultus inſtaurari poſſit, neque vlla Regni pars careat cura animarum, Sacramentorumque adminiſtratione, quantum his turbulentis temporibus licet.

8. Dignetur (*d*) etiam Maieſtas ſua (quemadmodum ſuperiori anno concluſum erat) bona, et proventus Eccleſiarum, et Capitulorum, Conuentuumque deſertorum, ad erectionem Scholarum, doctorumque virorum ſuſtentationem, ſine diuturniori mora, vbique conuerti facere, et tergiverſantes authoritate ſua Regia compellere; quo ſic viris doctis in Regnum conductis, Scholisque erectis, Diuinus cultus, et Religio priſtina paſſim celerius repullulet: Quemadmodum Maieſtas ſua benigne ſe facturam obtulit.

9. Epiſcopi (*e*) etiam, et alii Praelati, res, et bona Eccleſiarum ſuarum, turbulentis his temporibus diſtracta perquirere, et ab iis, apud quos repererint, modis

(*a*) Alias 16.
(*b*) Alias 17.
(*c*) Alias 18.
(*d*) Alias 19.
(*e*) Alias 20.

dis omnibus recuperare curent. Quibus Maieſtas ſua, authoritate Regia praeſto adeſſe dignetur.

10. Item (*a*) Feria ſexta, et Sabbatho pauperibus, et viduis iudicentur, iuxta conſuetudinem hactenus obſeruatam.

11. Item (*b*) prohibitiones communis inquiſitionis, et iuramentalis depoſitionis, ſi qui facere voluerint, ſimul cum euocatione exinde fienda; ante octauum diem termini ad id praefixi, et non poſtea facere poſſint. Ne partes, quum iam teſtes ſuos, vel ſimul iuraturos, magnis ſumptibus congregauerunt, ipſis diebus, et terminis, quibus iam huiusmodi communis inquiſitio celebrari, et iuramentum praeſtari deberet, in caſſum fatigentur.

12. Quum (*c*) autem proximis temporibus magni ſoepe defectus, atque inde Dominis, et Nobilibus damna non mediocria contigerint in executionibus litterarum, quae ad Conuentus de Leleſz, et Iáſzow ex Sede Iudiciaria Regiae Maieſtatis emanare ſolent: maxime autem Comitatibus partium ſuperiorum, et trans Tybiſcum, quae ad eos Conuentus neceſſario recurrunt, propterea, quod ob miram Religioſorum paupertatem in Iáſzow (*d*) vix vnus frater aliquando eſſe dicatur: ad euitanda inpoſterum eiusmodi damna, et defectus ſtatutum eſt, vt vsque ad proximam conuentus celebrationem Capitulum Agrienſe ad executiones faciendas in Comitatibus Aba-Ujvár, Zemplin, Vngh, Maromarus, Vgocha, Szolnok, Kraſzna, non minori authoritate, quam duo praedicti Conuentus Leleſz et Iáſzow; ſimiliter ad ea loca, ad quae Capitulum Varadienſe (*e*) poteſt procedere, ad quamuis executionem libere poſſit exire. Interim autem Conuentus, et Capitula, maxime vero Conventus de Leleſz (contra quem communis eſt querela) non plus, quam duodecim denarios in ſingulos dies, iuxta Regni Decretum, executionum tempore poſſint accipere. Vtque Nobiles, qui pro litteris, vel executione obtinendis, ad Conuentum de Iáſzow proficiſcuntur, depoſitis armis (*f*) vnus, aut alter ordine intromittatur: Tempore autem faſſionis per plures faciendae, vel iuramenti depoſitione maneant foris hoc tempore periculoſo.

13. Ceterum (*g*) quod ad Priuilegia attinet, quae olim Archiepiſcopis Strigonienſibus, ac Prioribus de Lówöld pro tempore conſtitutis, certisque aliis in Regno per Diuos Reges dicuntur eſſe conceſſa, quibus Priuilegiis eximuntur ipſimet a praeſtando iuramento, quum iudicialiter eis imponitur, permittiturque eis, vt loco ſui, officiales ipſorum poſſint iurare: Quum Domini Praelati, ac Barones cum Dominis Nobilibus, ſuper hoc articulo non convenirent, ſed communi deliberatione, parique conſenſu ad arbitrium Regiae Maieſtatis negotium integrum eſſet reiectum: Tandem ſtatutum eſt per ſuam Maieſtatem, et per Ordines Regni admiſſum, vt Priuilegia ipſa, ſecundum eorum tenorem, in ſuo veteri, et priſtino maneant vigore, habeanturque rata, et firmiter obſeruentur in omne tempus.

(*a*) Alias 53. (*b*) Alias 54. (*c*) Alias 63.

(*d*) Non ſola paupertas cauſa erat, vti ſubſequa teſtantur, ſed iuſtus metus; etenim Mathiam Zavari extorrem Praepoſitum Bozokienſem anno ipſo huius Synodi Regiae Prouiſor Arcis Cſabrágh lethali vulnere percuſſit.

(*e*) Impeditum videtur fuiſſe auctoritate Iſabellae Reginae.

(*f*) Si arma deponere iubentur, patet cur tam pauci fuerint Religioſi, vtpote qui armis conveniri metuebant.

(*g*) Alias 64.

CXVII.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDLII. alias Ferdinandi I. Decretum XIII.

1. Quod (*a*) ad negotium Religionis attinet, ad quam ſua Maieſtas Regia fideles ſuos clementer hortata eſt, Status et Ordines breuiter reſpondent: Fuiſſe in duo-

(*a*) Alias art. 7.

duobus proximis conventibus ex admonitione ſimiliter Suae Maieſtatis ſatis in ea re tractatum, et concluſum, tum pro rite exercendo officio Praelatorum, et aliorum Eccleſiaſticorum hominum, tum etiam pro obedientia, quae ipſis Eccleſiaſticis ab hominibus Secularibus debetur. Super qua eiusmodi concluſione, extare articulos confectos, in quibus articulis Ordines, et Status Regni ſine augmento, vel diminutione ulla nunc quoque perſiſtunt. Reſtare igitur tantummodo, vt Sua Maieſtas articulos ipſos ab vtroque Ordine, tam Eccleſiaſtico, quam Seculari obſeruari curet: Et ſi altera pars obediens non eſſet, vel aliquis hos articulos non obſeruaret, Maieſtas Sua ſecundum praefatos articulos in eos procedat.

2. Supplicant (a) autem Ordines, et Status Regni Sacrae Regiae Maieſtati, vt quemadmodum clementer obtulit prouentus Epiſcopatus Iaurinenſis, olim ad graues neceſſitates Regni quibuſvis inſcriptos, quantum pro rerum, et neceſſitatum magnitudine licuerit, clementer eliberare, et Eccleſiae reſtituere; de bonis vero Dominorum, aut Nobilium, quae a certo tempore in manus ſuae Maieſtatis deuenerunt, et nunc habentur; intra anni ſpatium clementer ſtatuere, et eos, ad quos bona ipſa ſpectant, vel bonis aequiualentibus, vel pecunia contentos reddere, vel ipſa eis bona reſtituere dignetur. De illis autem bonis Domini Andreae de Báthor, et aliorum litis conſortium, quae ex inſcriptione ſuae Maieſtatis apud Dominum Lucam Székely, et Petrum Erdődi habentur; Maieſtas Sua, prout in tractatu ſe ſuper illis eſſe ſignificauit, tractatus ipſos perficere, et bona ipſa primo quoque tempore eliberare, et reſtitui facere dignetur.

3. Iudicia (b) etiam Eccleſiaſtica, proceſſusque per cenſuras, per Iudices Eccleſiaſticos fieri, inuocatoque auxilio brachii Secularis, ad effectum perduci continue debeant modo, et ordine ſuper his ab antiquo obſeruato, ita tamen, ut quo tempore Secularia Iudicia propter bella celebrari non poſſint, etiam Eccleſiaſtica Iura ſileant.

4. Cauſae (c) etiam viduarum, et aliorum, ratione dotis, ac rerum parapheruralium motae, vel mouendae, modo praemiſſo continue iudicentur in Iudiciis Locumtenentiae.

5. Decimas (d) in inferioribus Comitatibus, qui nunc ad obedientiam Regiae Maieſtatis acceſſerunt, eodem modo, atque ordine arendari oportere ſtatutum eſt, qui ſuper huiusmodi arendatione, in ſuperiori Conuentu Poſonienſi fuerat conſtitutus, et in Articulis eius Conuentus extat expreſſus. In Tranſyluania autem, iuxta veterem eius prouinciae conſuetudinem, arendatio earundem decimarum fiat.

6. Statutum (e) eſt praeterea, ut in Conuentibus, vel Capitulis, vbicunque ad minus quinque perſonae Eccleſiaſticae non fuerint, ad executionem exire, et ea, aliaue, quae officiorum eorum ſunt, in negotiis publicis Regni adminiſtrandis gerere non poſſint; ſed Capitula illa, in quibus complures morantur Presbyteri, vbique ad loca propinquiora procedere, in executionemque exire poſſint, ne propterea in executione iuſtitiae defectus contingat.

7. Praelaturas, (f) et alia beneficia Eccleſiaſtica in Regno vacantia Sua Maieſtas, vti clementer obtulit, primo quoque tempore Vngaris bene meritis, et Eccleſiaſticis conferre dignetur, ſimiliter etiam Baronatuum officia.

(a) Alias 18.
(b) Alias 25.
(c) Alias 28.
(d) Alias 29.
(e) Alias 41.
(f) Alias 40.

CXVIII.

CXVIII.
SYNODVS REGIA
Sopronienſis Anni MDLIII. ſeu Ferdinandi I. Decretum XIV.

1. Quod (a) ad Religionem, et decimas Eccleſiarum, pro arbitrio Dominorum Praelatorum arendandas attinet, Status, et Ordines Regni paucis reſpondent: Se ſe in his, quae ad Religionem ſpectant, nihil diſſentire ab iis, quae proximis Conuentibus ſuper ea re tractata, et concluſa, ac per Sacram Regiam Maieſtatem approbata, et confirmata fuerant: quemadmodum ſuper his plura in articulis eorundem Conuentuum extant conſcripta; quandoquidem ſi quid etiam in his ipſi vellent innouare, nullam Comitatuum nuncii ea de re authoritatem ſibi a ſuis Fratribus, a quibus huc ſunt delecti, conceſſam habent. Arbitrari autem aequum eſſe, vt Praelati ſecundum contenta articulorum praedictorum Conuentuum, maxime autem Anni 1548. et Seculares quoque in omnibus officio eorum ſatisfaciant. Si qui autem contra ipſos Praelatos, et Concionatores ab eis delectos, uſu temerario palam inſurgere, et ipſos vituperiis, contumeliis, verberibus, aut nece afficere, vel Eccleſias Dei in contemptum Diuinae Maieſtatis deſtruere, diripere, profanare, et ſpoliare, imagineſque in Eccleſiis frangere, aut incendere praeſumerent, tales comperta rei veritate, pro delicti merito, iure mediante, per eius Maieſtatem puniantur, modo, et ordine ſuper his in articulis praedicti Conuentus Anni 1548. expreſſo.

2. Super (b) modo etiam, et ordine arendationis decimarum, punitioneque eorum, qui eas violenter auferrent, tametſi Domini Praelati, qui huic Conuentui interſunt, Domini etiam Barones maiori ex parte, ſanctiſſimam Maieſtatis Regiae in hac quoque parte propoſitionem eſſe cenſent, vt ſcilicet quocunque poteſt pretio decimas ſuas cuiuis Eccleſiaſtico locare liceat, quemadmodum etiam Secularibus res ſuas proprias permiſſum eſt vendere, vt poſſunt; ideo propoſitioni ipſi, vt in ea expreſſum eſt, firmiter inhaerent. Quandoquidem etiamſi ſuperioribus annis aliquid in contrarium fuiſſet ordinatum, longe diſpar ratio ſit temporis praeſentis, multoque maiorem gentium numerum intra, et extra arces ad defenſionem Regni, Praelati, atque alii Eccleſiaſtici cogantur continue alere: Verum ne anſam ipſi nunc praebuiſſe videantur tumultibus, diſſidiis variiſque malis, quae ex hac conſtitutione, in hac perturbatione rerum ſecutura eſſe, a Dominis Nobilibus indicatum eſt: Volentes etiam cum eorum incommodo, publicae quieti, vtilitatique conſulere, quantum pro eorum perſonis, conſentiunt hac vice in hoc, vt vſque ad proxime futurum generalem Conuentum in priori ſtatu ſuper hac arendatione decimarum permaneatur. Proteſtantes nihilominus Sacrae Caeſareae, Regiae Maieſtati ſolenniter; id ſe pro malis huiusmodi euitandis, quae ipſi Regnicolae commemorant, et ad tempus ſummodo praeſcriptum, proque eorum ſolis perſonis, de ſuo iure concedere: Nam contra iuramentum eorum ſuper non dilapidatione bonorum, et prouentuum Eccleſiarum praeſtitum, contraque Sanctorum Canonum conſtitutiones a priſcis temporibus ſemper obſeruatas, nulla ratione ſe in illam conſtitutionem conſentire poſſe, iidem Praelati aperte confirmant. Et quid, quid nunc faciunt, ſponte in fauorem Nobilitatis, communisque concordiae cauſa pro iſta ſaltem vice ſe facere.

(a) Alias 7.

(b) Alias 8.

Digitized by Google

3. Probatur (*a*) etiam Ordinibus, et Statibus, vt quemadmodum Sacra Regia Maieſtas hortatur benigne fideles ſuos, penes quos beneficia aliqua ſunt Eccleſiaſtica, ad limitationem Suae Maieſtatis viris dignis, et ad Eccleſiaſtica munia idoneis, ad idque iam delectis, et nominatis, ea relinquant libera. Aut ſi ipſi ius Patronatus in eis praetendunt, illud producant coram Sua Maieſtate, et de ſuis manibus nihilominus ea tradant viris Eccleſiaſticis, neque diutius patiantur Eccleſias ipſas ſuis legitimis carere Paſtoribus.

4. Iudicia (*b*) etiam Spiritualia continue ſecundum Canones, quibus ab antiquo Eccleſia vſa eſt, continuentur, in omnibus cauſis forum Eccleſiaſticum concernentibus.

5. Quod (*c*) vero de editione, impreſſioneque erroneorum librorum per Maieſtatem Suam mentio facta eſt, Status, et Ordines ſuper ea re pro parte ipſorum nihil ſtatuere potuerunt; quum in eorum bonis nusquam id fieri ſibi conſtare affirment.

(*a*) Alias 9.
(*b*) Alias 22.
(*c*) Alias 24.

CXIX.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDLIV. ſeu Ferdinandi I. Decretum XV.

1. Quantum (*a*) ad Religionem attinet, ſtatutum eſt, vt tam Domini Praelati, et aliae perſonae Eccleſiaſticae, quam alii Status Seculares, iuxta priorum Conuentuum conſtitutiones ſuperinde confectas, ſe ſe gerant, et officio vtrique eorum ſatisfaciant.

2. Arendationem (*b*) decimarum vbique per totum Regnum iuxta conſtitutiones proximorum Conuentuum fieri debere ſtatutum eſt: neque teneantur coloni vltra tempus in Decreto Regni praefixum fruges eorum in agris tenere ad libitum decimatorum, quod ſoepe multo cum damno hactenus multorum contigit.

(*a*) Alias 7.
(*b*) Alias 12.

CXX.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis pro Feſto Circumciſionis Domini Anni MDLV. indicta ex Stylo Cancellariae Ferdinandi I. per Sebaſtianum Liſthium Cibinienſem, ſub Rendmo in Chriſto Patre Nicolao Olaho Archi-Epiſcopo Strigonienſi, locique eius Comite Cancellario, Secretario vero, ac Conſeruatore Egregio Domino Ioanne Liſthio Viennae feliciter inchoato Anno Domini MDLIII. Biblioth. Auguſtae inter Cod. MS. Iur. CIV. No. CLVI.

Indictio Generalis Dioetae ad Gabrielem de Peren.

Ferdinandvs etc. Spectabilis, et Magnifice, Fidelis noſter dilecte! Credimus tibi perſpectum eſſe, quanta diligentia adhibita, vtraque, belli videlicet, et pacis via, tuae, ceterorumque fidelium noſtrorum quieti, et permanſioni, totiusque Regni noſtri Hungariae ſaluti abinitio regi-

regiminis noſtri Hungarici incubuerimus. Affecti tandem pacis ſtudio, volentes Fidelium noſtrorum quieti conſulere, ad portam Magnitudinis Imperatoris Turcarum Oratores noſtros ſuperioribus annis expediueramus, (qui etiam apud Suam Magnitudinem agunt) vt in eo negotio diligentiſſime elaborent, quo deinceps cum Sua Magnitudine in optima quiete, bonaque vicinitate viueremus, et vt vtrinque iam tandem a tanta humani ſanguinis effuſione ceſſaretur. Quae quidem res, vt maturiorem ſortiretur effectum, ſuperiori quoque anno nouum Oratorem noſtrum ad portam Magnitudinis Suae pro conſtituenda ſub bonis, et iuſtis conditionibus firma pace miſeramus: Qui quidem nuper, dum nos in Sacro Romano Imperio ea, quae pacis, ac mutui amoris, quaeque ad diſcordiae ſemina tollenda maxime profutura eſſent, conſtitueremus, ac Deo ita annuente feliciter quoque concluſiſſemus, ad nos cum reſponſo Magnitudinis ſuae reuerſus eſt. In quo Magnitudo ſua praeter cetera a nobis poſtulat, vt vniuerſam Tranſyluaniam, aliaque vltra, et citra Tybiſcum inſignia loca, vtpote Varadinum, Gyulam, Caſſoviam, et quidquid ante, nomine Filii Ioannis quondam Regis poſſeſſum fuit, ad manus eiusdem quondam Regis filii daremus, et aſſignaremus, vel etiam, eo acceptare nolente, omnino manus noſtras exinde exciperemus, et quod (vt Magnitudo Sua aſſerit) Ioanni condam Regnum Hungariae, Filio autem eius Illuſtri Tranſyluaniam in Seniochalcatum, ſeu officiulatum duntaxat dediſſet. Et quamuis intellecto hoc eius reſponſo, praefatum Oratorem noſtrum, denuo ad portam Magnitudinis Suae cum decenti, et rationabili oblatione remiſerimus ita, vt Suam Magnitudinem optime contentari poſſe credamus; quum tamen huic Magnitudinis ſuae voluntati, ac deſiderio, ſine omnium Regnicolarum noſtrorum fidelium communi conſilio, ac intelligentia, quomodo ad plenum morem gerere poſſimus, non videamus; propterea voluimus tecum quoque, ac cum ceteris Fidelibus noſtris, de quorum ſcilicet rebus, haereditatibus, et vita quoque agitur, clementer ſuper eo, et aliis negotiis, communem vtilitatem ſpectantes conferre, quo in omnem euentum ea, quae tuae, ac tuorum ſalutis, atque permanſionis ſunt, communibus votis, ac conſiliis curarentur, ac prouiderentur. Atque ideo generalem Conuentum ad primum diem proxime venturi menſis Ianuarii in ciuitate noſtra Poſonienſi indicendum duximus. Cui quidem nos quoque perſonaliter omnino praeeſſe decreuimus; vbi inter cetera negotia, vltra illos duos ſolitos modos conferendi ſubſidii, videlicet contributionem colonorum per ſingulas portas, ac gentium ratione bonorum conſeruationem de bono aliquo, et ſpeciali ſubſidio, ſi, et in quantum pro neceſſitate temporis eo opus fuerit, pro permanſione Tua, aliorumque Fidelium noſtrorum conferend. — tractandum erit. Fidelitati igitur tuae ſub poena in Decreto expreſſa firmiſſime committimus, et mandamus, vt relictis ad defenſionem partium illarum, et in ſubſidium, ſi opus erit, Epiſcopo Waradinenſi gentibus tuis, tu ipſe ad praefatum diem, et locum perſonaliter adeſſe debeas. Et quum negotia, de quibus tractaturi ſumus, ſingularem celeritatem requirant, ac alias etiam certas, et arduas ob cauſas nulla in maturiore praefati Conuentus celebratione mora admitti debeat, omni ſtudio curare debes, vt ſi eiusdem Conuentus diem praeuenire, et anticipare quoquo modo non poſſes, ad illum tamen ipſum diem in dicta ciuitate noſtra Poſonienſi omnino, et praeter ullam dilationem adſis, vt confectis iſthic celeriter rebus omnibus, aliis etiam aliorum Regnorum noſtrorum negotiis prouidere poſſimus. Denique quum reſtantias praeteritorum ſubſidiorum vltra illud, quod proximo in Conuentu Poſonienſi duobus in terminis exſoluendum per te, et alios fideles Regnicolas noſtros oblatum eſt, bonis tuis adhuc extare intelligens, ſummeque neceſſarium ſit, vt confinia Regni interim, donec nuper oblatum ſubſidium adminiſtretur, quum militum ſolutione, tum alia neceſſaria prouiſione mature firmentur; Fidelitati tuae

iterum firmiter committimus, et mandamus, vt eiusmodi reſtantias, vna cum pecuniis primi ſubſidii nouiſſime nobis oblati, ſtatim, et ſine vlteriori dilatione, ad manus Dicatorum noſtrorum adminiſtrare cures, ne confinia ipſa, ad quorum intentionem ſubſidia praedicta oblata ſunt, debita prouiſione cum magno totius Regni, et Tuo, ac aliorum Fidelium noſtrorum omnium detrimento deſtituantur: Secus igitur, in quantum tibi ſalus Regni, et tua chara eſt, non facturus. Datum Viennae 13. die Nouembris Anno Domini 1555.

CXXI.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDLV. pro feſto Beati Ioannis Baptiſtae indicta, ſeu Ferdinandi I. Decretum XVI.

1. Domini (*a*) Praelati, et aliae perſonae Eccleſiaſticae decimas habentes, ratione decimarum ſuarum, quae adhuc illis extant ſiue in propriis arcibus, (ſi quae illis cum Turcis ſint finitimae,) ſiue alibi inter gentes praedictas, ad publicam defenſionem gentes alere teneantur.

2. Supplicant (*b*) etiam Status, et Ordines, dignetur Maieſtas Sua decimas Domini Epiſcopi Iaurinenſis, ex pertinentiis arcis Hornſthein, ad Epiſcopatum Iaurinenſem ab antiquo pertinentes, quae ſub nulla eſſe, neque fuiſſe inſcriptione dicuntur, ſed tantum potentia mediante per Dominum Conradum de Fürſth (*c*) dictae arcis Dominum perceptae eſſe, et percipi, viſis iuribus Domini Epiſcopi, et Eccleſiae ſuae Iaurinenſis, nec non tenore concordiae inter Sereniſſimos Principes, Maximilianum Imperatorem, et Regem Vladislaum felicis recordationis, ſuper his bonis impignoratitiis factae, iuxta Iuris, ac iuſtitiae ordinem, praefato Domino ſuo Epiſcopo, Eccleſiaeque ſuae remitti facere.

3. Statutum (*d*) eſt etiam, vt quum Regia Maieſtas arcem Agrienſem, ex qua nunc maioris Regni partis defenſio (*e*) conſeruatioque dependet, nec non arces Sáros, et Murán, multasque alias pro defenſione harum Regni partium, grauiſſimis ſumptibus conſeruari, ac communiri curet; ac propterea decimas ad Epiſcopatum Agrienſem pertinentes, in ſpecie de omnium bonis in vſum praedictum colligi mandauerit: omnes Domini, ac Nobiles, ceterique Status, decimas ipſas de bonis ſuis integre ad manus hominum Suae Maieſtatis adminiſtrent, adminiſtrarique faciant; nec quisquam ſe ſe in eas decimas, vel earum partem audeat violenter ingerere, vel decimatores Regios perturbare, ſub poena in ceteros violentos conſtituta. In perceptione autem, arendationeque aliarum decimarum, quarumcunque Eccleſiarum is modus, et ordo obſeruetur, qui in conſtitutione ſuper ea re ſuperioribus Conuentibus facta expreſſe continetur; neque contra eam quispiam manus ſuas in ipſas decimas immittere audeat.

(*a*) Alias 5.
(*b*) Alias 12.
(*c*) Videtur fuiſſe Marchio Brandeburgenſis.
(*d*) Alias 15.
(*e*) Redeant in mentem Lectori ea, quae Paulus de Warda, vti ſupra edixi, habet.

CXXII.

CXXII.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDLVI. ſeu Ferdinandi I. Decretum XVII.

1. Statuerunt (a) Status, et Ordines Regni, vt loco duorum equitum, qui iuxta concluſionem praeteritae Dioetae ex ſingulis centum colonis continue ali debebant, inpoſterum terni equites, de ſingulis ſimiliter centum colonis alantur iugiter, ad continuam Regni defenſionem, penes alias gentes Suae Maieſtatis. Qui quidem equites, in his locis, et penes eos Capitaneos permaneant, penes quos illos equites in proxima Dioeta permanere debere fuerat conſtitutum. Eo tantum excepto, quod ſi quis Dominorum in pluribus Comitatibus diſtracta bona haberet, vt duo ſolummodo, aut tres, vel circiter quatuor equites ex bonis alicuius Comitatus per eum expediendi forent, poſſint hi pauci inter alios expediri, qui maiori numero de bonis alterius Comitatus viciniorís, vbi illi Domino plura bona fuerint, erunt expediendi. Specialiter autem Reuerendiſſimus Dominus Strigonienſis, ratione bonorum ſuorum, ac Capituli Eccleſiae ſuae, et Praepoſiturae de Thurócz gentes ſuas huiusmodi in confiniis apud arcem ſuam, videlicet Ujvár, quae in faucibus hoſtium poſita eſt, tenere, et nihilominus cum gentibus Comitatus, vbi in expeditionem aliquam, penes Dominum Palatinum, vel aliquem Capitaneum Regium, aut Regni, gentes ipſius Comitatus aliquo ire opus eſt, ipſe quoque Strigonienſis dimittere debeat.

2. Ceterum (b) in negotio Religionis ſtatutum eſt, vt iuxta conſtitutiones proximorum Conuentuum, tam Domini Spirituales, quam etiam Laici, ſtudeant officio vtrique eorum facere ſatis; neque alterutra pars in alterius officium ſe ingerat, quemadmodum pietas in Deum Optimum Maximum ſane requirit.

3. Statutum (c) eſt etiam, vt Anabaptiſtae omnes de omnium Dominorum bonis, ac Nobilium, ceterorumque poſſeſſionatorum, infra ſpatium quatuor hebdomadarum, ſub grauiſſimae Regiae Maieſtatis indignationis poena, e Regno penitus eiiciantur.

4. Praeterea (d) quum amiſſo ſuperiobus annis Strigonio, cum alba Regali, aliisque nonnullis locis, ſupplicatum fuiſſet ab Ordinibus, et Statibus Regni Sacrae Regiae Maieſtati: vt in tanta paucitate Conuentuum, et Capitulorum, a quibus executiones Iudiciariae in Regno fieri poſſunt, concedere dignaretur; quo Capitulum Strigonienſe, quod nunc Tyrnauiae reſidet, in omnes Regni partes procedere, et executiones facere poſſit; Sacra Maieſtas Sua ad ſupplicationem fidelium ſuorum clementer annuerat literis ſuis Regiis ſuperinde emanatis: A quo quidem tempore Capitulares ipſi iuxta commiſſiones Regias, Iudicumque ordinariorum, in omnibus Regni partibus ad limites vſque Tranſiluaniae proceſſerunt, in bonisque tam Regiae Maieſtatis, quam aliorum executiones fecerunt, et literas de more ſuperinde extradederunt. Sed quia in articulos eiusdem temporis, aut vllius poſtmodum Dioetae, annuentia huiusmodi, vndecunque hactenus inſcripta non fuit, ne vel Maieſtas Sua, vel Ordines, ac Status futuris vnquam temporibus aliquid detrimenti ex eo pati poſſint, et iuſtum, et neceſſarium eſſe, imo publicum commodum concernere viſum eſt, vt praedicta Regia annuentia, publicusque in eum conſenſus in prae-

(a) Alias 19.
(b) Alias 25.
(c) Alias 26.
(d) Alias 39.

Digitized by Google

praeſentis Dioetae articulos inſcribatur; omnibusque proceſſibus, et executionibus quibusvis per dictum Capitulum Strigonienſe, in bonis Regiis, vel alterius cuiuſuis factis, et inpoſterum fiendis, literisque ſuperinde ab ipſo Capitulo emanatis, vel emanandis vigor, et perpetua firmitas detur, omniaque ſupradicta, rata, atque firma habeantur.

5. Ad (*a*) eandem etiam ſupplicationem Statuum, Maieſtas Sua mandaturam ſe obtulit officialibus ſuis, quorum intererit, vt fruges, ac vina de decimis Epiſcopatus Agrienſis in ſpecie iam collecta, et in diuerſis locis per ipſos repoſita, Dominis potius terreſtribus, quam cuique alteri, eodem, quo aliis pretio venderentur, parata pecunia vendant, vti aequitas poſtulat.

(*a*) Alias 43.

CXXIII.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDLVII. ſeu Ferdinandi I. Decretum XVIII.

1. Iudicia (*a*) Eccleſiaſtica in omnibus cauſis, quae Forum Spirituale concernunt, ſine intermiſſione per Vicarios Dominorum Praelatorum, iuxta contenta priorum articulorum, et Conſtitutiones, more alias obſeruato teneantur.

2. In (*b*) negotiis Spiritualibus, et Eccleſiaſticis, hoc inprimis iuſtum, ac neceſſarium eſſe videtur: vt ſicut priuilegia, et libertates omnium Regnicolarum obſeruari, et inviolata eſſe debent, ita etiam libertates, et immunitates, priuilegiaque Eccleſiaſtica ab omnibus inviolabiliter obſeruentur; vt Domini Praelati, et reliquae Eccleſiaſticae perſonae officio ſuo commodius, et liberius incumbere valeant, ſignanter autem Viſitatores, Archidiaconi, Vice-Archidiaconi, et eorum Subſtituti in viſitandis Eccleſiis, et Dioeceſibus progredientes, libere vbique admittantur, vt ſuum officium exercere cum omni facultate, et iurisdictione Eccleſiaſtica, ſecundum priorum Dioetarum Conſtitutiones poſſint, et valeant ſine impedimento, per Patronos locorum, ſeu quoslibet alios praeſtando; Et ne prohibeantur inquirere, et punire vitia, prauitatem, ſeu delicta Sacerdotum. De reliquis etiam huiusmodi rebus, et negotiis Eccleſiaſticis, conſtitutiones priores, et praeſertim Anni 1548. per omnia obſeruentur, et rata habeantur: vbi etiam peruerſiſſima illa Anabaptiſtarum Secta eliminari debebit, iuxta conſtitutiones praemiſſas. Plebanis etiam, et aliis Eccleſiaſticis perſonis cuiuscunque Status libertas ſua in omnibus obſeruetur, ac inter alia, ne poſt mortem illorum pro ſe occupent, vel accipiant Patroni res, et bona illorum, ſiue teſtati, ſiue inteſtati deceſſerint, ſed neque etiam Praelati, fratribus ſuperſtitibus (*c*) eorum, qui deceſſerint, bona huiusmodi pro ſe occupent.

3. Si (*d*) bona quaepiam, et poſſeſſiones, ac prouentus Eccleſiaſtici ab Eccleſiis, quibus ſemel dicatae, et ad quas poſſeſſae fuerunt, per violentiam forte aliquorum, vel vtcunque indebite auulſae, ad manus alienas perueniſſent, ſiue illi ſint Patroni earundem Eccleſiarum, ſiue alii; contra tales violentos, et indebitos occupatores iuris ordine procedi, et bona huiusmodi iuridice repeti debent, iuxta contenta Decreti. Si autem Plebani, et Rectores ipſi beneficiorum hoc facere nollent, aut non poſſent, aut non auderent, tunc Praelatis quo-

(*a*) Alias 9.
(*b*) Alias 10.

(*c*) In caſu contrario ſuccedebant ergo Praelati, quod iuris communis ratio exigit. (*d*) Alias 11.

quoque, et Superioribus eorundem beneficiorum idem ſemper liceat.

4. Decimarum (*a*) autem perceptio, ſiue arendatio Dominis Praelatis, et aliis Eccleſiaſticis perſonis iuxta conſtitutiones priorum Conuentuum, et ſignanter 1546. et Sopronienſis 1553. ſit libera, et inuiolabiliter obſeruetur iuxta modum, et ordinem, ac ſub poenis alias denotatis. Sed ſi vel ipſi Domini Praelati decimas pro ſe ipſis collegeriut, vel aliquibus Dominis, aut Nobilibus, ſiue poſſeſſionatis hominibus decimas ipſas in arendam locauerint, teneantur decimas decimarum, quartas, et ſedecimas earundem, illis, ad quos ſpectant,iuxta locorum conſuetudinem, quiete, pacifice, ac plenarie reddere, et alia, quae aliena ſunt, ſibi ipſis non vſurpare, aut violenter retinere.

5. Ad (*b*) exercenda autem Iudicia temporalia, quae iuxta praenotatas conſtitutiones celebrari debebunt, Aſſeſſores periti, et idonei ad minus quatuor adhiberi debebunt, ſiue ex ſeruitoribus Regiae Maieſtatis, aut Dominorum ſint, ſiue alii. Iurent etiam illico coram Iudicibus Regni Ordinariis ad iuſtitiam faciendam; neque ſuſpecti propterea eſſe poſſint. Et quod exiſtente aliqua cauſa Dominorum ſuorum, illi exurgant, neque iudiciis illis interſint. Nam ita ſemper ab antiquo fuit obſeruatum: vltra videlicet ordinarios Iudices eorumque vices gerentes, Proto-Notarios, ac duos homines Domini Strigonienſis; etiam vltra praeſentiam Praelatorum, et Baronum, ſi qui aderunt; prout etiam in articulis Dioetae Tyrnauienſis Anni 1545. ſuper his ſtatutum late extat. Quibus quidem Aſſeſſoribus, Maieſtas Regia de ſalario, more antea conſueto, ſolutionem fieri iubere dignabitur. Iidem autem Aſſeſſores, ex nunc per Suam Maieſtatem, cum conſilio Conſiliariorum Vngarorum, et Iudicum ordinariorum eligi debebunt, in quorum loco, ſi quispiam decederet, Dominus Locumtenens abſente Sua Maieſtate alium ſubſtituendi habeat authoritatem, prout antea quoque ſemper habuit.

6. Piſetarius (*c*) Archiepiſcopi Strigonienſis, tanquam Contraſcriba apud Cameras montanarum ciuitatum Regis, ad exercendum ſuum officium admittatur. Eſt autem inprimis ſumme neceſſarium, vt per Regiam Maieſtatem mandetur ſerio Domino Strigonienſi, vt iuxta Decretum, et Conſtitutiones Diuorum condam Vngariae Regum, in cuſione auri, et argenti, officio ſuo ſuperintendat, et ſatisfaciat. Itidem ſua Maieſtas mandare dignetur Officialibus ſuis in camera Cremnicienſi, et aliis cameris, vt ipſum Dominum Strigonienſem, eiusque Piſetarium, ad exercendum officium ſuum (ad quod eſt Regno iuratus) ſemper admittant. Idemque Piſetarius interſit ſemper, dum aurum, et argentum in Cameram Regiam praeſentatur; vt ſciat veluti Contraſcriba quidam, quantus numerus auri, et argenti, ſingulis hebdomadis praeſentetur ad cameram? quantum etiam confletur? ex quo piſeti ipſius prouentus, pro ſuo officio Piſetarii, reddi debeant: Quo eo magis praecaueatur auri, et argenti non cuſi exportatio (exceptis tamen propriis neceſſitatibus Regiae Maieſtatis, ac Sereniſſimorum Liberorum) eo quod exportatio huiusmodi in damnum Regni, Regiae Maieſtatis, et prouentuum Domini Strigonienſis vergit non mediocre.

7. Ceterum (*d*) quum propter factiones rebellium in partibus ſuperioribus, Conuentus de Leleſz, ad iuridicas executiones inter fideles Regiae Maieſtatis progredi non poſſit; ſupplicant Status, et Ordines, vt interea, dum Conuentus ille eliberabitur, Conuentus de Iáſzow, ac Capitulum Agrienſe, et Scepuſienſe ad executiones, ad quas Leleſz procedere ſolebat, procedere iubere dignetur.

(*a*) Alias 12.
(*b*) Alias 13.
(*c*) Alias 15.
(*d*) Alias 21.

Digitized by Google

8. Statutum (a) eſt etiam, vt Capitulum Veſprimienſe in Comitatibus olim conſuetis (quatenus id fieri poteſt) executionem faciat; quum Capitulares illi bona adhuc, et proueutus habeant. Sigillum autem eis reformetur, et rurſum eis aſſignetur, quo vti poſſint. Interim autem Conuentus de Kapornak, et Szalavár, in his locis, in quibus Capitulum Veſprimienſe procedere poteſt, procedant.

(a) Alias 22.

CXXIV.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDLIX. ſeu Ferdinandi I. Decretum XIX.

1. Vbi (a) Sacra Maieſtas Sua Caeſarea hortatur fideles ſuos, vt Domini Praelati, Praepoſiti, Abbates, ceterique Eccleſiaſtici Ordines, ac etiam Domini Barones, et Nobiles de ſingulis centum florenis, quos ipſi Eccleſiaſtici a decimis, Seculares vero a nonis percipiunt, ſingulos duos equites interteneant: Quum Sereniſſimus Rex Bohemiae, habita clementi ratione iuſtiſſimae excuſationis, vtriusque Ordinis fidelium Suae Maieſtatis hac in re factae; tam Dominos Praelatos, Praepoſitos, Abbates, Capitula, et ceteros Eccleſiaſticos, quam vero Dominos Barones, et Nobiles, ab hoc expediendorum duorum equitum onere clementer immunes habuerit; ſtatutum eſt: vt nemo ad illorum expeditionem teneatur. Domini tamen Praelati, Praepoſiti, Abbates, Capitula, ceterique Eccleſiaſtici Ordines gentes ſuas, modo, et ordine in articulis anni 1555. expreſſo, interteuere debeant.

2. Eccleſiaſtica (b) Iudicia in quibuscunque cauſis ad forum, et ſedem ſpiritualem pertinentibus, iuxta continentias Decretorum Mathiae, et Vladislai Regum, et aliorum quoque, per Vicarios Dominorum Praelatorum continuo in terminis ſuis conſuetis adiudicentur.

3. Statutum (c) eſt praeterea, quod iuxta conſtitutiones ſuperioris Conuentus Anni 1557. et etiam aliorum, Domini Praelati Archidiaconos ſuos ad viſitationes peragendas emittant, Synodos celebrent, aliaque ad eorum officia ſpectantia in rebus Eccleſiaſticis obire non omittant, ac tempore Synodi, vel conuocationis generalis, ſiue particularis, teneantur omnes Plebani, et Presbyteri qualescunque, tam ex bonis Dominorum, et Nobilium, quam ex ciuitatibus liberis, ad conuocationem Praelatorum ſuorum, quorum Dioeceſi ſubſunt, pro accipienda ſalutari doctrina, ſine omni renitentia conuenire. Quod ſi vero aliqui forent, qui Plebanos ipſorum ad vocationem Epiſcopi, et Praelati ſui, manifeſta coutumacia ducti retinere; neque illos praemoniti, et requiſiti, ad Synodum ipſam dimittere vellent; contra tales, ſiue Domini, et Nobiles ſint, ſiue vero ciuitates; Sacra Maieſtas Caeſarea, pro tutandis, conſeruandis, et manutenendis libertatibus, et iuribus Eccleſiaſticis, munus, et officium Principis Chriſtiani, quod Suae Maieſtati, vt Regi Vngariae incumbit, (quemadmodum ſe gratioſe obtulit) peragere, et exequi dignetur.

4. Quum (d) item Comitatus partium Regni Hungariae ſuperiorum conqueſti ſint, quod maximos plerumque patiantur defectus in executionibus faciendis, propter carentiam teſtimonii Conuentuum, quae alias ad executiones mitti ſolebant, ſtatutum eſt: vt quum Praepoſitus Leleszienſis in Conuentu ſuo nunc reſideat, habeatque adhuc prouentus, quibus perſonas Ec-

(a) Alias 14.
(b) Alias 40.
(c) Alias 41.
(d) Alias 49.

Eccleſiaſticas in monaſterio ſuo intertenere poſſit; adhibeat diligentiam, quod in Conuentu ſuo ad minus quinque Monachos teneat, vel ſi eos habere non poſſit, ſaltem Presbyteros: Si et illos quidem habere non poſſit, tales tamen teneat, qui in Conuentu reſideant, et ad peragendas fideliter executiones iurati ſint.

5. Quoniam (*a*) in executionibus multae fraudes committi ſolent, eo quod relationes in Capitulo, vel Conuentu, per hominem Regium, et teſtimonium Capituli, vel Conuentuale, ſecus plerumque, quam ipſa executio peracta eſt, fiunt: Statutum eſt, vt iuxta continentias Decreti, in poſterum ſemper relationes ipſae quarumcunque executionum, per ipſos, hominem Regium, et teſtimonium Capituli, ſine Conuentus ſub iuramento referantur, atque in literis quoque relatoriis ſemper ſpecificetur, quod talis relatio ſub iuramento facta fuerit: haec tamen conſtitutio, executionibus hactenus uſque ſine iuramento relatis, derogare non debeat. Quod ſi vero Capitulum ipſum, vel Conuentus, iuramentum modo praemiſſo exigere negligeret, puniatur, et ipſa executio, ſine iuramenti depoſitione relata vana ſit, et irrita.

6. Et (*b*) quia Capitulum Strigonienſe publice conqueſtum eſt, ſe a Nobile quodam Ladislao Zudár dicto, qui in eorum oppido S. Benedicti commoratur, maxima iniuria affici, vtpote, qui praetextu cuiusdam Nobilitationis, et libertationis, ſibi adhuc viuente olim Sereniſſimo Rege Ludouico, a quodam Abbate eius loci conceſſae, multa, praecipue autem educillationem vinorum, in deſpectum, contumeliam, et damnum ipſius Capituli facere ſoleat: Statutum eſt, vt quum iuxta iura, et Decreta Regni, Abbas ille, qui in praeiudicium Succeſſorum ſuorum nemini quidquam de bonis, et iuribus Eccleſiae concedere potuerit: eius tamen cauſae reuiſio ad inſtantiam dicti Capituli pronunc, (quod cauſae poſt obitum Sereniſſimi condam Ludouici Regis emerſae, non adiudicentur) ſuſcipi nequeat; dictus Ladislaus Zudár, vina ſua in poſterum non aliter, niſi ad inſtar reliquorum ſubditorum ipſius Capituli, in eodem oppido commorantium, quum feries ad ipſum peruenerit, educillet. Suſpenſa vero hedera Capituli, a vinis ſuis educillandis ſuperſedeat, ſub poena amiſſionis vini educillari coepti.

(*a*) Alias 50.

(*b*) Alias 51.

CXXV.

SYNODVS REGIA

Anni MDLX. ſeu Ferdinandi I. Decretum ſuper impignoratis, et alienatis Bonis Eccleſiarum Regni Vngariae.

FERDINANDVS Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Boëmiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque etc. Rex, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Morauiae, Dux Lucemburgae, ac ſuperioris, et inferioris Sileſiae, Wirtembergae, et Thekae, Princeps Sueuiae, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, et Goritiae, Landgrauius Alſatiae, Marchio Sacri Imperii, ſupra Anaſum Burgouiae, ac ſuperioris, et inferioris Luſatiae, Dominus Marchiae Sclauonicae, Portus Naonis, et Salinarum etc. Memo-

riae

riae commendamus tenore praeſentium ſignificantes, quibus expedit vniuerſis: Quod, quum Regnum noſtrum Vngariae, Diuina ita permittente ira, in eum videamus redactum ſtatum, vt non ſolum truculentiſſimi, ac communis totius orbis, et nominis Chriſtiani hoſtis Turcae potentia, ſaevaque, et immani crudelitate, iam inde a plurimis annis afflictum, debilitatumque a priſtino illo ſuo ſplendore (proh dolor) deciderit, duriſſimumque infidelis Tyranni iugum etiamnum maiori parte ſufferre cogatur: Verum etiam, quod maius eſt, reuocatis hoc ſeculo quorundam infraeni malignitate, et libera, peruerſaque tetrae mentis in ouile Chriſti ſaeviendi libidine, omnium veterum, et iam olim unanimi totius Eccleſiae Chriſtianae ſententia exploſarum, damnatarumque haereſum erroribus, diuerſarum ſectarum, impiarumque opinionum cautibus, communi condam cum aliis pleriſque orbis Chriſtiani Regnis, et Provinciis malo, impactum, verae, et Orthodoxae Religionis periculoſum valde naufragium fecerit, atque hinc euenerit, vt plurimae, diuerſique Ordinis, et inſtituti Eccleſiae, quibus hoc Regnum noſtrum inter alias orbis Chriſtiani nationes, et numero, et inſigni Diuino cultu haud fuit poſtremum; partim vaſtatione Turcarum, partim vero impietate haereticorum, et ſeducti per eos populi, maneant penitus neglectae, maiorque pars illarum funditus deſolata: Bona vero, et iura poſſeſſionaria, quibus illae antiquitus a Diuis condam Vngariae Regibus, felicium recordationum, ac ab aliis piis, et devotis erga Deum, religionemque Chriſtianam hominibus fuerunt dotatae, partim ex noſtra conceſſione ad beneplacitum facta, partim vero nonnullorum priuata authoritate, in profanis manibus nunc exiſtant, variisque modis, cum maximo Diuini cultus, conſeruandaeque verae religionis diſpendio hinc inde diſtrahantur. Volentes nos igitur, pro noſtro officio, quo in hoc ſupremo dignitatis Imperialis culmine ex Dei clementia conſtituti, pro defenſione, propugnationeque verae fidei tenemur omnibus modis curare: ne bona ipſa Eccleſiaſtica ſemel Deo, et eius cultui conſecrata, in vſus profanos conuertantur, neue ita officia quoque, et miniſteria Diuina cum grandi Chriſtianarum animarum diſpendio, ſimul intereant, et aboleantur: De maturo Conſilio, et deliberatione noſtra, et Dominorum Praelatorum, et Baronum, ac aliorum Conſiliariorum noſtrorum, nobiſcum nunc hic exiſtentium, decreuimus, atque deliberauimus: quod Vniuerſa Bona Eccleſiaſtica, exceptis iis, quae ad ſcholas intertenendas applicauimus, et dedimus, quocunque nomine cenſeantur, ſiue ea ſint Capituli, ſiue Abbatum, ſiue Praepoſitorum, Canonicorum, Priorum, Eremitarum, Carthuſianorum, et aliorum Fratrum, Monialium, Capellarum, et aliorum beneficiatorum Eccleſiaſticorum, ſiue donationi noſtrae Regali, ſiue Praelatorum ſubiacentia, quae ſcilicet nos ante praeſentium emanationem quocunque nomine, cuicunque homini Seculari contuliſſemus, et donaſſemus (quam nos donationem ex nunc reuocamus, caſſamus, et nullius roboris eſſe, vigore praeſentis huius liberationis noſtrae pronunciamus) de manibus eorundem hominum Secularium quorumcunque, et cuiuſcunque ſint ſtatus, et conditionis, ſtatim, et defacto occupentur, atque iis, quorum ipſa beneficia ſunt, ſi viuunt, reſtituantur, aut ſi non viuunt, in eo caſu manibus Archiepiſcoporum, et Epiſcoporum, aliorumque Praelatorum ſuorum ordinariorum aſſignentur; ac deinceps vſque ad tempus infraſcriptum, per ipſos Archiepiſcopos, et Epiſcopos, quibus ſubiacent, poſſideantur, et gubernentur: ita tamen, et ea conditione, quod ſi qui adhuc Praepoſiti, Abbates, Priores, Canonici, Monachi, Fratres, Moniales, et alii beneficiati ſuperſunt, quorum praeſcripta fuerunt bona, qui videlicet quum propter Turcas, aut aduerſam aemulorum noſtrorum factionem, qua Regnum iſtud ultra alias ſuas afflictiones, nunc mirum in modum turbatur, in loco ſuae reſidentiae reſidere, ac bona beneficiorum ſuorum

Digitized by Google

rum propriis ſuis viribus poſſidere; prouentusque percipere non poſſunt, ſub noſtra tamen ditione degunt; Archiepiſcopus, vel Epiſcopus ipſe Ordinarius, aut Dioeceſanus ſit ipſis beneficiatis auxilio in poſſidendis eiusmodi bonis: Vel ſi iidem beneficiati non eſſent ſufficientes bona ipſa per ſe poſſidere, ex tunc in eo caſu, Praelati ipſi, acceptis ad manus ſuas eisdem bonis, ex illorum prouentibus de honeſta, et neceſſaria vitae eorum ſuſtentatione prouidere, atque portionem ipſorum eis integre reddere: Bona vero Monachorum, et Monialium, ſi monaſteria, ad quae ſpectant, ſunt deſolata, vel deſtructa, aliis ſuperſtitibus adhuc Monachis, et Monialibus eiusdem ordinis, dare, et aſſignare debeant. Ipſi vero tales ſuperſtites Praepoſiti, Abbates, Canonici, Monachi, et Moniales, et alii beneficiati in Eccleſiis eorum Cathedralibus, vel Collegiatis, aut aliis, in quibus beneficium ipſum fundatum eſt, adhuc extantibus, vel ſi non extant, in aliis propinquioribus; Monachi vero, et Moniales in monaſteriis ordinis ipſorum adhuc extantibus, uſque ad reaedificationem Eccleſiarum, et monaſteriorum ſuorum reſidere, et cultum, atque officia Diuina iuxta fundationem Eccleſiarum ſuarum, pro eorum ſufficientia ac viribus peragere teneantur. Caſu vero, quo nullus talium beneficiatorum nunc ſuperuiueret; ex tunc Archiepiſcopi, et Epiſcopi, qui a nobis ius patronatus conferendi beneficia habent, eiusmodi beneficia vacantia, idoneis, et ſufficientibus perſonis Eccleſiaſticis, in Sacrisque conſtitutis, vel talibus non exiſtentibus, aliis Clericis, qui ordines Sacros mox ſuſcipiant, defacto, et ſine mora conferre teneantur. Si vero Archiepiſcopi, et Epiſcopi ius patronatus a nobis non habent, nos ipſi conferemus his, qui pro beneficiis ipſis apud Nos ſupplicauerint, vt ſic numerus beneficiatorum, et Eccleſiaſticorum augeatur, atque cultus Diuinus non minuatur. Hoc quoque clementer annuimus, vt ipſi Domini Praelati ex bonis eiusmodi Eccleſiaſticis vacantibus, partem aliquam ad erigendas, et intertenendas ſcholas, et ludos literarios, in quibus iuuentus ſub Praeceptore, non haeretico, aut ſuſpecto, ſed catholico, ad profectum religionis Chriſtianae erudiatur, conuertere, et aplicare poſſint. Ceterum ad tollendum dubium de beneficiis, a iurisdictione Epiſcopi alicuius Dioeceſani exemptis, et ad Eccleſiam Metropolitanam Strigonienſem pertinentibus, ita decreuimus, vt curam quidem diſpenſationis bonorum, et prouentuum temporalium Epiſcopus ipſe Dioeceſanus modo, et ordine declarato habeat, iurisdictio tamen ipſa, et ſuperioritas ſecundum iura, priuilegia, et antiquam conſuetudinem ipſius Eccleſiae Metropolitanae Strigonienſis, penes Metropolitanum ipſum integra ſemper, et illaeſa maneat. Quod ſi vero aliquis Dominorum Praelatorum, bonis iſtiusmodi Eccleſiaſticis, praeter ordinem, et modum ſuperius declaratum, abuteretur, vel in ſuum proprium vſum, aut alios non pios vſus conuerteret, talem a praedeclarata bonorum Eccleſiaſticorum cura, et diſpenſatione, prout ex nunc, ita ex tunc, et prout extunc, ita ex nunc priuatum eſſe volumus. Quod ſi autem cum tempore, Diuina miſeratione, Regnum noſtrum Vngariae pacificabitur, et ab hoc praeſenti calamitoſo, luctuoſoque ſtatu, ad quietiorem, tranquillioremque ſtatum reuertetur: ex tunc eiusmodi bonis, et prouentibus beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſine aliqua cunctatione, et dilatione, ac ſtrepitu quouis iuris, iis, quorum ſecundum fundationem intereſt, Praelati ipſi, in quorum manibus tunc praeſcripta bona Eccleſiaſtica erunt, ſimpliciter, et defacto reddere, atque illa Capitulis reſtituere debeant, et defacto teneantur. Imo decreuimus, et deliberauimus, harum noſtrarum vigore, et teſtimonio literarum: mandantes firmiſſime fidelibus noſtris vuiuerſis, et ſingulis Dominis Praelatis, Baronibus, Palatino videlicet, et aliis Capitaneis, Caſtellanis, Comitibus, Vice-Comitibus, et ceteris Officialibus noſtris cuiuscunque ſtatus, et conditionis ex-

exiſtant, modernis, et futuris, qui vel praeſentibus, vel aliis literis noſtri mandati fuerint requiſiti; vt praefatis Dominis Epiſcopis, vel Archiepiſcopis, quorum intererit, in praemiſſa deliberatione noſtra exequenda, et in occupatione de manibus Secularium, et Idiotarum quarumcunque perſonarum, praefatorum bonorum, et prouentuum Eccleſiaſticorum quorumcunque, omni conſilio, auxilio, et adiumamine adeſſe debeant, et teneantur, Gratiae noſtrae ſub obtentu aliud non facturi. Praeſentes autem, quas ſecreto ſigillo noſtro, quo vt Rex Vngariae vtimur, in pendenti communiri iuſſimus, poſt earum lecturam ſemper reddi committimus praeſentanti. Datum Viennae decima die Aprilis Anno Domini Millesimo quingenteſimo ſexageſimo, Regnorum noſtrorum, Romani triceſimo, aliorum vero triceſimo quarto, electionis vero noſtrae Imperatoriae tertio. Ferdinandus. Franciſcus Forgách Epiſcopus Varadienſis.

CXXVI.

SYNODVS REGIA Poſonienſis Anni MDLXIII. ſeu Ferdinandi I. Decretum XX.

1. Quoniam (*a*) loca finitima, non niſi praeſidio militum conſeruari poſſunt, eorumque Domini, et poſſeſſores, propriis ſuis viribus ad alendos in illis milites plerumque non ſufficiant, ſtatutum eſt, vt iuxta ſuperiorum Conuentuum conſtitutiones, terni illi equites, qui de ſingulis centum colonis Dominorum pariter, et Nobilium, in confiniis continue interteneri debere, fuerunt decreti, in poſterum quoque, tam per Dominos, quam Nobiles, Eccleſiaſticos pariter, et Seculares, in locis finitimis ſibi vicinioribus, ſine intermiſſione, et re ipſa intertencantur. Illi tamen, qui proprias habent arces Turcis vicinas, ternos eiusmodi equites in illis, et non alienis intertencant.

2. Iudicia (*b*) Eccleſiaſtica in ſuis de iure ſtatutis terminis, ſecundum iura Canonica, ſemper indicentur, vt in vtroque foro adminiſtratio iuſtitiae nemini deeſſe poſſit, quemadmodum hoc ipſum in priorum quoque annorum articulis fuit decretum.

3. Quod vero (*c*) Sacra Caeſarea, et Regia Maieſtas, fideles ſuos Status, et Ordines Regni, non minus benigne, quam ſumma cum diligentia monet, atque hortatur, vt exortis vniuerſa aeſtate diuerſis, et impiis pariter, et abſurdis haereſibus, atque ſectis, in religione, veroque Dei cultu vnionem, Chriſtianam charitatem, et doctrinam per Apoſtolos, et Sanctos Eccleſiae Patres traditam, ac totius orbis conſenſu approbatam ſequantur: Status, et Ordines Regni Sacrae Suae Maieſtati pro hac illius clementia, et pietate, quae non minorem de aeterna, quam temporali iſta fidelium ſubditorum ſalute habet ſolicitudinem, immortales agunt gratias. Et quia etiam alias ſimili modo per Sacram Maieſtatem Suam fuerunt admoniti, pro clementi eiusdem admonitione, his in rebus decernere non omiſerunt. Statutum eſt, vt omnia, et ſingula, quae in ſuperiorum, ſignanter tamen 1548. 1552. et 1554. Annorum articulis, ſuper negotio Religionis publice, et vnanimi conſenſu fuerunt decreta, in poſterum quoque firmiter, et inuiolabiliter obſeruentur, nullusque contra ea, ſub poena ibidem ſtatuta, quidquam attentare audeat.

4. Et (*d*) quia vt plurimum Capitanei, et Praefecti, militeſque Suae Maieſtatis, concionatores haereticos non legitime miſſos, ob prauam, et impiam eorum doctrinam aliunde pulſos, ad ſe recipere, et in arcibus, bonisque Regiis plerumque fouere conſueuerunt, idque non ſine ingenti

(*a*) Alias 18.
(*b*) Alias 27.
(*c*) Alias 31.
(*d*) Alias 32.

ti animarum Chriſtianarum faciunt iactura, atque diſpendio, dignetur Sacra Maieſtas Sua Caeſarea, pro officio ſuo Imperiali, pariter et Regio, quo veram, et ſanctam religionem tueri, et defendere tenetur, in tales animaduertere eadem poena, quae Capitaneis, et Praefectis locorum finitimorum, qui quaeſtum victualibus exercent, ſuperius eſt conſtituta, id eſt officiorum priuatione.

5. Et (*a*) quoniam his proxime annis exortae ſunt horrendae in Deum, et ſacroſancta eius Sacramenta blasphemiae, quibus plerique maledicendo vti conſueuerunt, certumque eſt, vel his ſolum iuſtam in nos Dei iram prouocari: Statutum eſt, vt tales qui ſcilicet in Creatorem Deum, in baptiſmum, et animas, ac aliis ſimilibus modis maledixerint, ab audientibus blaſphemiam coram ſuis Iudicibus accuſentur, et habita probatione, prima vice publice caedantur: Si vero blasphemiam altera, et tertia vice repetierint, altera quidem baculis pulſentur; tertia vero non minus, quam homicidae ipſi, vel alii malefactores puniantur; audientes vero blaſphemari, et non accuſantes, puniantur exactione trium marcarum.

6. Quoniam (*b*) etiam de cauſis pauperum, viduarum, et orphanorum, quae de veteri conſuetudine Regni feria ſexta, et Sabbatho in Sede Iudiciaria Regiae Maieſtatis reuideri, et adiudicari ſolent, ſoepius per Procuratores, de qualitate paupertatis diſputantes, contentiones introducuntur, ſtatutum eſt: vt Vice-Comites, et Iudices Nobilium, ad requiſitionem talium pauperum perſonarum, viduarum, et orphanorum, literas eorum conditionum ſub fide, et fidelitate Regiae Maieſtati debita, teſtificantes, authentice conficiant: Et eas poſtmodum pauperes ipſi, dum eorum cauſae leuandae fuerint, in documentum paupertatis ſuae producant.

7. Statutum (*c*) etiam eſt, vt in Comitatibus quoque, primo Sedis die, pauperum tantum cauſae diſcutiantur.

8. Quia (*d*) plerique Nobilium ex arcibus Gyula, et Szigeth, quum propter metum Turcarum, tum vero quod inter eos viduae, et infirmi ſint, ad Capitula, vel Conuentus, quae procul ab ipſis diſtant, perſonaliter venire non poſſunt ſemper: Statutum eſt; vt Dominus Epiſcopus Agrienſis Gyulae interteneat duos Canonicos Capituli ſui Agrienſis, quorum unus ſit Plebanus loci illius ad futuram uſque Dioetam: Abbas vero de Szalauár, mittat certis anni temporibus vnum, vel duos ex Conuentu ſuo ad Szigeth, et coram his fiant Procuratorum conſtitutiones.

9. Solent (*e*) etiam nonnulli arma, et inſtrumenta bellica, aliaſque res vetitas, et inter has cuprum quoque Turcis contra Chriſtianum ſanguinem deferre. Qui quidem dum reperiri, et ſciri poterint, ademptis primo armis, et rebus eiuſmodi vetitis, ſtatim adminiſtrato Iudicio, morte puniantur. Et Capitanei quum ſupremi, tum vero particulares finitimorum locorum attente, ſummaque cum diligentia advigilent; ne qua talium rerum fiat ad hoſtes exportatio, neque ipſi etiam, quidquam illarum, gratia quaeſtus, vel dono ſubminiſtrent. Captiui etiam pactationem, et redemptionis ſuae ſummam non armis, et inſtrumentis militaribus, ſed pecunia, aliiſque rebus, quibus noceri non poteſt, exoluant. Contrarium vero facientes, eadem, quae ſupradicta eſt, poena puniantur. Et ne qua per milites in finibus commorantes, aliosque militaris conditionis homines, fraus committi queat; dignetur Maieſtas Sua Caeſarea Viennae, et in aliis (vbi opus videbitur) locis ſerio, et ſub poena capitis, quae re ipſa poſtea executioni demandetur, interdicere, et publice proclamatum facere, ne cui arma cuiuſcunque generis vendantur, niſi habeat, et exhibeat literas Capitanei, ſub quo militat, vel Domini, ſui cui ſeruit, dantis teſtimonium loci, in quo militat, vel cui ſeruit, et numeri etiam armorum, quibus quisque indigebit. Ceterum, vt fraudes, quae in caſibus huiuſmodi committi ſolent, adhuc diligentius, et ſecurius praecaueantur, voluit Maieſtas Sua

(*a*) Alias 42. (*b*) Alias 51. (*c*) Alias 52.

(*d*) Alias 53. §. 4. (*e*) Alias 67.

Sua, vt literae teſtimoniales, quas Domini Praelati, Barones, Magnates, Nobiles, Praefecti, Capitanei, et alii hac de cauſa militibus, vel ſeruitoribus ſuis daturi ſunt, ad conſiliarios bellicos Maieſtatis Suae Caeſareae, vel qui in illorum abſentia huius rei mandatum habent, poſthac inſcribantur. Et quia Viennae dicuntur eſſe non pauci, qui inito cum aliquibus contractu, multa arma verſus hoſtes dimittere conſueuerunt; de his Sua Maieſtas diligentem inquiſitionem haberi, et repertos puniri iubebit.

10. De (*a*) modo exactionis, et ſolutionis decimarum ſtatutum eſt, vt is ſeruetur ordo, qui in decreto Sereniſſimi condam Vladislai Regis Anni 1498. et in articulis Anni 1548. diffuſe, et abunde ſatis habetur declaratus; et vt decimatores, qui in decimatione, ſecus, quam ibi continetur, proceſſerint, ibidem expreſſa poena; turbatores vero decimarum, ea, quae in Conuentu Anni 1546. continetur, punitione puniantur. Abuſus etiam ille, quod decimatores multa equitum manu ſtipati ad decimandum proficiſcuntur, et Iudicem, vt eos laute, et gratis tractet, cogant: Item quod manipulum pennarum exigunt, et pro debitis, et aliis negotiis iudicium faciunt, et ſimilia tolli, et abrogari ſtatutum eſt. Et quia Sacra Caeſarea Maieſtas, et Ipſa conſueuit certas a Praelatis Eccleſiarum pro neceſſitate, et intertentione arcium ſuarum, locorumque finitimorum, arendare decimas; dignetur ea, quae in decretis, et publicis Regnicolarum conſtitutionibus, de modo, et ordine arendationis, et decimationis habentur decreta, et ſancita, tam Ipſamet per Officiales ſuos clementer obſeruare, quam per alios quoslibet ſuos fideles firmiter obſeruari facere: Saluo tamen Maieſtatis ſuae iure, pro conſeruatione locorum finitimorum decimas neceſſarias, et opportunas ſolita arenda conducendi, et integras colligendi iuxta conſtitutionem Anni Milleſimi quingenteſimi, quinquageſimi quinti. Vtque dum Praelati aliquas ſuas decimas ipſimet in ſpecie colligere noluerint, eas vero vel Ipſa Maieſtas Sua, vel Domini terreſtres pro ſe arendare voluerint, cum ipſis de pretio, et arenda illarum concordent.

11. Statutum (*b*) eſt etiam, vt Nobiles de vineis in propria eorum terra adiacentibus nullas decimas ſoluere teneantur; ſed de illis, quas non in proprio eorum fundo, verum in aliis promontoriis habent, habuerintue, et de illis Domino promontorii ius montanum, vel nonam ſoluerint; Praelatis quoque, et Eccleſiaſticis perſonis decimas ſoluere ſint obligati.

12. De (*c*) terris vero, quae directe ad curias, et domos Dominorum, pariter, et Nobilium pertinent, et non a colonis acceptae, ac ad propriam poſtea culturam reſeruatae fuerint, decimae non exigantur. Salua tamen libertate Plebanorum in Scepuſio commorantium, quibus certo eorum priuilegio, hactenus vſque longo, et continuo vſu obſeruato Nobiles, de terris eorum etiam propriis, ad ſoluendas eis decimas teneri perhibentur.

13. A profugis (*d*) quoque Nobilibus, qui amodo in poſterum per Turcas domibus, et habitationibus ſuis Nobilitaribus pulſi fuerint, bonaque, et prouentus ſuos amiſerint, et qui ad bona aliqua Dominorum, vel Nobilium habitationis cauſa confugerint, atque ab iisdem Dominis, vel Nobilibus, tam a ſolutione nonarum, tributorum, et cenſuum, quam exhibitione ſeruitiorum, ſiue ad tempus, ſiue perpetuo liberati fuerint; Domini etiam Praelati, ceterique Eccleſiaſtici (ex eorum liberalitate, et beneplacito) nullas exigant decimas: Tamdiu ſcilicet, quamdiu dicti Domini, et Nobiles, eos in libertate conſeruauerint. Quibus Maieſtas quoque Caeſarea oblatam a Regnicolis contributionem gratioſe relaxare dignetur.

14. Sta-

(*a*) Alias 68.
(*b*) Alias 69.
(*c*) Alias 79.
(*d*) Alias 71.

14. Statutum (*a*) etiam eſt, vt in quibuscunque Regni partibus, decimae ex antiqua conſuetudine, vel libertate, non in ſpecie, ſed in pecuniis exigi fuerunt ſolitae, in poſterum quoque non aliter exigantur: Si quid tamen aliud iuris, Praelatus decimarum habere ſe praetendit, liberum ei ſit iure quaerere.

15. Dominus (*b*) Archiepiſcopus Strigonienſis, pro officio ſuo, Piſetarium ſuum animaduertere faciat, ne exportetur aurum, et argentum non cuſum, vel in monetas non redactum.

16. Locumtenens habeat ius conferendi beneficia Eccleſiaſtica in omnibus Eccleſiis, in quibus Praelati ius Patronatus (*c*) non habent: exceptis tamen Abbatiis, Praepoſiturisque maioribus.

(*a*) Alias 72.
(*b*) Alias 73.
(*c*) Patent hinc rurſus ea, quae de iure Patronatus ex Cl. Zékely deprompta adnotauimus ad Synodum Regiam Lodouici II. Anni 1526.

CXXVII.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDLXVII. ſeu Maximiliani Decretum II.

1. In (*a*) foro Spirituali, et Eccleſiaſtico, prout antea, ſuis modis, et temporibus, iudicia eo pertinentia, iuxta Canones ſuos ſemper celebrentur.

2. Quoniam (*b*) vero Procuratores diuerſis artibus ſolent cauſantes huc, illuc diſtrahere, et nonnunquam cum parte aduerſa commercium quoddam occultum habere, viſum eſt Regnicolis, vt ad cauendas quaslibet fraudes, Procuratores ipſi, tam in ſedibus Comitatuum, quam coram Iudicibus Ordinariis, inanes, friuolasque exceptiones, quae nihil omnino ad rem faciunt, ſed tantum temporis extrahendi cauſa praua quadam conſuetudine ſunt introductae, omittant, et iuramentum praeſtare debeant, quod vocatur calumniae. (*c*) Ita videlicet, quod ſcienter, et calumnioſe nullas cauſas, quae eſſent iniuſtae, ſuſcipient, neque illis contra iura Regni Vngariae patrocinabuntur, neque vllo pacto cum parte aduerſa colludent; ſicuti hoc in foro etiam Eccleſiaſtico, et aliis prouinciis fieri conſueuit. Similiter etiam Fiſcalis, ſeu Director cauſarum Maieſtatis ſuae iuramentum praeſtet calumniae, dummodo non ſit duplex, et contrarium illi, quod iam Maieſtati Suae praeſtitit: iuretque, ſcienter non ſuſcepturum, vel acturum cauſam quampiam iniuſtam; nec, quam aget, illicitis, atque indebitis protelationibus temere in longum protrahet. Si vero illectos aliquos muneribus contrarium facere, et cum parte aduerſa colludere compertum fuerit, ii iure conuicti, poenam Aucariorum (*d*) ſube-

L l l l

(*a*) Alias 25.
(*b*) Alias 27.
(*c*) Priſcum hunc morem fuiſſe etiam apud gentiles, docet Socratis apologia a Platone conſcripta, vbi Socrates loquens inducitur: *recitetur*, inquit, *accuſatio, in qua de calumnia iurarunt*. Apud Ioannem Clerici in artis criticae p. 2. ſect. 1. cap. 2. p. 126. Harpocration: *Scripta quaedam complexi ad Magiſtrum deferunt accuſatores, et accuſati, de quibus lis intenditur; ſic autem vocantur, quia iuramenta contraria dederunt perſequentes, et fugientes, illi ſe vera accuſaturos, illi ſe vera defenſuros iurant.*

(*d*) Caſtigandus hic rurſus eſt imperitus ille (quisquis demum ſit) notarum in ius Hungaricum conſarcinatur, qui ait aucatios *ex voce hungarica* Oke, *ſive*, Eöke, *qualiter anſeres, in quibusdam Regni partibus ad pabulum vocantur, inde vulgariter* Ludas, *id eſt: anſerinos dictos*. Vox *Auca*, ex hungarico nunquam promanauit, ſed Occitanis *Auc*, *Auco*, Italis *Occa* anſer dictus; quam ſignificationem eadem vox habuit apud Francos. Capitulare de villis Karoli M. cap. 62. *quid de pullis, et ouis, vel anſeribus, id eſt aucis.* Contendit modo reprehenſus

Digitized by Google

beant, et per Maieſtatem ſuam ſeuere puniantur. Extranei quoque Procuratores, in foro Spirituali, et Seculari cauſas ſimplicium agentes, multas colluſiones, priuati commodi, et lucri gratia inſtituere perhibentur; poenam aucariorum iuxta hoc Regnum non formidantes. Ideo, ſi aliqui eorum ſunt beneficiati, amiſſione beneficii per Ordinarium ſuum de facto puniantur; et ſiue etiam beneficiati fuerint, ſiue non; vtrique defacto per eundem perpetuis carceribus, tanquam falſarii, et periuri mancipentur.

3. Sunt (*a*) praeterea certa beneficia Eccleſiaſtica, vtpote Praepoſiturae Regulares, et Seculares, ac Conuentus, et Abbatiae, quas his temporibus vacare contigit; quae quidem partim in manibus Capitaneorum Maieſtatis Suae, partim vero aliorum Secularium hominum habentur. Nam Praepoſitura Leleſzienſis iam adeo deſtructa eſt, vt in eo Conuentu, vix etiam literae Procuratoriae conſtitui, nedum maiores executiones fieri queant. Quae res ideo fit, quod Dominus Lazarus a Schwendi Generalis Capitaneus, bona eius, ex quibus Conuentus ſuſtentabatur, partim Alexandro Nagy-Mihály, partim Franciſco Wékey, partim vero Petro Panka oppignorauerit: quod commodo, et tranquillitati Regni non parum obeſſe videtur. Priuilegia ſiquidem Statuum, ét Ordinum in huiuſmodi Conuentuum Sacriſtiis repoſita, non ſine Regnicolarum pernicie amitti ſolent. Tandem variae in iudiciis fiunt exceptiones, conuentum non eſſe integrum, et literas eius ideo nullum habere vigorem. In Conuentu quoque S. Saluatoris de Kapornak; Item de Jáſzow ſimilis abuſus fit. Alia etiam beneficia Eccleſiaſtica, vt ſunt Praepoſitura Veteris Budenſis, Abbatiae S. Gothardi de Borſmonoſtra, de Bozok, ſunt omnes in manibus Secularium perſonarum. Quibus abuſibus, ordo Eccleſiaſticus ſenſim aboleſcit, quo confuſo, neceſſe erit etiam alios Ordines confundi. Itaque Maieſtati Caeſareae, et Regiae, Status, et Ordines Regni humiliter ſupplicant, dignetur de huiuſmodi Praepoſituris, et Conuentibus, tam Regularibus, quam Secularibus, perſonis idoneis, nec exteris, qui earum curam gerant, conferendis, clementer prouidere; ne illis per Seculares diſtractis, amitti Nobilium Priuilegia poſſint, et executiones ſuo modo fieri nequeant. Bona autem Eccleſiaſtica per Capitaneos, et Eccleſiaſticos etiam, quibuspiam impignorata, Maieſtas ſua dignetur Eccleſiis ſuis reſtitui facere, et qui pro eis pecuniam mutuarunt, quaerant ab eo, cui mutuum dederunt. Res etiam argenteas, et alias mobiles Eccleſiarum, quae vel apud Praelatos, vel alios quoscunque habentur, Maieſtas Sua mandet reſtitui. Et ſi qui habent ex Praelatis Praepoſituras, et alia beneficia, per Suam Maieſtatem ad ſubeunda eorum onera compellantur, neque etiam quibuſuis Praelatis, aut aliis liceat bona Eccleſiaſtica oppignorare, aut diuendere, et oppignorationes, ac venditiones hactenus factae, ſint inuigoroſae; prout ſe ſe Caeſarea, Regiaque Maieſtas clementer obtulit; quod accedente conſilio, ac voto fidelium ſuorum Conſiliariorum Vngarorum, ita prouiſura ſit, ne Ordines, ac Status Regni iuſtam, et legitimam conquerendi cauſam habere queant.

4. Curiae (*b*) etiam Nobilitares Dominorum, et Nobilium, ac Eccleſiaſticorum, iuxta antiquam libertatem Regni, a condeſcenſu militum tam internorum, quam externorum ſint exemptae.

CXXVIII.

---

auctor a garrulitate anſerum *Aucarios*, quaſi anſerinos appellatos. In hoc quidem non reprehendo; neſcio tamen, an non potius ab *Aucario*, id eſt: accipitre; ſic enim accipiter teſte du Cange olim appellabatur, cognominati fuerint? Hinc vtique Trip. par 2. tit. 30. in poenam vniuerſa bona amittunt. *Aucare*, inquit Henricus Spelmannus in Gloſſario Archaiologico, reperitur pro: *attrahere*

(*a*) Alias 31.

(*b*) Alias 39.

CXXVIII.

SYNODVS REGIA

Anni MDLXIX. ſeu Maximiliani Decretum III.

1. Iuſtum (a) cenſent Status, et Ordines Regni, vt Maieſtas ſua Sacra decimas, quae arcibus ſuis finitimis vicinae ſunt, vt hactenus, a Praelatis arendare valeat; reliquas autem, quae ab arcibus finitimis remotiores ſunt, et quas Praelati in arendam locare voluerint, Dominis terreſtribus, et iis praecipue, qui loca habent ipſi quoque finitima, relinquere dignetur.

2. Ceterum (b) de modo exactionis decimarum, praeſertim quoad Nobiles profugos, confirmant Status, et Ordines priorum Conuentuum, et ſignanter Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertiocelebrati conſtitutiones. De Nobilibus autem profugis, qui in ciuitatibus habitant Regalibus, decretum eſt, quod ad ſolutionem decimarum eo reſpectu non compellantur, quod in medium ciuitatis ſoluunt, et onera ciuilia ſufferunt: ſic etiam nec Altariſtae Tyrnauienſes, et aliorum locorum de vineis ad Rectoratus Altarium pertinentibus, neque etiam Rutheni, et Valachi decimentur. Et quia conqueruntur nonnulli Comitatus partium ſuperiorum, quam intolerabile iugum ſit eis impoſitum a Decimatoribus Agrienſibus, qui decimas non in ſpecie exigunt, ſed miſeram plebem, tam ad vinum, quam frumentum, immodico nimis pretio, pecunia redimendas cogunt: hac de re, vt Sacra Maieſtas Sua ſecundum clementem ſuam oblationem clementer prouidere, et tam indebitam coactionem prohibere dignetur, Regnicolae humiliter ſupplicant.

3. Quoniam (c) vero Camerarii Suae Maieſtatis, et nonnunquam etiam Capitanei, decimas ſub nomine Sacrae Maieſtatis Suae, et praetextu vſus, et neceſſitatis locorum finitimorum arendare, illas tamen contra conſtitutiones Anni 1548. pro ſe reſeruare, et in proprium vſum conuertere conſueuerunt: Supplicant Status, et Ordines Regni, dignetur Sacra Maieſtas Sua articulos eiusdem anni obſeruandos mandare, et Camerarios cum Capitaneis, ab iniquo iſto fuco, et praetextu clementer prohibere, prout etiam facturam ſe clementer obtulit.

4. Articulum (d) quoque Decreti Vladislai Regis, qui poſt feſtum S. Stephani fruges de campo importandi poteſtatem facit, Status, et Ordines Regni, ſeruandum decernunt, ne fruges, vt hactenus, in campo pereant, propter tarditatem Decimatorum.

5. Supplicant (e) etiam Status, et Ordines Regni pro iisdem Comitatibus, vt quum praeter eas, quas ad Agriam ſoluunt, Turcis quoque, et Tranſyluanis integras decimas ſoluere compellantur, atque ita tripliciter intolerabili modo grauentur; dignetur illis, quantum uſquam eſt poſſibile, in exigendis integris decimis parcere, et quemadmodum ſe ſe obtulit, per Capitaneos ſuos defendere, ne a Turcis quoque, et Tranſyluanis, ad ſoluendas decimas compellantur.

6. De (f) Epiſcopatu Iaurinenſi, ad longum declararunt Status cauſas, propter quas illum perſonae Eccleſiaſticae Vngarae, et benemeritae conferri poſtulant. Qua in re, quum Sacra Maieſtas Sua, ſe ſupplicationis fidelium ſuorum clementem rationem habituram, et ita prouiſuram gratioſe obtulerit, vt Regnicolae ſibi ſatisfactum ſentiant, nec

 vlte-

(a) Alias 27.
(b) Alias 28.
(c) Alias 29.
(d) Alias 30.
(e) Alias 31.
(f) Alias 35.

Digitized by Google

vlterius conquerendi cauſam habeant: ſupplicant Status, et Ordines, vt hoc abſque longiori mora, et cum effectu facere dignetur, ne cauſam habeant (pro uti proteſtati ſunt) decimas Domino Cardinali (*a*) omnino denegare.

7. Quod (*b*) ſi alia quoque ſunt minora beneficia aliqua Eccleſiaſtica vacantia, vel in poſterum quoque vacatura, aut quae apud manus Seculares haberentur, illa quoque Sacra Maieſtas Sua, vigore Iuris Patronatus ſui vniuerſalis gratioſe conferre dignetur, vt Clerus in Regno, in tanta Eccleſiaſticarum perſonarum penuria, augeatur. Quod ſi vero aliqui Regnicolarum Ius Patronatus in aliquibus beneficiis ſe habere praetendunt, teneantur illud, legitime citati, coram Sacra Maieſtate Sua probare, iuxta articulos Anni 1553. eoque probato beneficia vacantia conferre, et non in proprium vſum referuare; et niſi illa ipſi conferant, a Sacra Caeſarea Maieſtate conferantur.

8. Conſtitutum (*c*) eſt praeterea, vt quoniam externi quidam Procuratores, cauſas in Sede Spirituali agentes dicantur, introductis quibusdam nouis abuſibus, et cauillationibus, cauſantes grauiter vexare, et lites, quae alias breuioribus proceſſibus finiebantur, lucri, et commodi gratia in immenſum protrahere: tales impoſterum procurare, et cauſas in dicta Sede Spirituali agere non poſſint. In ciuitatibus quoque, vbi Sedes Spirituales habentur, (ne conſilia dent) habitare non permittantur. Iudices vero in cauſis Spiritualibus non externos, ſed indigenas Regni, debere eſſe decretum eſt.

9. Cathedraticum (*d*) Archidiaconis ſoluendum eſſe ſtatutum eſt, iuxta Decretum Vladislai Regis.

10. Item (*e*) ſupplicant Status, et Ordines Comitatus de Thurocz, cum aliis vicinis Comitatibus; dignetur Maieſtas Sua Sacra mandare, vt Conuentus in Praepoſitura de Thurocz reſtauretur, et perſonae in illo, quae executiones faciant, interteneantur; a Comitatibus tamen illis Praepoſitus iuuetur in reaedificatione dicti monaſterii, quo ſigillum cum protocolo tutius poſſit cuſtodiri.

11. Quod (*f*) redemptiones litterarum Capitularium, praeterea ſolutiones ſalariorum in executionibus, fiant iuxta Decreta Sigismundi, Alberti, Mathiae, et Vladislai Regum, vltraque limitationem ibi factam, ne quicquam ſoluatur.

(*a*) Zachariae Delphino.
(*b*) Alias 36.
(*c*) Alias 41.
(*d*) Alias 43.
(*e*) Alias 48.
(*f*) Alias 54.

CXXIX.

SYNODVS REGIA Poſonienſis Anni MDLXXII. ſeu Maximiliani Decretum ordine IV. Anni huius Primum.



1. Comitatus (*a*) Vltra-Danubiani, qui videlicet decimas ſuas ad Epiſcopatum Iaurinenſem dare ſoliti ſunt, adhuc ſupplicant Suae Maieſtati Caeſareae, vt

(*a*) Alias 8. In Mſ. poſt praeſationem nomine Regis appoſitam, ſequentia habentur, quae in vulgatis deſiderantur: *Articuli Dominorum Praelatorum, et Baronum, ceterorumque Statuum, et Ordinum Regni Hungariae, in generali eorum Conuentu pro feſto Purificationis Beatiſſimae virginis Mariae Anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſecundi Poſonii celebrato concluſi.*

vt ipſis de idoneo Praelato clementer prouidere, et hoc loco, benignarum oblationum ſuarum memor eſſe quamprimum dignetur.

CXXX.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDLXXIV. ſeu Maximiliani Decretum VI.

1. Equites (*a*) continui, per omnes Status, et Ordines Regni aequaliter ſeruentur, iuxta ſuperiorum Conuentuum, praeſertim vero Anno 1569. decreta, ea conditione: vt Domini Praelati, ac Barones, ab huiusmodi onere exempti minime intelligantur, qui hactenus in Comitatibus, praeſertim Vltra-Danubianis parum, aut nihil huiusmodi continui equitis tenuerunt: alioquin Nobilitas proteſtatur ſe quoque hunc ſeruandorum equitum continuorum ordinem remiſſuram, niſi idem ex parte Dominorum Praelatorum, et Baronum fiat. Supplicant etiam Comitatus Scepuſienſis, Sopronienſis, Caſtriferrei, et Szaladienſis, vt pro equitibus pedites alere poſſint, tres nimirum pedites, pro duobus equitibus; vtpote ad arcendos peditum martaloſiorum excurſus, et latrocinia, ac ſyluarum latebras inueſtigandas, equitibus commodiores.

2. Ceterum (*b*) Status, et Ordines Regni ea, quae de arendatione decimarum, tempore felicis coronationis Sereniſſimi Regis Rudolphi etc. ſancita, (*c*) ſed ob temporis breuitatem in commodiorem decernendi occaſionem reiecta fuerunt, nunc repetunt, et ſtatuunt, vt ſi decimas quaspiam Praelati arendare voluerint, eas Maieſtas Sua Caeſarea in locis, ad ſua confinia prorſus, et penitus propinquis arendare poſſit. In locis tamen a confinio remotioribus, nemo Capitaneorum, Camerariorum, aut Officialium proprii lucri, et commodi cauſa, decimas contra Dominos terreſtres arendare auſit. Decimae autem omnes, quae hactenus in ſpecie ſunt collectae, etiam in poſterum eo modo colligantur; idque fiat iuxta modum, et ordinem in articulis Anni 1548. conſcriptum. Et ſi qui Capitaneorum, Camerariorum, aut aliorum ſecus facerent, officio priuentur. Maieſtas etiam ſua articulos Anni 1569. ſuper decimis editos, et hactenus per Capitaneos non obſeruatos, vbique mandet obſeruari. Nobiles vero, qui per Turcas ſedibus ſuis expulſi, in confiniis habitant, decimas propriorum bonorum valeant pro ſe arendare. Denique neque Nobiles de terris ad curias eorum Nobilitares pertinentibus, aut extirpatitiis, neque Eccleſiaſticae perſonae de ſuis vineis decimas dare teneantur. Decimas Eccleſiaſticae perſonae, ex vineis ſuis propriis, et Nobiles ex terris ad Nobilitares curias pertinentibus non ſoluant.

3. Et (*d*) quia in negotio decimarum grauiſſimae, et iniquiſſimae fiunt exactiones ita, vt pro ſingulo frugum manipulo, ſinguli duo nummi exigantur, et vinum pennae, vti appellant, ſupra decimam extorquetur. Ideo ſtatuunt Regnicolae contra iniquos huiusmodi exactores, quod Capitaneus ipſe, qui Decimatores emittere ſolet, aut Officiales quicunque, ſi praedictam huiusmodi exactionem abrogatam innouauerint, et inſolenter, ac contra publicas conſtitutiones in exactione decimae proceſſerint, euocentur in praeſentiam Dominorum Iudicum ordinariorum, et cauſa ibidem extra omnem feriem adiudicetur; et ipſe Capitaneus, ſeu Officiales alii quilibet, pro violentia in ducentis florenis, ac pro re-

(*a*) Alias 10.
(*b*) Alias 22.
(*c*) Hinc quoque manifeſtum fit, plura in Synodis Regiis ſancita fuiſſe, quae in compilatione Decretorum nequidquam deſideraueris; in Synodo enim Regia coronationis, nulla de decimis lex exiſtit, et tamen hoc loco eadem repetitur.
(*d*) Alias 23.

refuſione damni, in poena dupli conuincantur; et executio fiat per teſtimonium Capituli, aut Conuentus, ac hominem Regium: contradictione, inhibitione, et repulſione non obſtante. Indebiti tamen accuſatores in poena talionis condemnentur, et ſimilis viciſſim contra eos executio fiat.

4. De (a) vectura decimarum, Regnicolae ſtatuunt, vt vſque ad futuram Dioetam ea obſeruentur, quae in prioribus decretis, et conſtitutionibus ſuperinde continentur. Trituratoribus etiam frugum, et bladorum decimalium, ea merces vſque ad futurum Dioetae tempus reddatur, quae paſſim aliorum trituratoribus dari conſueuit.

5. Inter (b) Reuerendiſſimos Dominos, Archiepiſcopum Strigonienſem, et Epiſcopum Vacienſem certa lis, et controuerſia orta fuit de decimis quarundam villarum Comitatus Neogradienſis: ita, vt illas vterque eorum diuerſis hominibus elocauerint, qui eaſdem decimas bifariam a miſeris colonis extorſerunt; quum illi pauperes Turcis quoque tributum dare cogantur. Quia vero Maieſtas Regia, inter duos Praelatos de proprietate decimarum contendentes, Ordinarius eſt Index, dignetur Maieſtas ſua, quanto citius fieri poterit, iudicium, et iuſtitiam perſonaliter adminiſtrare, in quo vtraque pars ſua iura, ſeu priuilegia producat.

6. Quum (c) Conuentus Eccleſiae B. Michaelis Archangeli de Chorna, iam a multis retroactis annis executiones ſolitas facere ceſſauerit; peculiariſque is Conuentus ſit, qui in Comitatu Sopronienſi antiquitus ad executiones proceſſit, ideo eundem Conuentum reſtaurandum Regnicolae cenſent, et impoſterum executiones ab eo in Comitatu Sopronienſi fieri debere ſtatuunt: ita tamen, vt illae executiones, quae per Capitulum Caſtriferrei hactenus in Comitatu ipſo Sopronienſi factae ſunt, in ſuo vigore maneant. Et Dominus Praepoſitus curet, vt perſonae Conuentuales pleno numero, et Notarius idoneus continue iſthic adſint; ne quis error in publicis Regnicolarum executionibus committatur. In partibus tamen Comitatus Sopronienſis verſus Chepregh, et aliis extra diſtrictum Rábaköz, tam Capitulum Caſtriferrei, quam Conuentus Chornenſis aequaliter procedere valeant. Hoc quoque Regnicolae ſtatuunt, vt pretium literarum, quae ex Capitulis, ſeu Conuentibus emanari ſolent, moderetur, et earum taxa deinceps, iuxta Decreta Vladislai Regis ſuperinde edita, exigatur.

7. Quanquam (d) autem in ſuperiori Conuentu Anni 1567. publice cautum fuerat, ne Procuratores in Sede Iudiciaria Maieſtatis Caeſareae, et Regiae, aut etiam in Comitatibus aliter cauſas agerent, niſi prius praeſtito iuramento (quod vocant) calumniae: Quia tamen Regnicolae ob Procuratorum varia inuenta, parum commodi ex eo Decreto ſenſiſſe videntur; tam quod huiusmodi iurati Procuratores multum optabant mercedis, vel pro ſola vnica actione; tam quod tacite nonnunquam inter ſe contra quosdam cauſantes conſpirabant, ne videlicet illi Procuratores conducere poſſint: Ideo ſtatuunt nunc vnanimiter, vt deinceps Procuratores, etiam nullo praeſtito iuramento, tam in Sedibus Comitatuum, quam in Octauis vbique poſſint procurare, et cauſas agere; oſtenſis tamen (vti antiquitus mos eſt) literis Procuratoriis Principalium ſuorum.

CXXXI.

(a) Alias 24.
(b) Alias 26.
(c) Alias 22.

(d) Alias 34. Haec conſtitutio non reſpicit forum Spirituale, in quo tamen etiam iuramentum hoc exoleuit.

Digitized by Google

CXXXI.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDLXXV. ſeu Maximiliani Decretum VII.

1. De (*a*) emptione decimarum, et vectura earum ad confinia praeſtanda, inprimis autem ad arcem Agrienſem; Status, et Ordines Regni referunt ſe ad conſtitutiones annorum 1569. et 1574. a Maieſtate ſua Caeſarea benigne approbatas.

2. Quia (*b*) vero Conuentus de Szalavár, et Kapornak, quorum teſtimoniis antea ad diuerſas iuridicas executiones in Comitatibus Simigienſi, Szaladienſi, et Veſprimienſi procedebatur, penitus deſolati ſunt, poſtquam cauſantibus, nec tutus ingreſſus, nec exitus eo patet, neque Presbyteri iſthic amplius teneri poſſint: vt in hac parte cauſantibus conſulatur, ſtatutum eſt: vt interea, donee duo illi Conuentus reformabuntur, Capitulum Caſtriferrei, vel eo quoque forte (quod Deus avertat) deficiente, Poſonienſe ad executiones peragendas in praeſcriptis Comitatibus procedere poſſint. Et Protocola, ac Sigilla vtriuſque Conuentus, in Capitulo Caſtriferrei conſeruentur, vt ex illis, literae requirendae cauſantibus extradari queant; illis tamen executionibus, quae uſque ad hoc tempus per teſtimonia duorum illorum Conuentuum factae ſunt, faluis in ſuo vigore permanentibus.

(*a*) Alias 8.

(*b*) Alias 17.

CXXXII.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDLXXVIII. ſeu Rudolphi Decretum I.

1. Domini (*a*) Praelati, et Barones ratione continui equitatus, eadem cum ceteris Regnicolis onera ſubire teneantur; idque ſub poena in articulis Dioetae 1555ti, (*b*) et 1567mi annorum expreſſa: vt nirum bona illorum, qui continuum equitem tenere nollent, per Vice-Comites occupentur, occupataque tamdiu teneantur, donec duplum eius, quod neglexerint, ab eis praeſtetur.

2. De (*c*) inſurrectione generali, et particulari perſonarum Eccleſiaſticarum, et Capitularium, ratione decimarum, conſtitutio anni milleſimi, quingenteſimi, quinquageſimi ſecundi, et aliae conſtitutiones eo modo, quo illae ſucceſſit temporis mutatae, et limitate fuerunt, obſeruentur.

3. Statutum (*d*) eſt etiam, vt literae Procuratoriae deinceps, ſicuti in Seculari, ita in Eccleſiaſtico quoque foro, non vlterius, quam per vnius anni ſpatium durent, elapſo vero anno vim amittant, exceptis priuilegiatis, qui ſcilicet in legationibus, aut ſtudiis extra Regnum occupantur.

4. Decretum (*e*) etiam eſt, vt Capitulum Caſtriferrei vna cum ſigillo, et Protocolo Sabariam, veluti tutiorem locum transferatur, quum eiusdem Capituli bona, iuxta Rabum fluuium maiori ex parte habeantur. Ne, quum Capitulares Turcis ſe tributarios reddiderint; priuilegia Regnicolarum ibi conſeruata per hoſtes auferantur.

5. Similiter (*f*) ſtatutum eſt, vt Pro-

tocolon

(*a*) Alias 8.

(*b*) Talis Articulus in editis non reperitur; vide rurſus patet in Dioeta, quam nos indictam diximus ad feſtum Circumciſionis Domini, decreta fuiſſe ſancita, quae alicubi in tenebris latent.

(*c*) Alias 11.

(*d*) Alias 17.

(*e*) Alias 20.

(*f*) Alias 21.

Digitized by Google

tocolon Conuentus Eccleſiae B. Mariae Virginis de Túrócz (quod nunc apud manus Dominorum Révai habetur) vna cum cum ſigillo eiusdem Conuentus ad Capitulum Strigonienſe Tyrnauiam transferatur.

CXXXIII.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis (*a*) Anni MDLXXXVIII. ſeu Rudolphi Decretum IV.

1. De Calendario. (*b*) Etſi ſtatus, et Ordines Regni mallent, vt vetus Calendarium a tot iam annis obſeruatum, et cui ſe tam pauperes, quam diuites longo vſu

(*a*) Priori quoque anno actum fuiſſe Synodum Regiam docet Chronicon Leibitzerianum apud Cl. Wagner Tom. 2. p. 63. ad hunc annum: „29na Octobris Senatus, et Ordines Poloniae Craco„uia ſcripſerunt Hungaris congregatis Poſonii, vt ſer„uatis antiquiſſimis pactis, et foederibus, Maximiliano „Archiduci Auſtriae non ferant opem, vtpote electo „biduo poſt Suecum tantum a proſcriptis, et decoctori„bus, et ab iis introducto; fieri haec cum periculo v„niuerſae Chriſtianitatis. XiXna Nouembris Status, „et Ordines Regni Hungariae ex Dioeta Polonis re„ſcripſerunt, obſeruantes cauſa conſeruandae vicini„tatis, amicitiae, pacis communis, et ſtabiliendorum „pactorum, Maximilianum quamprimum coronent, ſe „nullam cauſam daturos labefactandi antiquam amici„tiam. Tum Polonorum, quam Hungarorum literas hic damus: *Reuerendiſſimi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi Domini! Amici obſeruandiſſimi! Quandoquidem contra publicum huius Regni Ius, omniumque noſtrorum libertatem, Sereniſſimus Archidux Maximilianus, triduo poſtquam Sereniſſimus Sigismundus Princeps Sueciae legitime iam electus fuiſſet, a paucis quibusdam nominatus fuit: Ita nunc, non minori vniuerſae Chriſtianitatis periculo, quam noſtro, a pauciſſimis, iisdemque partim proſcriptis, partim decoctoribus armatus, in fines huius Regni introductus eſt; in quo inſtituto ſuo adiuta Serenitas eius, contra antiquiſſima pacta, atque foedera, a Sileſiae, atque Morauiae incolis quibusdam fuit. Quum autem, vt eodem exemplo Reuerendiſſimae, Illuſtres, Magnificae, Generoſae Dominationes quoque eum iuuarent, ſollicitari eas audiuimus, haſce ad eas dare voluimus, quibus quum antiquiſſimorum foederum, tum amicitiae perpetuae inter nos cultae, Eas commoneremus, longeque vt nobis iuſtius videtur, poſtularemus ab iis, vt maiorem non modo perpetuae amicitiae, verum etiam publicae pacis rationem, quam cuiusquam ſtudii haberent. Quae foedera, iam a temporibus Sigismundi, et Iagellonis, vtrisque nobis intercedant, Dominationes Veſtrae vident; Huiusmodi amicitiam etiamſi inter ipſos Principes bellum, vel cauſa belli orietur, populi tamen cupiditatem eorum, ſi retinere non poſſent, adiuuare non debeant, neque vllam ſpem Principibus in priuata controuerſia contra alterum ferre. Verum tamen ii fere communicare eam ſolent, qui acceptam a maioribus amicitiam, nullis ipſi officiis proſecuti ſunt. Quae quum omni tempore ſumma, atque ſaluti ſſima vtrisque nobis interceſſerint, vt et horum potius, et antiquiſſimae amicitiae memores eſſe velint; neque in huiusmodi cauſam contra foederatos, atque antiquiſſimos non modo amicos, verum Socios etiam, ob cuiusque ſtudium deſcendere, non noſtrae modo, verum etiam vniuerſae Reipublicae Chriſtianae vtilitatis cauſa, iterum quam diligentiſſime ab illis petimus, optimamque valetudinem a Deo eis precamur. Quae literae quoniam in tanta frequentia Nobilitatis ab omnibus ſubſcribi non potuerunt, ab iis, qui a nobis deputati ſunt ad id, ſubſcriptae, et communitae ſunt, Cracouiae die 29na Octobris, anno 1587. Status, atque Ordines Regni Poloniae, Cracouiae congregati.* Reſponſio Regni Hungariae Statuum: *Reuerendiſſimi, Illuſtres, Magnifici, ac Nobiles Domini! Amici nobis obſeruandiſſimi! Perlectae ſunt nobis in praeſenti Conuentu noſtro Veſtrarum Reuerendiſſimarum, Illuſtrium, Magnificarum, ac Nobilium Dominationum literae, Cracouiae 29na proxime praeteriti Menſis Octobris ad nos datae, quibus nos rogant, ne Sereniſſimo Principi, et Domino Maximiliano electo Regi Poloniae, ac Archiduci Auſtriae, Dño noſtro gratioſo, in adipiſcendo Regno Poloniae opem feramus. Ad quae vniuerſis Dominationibus amice, et ſincere ſignificamus, quod etſi Sua Serenitas hactenus nullum a nobis petierit auxilium, tamen noſtris votis, et deſideriis, animisque nihil ita infixum eſſet, quam vt Sua Serenitas quiete, placideque, et cum iſtius inclyti Regni Poloniae vnanimi conſenſu, ipſo Regno, eiusque corona quamprimum potiretur. Qua ratione bonam vicinitatem, et mutuam inter nos amicitiam, coniunctis noſtris, ac Principum noſtrorum animis magno vtrinque commodo exiſtimamus firmiorem futuram. Ad quam promouendam, augendamque nos quoque Dominationes Veſtras beneuole requirimus, atque rogamus; Nos enim ne ipſa noſtra antiqua, et bona vicinitas labefactetur, nullam cauſam dabimus. Sperantes idem quoque vos facturos eſſe. Quae Dominationibus Veſtris Reuerendiſſimis, Illuſtribus, Magnificis, ac Nobilibus breuiter reſpondere voluimus. Easdem in ceteris feliciſſime valere cupientes. Hae vero literae, quia ab omnibus ſubſcribi, et ſigillari non potuerunt, ſubſcriptae, et ſigillatae ſunt ab iis, qui ad id publico nomine deputati fuerunt. Poſonii XIX. Nouembris, anno 1587. Amici, et Vicini Status, et Ordines Regni Hungariae.*

(*b*) Alias 28. in editis, 30. in MS. Suſpirant, et ingemiſcunt ad hanc legem aliqui, et illam inualeſcenti haereſi tribuunt; mihi quidem nihil minus videtur. Non negauero quidem, haereticos vriſſe, quod in reformati calendarii acceptatione, Summi Pontificis auctoritatem ſequi videantur; inanis certe ne dicam puerilis inuidia! Praeceptores enim eorum Philippus Melanchtoo, et Doctor Caſpar Peucer, aliique reformationem calendarii exoptabant; nihil reſtabat, quam vt factam acceptarent. Alii ex iisdem minus periti, quales videntur fuiſſe Scepuſienſes, periculum aliquod confeſſioni ſuae parari ſuſpicabantur. Hinc dum acceptarent calendarium, declararunt ſe, ad palinodiam paratos eſſe, ſi negotium hoc in praeiudicium aliquod, aut periculum verae Religionis cadere perſpicerent. Totam in Scepuſio recepti calendarii noui hiſtoriam, ſi vixerimus, dabimus in Analectis De Calendario Gregoriano.

vſu accomodarant, in priſtino ſuo ſtatu permaneret; volentes tamen ſe piae, et clementi Suae Maieſtatis admonitioni accommodare, non refragantur quidem, vt deinceps noui, et reformati Calendarii vſus ſit: Hoc tamen per expreſſum declaratum eſſe volunt, ſe illud nullius alterius, quam ſola, et vnica Regiae Suae Maieſtatis authoritate, in productum (*a*) admittere. Et maneant expeditiones, et iudicia, ſiue ſub nouo, ſiue ſub veteri Calendario factae, in ſuo vigore. (*b*)

2. Nobilium (*c*) e ſuis bonis pulſorum digna habenda eſt ratio, ne videlicet ad decimarum ſolutionem compellantur, qua in re ſeruentur articuli ſuperiorum Conuentuum.

3. Item (*d*) in negotio arendationis decimarum, obſeruentur conſtitutiones priorum annorum.

4. Supplicant (*e*) quoque Suae Maieſtati humillime Status, vt Praepoſituram Turoczienſem Sua Maieſtas indigenae alicui bene meritae perſonae, quae intra anni ſpatium Conuentum illum pro bono publico, executionibusque faciendis reſtauret, conferat: Et de hac re Sua Maieſtas clementer deliberabit.

5. Item (*f*) quia ſigillum Capituli Caſtri ferrei longo vſu, et vetuſtate attritum eſſe perhibetur, ſtatuendum eſſe cenſetur, vt illud de nouo conficiant, ſiue in argento, ſiue in aere, vt ipſi Capitulo viſum fuerit; ita tamen, vt illud vetus in Conuentu ipſius Comitatus Caſtri ferrei productum in praeſentia omnium diſrumpatur. Quia vero (*g*) Protocolon Abbatiarum Zalavár, et Kapornak, cum literis ibidem ſeruatis in Capitulum Caſtriferrei, conſeruandi gratia deportatum fuit; teneatur idem Capitulum Caſtriferrei legitimis Praeceptoriis literis ad partium inſtantiam requiſitum, ea, quae illic habentur, reinuenire, et ſub ſigillo more ſolito extradare interim, donec volente Deo ipſi Conuentus reſtaurari poterunt; vel conferat Sua Maieſtàs vtramque Abbatiam benemeritae Spirituali perſonae, quae eius Conſeruatorii curam gerere poſſit.

noſtris. Vera, et genuina renitentiae cauſa erat, quod Ferdinandus absque Dioeta vſum Calendarii huius praecipere coeperit. Vt nos vera dixiſſa conſtet, ſubiungimus epiſtolam Comitatus Scepuſienſis in cauſa hac ad Epiſcopum Varadinenſem, vna Praepoſitum Scepuſienſem datam, quae ſic habet: *Reuerendiſſime Domine, et Fautor nobis obſeruandiſſime, et confidentiſſime! Poſt ſeruitiorum noſtrorum paratiſſimam commendationem, productae ſunt nobis litterae veſtrae Dominationis Reuerendiſſimae, quibus ad fraternitates, et paſtores in iis manentes ſcribit, vt Calendarium illud nouum, ſub duplicata poena recipiant, et caerimonias, atque conciones ſuas, ſecundum curſum noui Calendarii peragant. Nouit vero Dominatio Veſtra Reuerendiſſima nos eſſe patronos noſtrorum Paſtorum, et decimas ſolitas quoque Nos, et ſubditos noſtros dare. Quare Dominationi veſtrae, tanquam Domino, et Fautori noſtro in eo ſupplicamus; dignetur ita bene affici erga noſtros Paſtores, ſicut ab antiquo ſemper fuit affecta. Credat hoc Veſtra Dominatio Reuerendiſſima, quod nos nouum illud Calendarium non recipiemus, neque per noſtros recipi faciemus interim, donec ſua Caeſarea Maieſtas cum Dominis Regnicolis in generali eorum Conuentu ſuper eo concluſerit; quia nos cum reliquis Comitatibus idem ſentire volumus. Eſſet enim hoc Calendarium nouum iuribus, et libertatibus noſtris contrarium: imo potius Dominationem Veſtram Reuerendiſſimam rogamus, vt etiam Dominis Capitularibus gratioſe velit demandare, ne executiones, et datum litterarum illegitimo hoc modo extradentur, ne Domini Regnicolae contra Capitulum Scepuſienſe, et Reuerendiſſimam Dominationem Veſtrom, in generali eorum Synodo conquerantur. Sciat Reuerendiſſima Dominatio Veſtra, nos ſemper ad ſeruiendum fuiſſe magis inclinatos, quam vt qualicunque in re peccare ſtuduiſſemus, et nunc inſeruire ſtudemus. Eandem Reuerendiſſimam Dominationem Veſtram valere optamus. Datum Leutſchouiae in Sede Nobilium, XV. Iunii Anno MDLXXXIV. Reuerendiſſimae Dominatinnis Veſtrae Seruitores, Vniuerſitas Nobilium Comitatus Scepuſienſis.* Illud adhuc obſeruatu dignum eſt, quomodo Dioetam Synodum vocet Comitatus Scepuſienſis. Neſcio, cur inualeſcenti haereſi tribuitur Hungaros aegre Calendarium nouum acceptaſſe; quum Graeci Ritus Catholicis Eccleſiis hodiedum liberum eſſe velit retinere vetus. Poſtquam Ferdinandus deliberationem ad Synodum Regiam retulit, ſatisfactum erat iam Hungaris, et hinc merito Regiam auctoritatem, in mutuum complacentiae ſtudium, tanquam praecipuum, et vnicum motiuum acceptati Calendarii aſſumunt.

(*a*) De obſcura, et impropria hac locutione dicendum eſt illud, quod Ioannes Clericus artis criticae par. 2. ſect. 2. cap. 8. n. 6to inquit: *Debebant, quantum fieri poterat, claras poteſtates vocibus tribuere; ſed paſſim hoc neglexerunt. Itaque fruſtra conaremur perſpicue id intelligere, quod voluerunt, quum nihil perſpicui ſe eorum menti obtulerit.*

(*b*) Et recte: Capitulum enim Scepuſienſe iam 1583. Calendarium acceptauit, alii tardius, ipſi Acatholici Scepuſienſes iam 1584. illud aſſumpſerant.

(*c*) Alias in editis 35. in MS. 36.
(*d*) Alias in editis 41. in MS. 42.
(*e*) Alias in editis 44. in MS. 45.
(*f*) In editis 46. in MS. 48.
(*g*) In his verbis incipit in MS. Articulus 49.

CXXXIV.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDXCIII. ſeu Rudolphi Decretum V.

1. Quia (a) in intertentione continui militis magnae hactenus negligentiae viſae ſunt, et hi milites a plerisque, vel omnino non ſunt intertenti, vel ad libitum ex confiniis, ad proprios Dominorum ſuorum vſus adhibiti; ideo ad requiſitionem Supremi Capitanei, teneatur Vice Comes cuiuslibet Comitatus, medio vnius Iudicis Nobilium eum, qui in intertentione huiusmodi continui militis negligens comperiretur, admonere; qui, ſi intra quindecim dies paruerit, bene quidem; alioquin Supremus Comes, vel eo non exiſtente Vice-Comes, aut eo non ſufficiente, Supremus Capitaneus, ex bonis huiusmodi Domini, vel Nobilis (ac etiam Suae Maieſtatis, et Supremi Capitanei, ac Archiepiſcopatus Strigonienſis, et Epiſcopatus Agrienſis, ac Capitulorum, continuum militem non ſeruantium) duplum exigat, et nihilominus eum ad intertentionem quoque cogat, ſub amiſſione officii.

(a) Alias 16.

CXXXV.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDXCV. ſeu Rudolphi Decretum VI.

1. In (a) eum quidem finem, vt maiorem, quam vnquam antea Praedeceſſorum Suae Maieſtatis temporibus factum eſt, militum numerum pro praeſenti anno in caſtra Suae Maieſtatis mittere poſſint, (praerogatiua eorum ſalua permanente) ſtatutum eſt, vt pro hac vice de ſingulis portis, demto propter deſolatas, et combuſtas, aliasque villas, primo quoque tempore tam in augendo, quam in minuendo rectificandis, a principio Aprilis proxime imminentis incipiendo, vſque ad finem Nouembris, ratione Iobagionum, floreni vngarici nouem, ratione autem Dominorum terreſtrium, ſex floreni numerentur. Quos quidem ſex florenos nemo Dominorum Praelatorum, Baronum, aut Magnatum, et Nobilium, aliorumque Poſſeſſionatorum a ſubditis exigere audeat; ſed ex propria crumena deponat, ſub poena tripli, per Vice-Comites, ipſis autem non ſufficientibus, per Comites irremiſſibiliter exigenda, et ea parte, quae colono eſt adempta, eidem colono reddita, altera autem ipſis Vice-Comitibus relicta.

2. Praeſenti (b) vero oneri ferendo, quantum ad portas ſubditorum; ſubiecta quoque ſint bona Suae Maieſtatis omnia, ſiue ſint Eccleſiaſtica, ſiue Secularia in omnibus Comitatibus.

3. Item (c) Plebani, et Concionatores non poſſeſſionati, taxabuntur iuxta limitationem conſcientioſam Vice-Comitum, et potiorum Nobilium.

4. Item (d) Domini Abbates, Praepoſiti, Altariſtae, Archidiaconi, Capitula, et alii maiora beneficia habentes, ac decimas, nonas, quartas, et ſedecimas percipientes non poſſeſſionati: Nec non monaſteria Monachorum, et Monialium, quae poſſeſſiones non habent; mittent milites, ſecundum eorum conſcientiam, et poſſibilitatem.

(a) Alias 3.
(b) Alias 4.
(c) Alias 12.
(d) Alias 14.

CXXXVI.

Digitized by Google

CXXXVI.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDXCVI. ſeu Rudolphi Decretum VII.

1. Quilibet (*a*) Dominorum Praelatorum, Baronum, ac Magnatum, et poſſeſſionatorum Nobilium (ſalua remanente antiqua Nobilitatis praerogatiua) ex propria crumena de ſingulis portis, pro hac vicetantum, alios nouem florenos ordinabit, et ea pecunia equites bene armis inſtructos in caſtra expediet; qui cum dictis peditibus ſex integros menſes, incipiendo a decima quinta die Maii, in caſtris morabuntur ſub Capitaneis Supremis, ſeu Generalibus Vngaris, ita vt in numerum horum nouiter conſcribendorum equitum, ſtipendiarii milites non admittantur.

2. Quoad (*b*) vnius ſeſſionis Nobiles, item Armales, Praediales, Libertinos tam Regios, quam alios, nec non eos, qui in officiis, et ſeruitiis quorumcunque ſunt; praeterea molitores proprias molas habentes, Anabaptiſtas, Iudaeos, Ruthenos, Valachos non exercituantes, Plebanos, et Concionatores non poſſeſſionatos, item ligni Sectores, Carbonarios, in ſerie villarum domos non habentes; praeterea fugitiuos Nobiles, Abbates, Praepoſitos, Altarium, et Capellarum Rectores, Archidiaconos, Capitula, et alia maiora beneficia habentes, et decimas, nonas, quartas, et ſedecimas percipientes non poſſeſſionatos attinet; ii omnes in quolibet Comitatu taxentur per Vice-Comites, Iudices Nobilium, et alios potiores Nobiles, iuxta eorum iuramentum, quo ſe ad adminiſtrandam iuſtitiam obſtrinxerunt. Armales (*c*) autem, aliique Nobiles in ciuilibus, et exemptis fundis habitantes, ratione ipſorum quoque fundorum contribuere, et dicari debebunt. Poſſeſſiones, quae per Dominos terreſtres inquilinariae, aut libertinae factae ſunt, et quae hactenus dicatae non ſunt; taxentur per eosdem Vice-Comites, et Iudices Nobilium, cum potioribus Nobilibus, vt ſupradictum. Decem lanceatorum Nobiles, ſedis ſuperioris Comitatus Scepuſienſis, per ipſorum Vice-Comitem, et iuratos Aſſeſſores taxentur.

3. Quia (*d*) vero Domini quidem, et Nobiles, ac etiam Capitanei, ſuos ſeruitores equites, et pedites, ad bona Eccleſiaſtica, et Nobilium vicinorum, et Ciuitatum villas condeſcendere faciunt, qui multa damna miſerae plebi inferunt, foenum, pabulum, et alia diripientes, ac ſe gratis ſuſtentari curantes: ſtatutum eſt, ne id fiat; et ſi qui Dominorum, et Capitaneorum impoſterum id facere auſi fuerint, puniantur per Vice-Comites, aut Supremos Comites, vel ipſis non ſufficientibus, per Supremos Capitaneos Regni, ſub iuramento, quo Suae Maieſtati, et Regno ſunt obſtricti.

4. De (*e*) cura ſauciatorum, aut aegrotorum militum, aut extruendis ei vſui hoſpitalibus, quod Sua Caeſarea Maieſtas poſtulat: Status, et Ordines intelligunt, nec diffitentur id vtique pium, Chriſtianoque homine dignum videri; ſed quia ipſi ſatis, ſuperque multis rebus, et oneribus grauati ſunt, quomodo hoc ad effectum deducant? non vident. Exiſtimant autem, in caſtris publica aliquot, eaque multorum hominum capacia tentoria adhibenda eſſe, in quibus vulnerati, et aegroti milites recipiantur, et adhibitis Suae Maieſtatis Medicis, et Chyrurgis curentur. Et quum Status, et Ordines, ſe ad omnia exequenda inſuffi-

(*a*) Alias 6.
(*b*) Alias 10.
(*c*) Alibi *Armati* vocantur, nunc *Armaliſtae* audiunt.

(*d*) Alias 13.
(*e*) Alias 30.

inſufficientes agnoſcant; offerunt nihilominus ad hunc vſum, eleemoſynae loco, a ſingulis portis denos nummos hungaricos, per Domiuos, et Nobiles, ex aere proprio, praemiſſis duobus terminis ad cameram numerandos. Portas non habentes, iuxta conſcientioſam limitationem Vice-Comitum in hunc finem coutribuant. Ita tamen, vt haec eleemoſyna generaliter per omnia caſtrorum loca, in omnes cuiusuis tam indigenae, quam externae nationis, in praelio, vel impetu per hoſtes, non autem in rixa, et contentione fauciatos, bonis modis impendatur.

5. Durante (*a*) expeditione bellica praeſentis anni, incipiendo a die decima quarta menſis Maii, vſque ad decimum quintum Nouembris, Iudicia in Comitatibus, etiam de violentiis, et nouis occupationibus ceſſent; Sic et in foris Spiritualibus Iudicia ceſſent.

6. De (*b*) conferendis integre Ludouico Uylaki Praepoſito Caſtriferrei, Abbatiis Szalauár, et Kapornak, dignetur Sua Serenitas clementer deliberare, et apud Suam Caeſaream Maieſtatem partes ſuas pro eo interponere.

7. Poſtremo (*c*) quia dicuntur nonnulli, et ſignanter Armales Nobiles decimas, et quartas Archiepiſcopatus, et aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum pro ſe vſurpare, aut plane ſoluere recuſare: Statutum eſt, vt tales Armales Nobiles, decimas, et quartas ſoluere abnuentes, vel etiam alii, qui decimas ſoluere ex antiqua Regni conſuetudine obligantur, ad iuſtantiam, vel adminiſtratoris prouentuum Archiepiſcopatus, vel aliorum, qui decimae, et quartae Domini ſunt, non obſtante bellica expeditione, in forum Spirituale citentur, ibique ad reddendas eas iure compellantur. Sua vero Maieſtas Caeſarea, in contumaces Brachio ſuo Regio, more antiquitus in foro Eccleſiaſtico obſeruari ſolito, adeſſe velit, et Comitatus etiam latas, et ibidem productas ſuperinde ſententias exequi teneantur.

(*a*) Alias 38. (*b*) Alias 39. (*c*) Alias 55.

CXXXVII.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDXCVII. ſeu Rudolphi Decretum VIII.

1. Licet (*a*) autem, ſicut oſtenſum eſt, ea ſit pauperies barum Regni reliquiarum, vt mirum videri nemini deberet, etiam ſi nihil eorum, quae Sua Maieſtas ab ipſis poſtulat, praeſtaretur: perpendentes tamen Status, et Ordines neceſſitatem, in quam ob rabiem Turcicam poſiti, et redacti ſunt, volenteſque pro Sua, et Patriae ſalute, extrema quaeque tentare, et facere: Statuunt, vt pro hoc anno quilibet Dominorum Praelatorum, Baronum, Magnatumque, et Nobilium, aliorumque poſſeſſionatorum, de ſingulis decem portis (propter combuſtas, et deſertas, vel etiam ampliatas poſſeſſiones in Comitatibus, praeſentibus Comitibus, aliiſque potioribus incolis cuiuslibet Comitatus rectificandis) ternos equites, et totidem pedites bene armis inſtructos, in campum expediat, atque ſtatuat; quorum mediam partem Dominus terreſtis, alteram autem partem colonus ſoluat, et interteneat. Ita quilibet Comitatus, pro ſua gente peculiarem, particularem Capitaneum, et Wajwodam, nec non vexillum habeat.

2. Quod

(*a*) Alias 2.

2. Quod (*a*) ſi autem Maieſtatem Suam Caeſaream, atque Regiam, ipſammet propria in perſona in hanc expeditionem venire contigerit, tunc omnes Domini Praelati, Baroneſque, et Magnates, ac Nobiles, more ſuorum Maiorum, penes Suam Maieſtatem inſurgere tenebuntur perſonaliter. Decrepitis, infirmis, ſeruitiis addictis, viduis, et bello inhabilibus exceptis, qui loco ſui alios idoneos expediant.

3. Agrienſium (*b*) orphanis, et vxoribus, vt res eorum, per eos, quibus illae ad conſeruandum datae fuerunt, fideliter reddantur, ſtatuitur. Non reddentes poenam dupli, et infamiae incurrant.

4. Supplicant (*c*) autem hoc loco Suae Maieſtati Status, et Ordines Regni, dignetur in eos animaduertere, qui Agriam, Sirok, et alia confinia Turcis dediderunt.

5. Quia (*d*) Capitulum Agrienſe, poſt amiſſam Agriam, hactenus locum reſidentiae non habuit: ideo interim, donec Agria recuperabitur, nominatur ei loco reſidentiae Caſſovia, ſaluis tamen libertatibus ipſius Ciuitatis permanentibus, et conceditur, vt in executionibus, et expeditionibus non ſecus, quam antea, in propria Dioeceſi (*e*) procedere poſſit. Et quia ſigilla eiusdem Capituli deperdita ſunt, admittitur, vt noua conficiantur in minori quantitate, quam prius fuerunt, vt futurae falſificationes praecaueantur. Supplicant autem Status Suae Maieſtati, vt eis clementer admittere dignetur, vt ſuas reſiduas decimas, et quartas in ſpecie colligere poſſint, amiſſa maxima parte ſuorum prouentuum, vt habeant vnde viuere poſſint.

6. Statutum (*f*) quoque eſt, vt Capitulum etiam Iaurinenſe, nunc Sopronii degens, a modo deinceps tam executionibus, quam expeditionibus in ſua Iurisdictione, et Dioeceſi, libere, ſicut antea, procedere poſſit; ſine tamen praeiudicio Conuentus B. Michaelis Archangeli de Chorna; et ſaluis remanentibus libertatibus ipſius ciuitatis Sopronienſis.

7. Supplicant (*g*) deinde Status, et Ordines, vt Sua Maieſtas Conuentum Eccleſiae Beatae Mariae Virginis de Turocz, propter executiones quotidianas tandem benigne reſtaurari iubere

 di-

(*a*) Alias 7.
(*b*) Alias 28.
(*c*) Alias 29. Priori anno capta erat Agria prouti in Chronico Leibitzeriano adnotatum eſt: *MDXCVI. 210. Septembris Turcicus Imperator Agriam obſedit, et tandem proh dolor!* 13*a. Octobris a noſtratibus deditione facta cepit; melioris tamen fidei milites vitam ibi poſuerunt.* Sic in Chronico Leutſouienſi adnotatur: *Ducem de Holſtein ibi interiiſſe, et Leutsoviae eſſe ſepultum.*
(*d*) Alias 38.

Dioeceſis, et loca Cathedralia.

(*e*) Dioeceſis hoc loco pro diſtrictu ſumenda eſt. Iam ex prioribus legibus patet, quibusvis Capitulis certos Diſtrictus fuiſſe aſſignatos, intra quos fide dignitatis actus exercere poſſent; Comitatus autem Abauiuarienſis non pertinebat ad Diſtrictum Capituli Agrienſis: Neque mirum mihi videtur Diſtrictum, Dioeceſim appellari, quum in Comitatibus etiam loca Cathedralia reperiam, quod ex ſequenti ſententia Iudiciali manifeſtum erit: „*Nos Magiſter Nicolaus, Filius Gorolth, Exactor Iudiciorum Magnifici viri Comitis Pauli, Iudicis Curiae Domini Regis, in Comitatu de Heueſuiuar, per eundem Comitem Paulum conſtitutus, ſignificamus vniuerſis, quorum intereſt, praeſentium per tenorem: Quod cum nos vna cum Nicolao de Eby, teſtimonio Honorabilis Capituli Eccleſiae Agrienſis, per idem Capitulum ad infraſcriptum negotium, et ad alias cauſas exequendas deputato, ac Comite Paulo, filio Mikontha, homine Domini Palatini Principalis Comitis dicti Comitatus, nec non cum quatuor Iudicibus Nobilium ſimiliter eiusdem Comitatus, facto prius iuxta conſuetudinem, et modum Regni ab antiquo approbatum, in villa Kompolth, videlicet loco Cathedrali, in quo dicti Comes, et quatuor Iudices Nobilium, cauſas vniuerſorum Nobilium, et ignobilium ipſius Comitatus diſcutere ſolent, et examinare, legitima proclamatione, et publici Regeſtri ipſius Comitis Pauli perlectione, in quo nomina in Iudiciis conuictorum, et qualitas, et quantitas ipſorum iudiciorum continetur, ad exhibendum dicto Iudicio eiusdem Comitis Pauli ad Prouinciam exiuiſſemus, et inter cetera in villam* (nomen villae, ne quiſpiam iura a me prodi clamet, ſubticeo) *vocatam in dicto Comitatu de Heues exiſtentem, in qua Ioannes Filius Nicolai, Filii Keue de Beel portionem habere dignoſcitur, poſſeſſorium deueniſſemus, in eademque iudicium trium marcorum, in quibus idem Ioannes iam defunctus, contra dictum Dominum Regem, coram eodem Comite Paulo, Iudice Curiae Regiae conuictus fuiſſet* (reliqua alias dabimus) *Datum in eadem Villa Kompolth in dicto Feſto S. Mariae Magdalenae anno Domini MCCC. trigeſimo ſeptimo.*
(*f*) Alias 39.
(*g*) Alias 40.

Digitized by Google

dignetur. De quo Maieſtas Sua Caeſarea, opportuno tempore benigne deliberabit.

8. Item (c) ſunt plerique ex Regnicolis, ſignanter vero Ordo Fratrum Eremitarum, et Moniales de inſula leporum, qui contra Ioannem Tapolcſány plurimum conqueruntur, quod eos contra iura, et leges Regni, diuerſis iniuriarum generibus afficiat, metasque, et bona eorum violenter occupet; quare ſupplicant Suae Maieſtati Status, vt Commiſſarios delegare dignetúr, qui eas violentias cognoſcant, et componant, prout poterunt.

(c) Alias 42.

CXXXVIII. SYNODVS REGIA Poſonienſis Anni MDXCVIII. ſeu Rudolphi Decretum IX.

1. Ad (a) contributionem, et ſubſidium, ac exercituationem praeſentis anni, quod attinet: Licet praecedentium annorum bellis, et militum licentiis, et vexationibus, immenſisque calamitatibus, et cladibus, in hoc Regno non ſubditi tantum, ſed etiam Domini terreſtres, quaſi ad extremam paupertatem deuenerint; viſa tamen, et conſiderata praeſenti neceſſitate, offerunt Status Suae Maieſtati, de ſingulis domibus tam colonicalibus, quam inquilinariis, aliisque in modum curiarum Nobilitarium non extructis, quae videlicet habitatores habere comperientur, paſſim in Oppidis, Villisque tam Suae Maieſtatis, quam aliorum quorumcunque Dominorum Spiritualium, et Secularium, poſſeſſionatorum, et ſeſſionatorum omnium: Item praedialium, libertinorum, Ruthenorum, Valachorum, et aliorum pagorum hactenus non dicatorum, connumerandis, demptis tamen allodiis, nec non domibus Iudicum, Scholis, Xenodochiis, tabernis, in quibus vina Dominorum educillantur, mendicorum, ac miſerabilium perſonarum, ex eleemoſynis viuentium, ſingulos centum denarios Hungaricales, duobus terminis, videlicet: pro dimidia parte ad feſtum Diui Georgii affuturum, pro reliqua vero, ad Natiuitatem S. Ioannis Baptiſtae exigendos, et ad manus Suae Maieſtatis numerandos, ea diſcretione, vt coloni, et inquilini ditiores ſubleuent pauperiores eo modo, quo inter illos hactenus conſuetum fuit. Quae quidem domorum connumeratio, et contributio, etſi hactenus in Hungaria in vſu nunquam fuerit, vt tamen maius, quam unquam ante, ſubſidium pro bello proſequendo, haberetur; illam fideles Suae Maieſtatia pro hoc anno admittere voluerunt, ſaluis eorum antiquis libertatibus, et conſuetudinibus permanentibus, vt videlicet haec domorum connumeratio, poſthac nullo vnquam tempore in vſum veniat.

2. Praeterea (b) vno floreno ſupra declarato, et per colonos contribuendo ſuperaddet etiam quilibet Dominorum terreſtrium, quinquaginta denarios Hungaricos; ita tamen, vt loco pecuniae, equites bene armis inſtructi, virique maturi, ac non pueri (alioquin pro non miſſis habeantur) in bellum expediantur, qui in ſingulis Comitatibus ſuos Capitaneos, et ſua vexilla habeant, ſintque ſemper pleno numero in caſtris, ac ſubſint Supremis Regni Capitaneis ad omnes belli neceſſitates, non ſecus, ac ceteri Suae Maieſtatis ſti-

(a) Alias 4. Hanc legem huc retulimus ob immunitatem Scholarum, Xenodochiorum, ac miſericordiam pauperibus impenſam.

(b) Alias 5.

ſtipendiarii milites; qui ex caſtris per ipſorum Dominos nullo modo educantur, nec absque ſcitu ipſorum ſupremorum Capitaneorum, huc, illucque diſtrahantur, aut a vexillo eorundem, vllo modo abducantur, Etiam tempore generalis inſurrectionis, de qua inferius dicetur.

3. Renouatur (*a*) vero hoc loco articulus decimus conſtitutionum publicarum Anni nonageſimi ſexti, vt nimirum Nobiles quoque ſeſſionati, inquilinos non habentes, item Armales paſſim in ciuitatibus, et villis, ac oppidis habitantes: Molitores proprias molas habentes, et in ſerie aliorum colonorum non habitantes: Item Anabaptiſtae, Iudaei, Plebani, et Concionatores non poſſeſſionati, Ligni ſectores, et Carbonarii, in ſerie villarum domos non habentes: Item Abbates, Praepoſiti, Altarium, et Capellarum Rectores, Archidiaconi, Capitula, et alii, Beneficia, decimaſque, nonas, quartas, et ſedecimas percipientes, non poſſeſſionati, eo modo, quo in ipſo Articulo continetur, taxentur. Quae etiam pecunia, reliquo ſubſidio equeſtri per Comitatum adiungatur.

4. Quod (*b*) ad inſurrectionem generalem attinet, ſtatutum eſt: quod ſi neceſſitate poſtulante, Suam Maieſtatem Caeſaream, atque Regiam perſonaliter ſe ſe in caſtra conferre contingat; vel propter aduentum Principis Turcarum, aut eiusdem exercitum, vis maior ingruat; vt cum eo confligendum ſit; ſeu ab ipſo hoſte in Regno, vel vicinis Suae Maieſtatis ditionibus, obſidione cinctum praecipuum fortalitium propugnandum ſit; extunc ſub poena amiſſionis bonorum, communi aeſtimatione redimendorum, teneantur Status, atque Ordines Regni perſonaliter inſurgere, ac meliori, et maiori, quo poterunt, apparatu, et numero, vnum integrum menſem, ab eo die, quo caſtra ingreſſi fuerint, inchoando militare. Cuius quidem generalis inſurrectionis intimatio fiet ad mandatum Caeſareae, et Regiae Maieſtatis, vel Suae Serenitatis, aut Generalis Belliducis per Supremos huius Regni Capitaneos tempeſtiue. Poſtulant tamen, per Dominos Supremos Capitaneos, et Generalem Belliducem in hac inſurrectionis forma obſeruari, vt ad remotiora loca ipſos Regnicolas ita abducant, ne dum ipſi procul a ſuis ſepibus abſunt, interea domi miles damna inferat, vel hoſtis excurſione facta, depopulationes faciat: verum in caſibus praemiſſis, potiſſimum eorum opera, et inſurrectione vtantur, qui caſtris Turcicis propinquiores erunt.

5. Cautum (*c*) praeterea eſſe volunt Status, ne praeſens ſtatutum de generalis inſurrectionis annuentia, in vſum vllo vnquam tempore veniat, ſed ea pro praeſenti tantum vice, et anno facta eſſe intelligatur.

6. Vt decimae, (*d*) et quartae Capituli Agrienſis adimantur, non videtur conſultum eſſe: amiſſis enim aliis bonis, ii Sacerdotes aliunde viuere non habent, niſi ex decimis, et quartis. Quare ſupplicant Status Suae Maieſtati, vt ita hoc negotium cum ipſo Capitulo tractet, atque agat, vt iuſtam dolendi, ac conquerendi cauſam non habeant.

7. Similiter, (*e*) vt Sua Maieſtas Conuentus Szalauár, et Kapornak reſtaurare, et Abbati eorum locorum ſuos prouentus reddere dignetur, humiliter ſupplicant. Interim autem idem Abbas poteſtatem habeat ſigilla ſibi conficiendi, et teneatur literas, more ſolito, extradare.

8. De (*f*) diſponendi quoque facultate Dominorum Praelatorum, ſuper bonis ipſorum mobilibus, et aquiſititiis ſe benigne reſoluere dignetur.

CXXXIX.

(*a*) Alias 15.
(*b*) Alias 20.
(*c*) Alias 21.
(*d*) Alias 32. (*e*) Alias 38.
(*f*) Alias 40. De hac queſtione, alibi erit diſſerendi locus.

CXXXIX.
SYNODVS REGIA Poſonienſis Anni MDXCIX. ſeu Rudolphi Decretum X.

1. In (a) negotio deducendi, reducendi, et hybernandi militem, Status, et Ordines Suae Maieſtati humillime ſupplicant, dignetur talem modum obſeruandum iubere, vt exercitus veniens, et rediens, in campo, et caſtris condeſcendant, non autem in villis, aut in oppidis, aut ciuitatibus; ſignanter autem in domibus Magnatum, Nobilium, et Eccleſiaſticarum perſonarum, iuxta publicas conſtitutiones Regni ſuperinde ſuperioribus annis ſancitas, non condeſcendant.

2. Quantum (b) ad ſubſidium praeſentis anni pro continuatione belli, contra hoſtem ſuſcepti, attinet, licet Status, et Ordines extremam militis, et auctioris etiam, ſi fieri poſſet, intertenendi neceſſitatem perſpiciant, nihilque magis ipſis cordi eſſet, quam hac in parte ſibi, Suaeque Maieſtati, Patriaeque periclitanti, modis omnibus ſuccurrere; tamen ob eorum extremam paupertatem, ita vt vellent, ac ipſa neceſſitas poſtularet, non poſſunt. Vt tamen pro viribus, imo etiam ſupra vires, et facultates, hoc etiam in anno, Patriae commodent, offerunt ad ſex integros menſes decem millia hominum armatorum: In ſuperiori Hungaria duo millia equitum, et totidem millia peditum: In Cis-Danubianis partibus mille, et nongentos equites, et totidem pedites: In Vltra-Danubianis ſeptingentos equites, et totidem pedites: In Sclauonia ducentos equites, et ſexingentos pedites: pro quorum conductione, et intertentione (ſalua, et reſeruata pro Sua Maieſtate liberarum Ciuitatum taxa) de ſingulis domibus colonicalibus, et inquilinariis, de nouo, propter combuſtas, et per Turcas, et Tartaros penitus deſertas, ac deſolatas, rectificandis, ſingulos binos florenos: quorum centum quinquaginta denarios vngaricos, colonus: quinquaginta autem, Dominus terreſtris ſoluet: Pro prima dimidietate ad feſtum B. Georgii Martyris: pro altera vero ad feſtum B. Ioannis Baptiſtae: tam ex Suae Maieſtatis, quam etiam Dominorum Praelatorum, Baronumque, et aliorum Statuum bonis, (nullis, exceptis, praeter perſonam Suae Maieſtatis, et Domini Archiepiſcopi Strigonienſis, qui iam antea milites continuo intertenent) exigendos; ita vt ditior colonus pauperiorem ſubleuet. Et hac pecunia primo quoque tempore per Dominos Supremos Regni Capitaneos Vngaros, equites, et pedites Hungari conducantur, pro Suae Maieſtatis clementi diſcretione: Ipſa vero pecunia, in quolibet Comitatu, per idoneum Perceptorem cuiuslibet Comitatus ad id ibidem eligendum, exigatur: eaque fideliter, et tempeſtiue exacta, ad manus eorum afferuatorum aſſignetur, qui paulo poſt ſpecificabuntur; qui ſolutionis militum curam habeant. Perceptorum ſalarium, in minoribus Comitatibus, ſint in toto viginti quinque floreni, in maioribus quinquaginta.

3. Quibus (c) quidem duobus florenis, accedit etiam taxa Nobilium armalium, et vnius ſeſſionis; Item Libertinorum, Praedialium, Sacerdotum, Abbatum, Concionatorum, Capitulorumque, colonos non habentium, item negotiatorum, et quaeſtorum, mercatorumque forenſium, ac ceterorum omnium, qui in articulo decimo anni nonageſimi ſexti, et decimo quinto, anni proxime elapſi nonageſimi octaui, ſpecificati ſunt: Hoc declarato, vt Nobiles vnius ſeſſionis, qui inquilinos in propriis ſundis, et curiis Nobilitaribus habuerint; tales non ratione inquilinorum contribuant, ſed ratione facultatum taxentur:

(a) Alias 5.
(b) Alias 6.

(c) Alias 7.

Digitized by Google

tur: Ipſi tamen inquilini nihilominus inſtar aliorum ſoluant, haecque, et ſupradicta taxatio per Comitem, praeſente Vice-Comite peragatur, ſi Comes praeſens eſſe poterit; ſin minus: vnus, vel alter praecipuus vir, et Commiſſarius, quem ad id ipſe Comes, cum conſenſu Comitatus elegerit, atque tranſmiſerit, illam fideliter, ſimiliter praeſente Vice-Comite perficiat.

4. De (*a*) reſtantiis pecuniae ad eleemoſynam olim deputatae, exigatur ratio tunc, quando de ceterarum contributionum reſtantiis exigetur.

5. Ad (*b*) ſupplicationem Comitatus Turócz, et ceterorum eiusdem vicinorum Comitatuum, ea de re ſoepius tum Suae Maieſtati, tum etiam ipſis Statibus, et Ordinibus factam, decretum eſt: vt Conuentus Beatiſſimae Virginis Mariae de Turócz reſtauretur, et reformetur, ac Patres Societatis Ieſu, qui eam Turocziënſem Praepoſituram nunc poſſident, quatuor Seculares Sacerdotes, cum Notario ibidem teneant, qui executionum, et expeditionum literarum curam habeant, non autem ipſi Patres Ieſuitae; erunt tamen praefati Comitatus adiumento ipſis Patribus in reſtauratione, et reaedificatione Clauſtri, et Conſeruatorii illius, quantum poterunt. Verum Maieſtas Sua Caeſarea, ac Regia hoc loci, priori Suae benignae deliberationi, et ſententiae etiamnum clementer inhaeret.

6. De (*c*) Nobilibus Praedialibus, et colonis Archiepiſcopatus Strigonienſis, vt iuxta antiqua eorum priuilegia, exactione tributorum, et teloniorum per totum Regnum nuſquam impediantur, et contra facientes, poena a iure ſtatuta puniantur; renouatur Articulus 59. publicarum conſtitutionum Regni, anni ſexageſimi tertii.

7. Praeterea (*d*) ſupplicant denuo Status, et Ordines, vt Sua Maieſtas Capitulo Iaurinenſi ſolitam, et a Diuis Vngariae Regibus conceſſam reſidentiam, ac iurisdictionem, in ipſorum Iaurinenſi ciuitate reddi, ac reſtitui gratioſe iubeat; ſic etiam aliis, qui ibi domos habuerunt.

8. Controuerſiae (*e*) de decimis, inter Comitatum Trenchinienſem, et Dominum Epiſcopum Nitrienſem ortae definitio reiicitur ad pacatiora tempora. Interim idem Dominus Epiſcopus a proſecutione cauſae contra ipſum Comitatum motae, ſuperſedeat. De quo tamen Maieſtas Sua Caeſarea, vlterius cum Conſiliariis ſuis Hungaricis benigne decernere, ac poſtmodum ſe clementer reſoluere ſtatuit.

(*a*) Alias 32.
(*b*) Alias 35.
(*c*) Alias 41.
(*d*) Alias 42.
(*e*) Alias 44.

CXL.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDC. ſeu Rudolphi Decretum XI.

Statutum (*a*) eſt, vt miles in curias Nobilium, nec non Dominorum Praelatorum, ac Magnatum, et Eccleſiaſticarum perſonarum non condeſcendat; iuxta conſtitutiones publicas ſuperiorum annorum. Si qui autem milites praedas exercentes, miſeramque plebem diuexantes, et opprimentes comperti fuerint; illi ad inſtantiam laeſorum, per ſupremos Capitaneos ſub amiſſione officii, ſtatim et de facto debito modo puniantur: damna vero illata, de emeritis eorum ſtipendiis, damnificatis reſarciantur irremiſſibiliter. De vagis autem militibus equeſtribus, et pedeſtribus, renouantur articuli conſtitutionum praeteritorum annorum.

(*a*) Alias 20.

CXLI.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCI. ſeu Rudolphi Decretum XII.

Perſonalem (a) inſurrectionem quod concernit: Etſi Status, et Ordines ſufficientes rationes haberent ſe ſe ab ea excuſandi, nihilominus tamen, ne detrectare videantur clementem Suae Maieſtatis, et Suae Serenitatis hac in re factam inſtantiam; ſtatutum eſt, vt penes perſonam alterius ex Sereniſſimis Fratribus Suae Maieſtatis, ſi in caſtris deſcenſurae ſint, quilibet Dominorum Praelatorum, Baronum, et Magnatum, et Nobilium perſonaliter inſurgat, et penes ſuam perſonam, de ſingulis viginti domibus vnum equitem bene armatum ſecum in caſtra accipiat, et per integrum menſem in caſtris penes ſuas Serenitates maneat. Si vero forte ſuae Serenitates in caſtra non ſint deſcenſurae, tunc ſtatutum eſt, vt ad requiſitionem ſuarum Serenitatum, vel Generalis Belliducis de ſingulis tribus portis, vnus pedes, bene bombarda, et armis inſtructus mittatur, et per menſem in caſtris interteneatur, incipiendo a die, quo caſtra ingreditur, ſub amiſſione bonorum ſuorum communi aeſtimatione redimendorum. Dignentur autem ſuae Serenitates, in caſu talis inſurrectionis benignam rationem habere, praefatarum penes ſuas Serenitates leuatarum gentium, ne videlicet eo modo, quo ſub Buda nuper factum eſt, ipſa Nobilitas tractetur, ſed eis competens honor tribuatur. Ægroti vero, nec non Senes, et Viduae, ac ad bellum inhabiles, mittant ſuo loco alios idoneos; Pauperiores porro Nobiles tres (limitatione Comitis, et Vice - Comitis praecedente) mittant vnum peditem, vel quinque vnum equitem. Ceteri opulentiores in equis proficiſcantur. Nobiles praeterea ſeruitiis Suae Maieſtatis, aut quorumcunque Dominorum addicti, teneantur pro ipſorum perſonis, modo ſupra declarato, alios idoneos mittere.

(a) Alias 9.

CXLII.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCII. ſeu Rudolphi Decretum XIII.

1. Quod (a) perſonalis inſurrectio Statuum non adeo ſit vtilis, iam ſoepius, quum annis ſuperioribus, tum etiam ſub praeſentibus Comitiis, eſt declaratum. Dictum quoque eſt, centum, et quinquaginta denariis, quos coloni contribuunt, ea ratione eſſe quinquaginta denarios ſuperadditos, vt ipſi Status ab hac inſurrectione liberentur. Quare loco inſurrectionis huius, ſupra praeattactos denarios quinquaginta offerunt adhuc Suae Maieſtati ad vnum integrum menſem, a die, quo caſtra ingredientur, inchoando, de ſingulis viginti domibus, praemiſſo modo rectificatis, vnum equitem leuis armaturae bene armatum. Quorum vſus longe vtilior futurus eſſe creditur in militia, quam ſi in propria perſona, quilibet in ipſa caſtra proficiſceretur. Curabit autem clementer Sua Maieſtas, ne ante tempus, ſed magna neceſſitate exigente, hae gentes leuentur. Similiter etiam de ſingulis viginti domibus Curiarum Nobilitarium, inquilinos habentium, ſingulus eques bene armis inſtructus expe-

(a) Alias 9.

expedietur: ita videlicet, vt illae quoque ſecundum numerum domorum numerentur; ac ſi quae eiusmodi Curiae inquilinos non baberent, eae iuxta limitationem Comitatus Supremi Comitis militem expediant. Erit vero in arbitrio quorumlibet poſitum, in propria etiam perſona caſtra ſequi, et lateri Suae Serenitatis aſſiſtere. Sperat autem, atque confidit tam Maieſtas Sua Caeſarea, quam vero Sua Serenitas, quod requiſiti Comitatus praeattactum vnum menſem, graniore, et ſumma neceſſitate exigente diutius protrahent.

2. De iis (a) qui Turcis, et rebellibus victualia ſubminiſtrant, exemplum ſtatuere iuſtum eſt. Dignetur itaque Sua Maieſtas committere, vt talium merces confiſcentur, ſi qui deprehenſi fuerint.

(a) Alias 12.

CXLIII.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCIII. ſeu Rudolphi Decretum XIV.

1. Quod (a) concernit eum articulum de militis in campum expediendi, poſtulatione: Vellent quidem Status, et certe ex animo cuperent, ſi non decem tantum hominum millia in campum expedire poſſent, ſed et longe maiorem numerum; verum iam nouit Sua Maieſtas, quam extenuatas vires hae Regni reliquiae habeant, et quam ſit incertum, et difficile etiam minima decreta ſubſidia a colonis exigere; nihilominus tamen offerunt humillime contributionem anni proxime elapſi, nimirum de qualibet domo colonicali, atque inquilinaria (miſerabilibus perſonis, allodiisque, et educillorum locis exceptis) praecedente ſine fraude, propter combuſtas, et per hoſtem, militesque deſolatas, ac depraedatas domos, more ſolito fienda rectificatione, ſingulos centum et quinquaginta denarios. Quibus Domini terreſtres, loco generalis inſurrectionis, quinquaginta denarius ſuperaddent: ita tamen, vt pauperiores ſubditos, ditiores ſubleuent. Haec vero contributio exigatur tam ex Magnatum, et Nobilium omnium, etiam eorum, quorum bona nunc Vngariae reſtituta ſunt, quam etiam Eccleſiaſticarum perſonarum omnium, ac Suae etiam Maieſtatis ſecularibus, et ſpiritualibus bonis, nullis exceptis. Ac huic ſubſidio, accedat quoque taxa earum perſonarum omnium, de quibus in praeattacti anni proxime elapſi conſtitutionibus mentio ſit: eo plane modo, et ordine exigenda, ſicut id ibidem ſignificatum eſt. Cuius quidem ſubſidii medietas exigetur ad proximum feſtum Sacri Pentecoſtes, altera autem ad feſtum Beati Iacobi Apoſtoli, per particularem cuiuslibet Comitatus Perceptorem; qui ipſam exactam pecuniam tribus generalibus Perceptoribus aſſignabunt.

(a) Alias 3.

CXLIV.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCIV. ſeu Rudolphi Decretum XV.

1. Licet (a) Status nihil magis in votis haberent, quam vt grauiſſime laboranti Patriae, maioribus nunc, quam unquam antea, auxiliis ſuccurrere poſſent: Verum quibus calamitatibus impediantur, quo minus id praeſtare valeant, iam ſoe-

(a) Alias 2.

pius Suae Maieſtati tam oretenus, quam ſcripto explicauerunt; vnde omnino impoſſibile eſt, vt numeroſum aliquem militem per ipſos conducendum hoc anno in campum ſiſtere poſſint. Vt tamen in tantis miſeriis, et calamitatibus conſtituti, aliquid vltra vires etiam faciant, ac ne ſibi ipſi deſint; offerunt (prout anno ſuperiori ſexcenteſimo tertio ſupra milleſimum, factum) a ſingulis domibus colonicalibus, et inquilinariis, demptis excipiendis, et exceptis combuſtis per Tartaros, et alias deſolatis, conſueta rectificatione, tam auctionis, quam diminutionis domorum, praeſentibus Dicatoribus Camerae iuratis, praeuia per Vice-Comites, et Iudices Nobilium Comitatuum, centum, et quinquaginta denarios; Domini vero terreſtres loco generalis inſurrectionis, quinquaginta denarios; ſalua tamen libertate Nobilitari permanente. Quae quidem contributio, ad manus Camerarum Suae Maieſtatis (quae ſuos in ſingulis Comitatibus poſſeſſionatos Nobiles, et iuratos habeant Perceptores) non in alium vſum, ſed in ſolam militum Vngarorum nouam conductionem conuertenda ſubminiſtretur.

2. Poſtremo (*a*) ſiquidem Maieſtas Sua Caeſarea, atque Regia, tum ex fide digna relatione, tum vero ex binis per ſupradictum Sereniſſimum Principem Dominum Mathiam, Archiducem Auſtriae etc. Fratrem ſuum chariſſimum, Suae Maieſtati tranſmiſſis ſupplicationibus eorum, qui ſe ſe potiorem Statuum, et Ordinum Regni Hungariae partem indigitarunt, non ſine admiratione, tanquam rem hactenus inuſitatam, et plane nouam, diſplicenter intellexit: quidnam illi, de turbatione ipſorum Religionis, ademptione ſuarum Eccleſiarum, et prouentuum, ac ſubmotione Miniſtrorum verbi, ſiue Concionatorum ſuorum, tam ſcripto, quam oretenus eius Serenitati propoſuerunt, et explicarunt; atque inſuper ab eius Serenitate interceſſionem ad Sacram Maieſtatem Suam Caeſaream, et Regiam eum in finem, demiſſe flagitarunt, vt omnibus per Suam Maieſtatem eis reſtitutis, in libero ſuae Religionis exercitio permanere, illoque frui, et gaudere queant. Qui tamen ab eius Serenitate requiſiti, et admoniti, neque ſcriptum ſuum, qui ſe illius participes facere cogitaſſent, proprio nomine ſubſcribere, neque cuius Religionis ſint, profiteri, quasve Eccleſias, et prouentus ſibi ademptos eſſe queſti ſunt, explicare voluerunt; ſed circa generalia ſolummodo perſiſtentes, haud facile a concepta opinione ſe ſe dimoueri paſſi ſunt: et per hoc publicos Dioetae huius tractatus non modicum retardarunt, ceteriſque fidelibus Regni Statibus, et ſcandalum, et malum exemplum praebuerunt. Quod quidem, ſicuti Suae Maieſtati Caeſareae, et Regiae gratum eſſe non poteſt, ita quoque Sua Maieſtas recordari nequit, quod illis per ſuam Maieſtatem, in praetenſa eorum Religione, aliqua iniuria irrogata, vel aliquae Eccleſiae, aut earum prouentus, in bonis praeſertim eorum propriis, et auiticis, eis adempta fuiſſent. Neque Sua Maieſtas Caeſarea, ſuper obnubilatis eorum praetenſionibus ſe ſe vllo modo reſoluere valet; praeſertim, quod exiſtimet illos aliquam cum liberis Ciuitatibus Regni, quae Sacrae Coronae, et Suae Maieſtatis Caeſareae, tanquam Inclyti Regis Hungariae, peculium ſunt, colluſionem in vrgendo nouae Religionis exercitio habere. Quum autem Sua Sacratiſſima Caeſarea, Regiaque Maieſtas, inſtar Diuorum condam Progenitorum, et Praedeceſſorum ſuorum, tam Imperatorum Romanorum, quam vero Regum etiam Hungariae, felicium recordationum, Sacroſanctam Catholicam Romanam fidem, et Religionem, ſincere profiteatur; illam quoque in Regnis, et Prouinciis ſuis, ac praeſertim in hoc ſuo Hungariae Regno, ad laudem, et gloriam omnipotentis Dei, ex tot falſis opinionibus, et ſectis erutam, vbique florere, et dilatare cupiat, ac ex debito regiminis ſui officio, pro virili etiam tueri, et defendere

(*a*) Alias 22. De hac lege dicitur in Pacificatione Wiennenſi ad primum: „quum is extra Dioetam, et ſine Regnicolarum aſſenſu adiectus fuerit, „et propterea etiam tollitur.„

dere ſatagat: Idcirco Maieſtas Sua Sacratiſſima, motu proprio, deque Regiae Suaé poteſtatis plenitudine, tam Sancti Regis Stephani, huius gentis Hungaricae Apoſtoli, quam vero omnium aliorum Diuorum quondam Hungariae Regum, Suae Maieſtatis Praedeceſſorum decreta, conſtitutiones, et articulos, pro praefata Sancta Catholica Romana fide, et Religione, quouis tempore praeclare, et pie editos, et eunlgatos, non ſecus, ac ſi de verbo ad verbum praeſentibus literis inſertae, et ioſcripti eſſent, hoc ſpeciali ſuo articulo clementer ratificat, et confirmat; ac ne deinceps in generalibus praeſertim, et arduis Regni tractatibus, et Dioetis, alicui Religionis negotium, ad remorandos, et interrumpendos publicos tractatus, quouis colore, et praetextu impune mouere liceat, benigne ſtatuit, et ſerio decernit, vt contra tales inquietos, rerumque nouarum cupidos, poena a Diuis condam Regibus Hungariae, in eisdem Decretis, et articulis ſtatuta, conſeſtim procedatur, et ceteris in exemplum, irremiſſibiliter puniatur.

CXLV.

SYNODVS REGIA
occaſione Pacificationis Wiennenſis initae Anno Chriſti MDCVI.

1. Clerus, (*a*) Templa, et Eccleſiae Catholicorum Romanorum intacta, et libera permaneant; atque ea, quae hoc diſturbiorum tempore ab vtrinque occupata fuere, rurſus eisdem reſtituantur.

2. Quod (*b*) ambos Reuerendiſſimos Epiſcopos (*c*) Agrienſem nempe, et Varadienſem concernit; iſti interim a Regno abſtinebunt, donec eorum cauſa deciſa, vel alias compoſita fuerit.

Ne Sacrae Caeſareae, Regiaeque Maieſtatis authoritati quidpiam derogetur; in eius arbitrio relinquitur Epiſcopos, quos voluerit eligere (*d*) nec tamen in Conſilium alii, quam qui Epiſcopales (*e*) Eccleſias ſuas, vel alia iura Epiſcopalia habuerint, admittantur. Et inter hos quidem, vt eorum, qui ex Nobili proſapia oriundi habiles ſunt, condigna ratio prae ceteris (*f*) ſicut ante, ita impoſterum obſeruetur, Sua Caeſarea, et Regia Maieſtas benigne curabit.

Quae vero de Epiſcopis, Comitibus Comitatuum in particulari receoſentur; et vtrum huiusmodi perſonae Eccleſiaſticae ſeculares habere poſſint dignitates, in futura Dioeta Rex, et Regnicolae concludent.

Fraepoſiturae tamen, et Abbatiae maneant in ſuo ſtatu, et fundatione.

(*a*) Ad primom articulum propoſitionum Bochkayanarum ſic denique conſitum eſt, vt liberum ſit cuiuis Religionem, quam voluerit, profiteri, abſque tamen praeiudicio Catholicae Romanae Religionis. Volebant quidem addi Bochkayani aſſeclae, in villis etiam liberum eſſe Religionis exercitium, ne ad Ciuitates reſtrictum videatur, deleri e contrario volebant clauſulam: „ abaque praeiudicio Catholicae Religionis „ et quidquid pro incolumitate eius ſtatutum fuit; nihil tamen impetrarunt.

(*b*) Lex haec eſt condita ad punctum quintum propoſitionum Bochkayanarum.

(*c*) Agrienſis erat Stephanus Zuhay. Varadienſis autem Nicolaus Mikatzius. Odiorum in hos cauſa fuit, quod vterque praefuerit Camerae Regiae. Cameram quippe Bochkaius exoſiſſimam habuit, et ſentinam malorum compellabat; de vtroque hoc Praefecto Camerae, non tam proprio delicto, quam Camerae odio noxio petebant, vt vterque in exilium perpetuum abigeretur, ne videlicet Camera in iura Regni peccare deinceps audeat.

(*d*) Petierant quippe puncto ſexto Bochkayani, vt denominationes Epiſcoporum fiant ex conſilio Palatini, eique adiunctorum Conſiliariorum.

(*e*) Putabant ſe numero Epiſcoporum premi, et Titulares Epiſcopos, nulla habita conſcientiae, et legis ratione, votis ſaniorem ſuperare partem.

(*f*) Haec Legis particula abrogat legem illam Vladislai Decr. 7. art. 24. decimas Epiſcopo ex ruſtica progenie aſſumpto dari vetantem.

Digitized by Google

3. Iuxta (*a*) prioris tractatus concluſionem, maneant Sedes (*b*) Spirituales: Si tamen in iisdem aliqui abuſus inoleuiſſent, poſſunt illi in proxima futura Dioeta, coram Maieſtate Sua, et Statibus Regni proponi, limitari, et emendari. Vbi ſimiliter querelas de decimis, eorumque abuſibus, Rex, et Regnicolae component.

4. Vngari (*c*) non conſentiunt; quo Ieſuitae in Regno Vngariae iura ſtabilia, et poſſeſſionaria habeant, et poſſideant. Sua tamen Maieſtas ſuis iuribus inhaeret.

5. Oppidum (*d*) Liszka, quum pertineat ex antiqua fundatione ad Praepoſituram Scepuſienſem; conceditur quidem et illud Domino Bochkay, quousque cum eodem aliter conueniet, et concordabit. De Capituli vero Agrienſis intertentione, Sua Caeſarea, Regiaque Maieſtas, et Regnicolae, in futura Dioeta, de ſecuro, et opportuno loco prouidebunt.

(*a*) Haec Lex lata eſt ad ſeptimum articulum toties ſatarum propoſitionum.

(*b*) Peticrant nimirum Iudicia Fori Eccleſiaſtici abrogari.

(*c*) Haec Lex octaui articuli deciſio eſt, ſi tamen quaeſtio dirempta dici poteſt.

(*d*) Leges hae relatae ſunt intuitu illorum, quae perſonam Bochkayanam ſpectabant.

CXLVI.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDCVIII. ante Coronationem Matthiae II.

1. Ad (*a*) ſextum: (*b*) manet hic articulus, ſecundum primi tractatus concluſionem. Vtrum autem Epiſcopi, Seculares in Regno habere poſſint dignitates, id nunc Regia Sua Maieſtas, durante adhuc hac Dioeta, cum Regnicolis concludet. Hoc tamen etiamnum addito, ne tales Epiſcopi, qui reſidentias ſuas Epiſcopales in ſuis Eccleſiis, vel iura poſſeſſionaria Epiſcopalia in Regno non habuerint, ad Conſilia admittantur. Verum quoad Ciuitates, et Oppida, quae ad Coronam Regni non ſpectant, quaeue etiam in Decretis Regni minime ſunt ſpecificatae, vtpote Modor, Bozin, S. Georgii, et aliae ſimiles, vtrum in coetu Statuum, et Ordinum Regni, locum, et vota habere debeant? Regnum cum Regia Sua Maieſtate, ſtatim poſt coronationem, ex Conſilio Hungarico deliberabit. Interim tamen ſtatutum eſt, ne de cetero Sua Regia Maieſtas, qualiacunque in Regno oppida, ſine Conſilio Hungarico eximat, aut libertet: neque etiam bona aliqua Communitati, iuxta antiquas Regni conſtitutiones, et poſtremo Ferdinandi Regis Anni 1542. art. 33. vllo ſub praetextu conferat.

2. Ad (*c*) ſeptimum: manet quoque articulus de Sede Spirituali antea concluſus, prout in Viennenſibus articulis vberius eſt ſpecificatus. Hoc addito, quod hic articulus, ſtatim poſt coronationem, per Regiam Suam Maieſtatem, et Regnicolas complanetur, et in ordinem redigatur.

3. Ad (*d*) octauum: Hic quoque articulus de Ieſuitis in vigore ſuo permanet; nimirum: vt ipſi nulla in Regno Hungariae bona ſtabilia, et poſſeſſionaria habere, et poſſidere valeant. (*e*)

4. Quinto: (*f*) Quum ex antiquis, et publicis Decretis Regni Hungariae, bona ad coronam Regni ſpectantia, nulli omnium Regum Hungariae, qualicunque tandem neceſſitate adurgente, prout in Decreto Al-

(*a*) Alias 6.

(*b*) Iterum in deliberationem ſumptae praetenſiones Bochkayanae.

(*c*) Alias 7.

(*d*) Alias 8.

(*e*) Hac itaque lege Ieſuitae bona poſſidere vetantur; verum huic legi interceſſit Status Eccleſiaſticus.

(*f*) Alias 22.

Alberti Regis art. 16. et paſſim aliis in plurimis vberius patet, impignorare liceat; conſtetque pleroſque tum ad fodinas minerales, tum etiam tricefimas, non vulgares pecuniae ſummas mutuo dediſſe: Ideo ex iis, atque etiam ex 7mo Vladislai Regis Decreto Art. 2, et 3. nec non etiam publicis Conſtitutionibus manifeſte elicitur, ac concluditur: tales Foeneratores, qui pecunias ſuas ad bona Coronae Regni Hungariae huius, lucri gratia mutuo dedere, non ſolum illas amiſiſſe, verum etiam in aeſtimatione prouentuum conuinci (a) debere. Demptis tamen arcibus Munkács, Zolyom, et Diósgyör, quae quoniam pro publicis Regni, ac confiniorum neceſſitatibus inſcriptae, pecuniaeque inde collatae non alio, quam ad eorundem reſtaurationem, militumque ſolutionem erogatae dignoſcantur; Ideo praedictae arces, non niſi depoſita inſcriptionis ſumma a modernis Poſſeſſoribus redimi, ac recuperari debebunt.

(a) Haec lex foenerationis damnare videtur bonorum impignorationem; in qua re contentit Werböczio.

Proteſtatio Status Eccleſiaſtici Maieſtati Suae in Comitiis Anni 1608. oblata.

Sacratissima Regia Dignitas!
Domine Clementissime!

Quanquam nihil antiquius, aut magis in votis ſit (a) afflictis E. S. R. Hᵗⁱˢ quam vt ſecundum Deum Maieſtati veſtrae obſequatur, eiusque nutum, ac voluntatem, qua par eſt veneratione ſuſcipiat, ſequaturque; quia tamen fidelitatis, ac debiti obſequii ea quoque potiſſima pars eſt: vt Eccleſiaſtici, quorum curae, ac iudicio animarum ſalus concredita eſt, quae legibus Diuinis aduerſantur, pro virili poſſe (b) auertant, Regibusque Eccleſiae Nutriciis, quae animae ipſorum ſalutaria ſunt, ea, qua par eſt ſubmiſſione, ſuggerant. Idcirco Maieſtati veſtrae ſignificandum cenſuimus, poſteaquam Maieſtas Veſtra (c) paſſim graſſantes, et ſaeuiſſime omnia depaſcentes in Hungaria haereſes, impunitas tolerare, zizaniaque ad meſſem vsque creſcere ſinere, quando euellere illa aut omnino, aut certe ſine grauiore, periculoſioreque motu non poteſt; tamen legibus, ac articulis, liberam, et patentem haereſibus portam patefacere, earumque liberi exercitii defenſioni patrocinium, protectionemque ſuam promittere non magis poſſe, quam poſſit homicidiorum, aliorumque lege Diuina interdictorum ſcelerum libertatem concedere, protectionemque promittere: Siquidem non minus graue vitium eſt haereſis, quam cetera Diuinis legibus interdicta flagitia. Quae omnia Diuinae Scripturae, rationisque ipſius naturali ductu comprobari a nobis liquido poſſunt. Ex quo illud eſt conſequens, vt quoniam S. Apoſt. Paulo docente cognouimus, non licere mala facere, vt eueniant bona, nullo quantumuis graui, aut periculoſo vrgente caſu, nullo cuiuſuis boni publici praetextu, nullo quantumuis graui metu, falſae Religionis libertatem, et protectionem legibus ſanciri poſſe: Atque ideo, vt externa taceamus, Pii Reges Hungariae, Stephanus, Ladislaus, Bela, et alii Coronas, vitaſque ſuas ſoepe in diſcrimen adduxerunt, ne huiusmodi defectioni a veritate ſubſcriberent. (d) Nec eſt quod percenſeamus vel infelices exitus eorum, qui regnandi deſiderio libertates Religionum approbarunt, vel calamitates Regnorum, quibus haec eadem libertate inuoluta ſunt, vel praeiudicia grauiſſima, quae veritati Catholicae, conceſſionibus iſtiusmodi generata ſunt, vel denique, quam difficile ſit liber-

(a) Péterfi: *habet afflictus Eccleſiaſticus Status Hungariae.*
(b) Péterfi habet *parte.*
(c) Péterfi habet *poſſe quidem Maieſtatem Veſtram.*
(d) Péterfianum exemplar adiungit: *et Arcadius Gainae Ariano petenti libertatem ſuae ſectae, iacturam imperii ſui ſe facere malle, dixit, quam petitioni acquieſcere; eiusque conſtantiam probari ſibi mirabiliter declarauit Deus: Nam vt Sozomenus Lib. 8. Cap. 4. recenſet, cum irritatus Gainas, noctu contubia Imperiale Palatium violentus aggreditur, Angelorum excubiis deterritus terga vertit.*

libertatem ſemel conceſſam, legibusque illatam reſcindere; quam multa animarum millia hac conceſſione pereant, quarum rationem Deo reddendam ſcimus; quam denique deplorandum (a) ſit, Principes Lutheranos, ac Caluinianos nullam in ſuis ditionibus religionem tolerare praeter ſuam, interea vero Catholicae Religionis Propugnatores, patentem omnibus erroribus viam complanare. Quae quum ita ſint, Maieſtatem Veſtram obſecramus per miſericordiam Dei, per animae ſuae ſalutem, per I. Domus Auſtriacae illibatam fidem, per aeternum poſteritatis de Maieſtate Veſtra iudicium, vt hanc libertatem Religionis, omnibus legibus Regni noſtri contrariam, concedere, articuliſque inſcribi non patiatur, ſed contenta ſit Maieſtas Veſtra tolerare, quod corrigere non licet. Si vero (quod abſit) Maieſtas Veſtra aliter faciendum ſtatuerit, nos omnes (b) ac ſinguli Praelati, Capitula, Conuentus, ceteri-

que

(a) Péterſi habet: *pudendum.*

(b) Occaſione huius Proteſtationis, quam ex Conciliis Péterſianis decerpendam, et hoc loco reponendam cenſuimus, vindicandus nobis eſt Péterſius, quem ſub initialibus literis H. M. deliteſcens Anonymus, in Hiſtoriae Literariae Hungaricae lineamentis, ſeu potius prolegomenis Altonauiae Anno MDCCXLV. procuſis, indignis modis proſcindit, quaſi ſuppoſititium monumentum, aliisque iam exploſum, publico obtrudere veritus non eſſet. Nihil refert hic recenſere, quantopere omnes limites exceſſerit bonus hic vir; verum quidem eſt, Peterſium acriori, ac par fuiſſet calamo vſum fuiſſe, et ſesquipedalibus verbis abundare: noſter tamen bonus vir non duplicia ſolum reddidit, ſed plauſtra contumeliarum adiunxit; quod cuiuis praefata prolegomena pag. 110. et ſequentibus legenti patebit. Vnde ſpeciminis cauſa aliqua tantum horſum tranſcribenda ſunt: ait quippe is pag. 110. Péterſium *non deterſiſſe modo, ſed plane detriviſſe, penituſque abieciſſe ruborem, imo, et hominem exuiſſe, illiusque loco*, quod pace, et bona eius venia dixerim, *calidiſſimi veteratoris perſonam induiſſe.* Haec ad comprobandam ſtyli intemperantiam adduxiſſe ſufficiat; iam ad rem ipſam: Condendit itaque H. M. Proteſtationem hanc ſuppoſititiam eſſe. Primo: Quod eandem Clerus Hungariae coram Regia Commiſſione Peſtienſi producens, dicat fuiſſe Regi oblatam anno 1606. quo anno Franciſcus Forgách Archiepiſcopatum Strigonienſem nondum adeptus fuerat, adeoque Proteſtationi huic nomen ſuum, velut Primas Regni apponere non potuerit. Secundo: Quod in laudata Commiſſione manifeſte edocta fuerit ſubleſta Proteſtationis huius fides; en verba auctoris pag. 117. *Agentes Euangelici, quibus amaina laruata haec Proteſtatio, in originali, vti appellabatur, ſuo, ad videndum, ac examinandam concedi debebat, propriis ſuis oculis viderunt, bona fide non tantum Hungariae, ſed et orbi Chriſtiano reuelarunt, imo, quod magis notabile, Sacratiſſimae quoque Caeſareo-Regiae Suae Maieſtati, glorioſiſſimae memoriae Carolo VI. Regi noſtro indulgentiſſimo, cum debita, ac deuotiſſima reuerentia, atque obedientia, factum, et circumſtantias rei controverſae retulerunt; uti acta dictae Commiſſionis Peſtienſis hodieque exſtantia, grauiſſime hac de re teſtantur; quorum publicam, ac inſuper Caeſareo-Regia authoritate munitam fidem, cur non puduit Péterſium pedibus conculcare?* Rurſus pag. 119. *illud etiam inter alia docent* (acta Commiſſionis Peſtienſis) *quam exquiſita, ſpecioſaque videlicet arte, tam in copiis tum temporis exhibitis, quam typis editis, toties memoratis ſuppoſititiis documentis loca ſigillorum appoſita fuerint, ac ſi reuera in laruato illo originali vera, ac genuina ſigilla ita appreſſa fuiſſent; quum tamen re ipſa nil, niſi rudis, et informis cera, charta obtecta, tempore examinis illic reperta eſſet, ac ideo etiam ex ſola iſta ratione, ſcripta haec ſuppoſititia illico confutata, penituſque reiecta fuiſſent.* Hactenus H. M. Hungarus. Tertio: Contendit Proteſtationem hanc ad Annum 1606. eſſe referendam, quia eadem *primus principiis libertatis religioſae, quae omnino* (verba ſunt Auctoris) *ab anno* CIↃIↃCVI. *ſunt repetenda, abiectam generae ſuadet.* Quarto: Denuo argumento ex actis Commiſſionis Peſtienſis deprompto, falſitatis arguit Proteſtationem hanc: Narrat quippe Pauli V. literis anno 1609. exſtimulatos fuiſſe Epiſcopos, vt ſcripto quodam, articulorum libertati Religioſae fauentium condemnationem in ſe continente Regem interpellarent; ſubiungit pag. 123. *id veriſſimum eſſe, acta iam antea laudatae Peſtino-Poſonienſis Commiſſionis fidedigniſſima abunde teſtantur. Vbi etiam memoratae Pauli V. litterae per noſtros productae continentur, quas legat velim, ac iterum, iterumque relegat Péterſius;* vnde concludit ſuperuacaneam futuram Summi Pontificis exhortationem anno CIↃIↃCIX. factam, ſi Proteſtationes, ſiue anno CIↃIↃCVI. ſiue CIↃIↃCVIII. interceſſiſſent. Quinto: Incredibiles eſſe Proteſtationes; quum Epiſcopi Pacificationi Viennenſi ſubſcripſerint. Ad ſingula iam reſpondeamus: quum iam non modo Péterſius vindicandus, verum etiam a Clero Hungarico imposturae calumnia propellenda ſit. Ad primum antequam reſpondeam, monendi ſunt exteri, ac noſtrates etiam nonnulli, ad diſſenſiones, variasque quaeſtiones in negotio Religionis terminandas, ordinatam fuiſſe articulo trigeſimo anni CIↃIↃCCXV. Commiſſionem, quae anno CIↃIↃCCXXI. Peſtini inchoata, altero anno Poſonii abſoluta fuit. In hac itaque Commiſſione, dum Clero ad querelas Acatholicorum reſpondendum eſſet, obtulit is Proteſtationem, vnde Auctor noſter argumentum deſumpſit, cuius proteſtationis verba, quaeſtioni obnoxia, talia ſunt: „Quandoquidem in negotio Religionis ante annum 1606. „tot, et tantos nobis fauorabiles conditos fuiſſe „articulos, vt plurimum aduerteramus, eodem „vero anno 1606. articulum primum Pacificationis Viennenſis *absque praeiudicio Catholicae* „*Religionis* ſancitum haberi legeremus; imo eiusdem conditi tempore, Praedeceſſorum noſtrorum circa admiſſionem acatholicorum, in hoc „Apoſtolico Regno Hungariae tolerandorum, eotum Suae Maieſtati Regiae exhibitam, ſolennem „interpoſitam fuiſſe proteſtationem, et contradictionem, huicce proteſtationi noſtrae in genuinis copiis, literis A. et V. notatam adnexam, (eſt autem haec ipſa, quam nos hoc loco damus) et ſi opus fuerit, dum, et quando in „originali remonſtrandam, oculis noſtris intuemur„ Videtur itaque auctori noſtro Clerus aſſerere Proteſtationem hanc 1606. fuiſſe Suae

Authentia huius proteſtationis vindicatur.

que omnium Ordinum Status Eccleſiaſtici in Hungaria, coram Diuina Maieſtate, Glorioſiſſimaque Virgine Maria, omnibusque choris Angelorum, ac Sanctorum Dei,

O o o o item

Maieſtati exhibitam: et ſane primo obtutu ita videri poſſe adfirmo. Adſentiur etiam proteſtationem a Clero his verbis deſignatam ad annum 1606. pertinere non poſſe: His non obſtantibus et ſi darem illud, Clerum exiſtimaſſe proteſtationem, nomine Cardinalis Franciſci Forgách inſignitam anno 1606. factam fuiſſe; quid amabo tandem inde contra Clerum, ſiue contra Péterium conſequetur? ſi error, et mala fides homonyma ſunt, bene quidem: ſin ſecus, id vnum ſequatur: Clerum in ſubducendis annis arraſſe. Sed dices: mala ergo fide aſſeruit Clerus libertati Religioſae anno 1606. interceſſum fuiſſe? nil quidem minus dici poteſt. Articulus enim primus pacificationis Viennenſis *abſque praeiudicio Catholicae Religionis* libertatem aliarum Religionum admittens, contradictionis vim, et energiam teſtatur. Siue ergo hanc, ſiue aliam interpoſitam dicas, parum refert, quum conſtat aliquam interpoſitam fuiſſe. At enimvero Clerus coram Commiſſione Peſtienſi allatis verbis non aſſeruit, proteſtationem hanc anno 1606. Suae Maieſtati exhibitam fuiſſe. Ait quippe Clerus duo: vnum, quod articulus primus pacificationis Viennenſis abſque praeiudicio Catholicae Religionis ſancitus ſit; alterum, quod eotum eiusdem conditi tempore proteſtatio interpolita fuerit. At Articulus toties memoratus anno 1606. ſancitus quidem, anno autem 1608 conditus fuit. Errat enim bonus Anonymus, ſi exiſtimat anno 1606. lege publica tolerari caeptam Acatholicorum doctrinam; Articulus enim ille Pacificationis anno duntaxat 1608. in publicam legem abiuit Articulo primo in Comitiis ante coronationem Mathiae II. celebratis condito, quod publicae legum tabulae perhibent. Pacificatio enim Viennenſis, extra Dioetam coram paucis aliquot Hungaris ad illum tractatum, vti Pacificatio ipſa diſerte adſtruit, adhibitis tranſacta, et concordata fuit. Ipſimet Acatholici rerum ſuarum periti, primum per legem ſtabilitae libertatis Religioſae initium ad anni 1608. articulum referunt. In hiſtoria Diplomatica Religionis Euangelicae in Hungaria pag. 23. haec habentur ad annum 1608. *praedictus articulus primus, et Pacificatio Viennenſis, quoad Religionis Euangelicae ſecuritatem, et libertatem, ab omnibus Regibus ſequentibus, tanquam Sanctio Pragmatica, et lex fundamentalis habita fuit.* In actis Commiſſionis Peſtienſis ab Anonymo toties allegatae plus ſimplici vice recognoſcunt idem Domini Acatholici. In Replica Clero data mihi pag. 154. ad 16. *Eandem pacificationem Viennenſem*, ita inquiunt, *in Articulum* 1. 1608. *ante Coronationem redactam, perpetuo valituram ſuperius irreplica, ad rationem quartam, euictum eſt.* Habemus ergo ſuper libertate Religioſa ſancitum fuiſſe Articulum anno 1606. ſed re ipſa anno 1608. conditum fuiſſe; quare recte ait Clerus hanc Proteſtationem eotum conditi articuli tempore exhibitam fuiſſe. Accedit, quod et Clerus non minus, quam Domini Agentes Catholici binas verbis laudatis contradictiones deſignari intellexerint, vti patet ex Reproteſtatione, et Recontradictione Cleri contra porrectam Acatholicorum Reproteſtationem pag. 167. in verbis: *Ac eſto quidem in paribus eotum factam Proteſtationem Clerus annexiue produxiſſet, in dubium tamen adhuc ſumerent Domini Acatholici, ex quo nec in Viennenſibus, ſed nec in anni 1608. articulis cuiuspiam contradictionis mentio eſſet, an eotum regnanti Maieſtati exhibita ſit, nec ne? Reſpondetur, ſiue ſit inarticulata contradictionis expreſſa mentio, ſiue non, aliunde ipſam factam fuiſſe euidentia rei probari poteſt.*

Ad ſecundum: Licet acta Commiſſionis ſoepefatae legerim, et relegerim, ne vnum quidem apicem illorum deprehendere valui, quae Anonymus tam vehementer commemorat; id vnum in dubium vocatum fuit a Dominis Acatholicis, an nimirum exhibita fuerit? nullamque video fuiſſe quaeſtionem de eo motam, an Clerus proteſtationem hanc ſuppoſuerit. Vt pateat verum me dixiſſe, en verba Replicae ad Proteſtationem Cleri, Commiſſioni Peſtienſi exhibitam mihi pag. 145. *Praetenſa autem ſub A. et V. contradictio, an glorioſe, et pientiſſime eotum regnanti Maieſtati exhibita ſit, nec ne? quamuis nec ex eadem, nec ex Articulo Viennenſi, qui alias teſtante eiusdem contextu, deliberato, et absque inſerta vlla contradictione ſancitus haberetur, conſtaret; ſed eſto per inconceſſum exhibita fuiſſet etc.* Clerus itaque de crimine falſi nec accuſatus, nec conuictus fuit.

Ad tertium: Irrito conatu contendit Anonymus Proteſtationem controuerſam ad annum 1606. reuocare eo praetextu, quod haec principiis libertatis Religioſae obſiſtendum ſuadeat; Principium autem hoc ad memoratum annum 1606. referri debeat; ſat, ſuperque oſtendi in ſuperioribus epocham libertatis dictae ad annum 1608. eſſe retrahendam, quando nimirum articulus primus Pacificationis Viennenſis in legem abiit.

Ad quartum: Licet literas Pauli V. in actis Commiſſionis Peſtienſis ſollicite quaeſitas deprehendere non potuerim, exaratas tamen negare non poſſum. Apographum meum habet annum 1608. annum Pontificatus tertium; quod ſi id ſtet, ceſſat omnis commota difficultas; ſi id neges: ego quoque illationem aduerſarii pernego. Clerus enim Proteſtationem ſuam Paulo V. vix perſcripſit, aut ſaltem absque vllo fundamento id aſſereretur; quare Paulus V. rumore libertatis Religioſae excitus, literas Paſtorali ſuo muneri congruas ſcripſit; nil inde contra fidem Proteſtationis conficitur, tanto a fortiori, quum Dioeta anni 1608. ſub initium Decembris finem acceperit.

Ad quintum: Iam oſtenſum eſt paucos, eosque omnes Laicos, ad tractatum Pacificationis fuiſſe adhibitos; ex quo patet, qua ratione intercedere potuerit Clerus libertati Religioſae, cui in Pacificatione dicta conſenſum non praebuit.

Ego quidem exiſtimo Proteſtationem coram Commiſſione Peſtienſi in originali productam, exhibitam quidem *eotum Regnanti Maieſtati* fuiſſe, verum a Rege Matthia non acceptatam, vtpote, quum aurem vtramque Illesházius, et Thurzo obſiderent, qui Regi aditum ad thronum aduerſus Rudolphum, et ſuae ſectae viam ad libertatem Religioſam parauerunt, ac inde factum puto, quod originale prae manibus eſſe Cleri potuerit. Nos in ſignatura quadam, id eſt fragmento actorum Dioetae anni 1608. repertam, quantumuis a Péterſyano exemplari diuerſam edimus, exiſtimantes primitus ſic conceptam,

item coram Maieſtate Veſtra, ac toto mundo proteſtamur, Ordinem Eccleſiaſticum nunquam conſenſiſſe, neque conſenſurum deinceps eſſe in hanc libertatis conceſſionem, atque adeo ante tremendum Diuinae Iuſtitiae tribunal rationem animarum (quae occaſione huius libertatis aeternae damnationi adiudicabuntur) a ſe tranſcribere. Rogamus vero Maieſtatem Veſtram, vt hanc noſtram proteſtationem benigne, ac clementer ſuſcipere dignetur; (a) Dominus qui corda ſcrutatur, et renes, teſtis eſt, nullo alio fine haec noſtra reclamatio, ac proteſtatio a nobis facta eſt, quam vt noſtrae imprimis (quos Deus animarum ſaluti procurandae praefecit) deinde vero ceterorum etiam conſcientiae, ac ſaluti conſuleremus. De cetero Maieſtatem Veſtram, diu, feliciterque, ac digne Deo imperare, votis omnibus, ac Sacrificiis contendimus. Regiae Maieſtatis Veſtrae humillimi ſerui Vniuerſi (b) ac ſinguli Status Eccleſiaſtici in Hungaria.

dein mutatam; diuerſitatem tamen adnotare non omiſimus; monitum vna volumus, nos binas has Proteſtationes ex fragmento actorum Dioetalium anni 1608. hauſiſſe; atque ideo ſubſcriptiones deſiderari.

(a) Peterſius habet: *Deus enim.*

(b) Subſcriptio apud Peterſy talis eſt: *Capellani ab vniuerſo Clero ad ſignandum delecti,*

(L. S.) Franciſcus Cardinalis Strigonienſis.

(L. S.) Nicolaus Micacius Epiſcopus Varadienſis.

(L. S.) Demetrius Napragy Epiſcopus Iaurinenſis.

(L. S.) Petrus Radonich Eppus Vacienſis.

(L. S.) Ladislaus Maithény Veteris Budae Praepoſitus.

(L. S.) Andreas Carolus Vasváry de Szalauár, et Kapornak.

(L. S.) Nicolaus Ballásſi ſuo, et Capituli Iaurinenſis nomine.

(L. S.) Mathias Submontanus proprio, et Capituli Poſonienſis nomine.

Alia Reclamatio, et Contradictio eiusdem Status Eccleſiaſtici intuitu certorum punctorum per Acatholicos Regiae Maieſtati exhibitorum.

Commiſſum (a) nobis a Deo Eccleſiaſticae munus functionis exigit, vt et Orthodoxae Fidei, et Eccleſiaſticarum perſonarum defenſionem, cum extremo etiam vitae diſcrimine, ſuſcipere non dubitemus, atque vbi vires noſtrae non ſufficiunt, Maieſtatis veſtrae opem imploremus. Quum igitur nobis reclamantibus, quaedam Maieſtati Veſtrae capitula offerri ab Auguſtanae Confeſſionis affeclis intelligamus, quibus et Catholicae Fidei, et Eccleſiaſticarum perſonarum dignitati, ac libertati plurimum derogetur, graui nos ſcelere conſtrictos arbitraremur, ſi coram Maieſtate Veſtra, imo coram orbe vniuerſo, ac tremendo Principis Paſtorum tribunali eis non contradiceremus, et reclamaremus, ac pro virium noſtrarum tenuitate obſiſteremus, Maieſtatemque Veſtram humillime oraremus, ne iis cum ſummo animae diſcrimine aſſenſum praebeat, praeſertim, quum nullae leges in Hungaria fieri poſſent, niſi primarius, ac praecipuus Status Eccleſiarum conſentiat. Articuli vero, quibus reclamamus, et contradicimus hi potiſſimum ſunt, quos hic ſubiicimus; Primus: Vt libertas Religionum permittatur cum omnibus illis clauſulis, quas ipſi poſuerunt; cui ideo praeter alia quam plurima contradicimus, quod enim antiquis Hungariae legibus aduerſatur. Et quamuis tolerare Principibus liceat, quum corrigere non licet fidei defectiones; lege tamen, ac Statuto publico authoritatem illis dare non magis licet, quam ceteris Diuina lege interdictis, quum non minus malum ſit a fidei vnitate ſeparari, quam aliis praeceptis contrauenire. Secundus: Ne Cancellarii (b) officium Eccleſiaſticis conferri poſſit. Hic etiam iuribus, et per-

(a) Hanc quoque Proteſtationem, ſiue rectius ſupplicem reclamationem ex ſupradicto fragmento articulorum Dioetalium in lucem protrahimus.

(b) Huic reclamationi ſupplici tribuendum, quod munus Cancellarii Eccleſiaſticis gerere liceat.

perpetuae conſuetudini repugnat; nam Archi-Epiſcopatui annexa eſt ſecundum leges Hungariae Summi Cancellarii dignitas; ſicut in Imperio tres Electores Archi-Epiſcopi, tres Cancellariatus annexos habent; Aulae quoque Cancellar. ex quo Reg. Hungariae fundat. eſt, nemo, niſi Eccleſiaſticus fuit: quum igitur ſine culpa nemo puniri poſſit, nec Eccl. quidquam tale commiſerunt, ob quod veterum Priuilegiorum iacturam faciant, non poteſt ſine graui iniuria hic articulus ſubſiſtere. Tertius: Ne Epiſcopi Comitum (a) officio fungantur; hoc quoque contra diuturnam, ac praeſcriptam conſuetudinem poſtulatur. Quum igitur nemo ſuo iure, diuturnaque poſſeſſione deturbari, niſi conuictus poſſit, nec teneatur diplomata proferre, qui in poſſeſſione libera eſſe dignoſcitur: Ideo niſi iuris ordine a dicta poſſeſſione deturbentur, priuari hac dignitate legibus conceſſa non poſſunt Epiſcopi. Quartus: Vt Ieſuitae ſpolientur bonis: hoc quoque articulo turbari nos in libertate Catholicae Religionis ſentimus, nam erudiendae iuuentuti, et Parochorum procurandae, non alia nobis ſuppetit ratio, quam ſi in Scholis Ieſuitarum inſtituantur. Quum igitur et iuxta articulos Regni 1548. art. 12. et 1550. art. 19. adſtricta R. M. fuerit ad ſcholas Catholicas erigendas, et titulo Iuris Patronatus beneficia Eccleſiaſtica, praeſertim vero bona Conuentuum deſolatorum applicare ſcholis potuerit, imo iuxta decreta Regni debuerit; iure merito Ieſuitis conferre potuit Praepoſituram Turoczienſem; quum poſt Monachorum Praemonſtratenſium exceſſum, conuentus eſſe ceſſauerit. Quintus: Ne Archidiaconi more hucusque conſueto viſitare Eccleſias poſſint, neue Epiſcopi Tit. in Conſilium adhibeantur: hic quoque articulus aequitati aduerſatur, et vt de priori parte, quae ſatis liquida eſt, nil dicamus, certe hucusque ſemper Conſiliis interfuere Epiſcopi vniuerſi, e nobilitate vero nullus Conſiliarius fuit; nunc vero excludere Epiſcopos, Nobiles adhibere volunt; quod quidem quam inordinatum ſit, quisque facile perſpiciet. Sextus: Poſonii, et Tyrnauiae optant adimi templum Catholicum, illudque Auguſtanis attribui: hoc quoque, et Vienneuſi pacificationi, et humanis, ac Diuinis legibus repugnat vniuerſis. Haec, quae proprie Eccleſiarum curam concernunt, Maieſtati Veſtrae proponenda iudicauimus; cetera enim, quae pure Secularia ſunt, et vel Maieſtatis Veſtrae exiſtimationem, vel pacatum Regni ſtatum concernunt, diſcutienda Maieſtati Veſtrae relinquimus. Rogamus vero humillime Maieſtatem Veſtram, vt memor obligationis, qua Deo Principes Catholici obſtringuntur, memor benignae pollicitationis ſuae, qua et Summo Pontifici, et Principibus extraneis, et nobis ipſis clementer ſuam protectionem detulit, memor Iudicii Summi Dei, opprimi religionem, ac Sanctam Eccleſiam non patiatur. Deus Maieſtatem Veſtram diutiſſime felicem, ac florentem tueatur.

(a) Hac quoque in parte, ope huius reclamationis nil innouatum eſt.

CXLVII.

SYNODVS REGIA

Anni MDCVIII. poſt Coronationem (a) Matthiae II.

1. Quoniam ex pluralitate perſonarum per Suam Maieſtatem Regiam, ad generalem Regni Dioetam conuocatarum, nonnullae aliquando inaequalitates emergere conſueuerunt: Idcirco ad abolendos quosve defectus, et difficultates,

(a) Vt tota rei geſtae ſeries pateat, huc attexendas cenſui Sereniſſimorum Rudolphi, et Matthiae literas exaratas ad Status, et Ordines. *Sereniſſimus, ac Potentiſſimus Princeps, ac Dominus, Dnus Matthias, deſignatus in Regem Bohemiae, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Marchio Morauiae, et Gubernator Regni Hung. etc. Eiusdem Inclyti Regni perarduam, et difficillimam Prouinciam, iam dudum a*

quae ſub nomine Statuum, et Ordinum Regni nonnunquam irrepſerunt, viſum eſt Regnicolis concludere, quinam ſub nomine Statuum, et Ordinum Regni intelligi? quiue per ſuam Maieſtatem Regiam, ad publica Regni Comitia per Suae Maieſtatis Regales vocari, et vota ſua in publica Regni Dioeta habere debeant. Quum itaque Regni Hungariae Status, et Ordines, ex quatuor conditionatis Regnicolis, nempe Praelatis, Baronibus, ſeu Magnatibus, Nobilibus, et liberis Ciuitatibus conſtent:

1

Sacrm. Romanorum Caeſ. Hungariae, Bohemiaeque Regia Maieſtate, Domino, et Fratre Suo obſeruandiſſimo Sibi concreditam, et non ita pridem ab omnibus Statibus, et Ordinibus, vno omnium ore confirmatam in ſe accipiens, pro innata Sua pietate, qua in hoc Regnum ab ineunte aetate, et Regiis incunabulis ſingulari quodam fato, et zelo propendebat, nihil magis in votis habuit, quam vt illud ipſum, olim inter Regna mundi florentiſſimum, et totius Chriſtianitatis propugnaculum fortiſſimum, a multo tempore variis variorum hoſtium incurſibus, praedis, rapinis, caedibus, omnique malorum genere acerrime conquaſſatum, pene attritum, et concuſſum, ex tot anguſtiis, miſeriis, et periculis, tandem aliquando poſtliminio reſtitueret, inque priorem feliciſſimum ſtatum reduceret. In quo ſicut nullis neque laboribus, curis, vigiliis, ſumptibus pepercit, quin imo pro eo tutando chariſſimam huius lucis, vitam nempe propriam, occurſantibus quibusque fortunae telis, et periculis intrepide ſemper obiicere non detrectauit, ita ex omnibus eius propenſiſſimis actionibus, affectibus, et ſtudii ſui proceſſibus, fructus inde vberrimi conſecuti, adeoque pax alma Regno Hungariae poſt tot bellorum imbres reſtituta, abundantiſſime conteſtantur, nihil in Suae Regiae Serenitatis perſona vel belli, vel pacis tempore vnquam deſideratum fuiſſe, atque vt relictis prioribus, quae hoc anno ſolum geſta, actaque fuerunt, breuibus commemorentur, intelligens Sua Regia Serenitas contra hoc Regnum Hungariae, eiusque Regnicolarum, et pacem iam ante ſtabilitam, a quibusdam noua quaedam, et inſolita machinari; ex Sua vigilanti, et vere paterna cura, et ſolicitudine iisdem occurrere, ac mederi volens, tam in negotio Turcicam pacem, et inducias concernente, quam in Regnum Bohemiae nuperrime ſuſcepta expeditione, id vnice laborabat, quo hoc Regnum a talibus iniquis machinationibus, nociuisque practicis denuo vindicaretur. Quod quum Deo Opt. Max. auxiliante ad finem quoque ſuum perductum ſit, ipſi prae omnibus merito gratiae condignae habendae, quod ipſius benigniſſima annuentia, Sacrma Regiaque Maieſtas tales, tam pios, et plane indefeſſos Suae Serenitatis Regiae labores, non ſolum huic Regno Hungariae, verum aliis quoque vicinis Regnis, et Prouinciis, totique Chriſtianitati plurimum proficuos, et vtiliſſimos fore animaduertens, ob condignum Suae Regiae Serenitatis reſpectum, non ſolum Archi-Ducatum Auſtriae, Marchionatumque Moraniae, ſed etiam huius Regni Hungariae faſces, ac gubernacula plenarie ceſſerit, inque huius euidentius documentum, Suae Regiae Serenitati Sacrum Regni Hungariae diadema, cum ſuis clenodiis, et attinentiis tranſmiſerit, non minus etiam a iuramento, quod tempore felicis inaugurationis, et Coronationis ſuae in Regem Hungariae ſolemniter praeſtiterat, ſemet ipſam exonerauerit, et exemerit; quin imo vniuerſos, et ſingulos fideles ſuos ſubditos Hungaros, Dominos videlicet Praelatos, Barones, Magnates, Nobiles, ceterosque Status, et Ordines eiusdem Regni Hungariae, Regnorumque, et partium ſibi ſubiectarum, et annexarum, iuxta recommendationem hiſce adiunctam, ob eorum iuramento, fide, et fidelitate elementer tali conditione eliberauerit, et abſoluerit, quatenus ſuae Regiae Serenitatis perſonam in futurum pro Rege Suo acceptare, et coronare poſſint, et valeant. Non itaque dubitat Sua Serenitas Regia, quin Status, et Ordines nihil prius aggreſſuri ſint, quam vt Regnum hoc ampliſſimum rurſus Regem ſuum per ipſos electum, et coronatum in hac Dioeta praeſenti propterea promulgata - - prae omnibus aliis tractatibus, et negotiis habeat, atque ita prouiſum ſub vno Rectore, et capite, tanto ſecurius reliqua Regni negotia tractare, ſe, ſuosque aduerſus quosuis hoſtiles impetus tueri, defendere, et ſic in pace, et tranquillitate publica, tot curis, laboribus, vigiliis, et ſumptibus parta conſeruare, resque ſuas ante afflictas in meliorem ſtatum redigere, bona vero, et commoda inde ſperanda ad haeredes, et poſteros quoque ſuos tranſmittere valeant. Quum autem in praeterito Poſonienſi Conuentu, Regiae Suae Serenitati pro ſuis iam ante exantlatis, nunc vero magis, magisque auctis laboribus, fatigiis, curis, et ſumptibus tam pacis, quam belli tempore multoties cum extremae vitae diſcrimine, pro conſeruatione huius Regni Hungariae haud ſegniter praeſtitis, Status, et Ordines communi omnium Regnicolarum nomine certam, et indubitatam ſpem, et oblationem Regni potiundi iam fecerint, Sua Serenitas Regia benigne confidit ipſos iuxta illam oblationem, et praedictam Suae Mattis reſignationem in Suae Regiae Serenitatis perſonam, ſimul et recommendationem factam, huius ſuae oblationis memores, Suae Regiae Serenitatis perſonam ad hanc Regiam dignitatem eligendam, et coronandam, tanto magis pronos, et faciles futuros, quanto magis Regiam Suam Serenitatem, eiusdemque Regiam proſapiam, ex Regio Hungarico ſanguine, a Diuis condam Hungariae Regibus, Parente Maximiliano, et Ferdinando Auo, modernaque Sua Matte, Dño, et Fratre ſuo obſeruandiſſimo, longo ordine trahere dignoſcunt, quod nunquam in Hungaria, quamdiu durauit, negligi conſueuit. Curabit Sua Regia Serenitas, ne haec dignitas ampliſſima in ingratum, vel immeritum collata exiſtimetur, quia imo pro talento ſibi concredito, et pro antiqua Sua paterna cura, et ſolicitudine, pro ſincero in hoc Regnum multis argumentis declarato, et comprobato affectu, etiam inpoſterum aduigilabit (quando quidem alius praeter Sereniſſimam Domum Auſtriacam non ſit, qui Hungariam in medio multorum hoſtium collocatam melius et defendere, et protegere ſciat) ne de ſuis laboribus, vigiliis, et extremis quibusque periculis, etiam cum vitae propriae diſpendiis ſubeundis, quidpiam intermittatur, quod ad ipſius vtilitatem, dignitatem, et omnium Regnicolarum conſeruationem pertinere vllo modo videbitur; quin imo hoc officii genus erga omnes, et ſingulos gratia, et bene promerendi animi ſui propenſione recompenſaturam, ipſosque Status, et Ordines in ipſorum antiquis libertatibus, priuilegiis, et immunitatibus ſancte conſeruaturam, et pollicetur, et offert. Quibus de cetero ſemper bene propenſa manet.

Rudolphus ſecundus Dei gratia electus Romanorum Imperator, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex. Rñi, Rñdi, Honorabiles, Spectabiles, Mag. Egregii, et Nobiles, Prudentes, item et Circumſpecti Fideles nobis Dilecti. Tametſi Nobis ab initio ſtatim felicis noſtri regiminis, et coronationis noſtrae in Regno Noſtro Hungariae Diuina Diſpoſitione ſuperioribus annis factae, hucusque nihil unquam maiori curae, et ſolicitudini fuerit, quam vt Regnum hoc noſtrum Hungariae, cum Regnis, et partibus ſibi adnexis, tot acerbiſſimis cladibus, et motibus, tam internis, quam externis varie afflictum, et concuſſum Deo opt. max. auxiliante tueremur, et reſtitueremus,

conſtent: Ideo Regnicolae ſub praeſenti Generali Dioeta decernunt, ne Sua Maieſtas Regia, praeter hos Ordines, quempiam in generalem Regni Dioetam per Regales Suas Literas adnocari faciat. Praelatorum autem Statum hunc eſſe volunt, vt quicunque Epiſcoporum, Capitulum ſuum cum Praepoſito ſuo, ſub ſua Iuriſdictione Epiſcopali, aut loca Reſidentiae ſuae habuerit, extunc idem Epiſcopus in Conuentu Dominorum Praelatorum, et Baronum, pro ſua perſona propria locum, et vocem habeat.

O o o o 3

id quod etiam per complures praeteriti belli Turcici annos, immenſis, et grauibus noſtris ſumptibus, et laboribus teſtatum fecimus; neque etiam interea omiſimus, quin nobis ab ipſo Regno noſtro, ita Chriſtianae Reipublicae curis, et negotiis exigentibus longius, et diutius abſentibus, pro pia plane, ac paterna cura, ac ſolicitudine noſtra, eidem Regno noſtro Hungariae, incolisque omnibus, in eodem habitantibus de ſufficienti Moderatore, et Gubernatore benigne proſpiceremus, eamque prouinciam Sereniſſimo Principi Matthiae Archiduci Auſtriae &c. Fratri noſtro chariſſimo delegaremus; cuius etiam gubernatione, et directione Vos omnes hucusque optime contentos fuiſſe clementer intelleximus; quia tamen praefato Regno noſtro Hungariae, vobisque omnibus etiam in futurum bene, ac benigne proſpectum eſſe cupimus, ſupradicto Sereniſſimo Fratri Noſtro Archiduci Matthiae ad ſedulam Suae Dilectionis inſtantiam, et requiſitionem, Veſtrumque omnium Statuum videlicet, et Ordinum dicti Regni noſtri Hungariae inſtant ſſimam, et humillimam petitionem, non ſolum eiusdem Regni noſtri Faſces, et Gubernacula pro fraterna noſtra dilectione plenarie tradidimus, et conceſſimus; Verum etiam Sacram dicti Regni noſtri Hungariae Coronam apud nos hucusque habitam, cum ſuis Clenodiis, ac Literalibus Inſtrumentis, Librisque Regiis, et variis ſcriptis, ad idem Regnum noſtrum pertinentibus beneuole eidem dedimus, et aſſignauimus: reſeruatis tamen nobis eiusdem Regni noſtri Hungariae, ac partium, Regnorumque illi incorporatorum, et ſubiectorum inſignibus, et titulis; prout haec omnia in Literis noſtris ceſſionalibus eius Dilectioni aſſignatis fuſius, et clarius ſunt ſpecificata, et contenta. Idque vobis innoteſcere, et benigne ſignificare voluimus. Quapropter Fidelitatem Veſtram, et veſtrum ſingulos clementer hortamur, et requirimus, vt hac benigna ordinatione, et diſpoſitione noſtra contenti eſſe, et pro veſtro erga nos amore, et obſequendi ſtudio praefatum Sereniſſimum Fratrem noſtrum Archiducem Matthiam loco noſtri, pro veſtro futuro, ac legitimo Rege, et Domino vnanimiter, et beneuole proclamari, et coronari, Eique, uti fideles ſubditos decet, in omnibus obedientes, et morigeros vos exhibere velitis: ſatisfacturi in eo clementi voluntati noſtrae. De cetero benignum erga vos affectum gerimus. Datum in arce noſtra Regia Pragenſi, vigeſima quinta die menſis Iunii, Anno Dñi 1608. Rudolphus. Tiburtius Himelreich.

Forma Iuramenti Principis Tranſiluaniae.

En Báthori Gábor Erdélynek Fejedelme, Magyar Ország réſzének Ura, és Székelyiek Iſpánya, eskűſzőm az élő Iſtenre, ki Atya, Fia, és Szent Lélek, tellyes Szent Háromság egy bizony őrők Iſten, hogy én a' ſzerint, a' mint az én Kővetim, és Tanácſim, Nagyságos Szerdahelyi Imreſi János, és Kornis Sigmond Uramék, Tekéntetes, és Nagyságos Illyésházi Iſtván Urammal, és Herczeg Urunknak Eő Felségének több Tanátsival egyetemben, én nevemmel Kaſſán vigeſima Auguſti ezen jelenvaló eſztendőben el végeztek, és arrúl kőlt kőtés Levelet ſubſcribáltak, és meg is pecsételtek, minden punctiojába, és articulusában meg tartván, Mátyás Urunk Eő Felsége, Magyar Országnak Gubernatora ellen, ſem a' Magyar Országi Koronának Juſſa, és Confoederatus Országok ellen, ſemmi idegen, és ellenség ügyekezettel nem léſzek ſemmi üdőben, ſem Erdélyt, ſem hozzá engettetett Vármegyéket el nem idegenitem az Magyar Koronátúl, kűlőmben az mint moſt vagyon, hanem azon állapotban tartom, és birom, és az Béchi Pacificatiotis meg tartom minden rendiben, ſőt eő Felségének Mátyás Herczeg Urunknak, és Magyar Országnak, valamikor kivánnyák tűllem, és ſzűkség léſzen, minden erőmmel, és tehetségemmel mindenek ellen (az Tőrőkőkőt ki vévén) ſegitséggel, és hűséggel mellettek léſzek, barátyoknak barátya, ellenségeknek ellensége léſzek minden üdőbe; Iſten engemet úgy ſegéllyen. Ezeknek pedig bizonyságára adom ea pecsétés, és kezem írásával meg erőſitetett hűt Levelemet.

Latine redditum tale eſt:

Ego Gabriel Báthori Princeps Tranſiluaniae, Partium Regni Hungariae Dñus, et Siculorum Comes: Iuro per Deum viuum, qui eſt Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, perfecta Trinitas, vnus, verus, aeternus Deus: Quod iuxta ea, quae Legati, et Conſiliarii mei Domini, Dñi Illuſtriſſimus Ioannes Imreffi de Szeredahelly, et Sigismundus Kornis, cum Spectabili, et Magnifico D. Stephano Illyésházi, et reliquis Suae Maieſtatis, Dñi Noſtri Conſiliariis, nomine meo Caſſouiae 20ma Auguſti huius currentis anni concluſerunt, et ſuper eo editas contractuales Literas ſubſcripſerunt, ac etiam obſignarunt; in omnibus punctis, et articulis obſeruans, contra Dñum Matthiam Suae Maieſtatis Regni Hungariae Gubernatorem, neque contra iura Coronae Hungariae, ſiue confoederata Regna, nullo tempore alienum aliquid, aut hoſtile moliar; nec Tranſiluaniam, nec eo conceſſos Comitatus, a Corona Hungariae abalienabo, aliter atque modo ſit; ſed in eodem moderno ſtatu conſeruabo, et poſſidebo; et Pacificationem Viennenſem in omnibus obſeruabo: Imo Suae Maieſtati Principi Matthiae Dño Noſtro, et Regno Hungariae, quandocunque id a me petierint, et neceſſarium fuerit, iuxta virium poſſibilitatem, aduerſus omnes, demptis tamen Turcis, auxilio fideliter adero; Amicorum Amicus, Inimicorum Inimicus ero omni tempore; Sic me Deus adiuuet. In horum autem fidem do has ſigillo meo, et manus meae ſubſcriptione roboratas Literas.

Formula Iuramenti Regnicolarum.

Mi Erdélyben, és ahoz engettetett Vármegyékben, három Nemzetségbéli Magyar, Székely, és Száſzságbéli Urak, Nemeſſék, et Polgári Rendek, eskűſzűnk ez egy élő Iſtenre, ki Atya, Fiu, Szent Lélek, tellyes Szent Háromság, egy bizony őrők Iſten, hogy mi Mátyás Herczeg Urunk eő Felsége Magyar Ország Gubernátora ellen, ſem az Magyar Országi Korona, és annak Iuſſa, és confoederatus Országok ellen ſemmi idegen, és ellenséges igyekezettel nem léſzűnk ſemmi üdőben, és az Béchi Pacificatiot is meg tartyuk minden üdőben. Sőt eő Felségének Mátyás Herczeg Urunknak, és Magyar Országnak, azképpen a' Confoederatus Országoknak, valamenyiſzer ſzűkség léſzen, és kivántatik, minden erőnkel, és tehetsé-

habeat. Nomine autem Capituli, Praepoſitus vna cum Capitulo inter Regnicolas, pari ratione vnam, et coniunctam vocem habeat. Demum Praepoſiti, qui nulli immediate Epiſcopatui ſubiacent, ſed abſoluta ſuae Praepoſiturae annexa habent Capitula, et Conuentus; ii etiam a ſuis Capitulis, et Conuentibus non diſiungantur, ſed pariter vnice coniunctam vocem habeant. Denique, ſi qui Praepoſitorum, et Abbatum Infulatorum, et priuilegiatorum eſſent, qui ſua iura poſſeſſionaria Praepoſiturarum, et Abbatiarum in Regno habuerint, iisque potirentur; ii quoque ſub nomine Statuum, et Ordinum Regni comprehenſi, vocem ſuam inter Regnicolas, iuxta Conſtitutiones Viennenſes habeant; Sic Generali quoque Ordinis Diui Pauli primi Eremitae vna vox conceditur. Quantum ad Ordinem Magnatum; ſtatutum eſt: vt vniuerſi Barones, et Magnates in generalibus Dioetis praeſentes, in Coetu, et Conuentu Praelatorum, Baronum, et Magnatum, ſuum locum, et ſua vota habeant. Abſentium vero nunciis inter Regnicolas locus, et dignitas, ac vota ipſorum, more antiquitus conſueto, poſt Comitatuum nuncios, et Capitula eisdem tribuantur. Liberas Ciuitates, quae iuxta Vladislai Regis Decr. 7. art. 3. ordine recenſentur, quod concernit, vt eae quoque in ſuis priuilegiis, et numero Statuum, et Ordinum conſeruentur, dignum iudicant Regnicolae; quarum nuncii vt inter Regnicolas locum, et vota habeant, dignum quoque cenſent Regnicolae. Reliquarum Ciuitatum liberarum, quae ibi comprehenſae non eſſent, ſtatus reiicitur *ad emendationem Decretorum:* (a) Praeter hos itaque Status, et Ordines, ne

gunkel mindenek ellen (az Törököket ki vévén) ſegitségel és hivségel mellettek léſzünk: barátyoknak baráti, és ellenségeknek ellenségi leſzünk minden üdöken. Az Contractuſſis pediglen, mellyet Tekéntetes, és Nagyságos Illyésházi Iſtván Urammal, és Hertzeg Urunknak Eö Felségének több Tanácsival, ez elmult Auguſtusnak 20dik nappján ez en eſztendöben, Kaſſán Urunk eö Nagysága, és mindnyájunk nevével, Nagyságos Szerdahelyi Imreſſ János, és Kornis Sigmond Uramék végezték, ſubſcribálták, és meg pecsétölték, minden punctaiba, és articuluſſiban acceptályuk, és meg tartyuk, és ezekre minden maradékunkat-is kötelezzük. Iſten minket ügy ſegéllyen. Kinek bizonságára adgyuk ez pecsétes, és Kezünk irásával meg eröſittetett hüt Levelünket.

Latine redditum tale eſt.

Nos in Tranſiluania, et eo conceſſorum Comitatuum trium Nationum, Vngari, Siculi, et Saxones, ex ordine Dñorum, Nobilium, et Ciuium, iuramus per vnum Deum viuum, qui eſt Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, perfecta Trinitas, unus, verus, aeternus Deus: Quod Nos contra Dñum Principem Matthiam, Suae Maieſtatis Regni Hungariae Gubernatorem, neque contra coronam Regni Hungariae, aut eius iura, confoederata Regna, nihil alienum, aut hoſtile moliemur vllo tempore, et quod Pacificationem Viennenſem omni tempore obſeruabimus, imo Suae Maieſtati Ipſo Principi Matthiae, et Regno Hungariae, ſimiliter et confoederatis Regnis, quotiescunque neceſſarium fuerit, et a nobis poſtulabitur, iuxta virium noſtrarum poſſibilitatem, aduerſus quoſcunque, demptis tamen Turcis, auxilio fideliter aderimus; Amicorum Amici, et Inimicorum Inimici quouis tempore erimus. Contractum autem, quem nomine Domini Noſtri ſuae Illuſtritatis, et omnium Noſtrum nomine, Illuſtriſſimus DD. Ioannes Imreffi de Szeredahelly, et Sigismundus Kornis, cum Spectabili, ac Magnifico Domino Stephano Illyésházi, et reliquis Suae Maieſtatis Conſiliariis concluſerunt, ſubſcripſerunt, et obſignarunt, in omnibus punctis, et articulis acceptamus, et obſeruabimus, et ad id poſteros, et ſucceſſures Noſtros obligamus. Sic nos Deus adiuuet. In cuius rei teſtimonium damus noſtris Sigillis, et manuum noſtrarum ſubſcriptione roboratas recognitionales.

(a) Quales tunc emendationes Legum propoſitae fuerint, non erit iniucundum Lectori penitius cognoſcere, quae tales ſunt:

Reformanda in Decretis Regni Hungariae.

Emendationes Legum.

1mo. *Az Birák, kik a' Törvényt téſzik, arra esküſznek, hogy ſecundum conſcientiam igazat itilnek; Neméllyeknek penig igen lator conſcientiája vagyon. Emendalni keſſ az mint in Prologo Decr. Trip. vagyon. Hogy minden Biró iuxta Leges, et conſuetudines Regni itillyen, et antiquas conſuetudines, az mint az Hunyadi János Decretumában vagyon Anni* 1446.

2do. *Az Appellatia láto Urak nem esküſznek meg az Törvény itiletére, maga minden Birónak hitesnek kell lenni. Sigiſ. Decr.* 6. *art.* 1. *Ulad. Decr.* 1. *art.* 33. 47. *et* 70.

3tio. 1545. 1546. *et*-48. *eſztendei articuluſokban az Ferdinánd valami hatalmaskodo ellen ſzerzet articuluſſokat De turbatoribus prouentuum Regiorum mindeneſtül bé ſzallitani, és az Dobſa László Király üdejében való Conſtitutiokat köll tartani.*

4to *Az Dezmákrúl való pöröket ne az Szent-Szék itillye, hanem az Vármegye. Nemo Iudex, et Actor eſſe poteſt. Math.* 1481. *Ulad Decr.*. 3. *art.* 51. *item Ulad.* 1495. *art.* 37. *et Decr. anni* 1500. *art.* 24. *et* 26. *ez Dezmákrúl való articuluſt az nyomtatot Decretumban Zacharias Püſpök hamiſſan nyomtatta ki; az irott Decretumban igazán tanálni.*

5to. *Caſus criminis laeſae Maieſtatis exprimendi. Az Tripartitumban ſokat zavartak belé; csák az Király Személye ellen való vétekért maradgyon, az mint az Tripartitumban vagyon; az több vétkekért elég nagy poena az Capitalis Sententia.*

6to. *Az Kaptalantol el kellene venni a' Szenteneziák executioját; minden Vármegyében az Fö Iſpán, Vice Iſpány, és a' Birák exequállyák a' ſzententziákat.*

7mo. *Királyi Ember de Curia ne lehesſen; hanem*

ne Sua Maieſtas Regia, demptis illis, qui publicis Regni officiis funguntur, vtpote Conſiliarii, Nobiles, Iudices Regni ordinarii, et eorum Vices-gerentes, Protonotarii, et iurati Aſſeſſores Tabulae Suae Maieſtatis Regiae, ad Comitia generalia adhibeat, eorumque vota, iuxta antiquum vſum, et ſeſſionem, admittantur; decretum eſt.

II. Statuitur (a) etiam, vt deinceps cauſae decimarum in foro ſeculari, id eſt Comitatibus ibidem, vbi decima exigitur, et

(a) Alias 5.

Nobilis bene poſſeſſionatus eiusdem Comitatus, hogy ha kárt, avagy hamiſſat tenne, rajta meg vehesſék; De Curia Regia gyakorta egy mást küldik, az ki kevés ajándékért hamis relátiot teſzen.

8vo. *Nouam Donationem, et Conſenſum Rex nemini deneget iuxta Tripart. D. Vnica, et ſingularis Perſona, cur viuens de bonis ſuis diſponere nequeat, emendandum.*

9no. *De eorum mobilibus quiliket libere diſponit, ſi vero Teſtamentum non fecerit, proximi tollant.*

10mo. *Bona Deficientium, vt Rex pecuniis vendere non poſſit, ſed gratis bene meritis conferat, et ideo ex Decreto Trip. mixta Donatio penitus tolli debet.*

11mo. *Ex Bonis paternis Filiae, exiſtentibus Filiis, quartalitium habeant: non exiſtentibus autem Filiis, Filiae ſuccedant parentibus ſuis, et non ad Fiſcum deuoluantur.*

12mo. *Iudicum Ordinariorum diffamatio, vel comminatio non debet eſſe nota infidelitatis.*

13. *Az deliberatum homicidium dolgát is meg kell emendálni; az bűntelen Aſſzonyembereket is bécitállyák a' Törvénybe, hamiſság az.*

14. *Az appellatiokat láttyák meg két, három Püſpök, és két, három iffiu Ur, az kik az Törvényhez keveſet értenek, és gyakorta el forgattyák az igazságot is tudatlanságok miat; hanem az Fátrán innét való Vármegyék válaſztanának 4. Urat, 12. Nemes embert, kiknek az Vármegyék adnának költséget; Ezek minden eſztendőben kétſzer egy bizonyos Városban gyűllyenek, és ott minden Vármegyéből az Appellatiokat azok látnák meg: azon képpen a' Főföldi Vármegyék, az Duna-túlvaló Vármegyékis, és igy nem kellene a' ſok meſter; az igazságot is könnyebben, és hamarban végbez vihetné a' ſzegény nemes ember, nem költene az octávain annyi pénzt ell.*

15to. *Az Causákban nonum iudiciumot, Repulſiot engednének meg, és prohibitát egyet, vagy kettőt mind az egéſz causában.*

16to. *Az Tanács Urak között nyolcz nemes ember is Tanács légyen, kiket ugyan az Ország gyűléſſeben válaſzanak a' Tanácsagra.*

17mo. *In Secularibus negotiis, vitézlő, és Törvény dologban az Papoknak ſemmi Tiſztek, ſe helyek ne lehesſen.*

18. *Az Király tanquam Supremus Iudex, et Rex Regni, ſenki pártyát ne fogja, ſe pörit pénzen meg ne vegye, csak az Korona igazságáért perelhesſen, és az hitetlenek ellen.*

19no. *Nádor Iſpán nélkül az Ország csonka; azért az moſtani Bétsi végezés ſzerént az Ország válaſzſzon Nádor Iſpányt, és nem az Király.*

20. *Az Papok Secularis Tiſztet ne viſelyenek, ſe vég-házát ne birhasſanak, hanem az Iſteni ſzolgálatka legyenek foglalatosſak, ſe Cancellarius ne lehesſen iuxta Decr. Alberti Regis art. 8.*

21mo. *Az Szent Széken mitſoda causákot itillyenek, jól meg kell ſpecificálni.*

22do. *Theſaurarius a' Királynak, az Országnak is esküdt légyen, de csak az Király jövedelmeihez ahasſa magát: egyébb dologhoz ſemmi közök ne légyen.*

23. *Az Cancellarius esküdt légyen az Országnak is, és ell limitályák micsoda Levéltül menyi pénzt végyen. És ha Ország Törvénye ellen való Levelet az Király parancsolattyára ſubſcribálna, és pecsételne, tiſztét, és tiſzteségét ell veſzeſſe.*

24to. *Uladislaus, et Albertus Reges Hungariae, mikor Királyá tötték őket, az Ország ſzabadságát articulatim le irták, és arra esküttették őket, maſtis arra kellene esküttetni.*

25to. *Az Koronához való ſzabad Várasokat, Polgárokat ne úgy tarcsa a' Király, mint az porokot.*

26to. *Az Király magva ſzakatt Joſzágat ne ſimpliciter adgya ell; hanem úgy adgya, hogy az bizonyos ſzámu Lovaſt tartozzék mindenkor tartani az Ország ſzükségére.*

27mo. *Nemes Embert az Király ne tehesſen ad partem, hanem Ország gyűléſsében az Ország hirével, mert még a' Szekér vezetőket is ötven forintokért a' Cancellariusok meg nemeſſitették, és Czimer Levelet adtak nékiek.*

Quae latinitate donata ſequuntur in hunc modum.

Reformanda in Decretis Regni Hungariae:

1mo. Iudices iurant, quod ſecundum conſcientiam iuſtum iudicabunt: aliqui autem valde malam conſcientiam habent; quare id emendari debet, iuxta Prologum Decreti Trip. quod quiuis Iudex, iuxta Leges, et conſuetudines Regni iudicabit, prout in Decreto Ioannis Hunyadi, anni 1446. habetur.

2do. Apellationum Iudices non iurant ſuper iuſto iudicio edendo, iuxta Decret. 6. Sigismundi Art. 1. Wladislai. Decr. 1. art. 33. 47. et 70.

3tio. Annorum 1545. 1546. et 48. conditi Articuli, aduerſus illos, qui in ſuperiori Hungaria potentioſe agebant, de Turbatoribus Prouentuum Regiorum, et Vladislai II. Regis temporibus editae conſtitutiones obſeruentur.

4to. Decimales cauſſas Forum ſpirituale non diiudicet, ſed Comitatus; nemo Iudex, et Actor eſſe poteſt. Matthiae 1481. Vladislai Decreti III. Artic. 51., item Vladislai 1495. Art. 37. et Decreti Anni 1500. Art. 24. et 26. de decimis editos articulos Epiſcopus Zacharias in Decreto impreſſo non bona fide vulgauit, in manuſcriptis Decretis poſſunt reperiri genuine.

5to. Caſus Criminis laeſae Maieſtatis exprimendi. In Tripart. multa inuicem confuderunt; tantummodo attentatio aduerſus Regiam Perſonam permanent nota infidelitatis, ſicut in Tripartito habetur; pro reliquis delictis ſat magna poena eſt capitalis ſententia.

6to. Capitula remoueantur ab exequutione ſententiarum; in quouis Comitatu Supremus Comes, V-Comes, et Iudices exequantur ſententias.

7mo Homo Regius de Curia non poſſit eſſe, niſi Nobilis bene poſſeſſionatus eiusdem Comitatus, vt ſi damnum inferret, aut fraudem faceret, poſſit in ipſo deſumi: de Curia Regia ſoepius mittitur talis, qui ob modicum donum falſas relationes facit.

8uo. Nouam Donationem, et conſenſum Rex nemini deneget, iuxta Tripart. Decretum, Vnica, et ſingularis Perſona, cur viuens de bonis ſuis diſponere nequeat, emendandum.

Digitized by Google

et non in foro Spirituali, diſcutiantur, revideantur, et rectificentur.

9no. De rebus mobilibus, quilibet libere diſponat; ſi vero teſtamentum non fecerit, proximi tollant.

10mo. Bona deficientium, vt Rex pecuniis vendere non poſſit; ſed gratis bene meritis conferat, et ideo ex Decreto Tripartito mixta donatio penitus tolli debet.

11mo. Ex bonis Paternis filiae, exiſtentibus filiis, Quartalitium habeant; non exiſtentibus autem filiis, filiae ſuccedant Parentibus ſuis, et non ad Fiſcum deuoluantur.

12mo. Iudicum Ordinariorum diffamatio, vel comminatio, non debet eſſe nota Infidelitatis.

13tio. Legem de deliberato homicidio emendari oportet; etiam innocentes foeminas in Iudicium vocant; haec eſt iniquitas.

14to. Appellationum cauſſae reuidentur a duobus, aut tribus Epiſcopis, et duobus, tribusue Iuuenibus Dñis, qui Legum parum periti ſunt, et ſoepe iuſtas euertunt cauſſas propter ignorantiam; Comitatus Cis Tibiſcum poſiti, eligant quatuor Dños, 12. Nobiles, et Comitatus ſuppeditent ſumptus; hi quouis anno bis in aliqua Ciuitate conueniant, et ibi omnium Comitatuum appellatas cauſſas reuideant; ſic faciant pariter ſuperioris Hungariae, et Trans-Danubiani Comitatus; hac ratione opus non eſſet multis Protonotariis, et pauper Nobilis citius, et facilius iuſtitiam conſequeretur, et in Octaualibus tantas pecunias non expenderet.

15to. In cauſſis nouum Iudicium, repulſio concedatur, vti et in toto decurſu cauſſae vna, alterave prohibita.

16to. Deligantur 8. Nobiles Conſiliarii, et hi in Dioeta eligantur.

17mo. In ſecularibus negotiis, Militaribus, et Iudicialibus Status Eccleſiaſticus officium, et locum non habeat.

18uo. Rex tanquam ſupremus Iudex nullius partes tueatur, neque vllius cauſſam mercetur; tantum de Coronalibus bonis, et aduerſus Infideles agere poſſit.

19no. Regnum Palatino viduatum eſt; atque ideo iuxta modernam Vienneſem Pacificationem, Regnum eligat Palatinum; non autem Dñus Rex.

20mo. Eccleſiaſtici ſecularia officia ne gerant, nec Caſtra poſſidere poſſint, ſed Diuino occupentur Miniſterio, nec Cancellarii eſſe poſſint, iuxta Decret. Alberti R. Art. 8.

21mo. Bene debent ſpecificari cauſſae ad forum ſpirituale pertinentes.

22do. Theſaurarius Regi, et Regno ſit iuramento obſtrictus, et vnice Regiis prouentibus intendat.

23tio. Cancellarius etiam Regno fidem ſuam obſtringat iuramento; limitentur taxae, quas exigere valeat. Et ſi aduerſus Regni Leges, ad mandatum Regis, quaspiam ſubſcriberet literas, honorem, et officium perdat.

24to. Vladislaus, et Albertus Reges Hungariae, dum Reges fierent, articulatim in Libertates Regni iurarunt; nunc quoque deberent iuramento obſtringi.

25to. Coronales liberas Ciuitates, et Ciues non tractet Rex, ſicut ruſticos.

26to. Semine deficientium bona non conferat Rex ſimpliciter, ſed det cum obligatione certum numerum equitum, pro neceſſitatibus Regni ſemper intertenendi.

27mo. Rex priuatim Nobiles non creet, ſed in Dioeta cum ſcitu Regni; quia Cancellarii etiam aurigas pro 50. florenis nobilitarunt, et armalibus literis donarunt.

CXLVIII.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDCIX. ſeu Matthiae II. Decr. II.

1. Quae (a) Maieſtas Sua Regia de Capituli Agrienſis intertentione, deque loco aliquo certo, pro reſidentia eidem ordinanda innuit, ea quoque a Statibus, et Ordinibus diligenter ſunt perlecta, nihilque ipſis acceptius foret, quam ſi idem Capitulum, ſicut et alii Status, in integrum reſtitui, locusque aliquis pro reſidentia idoneus, citra quorumuis iniuriam, ei aſſignari poſſet. Verum non ignotum eſſe arbitrantur Suae Regiae Maieſtati, quantopere tot bellorum motibus, interniſque diſſidiis, attritae ſint partes illae Regni ſuperiores, et confinia deſtructa, atque deſolata: adeo vt ſi decimae eiusdem Capituli in confiniis, ex quibus ſalus, et permanſio unice dependet, iam antea eo deputatae, et conuerſae, nunc alio applicentur; euitari haud poſſit, quin illa extreme periclitentur, hoſtiumque in manus inaugurato deueniant; Ideo, vt et Confiniorum ſaluti, et permanſioni prouideatur, et Capitularium quoque intertentioni proſpectum ſit, dignetur Sua Maieſtas vſque ad certum tempus, Tyrnauiae illis reſidentiam concedere; et donec illi in integrum reſtituantur, aut aliter illis de loco, et intertentione prouiſum fuerit; pro ſua erga

(a) Alias 10.

ga ipſos pietate proſpicere, vnde illi intertentionem ſuam interim habere poſſint.

2. Arendationes (a) Decimarum, vbi in vſum venerunt; eae fiant debito tempore, moreque antiquitus conſueto, et iuxta conſtitutiones priorum annorum. Decimatores etiam maiori, quam par eſt, numero, et ſuperfluo victu miſeram plebem non opprimant.

3. De Epiſcopis (b) Comitibus, iuxta Viennenſem Concluſionem, Rex et Regnicolae in futura Dioeta concludant, et ipſi priuilegia ſua producant.

4. Executiones (c) et faſſiones tam coram, quam per Capitulum Scepuſienſe, et Requiſitores Conuentus Leleſzienſis factae, et executae, ac impoſterum quoque fiendae, in ſuo permaneant vigore tamdiu, donec permanſerint.

5. Supplicant (d) etiam Status, et Ordines Regni, vt Sua Maieſtas Iaſzouienſem, et Turoczienſem Conuentus reſtaurare dignetur: interim tamen vſque ad eliberationem bonorum maneant, et ſint Requiſitores in Iaſzouienſi Conuentu, et ſi Conuentuales introducti fuerint, Requiſitorum officia ceſſent.

6. Ad (e) benignam Sacratiſſimae Maieſtatis Regiae requiſitionem, Status, et Ordines Regni Reuerendiſſimum Dominum Nicolaum Micáczium, qui ſatis hactenus aduerſitatum perpeſſus eſt, ab illo exilio, quo articulis Viennenſibus innodatus fuerat, liberum pronunciant.

7. Pro (f) litera Euocationis Relatoria per Actorem ſoluitur florenus vnus: Per in cauſam attractum, pro paribus denarii quinquaginta. Procuratoriae, denarios viginti quatuor. Faſſionales priuilegialiter emanatae, ſi bona non excedunt quatuor colonos, denarios centum: ſi exceſſerint numerum colonorum quatuor, pro ſingulis denarios viginti quinque. Inquiſitoriae ſiue patenter, ſiue clauſe confectae denarios centum. De paribus antiquarum literarum ex Conſeruatorio requiſitarum, Cuſtodi, ſiue Requiſitori denarios centum. Pro redemptione literarum Requiſitoriarum, ſi non habuerint multum ſcripturae, et patenter erunt confectae, denarios centum. Tranſumptionales ſimplices denarios centum. Relatoriae ſuper Statutione bonorum, in quibus Contradictio facta eſt, denarios centum. Relatoriae purae Statutionis, in qua contradicto facta non fuerit; ſe accommodent Sigismundi Decreto ſexto, articulo decimo. Mathiae Decreto ſexto, articulo 74to. Vladiſlai primo Decreto, articulo 95. 98. et 99no. Reambulatoriae metales finaliter executae, denarios quadringentos; Contradictione ſubſequente florenum vnum. De communi Inquiſitione ordine Iuridico commiſſa, denarios centum. De occupationibus poſſeſſionum hominum, in ſententia capitali conuictorum, ac rerum ablationibus, iuxta Iudiciariam commiſſionem fiendam, denarios centum. De aeſtimationibus poſſeſſionariis, et Iudiciariis commiſſionibus fiendis, denarios centum. De expeditoriis iuramentalibus continentibus nomina Coniuratorum, denarii centum. Hic tamen ea ratio eſt obſeruanda, quod in ſolutione praeſcriptarum literarum ad florenum vnum taxatarum, ſi labor ſcribentis ad duos, tres, aut amplius integros arcus papyri ſe extenderit, tunc pro quolibet integro arcu papyri, ſolui debebunt denarii viginti quatuor. De pecuniis in Capitulis, ſeu Conuentibus, tanquam apud manus fideles depoſitis, vigeſima ſint contenti. Teſtimoniis Capitulorum, et Conuentuum, ad executiones peragendas eductorum, pro ſingulis diebus ſoluantur denarii viginti quatuor: Homini Regio, vel Palatinali, totidem. Literarum taxa eodem, quo in Capitulis, et Conuentibus, modo praeſcripto obſeruetur.

Pppp CXLIX.

(a) Alias 18.
(b) Alias 23.
(c) Alias 49.
(d) Alias 50.
(e) Alias 71.
(f) Alias 74.

CXLIX.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDCXIII. ſeu Matthiae II. Decr. III.

1. Iuſtitia (a) Diuina, et Leges humanae id dictant, vt ſuum cuique tribuatur: atque in articulis quoque Pacificationis Viennenſis manifeſte habetur, vt bona Eccleſiaſtica, ſeu Secularia per Bochkaium, et ſibi adhaerentes adempta, ac inſcripta eliberentur; Quum alioquin etiam Donationes Bochkaianae, et ſibi adhaerentium, de ſimplici, et plano caſſatae, et inualidae ſint. Praeterea emolumentum, et fructus ex talium bonis percepti magno interuallo, et multiplicatis vicibus capitalem ſummam inſcriptionis excedunt; iique perpauci iam ſint, qui talia bona Eccleſiaſtica, vel Secularia amplius teneant; ſtatutum eſt, vt ea prae manibus habentes, ſine dilatione, et renitentia vlla remittant. Si qui vero id ipſum facere renuerent, extunc Dominus Regni Comes Palatinus ſtatim, et de facto eos ad ceſſionem bonorum cogere, e manibusque eorum eximere, atque legitimis eorum Dominis, et poſſeſſoribus aſſignare teneatur.

2. Pro (b) reſtauratione Capituli Agrienſis, deputatur Oppidum *Iáſzo*, vt ibi reſidentiam habeat, executionesque in diſtrictu ipſius ex praefato loco peragat; de intertentione autem Sua Maieſtas benigne prouidere dignabitur: Reſidentia tamen abſque praeiudicio Praepoſiti, et Praepoſiturae conceſſa intelligatur.

3. Ad tollendos (c) quoſuis abuſus, et ne in praeiudicium decimarum integre percipiendarum, fraudes committi poſſint; Decimator tempeſtiue interſit decimationi, quando Dominus terreſtris nonam exigit, vt eodem tempore a colonis iuſta quoque decima ſoluatur; alioquin ſi tardius egreſſus fuerit, liberum ſit Domino terreſtri nonam exigere. Nobiles Armales, qui in perſona tantum Nobiles ſunt, ac in fundis colonicalibus reſident, ſicut et illi Armales, qui in liberis, ac aliis Ciuitatibus habitant, quiue onera Ciuilia ſupportant; Similiter et Officiales, villici, ac ſtipendiarii Dominorum, et Nobilium; nec non Confiniarii fundos ruſticanos colentes, decimam integram ſoluere teneantur.

4. De (d) Triceſimarum, et decimarum exactionibus, et arendationibus renouantur articuli Anni 1609. 17. et 18. ita tamen, vt cauſae decimarum in Comitatibus abſque vlteriori proceſſu reuideantur, et executioni demandentur, non admiſſis dilationibus, et remediis iuridicis quibusuis, dempta appellatione, quae in Curiam Regiam deduci poteſt; Neque Officiales Suae Maieſtatis in bonis Ouarienſibus conſtituti, in Comitatu Moſonienſi, et alibi, in decimarum arendationem ſe ingerere praeſumant.

5. Decimarum (e) etiam exactiones, et vectura earundem, in ſuperiori Hungaria, mercede tolerabili ſiat, iuxta conſuetudinem antiquam.

6. Praepoſituram (f) Thuroczienſem, vt ſecundum fundationem eius, benemeritae Eccleſiaſticae indigenae perſonae, quae Conuentum ſtatim reſtaurare, et ad peragendas executiones, ſufficientes perſonas intertenere debeat (ſiquidem in articulis Viennenſibus quoque per Suam Maieſtatem confirmatis id concluſum habeatur, vt Praepoſiturae in ſuis fundationibus maneant) ſub praeſenti adhuc Dioeta Maieſtas Sua benigne conferre dignetur; iterum, atque iterum ſupplicant, vt iam tandem, et tot conſtitutionibus ſuperinde editis, et poſtulationibus, ac ſupplicationibus Regnicolarum ſatisfiat, publicoque bono conſulatur. Similiter et Conuentum Chornenſem reſtitui petunt; Super quo etiam Sua Maieſtas petitionis Statuum condignam habeat rationem.

CL.

(a) Alias 2.
(b) Alias 3.
(c) Alias 4.
(d) Alias 19.
(e) Alias 20.
(f) Alias 32.

CL.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCXVIII. ſeu Matthiae II. Decret. IV.

1. De (*a*) decimis, et earum exactione renouatur Anni 1613. articulus 4. et 19. (*b*) Quoad Decimatorum autem abuſus, renouatur anni 1500. art 30. et vt ab agnellis et haedis, nec non apibus non pecuniam coacte (prout conſueuerunt) ſed decimas deinceps in ſpecie, vbi in eo vſu fuerint, percipiant; neque pullos, aut pecunias pro eis exigant; ſtatuitur. De vectura autem earundem decimarum renouatur articulus 20. Anni 1613. Decimae autem Dominis terreſtribus arendentur more conſueto.

2. Eccleſiaſticae (*c*) perſonae, et Nobiles fugitiui in confiniis domos aquirentes, et comparantes, ab omni condeſcenſione militum cuiuscunque ordinis, et nationis immunes ſint; contrauenientes Iuris ordine conueniantur.

3. Conqueruntur (*d*) etiam Regnicolae, in eo ſe plurimum aggrauatos eſſe, quod contra publicas Regni conſtitutiones, Legesque patrias, Capitanei, et Confiniarii Suae Maieſtatis, atteſtationes per Capitulares, et Regios, ac alios Iudices Comitatuum ad iura, et cauſas ipſorum pertinentes in confiniis admittere nollent, cum maximo eorundem Regnicolarum praeiudicio. Statutum itaque eſt, vt amodo imposterum ſub poena in generali Decreto expreſſa ſedecim marcarum grauis ponderis per eos, quorum intereſt, toties, quoties irremiſſibiliter exigendarum, huiusmodi atteſtationes peragendas omnimode admittere debeant, et teneantur. Idem fiat, etiam in bonis Dominorum Praelatorum, Magnatum, et Nobilium, nec non liberis Ciuitatibus, et earum bonis.

4. Quia (*e*) hactenus in nonnullis Sedibus Spiritualibus certi quidam abuſus irrepſerunt, quod videlicet cauſae ad mandata Iudicum Regni Ordinariorum declinatoria, etiam ex ſuperabundanti emanata, minime fuiſſent transmiſſae; ac interdum tempore meſſis, belli, vindemiaeque, denique generalium Iudiciorum, et Comitiorum Regni, Iudicia celebrata fuiſſent; Ad tollendos itaque eiusmodi abuſus inpoſterum vniuerſae cauſae demptis, matrimonialibus, ad mandata declinatoria transmittantur, neque praeſcriptis temporibus Sedes quoque Spirituales fiant.

(*a*) Alias 45.
(*b*) Nobis Caput tertium, et quintum.
(*c*) Alias 58.
(*d*) Alias 67.
(*e*) Alias 70.

CLI
SYNODVS REGIA
Sopronienſis Anni MDCXXII. ſeu Ferdinandi II. Decretum I.

1. Qui (*a*) Sigilla, et Protocola Capitulorum, et Conuentuum detinere praetenderentur, ne exinde aliquae fraudes in periclitationem Iurium plurimorum ſubſequantur; viſum eſt Statibus, et Ordinibus, vt ad inſtantiam eorum, quibus competit, per Dominum Palatinum, medio vnius Iudicis Regni ordinarii, vel Magiſtri Protonotarii, aut teſtimonii alterius Capituli, vel Conuentus-ſuperinde requirantur. Qui ſi eadem apud ſe exiſtere negauerint, extunc in termino, et loco per eundem Iudicem, vel Magiſtrum, aut teſtimonium Capitulare, ſeu Conuentuale praefigendo, vigeſimo quinto ſe Nobilibus, iuramento ſe ſe coram eisdem expurgare teneantur: Si vero iuramentum omiſerint, vel autem reſtitutionem Sigillorum, et Pro-

(*a*) Alias 15.

Protocolorum contumaciter recuſauerint, extunc ad inſtantiam Fiſci Regii ad proxime affuturam Dioetam euocentur, ibique comperta rei veritate, tanquam falſarii conuincantur.

2. Si (*a*) caſu (quem Deus auertat) praeter expectationem aliquis hoſtilis impetus Regno ingrueret, et quispiam in hoc Regnum, vicinasque prouincias irruere niteretur, Status, et Ordines decernunt, vt in tali ſummae caſu neceſſitatis, confeſtim Dominus Palatinus ſuperinde Suam Maieſtatem certificare, ac ſi Sua Maieſtas annuerit, et ita mandauerit, ſingulos Comitatus tempeſtiue requirere, et aſſumpto penes ſe Banderio Suae Maieſtatis, et proprio, in campum prodire debeat, et cum eodem Domino Palatino vniuerſi, et ſinguli Domini Praelati, Barones, Magnates, et Nobiles tam poſſeſſionati, quam vnius ſeſſionis; Aliae item Perſonae Eccleſiaſticae poſſeſſionatae, ſimiliter et Nobiles armales, etiam in Comitatibus degentes, quo fieri poterit maiori apparatu, intra limites Regni ad defenſionem eiusdem inſurgere, militareque teneantur. Cui quidem ſtatuto contrauenire praeſumentes, eo facto in homagio, et communi aeſtimatione vniuerſorum bonorum, et iurium poſſeſſionariorum praeciſe ſuorum; Impoſſeſſionati autem, et Armales in homagio ipſorum viuo condemnantur, et conuicti habeantur. Eiusmodique mulctas ex bonis quidem Dominorum Praelatorum, et Magnatum; D. Comes Palatinus ex authoritate officii ſui per ſe, vel quibus id muneris delegauerit; ex bonis autem Nobilium, ac ab impoſſeſſionatis, et Armalibus Nobilibus V. Comites Comitatuum, ſub poena amiſſionis officiorum ſuorum, etiam cum occupatione bonorum, ad eiusmodi contumaces ſpectantium, omnibus iuridicis remediis ſecluſis, irremiſſibiliter exigere, exactumque in decima quidem parte in priuatos vſus pro labore eorundem, reliqua autem ſui parte publico Regni aerario applicare debeant, et teneantur. Qui vero ipſam communem bonorum ſuorum aeſtimationem deponere nollent, vel non poſſent; extunc poſteaquam eiusmodi communis aeſtimatio de fructibus talium bonorum excipietur, confeſtim talia bona in priorem poſſeſſorem, vel ſuos haeredes, et ſuos ſucceſſores, pecuniaria ſolutione ſine omni redeant, et de facto remittantur. In iſta vero poena, nonniſi coloni, aeſtimationi communi (demptis reliquis bonis) ſubiaceant. Qui vero ad belligerandum inhabiles ſunt, ſiue Praelati, ſiue Magnates, ſiue Nobiles, vti et ſenio confecti, nimiaque paupertate oppreſſi, ſiue alii, qui in ſeruitiis Suae Maieſtatis, Regni, Domini Palatini, Magnatum, aut aliorum quorumvis re ipſa occupati fuerint tempore generalis inſurrectionis, iuxta facultatem equites bene inſtructos, praeuia limitatione per Vice Comites, et Vniuerſitatem illius Comitatus, in quo perſonalem habent reſidentiam, fienda, expedire teneantur, et ſint obligati; ſicut et reliquae Viduae ſub praeſcripta poena. Ciuitates autem liberae, iuxta limitationem Domini Palatini; in Sclauonia Domini Bani; onera belli ferre debebunt. Et hic quoque articulus duret vſque ad futuram Dioetam.

3. De (*b*) Mineris, et fodinis Regni, a modernis poſſeſſoribus eliberandis, et prouentibus Fiſci Regii applicandis, viſum eſt Statibus, et Ordinibus, vt paragraphus quintus Anni 1608. renouetur, et per deputandos a Sua Maieſtate Commiſſarios Vngaros, eiusdem eliberationi, et applicationi quamprimum extrema manus imponatur; Non obſtante hac in parte, neque modernis poſſeſſoribus ſuffragante art. 54. Anni 1609. ex quo pecuniam ipſorum, de prouentibus earundem fodinarum iteratis vicibus excepiſſe comperiuntur. Intereſſe autem, vel ſuperintereſſe, ſi quod poſſeſſores fodinarum praetenderent, ſiquidem Legibus Regni vetitum eſt, penitus, et in toto condeſcendat, atque eaedem fodinae gratis redeant, et prouentibus Sacrae Coronae applicentur. Supplicatur hoc loci Suae Maieſtati humillime, dignetur clementer iuxta benignam reſolutionem cum Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo Strigonienſi, de Piſetarii officio tractare, et con-

(*a*) Alias 21.

(*b*) Alias 40.

Digitized by Google

cludere, vt illud officium reſtauretur iuxta antiquam conſuetudinem.

4. De (a) grauaminibus Domini Epiſcopi, et Honorabilis Capituli Eccleſiae Iaurinenſis contra iura, et iurisdictionem ipſorum, per Praeſidiarios, Annonariosque Praefectos, et Officiales, ac Triceſimatorem Iaurinenſem illatis; in Dioeta Anni 1618. art. 26. ſpeciale ſtatutum conditum, Commiſſionemque ſuperinde inſtitutam eſſe Status, et Ordines etiamnum recenti memoria tenent. Quia tamen ob certa impedimenta, eiusmodi ſtatuto hactenus ſatisfieri nequiuit: Ideo ex benigna S. C. Regiaeque Maieſtatis annuentia merito renouandum, et quamprimum effectuandum eſſe decernunt eundem articulum, Commiſſionemque in eodem inſtitutam, ſimulque ſtatuunt, vt iuxta clementem Suae Maieſtatis reſolutionem Statibus, et Ordinibus ſuperinde elargitam, Commiſſio eadem inſtituta, et futura, praedictis Officialibus Bellicis, annonariis, et triceſſimatoribus, adhuc ſub hac Dioeta intimetur, et ad delegandos Dominos Commiſſarios mandata extradentur. Vbi porro Commiſſio peracta fuerit, determinatio eorundem Dominorum Commiſſariorum pro rato, grato, et accepto habeatur: ac vt iidem omnes, et ſinguli Officiales interim donec nempe Commiſſio ipſa peragetur, ab omni memoratorum querulantium Epiſcopi, et Capituli, ſubditorumque eorundem moleſtatione ſuperſedere debeant, ac teneantur. Nominantur autem pro Commiſſariis iidem, qui articulo citato nominati fuerant, et loco demortui Stephani Chernel, Wolfgangus Mórocz Vice-Comes Comitatus Poſonienſis ſubrogatur. Denique pro eorundem Epiſcopi, et Capituli parte renouant etiam Status, et Ordines, adimplendasque eſſe decernunt anteriorum temporum Conſtitutiones, praeſertim annorum 1542. art. 21. 1552. art. 18. 1555. art. 12. et 1613. art. 19. ſuper decimis eorundem editas.

5. De (b) decimis, (c) et earum exactione renouatur art. 45. Anni 1618. hoc addito, vt ſi Decimatores vſque ad Feſtum S. Aegidii Abbatis, ad decimandum non exiuerint, extunc liberum ſit ruſticis frumenta ipſorum conuehere. Quod ſi autem Decima-

(a) Alias 50.
(b) Alias 70.
(c) Poſtulatum Cleri Regni Hungariae in negotio decimarum in Synodo Regia Añi MDCLXII. propoſitum exhibemus.

Emendatio decimarum.

Siquidem Non tantum Canonicis, omniumque aliarum Nationum, verum et Patriae huius noſtrae Legibus, et Decretis manifeſtum euaderet, Clerum abſolutum Ius, indubitatumque Dominium in omnes, et ſingulas decimas habere, nec quemquam ſibi aliquid de eo ſub quocunque colore, et praetextu appropriare poſſe, et eum ad illud manutenendum, contraue quosuis Impetitores propugnandum, iuramentali vinculo adſtrictum eſſe: Ideo tum eidem ſuo Iuri, tam et poſitiuis patriae Legibus inhaerendo poſtulat; Primo: Vt omnes Domini Nobiles a terris colonicalibus (extra duntaxat neceſſitatem in Titulo 40mo Par. 1mae circa finem expreſſatam) ad allodiaturam, vſumque etiam proprium applicatis, iuxta articulum 50. 1492. *art.* 60. 61. 1548. *art.* 15. 1555. *art.* 70. 1563. *art.* 22. 1574. *circa finem, decimam praeſtent. Secundo: Omnes Nobiles Armaliſtae, Inſcriptionaliſtae, et Libertini, ſiue in literis illorum inſcriptionalibus clauſula.* Nullum ius etc. *Tit.* 69. *Partis 1mae inſeratur, ſiue non; decimam dare obligentur, ſiquidem Domini Seculares Lege tum Canonica, quam et Regni poſitiua, cum Iure decimarum nullo modo diſpenſare valerent: Sigiſ. Dec.* 6. *art.* 21. 1548. *art.* 16. *in fine. Tertio: Praeſidiarii, milites, Officiales, Villici, Stipendiarii Dominorum, et Nobilium, Communitates, earumque publici, et priuati ſerui, vtpote fabri, laniones, armentarii, vigiles, mercenarii, et coadiutores, ipſi denique ruſtici inquilini, qui fundos, et terras colonicales, ex quibus onera ciuilia, aut colonicalia, terragium, nona, cenſus, datiae, laboresque ruſticani praeſtantur (aut uti per Suam Maieſtatem Sacratiſſimam ad mentem tituli 9. Par. 2dae exempti eſſent) quamuis tempore aliquo deſertas, et denuo coli caeptas, inhabitarent, aut colerent, ſiue in ſortem pignoris, ſollarii, vel arendae poſſiderent, vel ex quarta, quinta etc. Capetia vſuarent, de omnibus decimari ſolitis integras, ac ſine vlla diminutione decimas extradent, iuxta* Math. Decre. 5. art. 1. Decr. 6. art. 43. Vlad. Decr. 3. art. 52. Decr. 6. art. 15. Decr. 7. art. 18. 1563. art. 69. 1613. art. 4. 1635. art. 24. 1647. art. 95. et 96. 97. 1659. art. 54. *Quarto: Si quis Dominorum, aut Nobilium terras colonicales allodiaturae ſuae applicando, ex poſt in fraudem decimae, ipſas easdem ſub titulo liberarum, aut loco illarum, alias Curiales inter ſuos ſubditos, aut inquilinos diuideret, ab eiusmodi terris vi art.* 54. 1659. *decima praeſtetur. Coloni ipſi in fraudem decimae, relictis terris Colonicalibus, alias liberas terras excolentes, ita et illi, qui terras, quae alios decimales eſſent, ſed per inundationem aquarum in prata conuerſae fuiſſent, iterata nihilominus inundatione aquarum alio deriuata perararent, nec non, et qui in agris tertiae culturae vulgo* Ugar-mezö *dictis ſementem facerent, praeſtent decimam. Sexto: Opiliones Dominorum Nobilium ab agnellis, et haedis eorum propriis ad inſtar aliorum ſtipendiariorum vigore praecitatarum legum decimam extradent. Septimo: Et vt omnis fraus, et dolus euitetur, Domini terreſtres, aut eorum Officiales in promontoriis,* - - - *ac ſingulis annis deci-*

cimatores frumentum in aceruos, vel horrea conuectum perluſtrare voluerint, id ipſis liberum ſit iuxta Art. 41. Anni 1486. Hoc loci cauetur et id, ne Domini Terreſtres arendas pro decimis tempeſtiue deponentes, per potentiores Dominos Terreſtres ab Arendationibus excludantur: Si qui porro tale quid attentauerint, contra tales liceat damnificatis, tanquam de violentia, vigore breuium articulorum in Comitatibus litem mouere, et iuris ordine procedere.

nari ſolitis, ſine ſcitu Dominorum decimae, aut eorum Officialium iuxta Titulum 18. *Par.* 3*tiae ſub poena inuigoroſitatis, a praeſtatione decimae nec ad tempus, nec in perpetuum aliquem libertent. Octauo: Si quis Decimatores, aut Arendatores turbare, ad decimandum non admittere, decimas denegare, pro ſe occupare, aut violenter auferre praeſumeret, vel vero aliquam pactatam ſe habere allegaret, prout et in caſu, dum quis non ad Dominos Praelatos, Venerabilia Capitula, ſed ad aliquem peculiarem locum, ſeu perſonam decimas a terra, vel vinea aliqua prouenientes, pertinere aſſereret, ſicut et e contra ſi decimae obnoxii per Decimatores, vel Arendatores ſe ſe grauari querularentur, ulla dilatione deſuper facta, et nec ipſa meſſe, aut vindemia obſtante, ſtatim vt intimatio per partem laeſam facta fuerit, ad mentem* art. 37. Decr. 2. Vladi. art. 19. 1613. art. 17. 1609. et art. 61. 1543. *iuſtitia cum effectiua executione adminiſtretur. Nono: De modo, et tempore arendandi, exigendi, et connehendi decimas annorum* 1549. art. 60. et 61. 1553. art. 8, 1563. art. 68. 1622. art. 70. *renouentur, et inuiolabiliter obſeruentur. Decimo: Et ſiquidem Sua Maieſtas Sacratiſſima in negotio extirpatitiarum claſſificationem fieri debere benigniſſime reſolueret, ideo ſi ex ſyluis grandiarum arborum eradicatis adaptaretur nouum promontorium, aut ſaltem antiquum ampliaretur, Vineaeque plantarentur, tunc ab eiusmodi vineis annorum decem, ſi vero adaptarentur agri, tunc annorum ſex; pariformiter ſi ex ſyluis minorum arborum, ſeu dumetis extirpatis idem fieret, tunc a vineis annorum octo, ab agris vero annorum quatuor, in recompenſationem laborum, et expenſarum, exemptionem non praeſtandis decimis admitti poſſe, imo et ſufficere indicatur; quantum vero ad earundem per Dominos terreſtres redemptionem fiendam attinet, citato Titulo* 30. *Par.* 3*tiae prout et Dominis Nobilibus, ne a ſuis extirpatitiis in fundis ſuorum propriis exiſtentibus, et habitis decimam praeſtent* art. 22. 1574. *ſufficienter prouiſum eſſe dignoſcitur; quae omnia vt tanto exactius obſeruentur, et plurimarum diſſenſionum fomes remoueatur, ſpecialis deſuper Articulus condendus expetitur.*

CLII.

SYNODVS REGIA

Sopronienſis Anni MDCXXV. ſeu Ferdinandi II. Decretum II.

1. Compertum (*a*) item eſt, a familiaritate ſuperioribus motibus cum Turcis contracta, nonnullos necdum ceſſare, ſed etiamnum fouere inuicem conuerſando, interdum arma miſſitando, et quod longe pernicioſius eſt, etiam ad labefactandam pacem nonnihil machinando. Ad tales igitur coercendos, et in bonum ordinem redigendos; Status, et Ordines renouant, et ſuum vigorem obtinere volunt, non modo 67. articulum Anni 1563. ſed et 20. Anni 1622. vſque ad futuram primitus Dioetam ſtrictiſſime obſeruandos.

2. Pro (*b*) peracta Commiſſione Iaurinenſi articulo 50. Anni 1622. inſtituta S. C. Regiaeque Maieſtati, Domino ipſorum Clementiſſimo, fideles Status, et Ordines, nominatim vero Reuerendiſſimus Dominus Epiſcopus, et Venerabile Capitulum Eccleſiae Iaurinenſis, immortales agunt gratias. Et quamuis deliberatio Dominorum Commiſſariorum, quam de *Regiminenſium* Iaurini reſidentium, eisdem Epiſcopo, et Capitulo, tanquam Dominis fundi, ſubiectione pronunciauerant, per certos Dominos Suae Maieſtatis Conſiliarios ad id deputatos, ſub hac Dioeta in hunc modum eſt declarata, vt tales *Regiminenſes* non plures, quam 24. iique vt plurimum Germani, ibidem intertenere poſſint, qui ratione perſonarum quidem Supremo praeſidii illius Capitaneo, ratione domorum vero, Dominis fundi parere; talium autem defunctorum haeredes, et haereditates inſtar aliorum Ciuium, eisdem Dominis fundi ſubeſſe; Milites porro vtriusque nationis de rebus quidem mobilibus a Iudicibus Bellicis, de domibus vero a Dominis Fundi iudicium reci-

(*a*) Alias 12.

(*b*) Alias 18.

Digitized by Google

Digitized by Google

recipere debeant. Reliqua tamen deliberationum per Dominos Commiſſarios pronunciatarum puncta, Sua Maieſtas per omnia benigne approbauit, et ratificauit. Ideo ad tollendas vlteriorum querelarum anſas ex Clementi Suae Maieſtatis annuentia decernitur, vt deinceps Supremi, et Vice-Capitanei, aliique Bellici pariter, et Annonarii Officiales, et Tricefimatores illius loci, ſe ſe per omnia praetactis Dominorum Commiſſariorum deliberationibus accommodare debeant, ac ſint obligati. Id quod Sua Maieſtas Sacratiſſima ſe ipſis ſerio demandaturam, et procuraturam clementiſſime obtulit.

3. Conqueruntur (a) nonnulli, maxime autem in Comitatibus Regni ſuperioribus, nominatim vero Comitatus Gömörienſis contra pleroſque decimarum perceptores, qualiter ii decimas non in Capetiis, ſed in granis, et ſupra modum exigant; qualiter porro miſeros incolas, eo quod ipſis frumentum invehendi facultas conceditur, grauiſſime taxent; qualiter denique pecuniam Chriſtianitatis in duplo, vltra morem conſuetum extorqueant. Statuitur itaque, vt deinceps tales innouationes tam in frumenti, quam etiam vini decimatione caueantur, et ſecus facientes vigore articulorum, ſuper violentiis nouiſſime editorum iure conueniri poſſint. Porro de modo, et proceſſu in exactione decimarum obſeruando Status, et Ordines referunt ſe ad articulum 70. Anni 1622.

4. Denique (b) ob certos, eoſque rationabiles reſpectus Status, et Ordines vnanimiter concludunt, vt impoſterum futuris ſemper temporibus Praepoſitus Zagrabienſis pro tempore exiſtens, peculiaribus literis Regalibus vocetur ad Comitia, et inter Dominos Praelatos, Barones, et Magnates locum, et vocem habeat; ſimiliter vnus ex Ablegatis Regni Sclauoniae inter Magnates vocem habeat: reliquis Ablegatis inter Regnicolas ſolitum locum, et ſuffragium retinentibus.

(a) Alias 45.

(b) Alias 61.

CLIII.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCXXX. ſeu Ferdinandi II. Decretum III.

1. Occaſione (a) ſuperabundantium mandatorum, ſtatuitur etiam in cauſis Fori Spiritualis, poſteaquam pars in cauſam attracta poſt receptionem parium ad vlteriora proceſſit, atque in diſputationem ſe intromittendo deliberationem recepit, Mandatis Declinatoriis nullo modo vti poſſit; Neque in tali cauſa Domini Iudices Regni ordinarii, eorumque Magiſtri Protonotarii, vel Secretarii inſtantiis exponentium ſe ſe ad elargienda mandata declinatoria induci patiantur; ſed nec ipſi Iudices Fori Spiritualis, poſt lataſa parium receptione deliberationes, eiusmodi Declinatoriis mandatis ad tranſmiſſiones cauſarum obligentur.

2. De (b) decimis quoque, et earum exactione, ac vectura renouantur Art. 4. et 19. Anni. 1613. et 45. Anni 1618. ac 70. Anni 1622. nec non 45. Anni 1625.

3. Quod (c) complanationes in negotio Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi, et Venerabilis Capituli Iaurinenſis, per Suae Maieſtatis Dominos Commiſſarios tam Iaurinum expeditos, quam vero in proxime praeterita Dioeta Sopronienſi deputatos factae, et declaratae, hactenus maiori ex parte manſerint inexecutae, non ex parte Suae Maieſtatis, verum ex parte Supremi illius loci Capitanei factum fuit. Quia porro Regnicolae humillime intelligunt Suam Maieſtatem, eidem Supremo Capitaneo iam benigne, et ſerio demandauiſſe, vt is com-

(a) Alias 13.
(b) Alias 20.

(c) Alias 34.

Digitized by Google

commiſſioni iam celebratae, nulla penitus ſuffragante exceptione, aut dilatione realiter, et cum effectu ſe ſe accommodet: conſidunt commiſſiones locum habituras, vlterioresque querelas deinceps ceſſaturas.

CLIV.
SYNODVS REGIA
Sopronienſis Anni MDCXXXV. ſeu Ferdinandi II. Decretum IV.

1. De (a) conuehendis decimis, referunt ſe Status, et Ordines ad art. 20. Anni 1613. De rite, et recte praeſtandis autem decimis iisdem, extant complures Conſtitutiones, vt patet Art. 17. et 18. Anni 1609. item art. 4. et 19. Anni 1613. item art. 45. Anni 1618. item art. 70. Anni 1622. item art. 45. Anni 1625. et art. 20. Anni 1630. in quibus de iis, qui ad eas pendendas obligati ſunt, mentio habetur; quas omnes conſtitutiones pro renouatis habent, et vt ea in omnibus Regni partibus ad amuſſim obſeruentur, ſtatuunt. Ad proceſſum autem cauſarum, ratione decimarum motarum, vel mouendarum articulo 19. Anni 1613. per expreſſum hoc additum eſſe volunt, vt appellationis remedium, poſt executionem latae in ſimilibus cauſis ſententiae, Parti ſuccumbenti ſuffragari poſſit.

2. De (b) abuſibus autem, qui in recte, et integre adminiſtrandis decimis irrepſerunt, tollendis, et penitus abolendis; nempe certorum cellariorum, et horreorum pro Dominis terreſtribus occupatione, decimarumque ex eiuſmodi cellariis, et horreis pro ſe ipſis vendicatione: Item baculi circa menſurationem vaſorum vini, in quibuſdam Ciuitatibus, et oppidis adhibitione, Decimatorumque ad recte, iuſteque menſurandum, non admiſſione, aliisque, quos Status, et Ordines Regni deprehendunt, renouant, et in vſum reuocandum eſſe volunt art. 43. temporibus Matthiae Regis primi Anno 1486. conditum. Quantum autem ad baculum attinet, ne in menſuratione illius, Domino decimarum fraus inferatur, Decimatores quoque penes menſuratorem, in cellario admittendos eſſe volunt. In modo autem, et tempore arendationis decimarum, normam Articuli 61 Anni 1548. et aliorum recentiorum obſeruandam eſſe decernunt.

3. Cautum (c) erat art. 58. Anni 1618. ne perſonae Eccleſiaſticae, et Nobiles in confiniis domicilia habentes, condeſcenſionibus militum aggrauentur. Et quia Sua Maieſtas Se idipſum demandaturam clementer obtulit; ſtatutum eſt, vt Praefecti confiniorum inpoſterum tenoribus praeſcripti Articuli ſe ſe accommodent.

4. Quandoquidem (d) Decretis Suae Maieſtatis ex Conſilio Bellico pariter, et Aulico ratione grauaminum Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi, et Venerabilis Capituli Eccleſiae Iaurinenſis elargitis, per officiales Bellicos, et Annonarios Praeſidii Iaurineuſis, necdum per omnia ſatisfactum eſt, eorundemque decretorum plenariam executionem Sua Sacratiſſima Maieſtas, quam primum ſe demandaturam clementer reſpondit; Status, et Ordines humillime ſunt contenti, et certo ſibi perſuadent querelas vlteriores eatenus ceſſaturas.

5. Ex (e) quo Capitulum Eccleſiae Weſprimienſis ab expeditionibus literarum authenticarum, executionibusque Capitularibus iam olim ceſſauerat; iam autem ex ſingulari Suae Maieſtatis prouidentia, et benignitate reſtitutum, bonis ſuis fruitur, et gaudet; Decretum eſt, vt accepto ſub hac Dioeta ſigillo authentico, et literas expedire, et executionibus Capitularibus in ſuo diſtrictu perfungi poſſit, et valeat.

CLV.

(a) Alias 23.
(b) Alias 24.
(c) Alias 46.
(d) Alias 77.
(e) Alias 85.

Digitized by Google

CLV.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCXXXVIII. ſeu Ferdinandi III. Decretum I.

1. Quia (a) Regnum Hungariae, Chriſtiani nominis hoſti Turcae, periculoſiſſima vicinitate vndequaque contiguum eſſe, ipſumque pacem iam antea magnis ſumptuum impendiis initam, et concluſam, non ſolum miſerae plebis infeſtatione, abductioneque, ſed et pagorum in iurisdictionem, et deditionem ſuam coactione, finiumque, et territoriorum auulſione, vſurpationeque, finitimarum demum arcium reparatione, et munitione haudquaquam colere manifeſtum eſt: Interea, donec Deo Sapientiſſimo rerum Arbitro, nefandi tam atrocis hoſtis conatus aliter poterunt reprimi, vt Sacratiſſima Sua Maieſtas iuxta benignam reſolutionem ſuam, inſtituta quantocyus ſolenni ad Portam Ottomanicam legatione, perſonam quoque nationis Hungaricae idoneam, et in rebus Hungaricis agendis expertem, per Suam Maieſtatem denominandam in eandem legationem, acceptis ex Conſilio Hungarico ſufficientibus inſtructionum inſtrumentis dimittere, ibidemque communi Legatorum opera, et dexteritate tam pacis ſtabiliendae negotia pertractare, quam Turcarum exceſſus ad viuum repraeſentari curet, decernitur.

2. Non (b) absque aliquo cauſantium abuſu animaduertunt fieri Status, et Ordines, quod nonnulli ex Regnicolis, etiam in partibus Regni ſuperioribus degentes, per alios ſimiliter Regnicolas, obtentis Ordinariorum indultis per multas importunas ſollicitationes, vsque ad Forum Metropolitanae Eccleſiae Strigonienſis, in litem pro prima inſtantia attrahuntur; quorum cauſantium abuſui, relegatione inpoſterum cauſarum ad forum primae inſtantiae ita, vt illinc fiat ad ſuperiorem Sedem, per viam appellationis earundem cauſarum prouocatio, obuiandum eſſe cenſetur: quae autem in Proceſſu eſſent, maneant iuxta eundem. Declinatoriis quoque Iudicum Regni Ordinariorum Mandatis in omnibus cauſis (Matrimonialibus ſolummodo exceptis) iuxta art. 70. Anni 1618. et 13. Anni 1630. locus detur, Capitula porro, et Conuentus, Iudices etiam Comitatus iuxta art. 74. Anni 1609. paragraphum antepenultimum *de pecuniis tanquam ad fideles manus depoſitis*, vigeſima ſaltem, idque ſemel pro ſemper, ſint contenti. Iidemque articuli prout, et alii duo immediate antecedentes 72. et 73. ſuper taxis literarum emanati inuiolabiliter obſeruentur: vtque etiam teſtamentis quorumcunque decedentium non niſi cum ſolemnitatibus conſuetis emanatis, et emanandis, locus detur.

3. Occaſione (c) illarum controuerſiarum, quae inter Venerabile Capitulum Strigonienſe ab vna, et Ciuitatem Tyrnauienſem partibus ab altera, ratione certae cuiusdam conceſſionis a Ferdinando I. Imperatore, et Rege felicis recordationis ipſi Capitulo, pro emptione certarum domorum in eadem Ciuitate, vltra beneficiales domos, pro reſidentiis Canonicorum ſuorum, earundemque a Regiis taxis exemptione elargitae, ac a piae quoque recordationis Ferdinando II. Genitore Suae Maieſtatis deſideratiſſimo confirmatae (prout id ipſum Sua quoque Maieſtas in ſerie propoſitionum ſuarum repraeſentare clementer dignata eſt) intercederent: Viſum eſt Statibus, et Ordinibus, quod illa quidem domorum per Capitulum fienda emptio, ex eoque ipſi Capitulo futura earundem applicatio, aliaque in eadem conceſſione expreſſa, iuribus, libertatibusque, ac Priuilegiis dictae Ciuitatis Tyrnauienſis, eidem a Diuis condam Hungariae Regibus cle-

(a) Alias 3.
(b) Alias 31.
(c) Alias 36.

clementer elargitis praeiudicioſa foret: habita tamen antelati Capituli in eo condigna ratione, quod ipſum per Tyrannidem Turcarum Strigonio pulſum, ſolita ſua reſidentia eſſet priuatum; ob hoc idem Capitulum, accedente etiam dictae Ciuitatis Tyrnauienſis aſſenſu, vltra beneficiales domos pro reſidentiis Canonicorum ſuorum, octo alias domos a Regiis taxis exemptas (quae ſemper ex totius Ciuitatis taxa per Cameram defalcari debebunt) non vigore praenotatae ceſſionis, verum praeſentis conſtitutionis emere, et poſſidere valeant; ita tamen, vt extra taxas Regias omnia onera Ciuilia praeſtent, et ſoluant. Inſuper, vt praedictas octo domos, vltra decurſum quinquaginta annorum, ſi eousque Strigonium recuperari non poterit, tenere ipſi Canonici, conſequenterque Capitulum non poſſit. Si vero ante effluxum illorum quinquaginta annorum terminum, Capitulum ipſum Deo bene propitio ad propria remeare poterit, tunc in priori vtroque caſibus, depoſito per Fiſcum memoratae Ciuitatis, domuum praemiſſarum competenti iisdem Canonicis, vel Capitulo pretio, eaedem non alio, quam in ipſorum Fiſcum poſſint deuolui, et deriuari, ipſeque easdem, ſeruata praetacta conditione, ipſo facto valeat apprehendere.

4. Ne (a) perſonae Eccleſiaſticae et Nobiles in confiniis domos habentes condeſcenſionibus militum aggrauentur; ad art. 46. et de executionibus Iudiciariis in confiniis non impediendis; ad art. 48. Ac ne Capitanei inſolitas penſiones exigant; ad art. 62. Anni eiusdem 1635 referunt ſe ſe Status, et Ordines: Contrauenientes eo, quo ſupra, proceſſu conuenire poſſe; Ac ne Capitanei locorum ſubiectos ſibi milites, propriis ſeruitiis, quouis ſub praetextu, quum exinde manifeſtum Excubiarum aduertatur detrimentum, accommodare praeſummant, decernentes.

5. Iaurinenſis (b) Eccleſiae decimarum reſtitutio, penes articulum nouiſſimae Sopronienſis Dioetae 61. vt complanetur, iustisque iuribus Eccleſiae ſatisfiat, Sua Maieſtas clementer efficere dignabitur.

(a) Alias 44.

(b) Alias 57.

CLVI.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCXLVII. ſeu Ferdinandi III.
Decretum II.

1. De (a) ſolutionibus; prout Euangelici Status Catholicis Plebanis, ita et Status Catholici Euangelicis Miniſtris ad nullas ſolutiones pendendas ſint obligati. Prouentus porro Eccleſiae Vnghuarienſis pacifice ab Euangelicis Miniſtris poſſideantur.

2. Quantum (b) ad ſolutiones miſerae plebis; vbicunque aliqui Parochiarum, vel Templorum prouentus (quos videlicet Plebani Catholici pro ſuſtentatione ipſorum perciperent) habentur, puta: Coloni, Inquilini, Molendina, Terrae, Vineae, Prata, vel id genus alia; in talibus locis Euangelici ad nullam ſolutionem cogantur: verum Plebanus illius loci contentus ſit huiusmodi proventu Parochiali, et Auditorum ſuorum Catholicorum ſolutione; ſicut et Miniſtri Euangelici in locis Parochiarum eorundem. Vbi vero Parochias non haberent Auditores Euangelici, ſolutionem pendant ſuae Religionis Miniſtris, cuius videlicet miniſterio, ſeu opera vſi fuerint; ſicut et Catholici Parochis Catholicis. Vbi autem hactenus Auditores Euangelici non ſoluiſſent Parochis Catholicis, inpoſterum etiam ad nullas ſolutiones praeſtandas vllo ſub praetextu

(a) Alias 11.

(b) Alias 12.

Digitized by Google

cogantur; prouti nec Catholici Euangelicis. Quibus vero in locis nulli plane Prouentus Parochiarum haberentur, verum Plebani ex ſolutionibus duntaxat perſonalibus, ſeu ſeſſionalibus ſuſtentationes habuiſſent; vt in eiusmodi locis pro bono pacis deinceps, tales per Catholicos, et Euangelicos incolas praeſtandae ſolutiones per Iudices locorum talium exigendae, in duas rectas, et coaequales partes diuidantur, earumque vna Parocho Catholico, altera autem Euangelico Miniſtro eius, vel alterius loci, cuius videlicet miniſterio vſi fuerint, absque defectu aliquo aſſignetur. Stolares autem Prouentus, ſeu ſolutiones, in quibusuis locis Plebani Catholici, et Miniſtri Euangelici a ſuae religionis Auditoribus totaliter percipiant.

3. Decernunt (*a*) etiam Status, et Ordines Regni, vt cauſae teſtamentariae factum bonorum mobilium, et immobilium, debitorum, ac aliorum ſimilium negotiorum concernentes, in foro ſeculari ventilentur, et diiudicentur iuxta Titulum 52. Part. 2dae Tripar. ſalua duntaxat reuiſione ſolemnitatis Teſtamenti, penes forum Spirituale remanente. Fulminatoria vero mandata contra Iudices ſeculares in officiis procedentes expediri, iisdemque legitimi Proceſſus nullo modo inpoſterum impediri poſſint, et expedita nullius ſint vigoris. De mandatis porro declinatoriis ſtrictiſſime obſeruetur art. 70. Anni 1618. et 31, Anni 1638. quibus extra ſolas cauſas matrimoniales ſub amiſſione beneficiorum, locus detur. Quae ex ſuperabundanti cum euocatione, Iudices Regni Ordinarii, eorundemque Magiſtri Protonotarii ad inſtantiam partium, ex debito officii ipſorum extradare ſint obligati. Euangelicis vero de vigore articuli Anni 1608. ante Coronationem *ad Primum* editi, in Matrimonialibus in vſu conſueto permanentibus.

4. Cauſae (*b*) autem factum Iurium poſſeſſionariorum, Vlad. Regis Decr. 3. art. 62. Quorumcunque actuum potentiariorum maiorum, Tripartiti Part. 2dae Tit. 67. et 47. Vlad. Decr. 3. art. 8. et Decr. 4. art. 13. et minorum, Tripartiti Part. 2dae Tit. 67. et 47. Poſonien. 16.. art. 2.. 1613. art. 23. Emendae linguae, Trip. Part. 2dae Tit. 72. 1635. art. 89. Emendae Capitis, Trip. Part. 2dae. Tit. 42. 43. 4. Violationisque Sedis, etiam ex parte Clericorum emergentis, Trip. Part. 2dae. Tit. 69. 1635. art. 89 Item Dotum, Vlad. Decr. 4. art. 16. et 1552. art. 2?. ac rerum Paraphernalium, ibidem in iisdem proxime citatis articulis. Quartalitiorum, Tyrnauien. 1545. art. 36. Decimarum, Poſonien. 1608. poſt Coronationem art. 5. 1613. art. 19. 1635. art. 23. necnon caſuum, tit. 9. Decr. Trip. Part. 1mae ſpecificatorum, et aliae his ſimiles profanae, iuxta Vlad. Regis Decr. 3. art. 60. 61. et 62. ac Decr. Trip. part. 1mae citato Tit. 9. et 12. Item 1609. art. 29. et 1613. art. 23. in Foro Seculari ventilentur; Vno enim, ac eodem Iuridico proceſſu, vna eademque Lege, ac conſuetudine, vniuerſis Statibus, et Ordinibus Regni vtendum eſt; Part. 1. Tit. 2. et exceptis quibusdam caſibus in Decreto Regni ſpecificatis, perſona Eccleſiaſtica contra Secularem, et e conuerſo, Secularis contra Eccleſiaſticam in omnibus cauſis aequali poenae, ac grauamini ſubiacet, eiusdem Decr. Trip. Part. 2. Tit. 44.

5. De (*c*) bonis Secularibus Eccleſiaſticis non abalienandis, Decr. Andreae II. per Ludouicum I. facta confirmatio approbatur, et realiter obſeruetur. Hoc loci renouatur etiam art. 55. Decr. 3. Vladiſlai Regis.

6. Quia (*d*) autem pecuniam eſſe neruum conſeruandorum, et protegendorum confiniorum pro comperto habeant Regnicolae, licet ob tot bellorum, motuumque inteſtinorum incommoditates Regnum hoc valde exhauſtum, et per Turcicam Tyrannidem deſolatum eſſe palam ſit; nihilominus quantum inter tot etiam anguſtias, et difficultates fieri poteſt, pro ſubſidio dictorum confiniorum, militumque confiniariorum exſolutione, ordinant Status, et Ordines a ſingulis portis nouiter connumerandis, per duos ſequentes annos, quinque flo-

Qqqq 2 renos

(*a*) Alias 15.
(*b*) Alias 16.
(*c*) Alias 17.
(*d*) Alias 25.

renos Hungaricales per ipſorum ſubditos, alios vero quinque, ex propria Dominorum terreſtrium burſa perſoluendos, ac ad manus Generalis Regni prouentuum Adminiſtratoris ad feſtum S. Martini Epiſcopi, et Confeſſoris, in vtroque anno adminiſtrandos (ſalua remanente antiqua Nobilitari ipſorum praerogatiua) ſponte, et libere pro hac vice offerunt. Quos quidem quinque florenos nemo Dominorum Praelatorum, Baronum, Magnatum, et Nobilium, aliorumque Poſſeſſionatorum a ſubditis exigere audeat, ſed ex propria crumena deponat, ſub poena tripli per Vice-Comites, ipſis autem non ſufficientibus, per Comites ſub amiſſione officiorum irremiſſibiliter exigenda, et ex parte, quae colono eſſet adempta, eidem colono reddita; altera autem ipſis Supremo, vel Vice-Comitibus relicta, iuxta Anni 1595. art. 3. Turcis tamen dedititii dimidium ſoluant. Quum tamen Reuerendiſſimus D. Epiſcopus Veſprimienſis Praeſidiarios milites in confinio Simigienſi propriis ſumptibus interteneat, contributionem iſtam in dictos milites Simigienſes inſumat.

7. De (a) decimis, earumque arendationibus renouantur ad obſeruandum annorum 1548. art. 61. 1609. art. 18. hoc tamen declarato, vt pretium conſuetum, ac limitatum decimarum maneat in eo ſtatu, in quo nunc eſt, et nequaquam inpoſterum augere liceat. Si vero arendationes iſtiusmodi decimarum circa feſtum B. Georgii iuxta continentiam annorum 1546. art. 55. 1547. art. 35. admoniti cum pretio arendae illud leuare noluerint; in eo caſu depoſito tali arendae pretio, ſeu ſumma apud Vice-Comitem illius Comitatus, in quo decimae exiguntur, Dominus terreſtris decimam libere exigere poſſit, vnusquisque iuxta quantitatem bonorum ſuorum, etiam in diſtrictibus, ſiue proceſſibus, aut (vt nonnulli vocant) cultellis: exceptis tamen iis, quae ex priuilegiis, vel aliquo vſu ad aliquas arces pertinerent, et arendati fuiſſent; ſaluo nihilominus pro Fiſco Regio, easdem decimas pro confiniis arendandi libertate iuxta Conſtitutiones annorum 1569. art. 27. 1574. art. 22. vbi vero hactenus decimae non in ſpecie, ſed in pecuniis exigi fuerant ſolitae, ita inpoſterum quoque exigantur; renouanturque in eo art. 72. Anni 1563. Ad tollendos vero abuſus in decimationibus inductos renouatur Anni 1635. art. 24. per expreſſum declarando, ne maioribus menſuris decimae vinorum exigantur, quam quibus vaſa vinaria decimanda menſurata fuere. Contra detentores, et violentos ablatores decimarum, renouantur annorum 1609. art. 17. 1625. art. 30. 1613. art. 19. 1618. art. 45. item 1635. art. 23. Quia vero in executionibus decimarum ſoepe prolongationes, et procraſtinationes in graue huiusmodi decimas ſoluentium damnum fieri conſueuerunt; ad auertendum itaque huiusmodi damnum miſerorum ruſticorum, ſimul ac ipſorum, et Dominorum terreſtrium, quoad decimationem frugum omnis generis alioquin decimari ſolitarum, renouatur art. 70. Anni 1622. Decimae vero ex vinis prouenientes per eos, quorum intereſt, exigantur vſque ad Feſtum Epiphaniarum Domini infallibiliter, ſub amiſſione reſtantis decimae illius anni. Vt vero id commodius fieri poſſit, ipſi quoque Domini terreſtres nonas ſuas, vel quoad vineas Ius montanum ſuum vſque praeſcripta feſta, in praecitatis articulis denotata exigant, neque diutius Domini decimarum illos exſpectare teneantur, ſed libere ſuas decimas exigere poſſint. Quoad Nobiles circa ſolutionem decimarum renouatur art. Anni 1563. 69. Armaliſtae vero, Officiales, Villici, Libertini, et Seruitores Dominorum, ac Nobilium, Stipendiarii, Mechanici decimam pendere debentes iuxta Anni 1613. art. 4. decimas integras ſoluant; neque a Parochiarum pertinentiis a primaeua earum fundatione, ad easdem poſſeſſis decimae exigantur. Quoad vecturam vero decimarum obſeruentur articuli Annorum 1613. art. 20. 1618. art. 45. 1630. art. 20. 1635. art. 23.

8. De

(a) Alias 95.

8. De (*a*) decimatione agnorum, et haedorum renouatur art. 45. Anni 1618. hoc addito, vt Decimatores ex huiusmodi agnis, et haedis decimas ſuas vſque ad Feſtum Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtae exigere debeant, neque diutius huiusmodi decimata animalia, ii, qui decimam pendunt, apud ſe ſe detinere, vel poſtmodum damnum illinc emergens, refundere teneantur.

9. Conqueritur ( ) Reuerendiſſimus Epiſcopus Veſprimienſis contra Confiniarios Keſztelienſes, Egerſzegienſes, Szent-Grotienſes, et Kémendienſes, de denegata ſibi decima, praedeceſſoribus ſuis alias per ipſos perſolui ſolita, ae ipſi quoque Domino Epiſcopo legitime debita. Statuitur itaque, vt praenominati confiniarii debitam, et conſuetam decimam praelibato Domino Epiſcopo, et Suceſſuribus ſuis pari prorſus ratione, et modo, vt praedeceſſoribus ſuis Epiſcopis, ſoluere debeant, et ſint obligati.

10. In (*c*) collationibus Beneficiorum Eccleſiaſticurum renouatur Vlad. Decr. 3. art. 56. Vlad. 6. art. 13. Vlad. 7. art. 59. ne ſcilicet plura Beneficia Eccleſiaſtica vni conferri poſſint, neque Domini Epiſcopi, et Eccleſiarum Praelati, aliaequa perſonae Eccleſiaſticae, plures dignitates, et plura beneficia poſſidere valeant. Non prouiſurum tamen, praeſertim Domini Cancellarii, in aula Suae Maieſtatis occupati condigna habeatur ratio; ne vero beneficia Eccleſiaſtica extraneis, ſed indigenis Regni benemeritis iuxta annorum 1587. art. 39. 1552. art. 42. Vlad. 3. art. 30. conferantur: hactenus vero extraneis in Regno non habitantibus per quoscunque collata, ab eis auferantur, Regni indigenis, et perſonis idoneis conferenda; ſtatuunt Status, et Ordines.

11. Ne (*d*) Epiſcopi, qui Reſidentias ſuas Epiſcopales in ſuis Eccleſiis, vel Iura Epiſcopalia poſſeſſionaria in Regno non habuerint, ad Conſilia admittantur; renouatur art. ad 6. Anni 1608. ante Coronationem.

12. De (*e*) Praeſentatione, et Confirmatione Plebanorum renouatur, et confirmatur art. 26. Anni 1504.

13. Contenti (*f*) redduntur Status, et Ordines, vt iuxta benignam Suae Maieſtatis Reſolutionem, Praepoſitura Iaſzonienſis in prima vacantia, in priſtinum ſtatum redigatur, ac interim Literarum in Sacriſtia Conuentus eiusdem habitarum conſeruationi, et cuſtodiae diligentius, quam hactenus, prouideatur, Sacerdotesque Conuentuales ad minimum quinque ad peragenda rite, et absque defectu munia Conuentualia interteneantur. Contra direptores porro Literarum, et Literalium inſtrumentorum, ſub praeteritis disturbiorum temporibus ablatorum ex eodem Conuentu, et Capitulo Agrienſi, veluti publicos Praedones, vigore articulorum ſuperinde ſanciturum, per Supremos, et Vice-Comites Comitatuum procedatur.

14. Quandoquidem (*g*) Status, et Ordines Regni, Capitularium etiam libertatem a nemine violandam eſſe cupiant; Itaque decernitur, ne a modo inpoſterum modernus Epiſcopus Iaurinenſis in iurisdictionem Capituli, in legitimis, ac iuridicis executionibus, et bonis eiusdem temporalibus ſe intromittere, libertatesque conuellere praeſumat: Mulctas ab ipſis exigendas propria authoritate non decernat; vacantia beneficia, et Canonicatus, ſub amiſſione collationis, et fructuum medio tempore perceptorum reſtitutione Capitulis fienda, vltra tempus in Canonibus definitum vacare non permittat, eorundemque fructus, ac obuentiones pro ſe non percipiat: In bonis aquiſititiis Canonicorum ab inteſtato (*h*) decedentium, nullam diſpoſitionem habeat; Notarius eorundem non dirigat, neque teſtamenta ipſorum mutet, vel quidlibet aliud, in praeiudicium, et derogamen Iurium, ac Iurisdictionem eorundem admittere attentet; Conſeruatoria etiam, et Sacriſtias violare, lit-

(*a*) Alias 96.
(*b*) Alias 97.
(*c*) Alias 98.
(*d*) Alias 99.
(*e*) Alias 100.

(*f*) Alias 101.
(*g*) Alias 102.
(*h*) Antiquiſſimus hic eſt Capitulorum in Hungaria vſus, vt ſubſtantiae decedentium, Capituli, ſeu Eccleſiae ſint.

literasque, et literalia inſtrumenta Regnicolarum ibidem repoſita, nec conuoluere, nec diſcutere, multo minus aſportare, vel deperdere ſub amiſſione officii ipſius audeat. Et hoc loci renouant art. 10. Anni 1557. quoad paragraphum: *Plebanis etiam et aliis Eccleſiaſticis etc.*

15. Quoniam (*a*) contra Reuerendiſſimum Dominum Georgium Draskovich Epiſcopum Iaurinenſem, graues admodum per Capitulum, et Comitatus loci eiusdem, et Caſtri ferrei, multasque Nobiles perſonas, nec non Oppida, et Villas Epiſcopatui eiusdem ſubiectas, et in grauaminibus Dioetalibus ſpecificatas, Statibus, et Ordinibus Regni eſſent porrectae querelae, cuius exceſſus, vt ad exemplum aliorum reprimantur, contenti redduntur Status, et Ordines Regni, vt iuxta benignam Suae Maieſtatis Sacratiſſimae reſolutionem, cauſa eadem ad inſtantiam iniuriatorum, in termino poſt Dioetam praefigendo per Illuſtriſſimos Dominos Archi-Epiſcopum Strigonienſem, et Comitem Iudicem Curiae Regiae, adhibitis Eccleſiaſticis perſonis, nec non Iudicibus, et Tabulae Regiae Aſſeſſoribus, qui ad manus haberi poterint, peremptorie Iudicialiter reuideatur, et reali etiam executioni demandetur: ita etiam eorundem, quorum idem Dominus Epiſcopus domos Iaurini ademiſſet, neque pretium earundem iisdem perſoluiſſet.

16. Articulus (*b*) 76. Anni 1563. Conſtitutionum Poſonienſium pro parte Nobilium, et Eccleſiaſticorum in praeſenti Dioeta conquerentium renouatur.

17. Siquidem (*c*) Capitulum Eccleſiae Caſtriferrei vna cum ſigillo, et Protocolis literarum, et literalium inſtrumentorum tutioris ipſorum conſeruationis gratia, ex ordinaria ſua priori reſidentia, Sabariam migrare debuerit, ibidemque a fundis ipſorum, nonuullis cenſibus per Dominum Terreſtrem aggrauetur: Eapropter Regnicolae dignum iudicant, vt annotatum Capitulum, ſine quo partes Trans-Danubianae ſubſiſtere non poſſunt, a cenſu eiusdem, donec in priorem reſidentiam Deo fauente remeare poſſit, liberum ſit, et exemptum; prouti cenſum eiusmodi, in quantum a domibus ipſorum Capitularium proueniri deberet, Dominus loci Terreſtris ſemper defalcare, et Oppido Sabarienſi, in rationem acceptare ſe ſe obtulit: ita vt in poſterum domus illae Capitulares ſint pro Succeſſoribus Capitularibus deputandae.

18. Et (*d*) quia Praepoſitura Chornenſis iam a multis retroactis annis deſolata exiſtens, ſigillo etiam deſtituta ſit, neque ex Protocolis eiusdem Conuentus paria literarum ibidem inſertarum extrahi poſſint cum damno Regnicolarum, ac proinde praeſenti ſtatuto concluſum eſt, vt Protocola dicti Conuentus ad interim, donec per Dei gratiam inſtaurari, et in priſtinum ſuum ſtatum reduci poterit, in Capitulum Caſtriferrei transferantur, teneaturque idem Capitulum, paria literarum ex eodem Protocolo ad mandata Iudicum Regni Ordinariorum poſtulantibus extradare.

19. Et (*e*) quia Praeſidiarii Veſprimienſes, Egerſzegienſes, et Kis-Komáromienſes, in praeiudicium Domini Epiſcopi Veſprimienſis, vtpote Domini Terreſtris, ad Telonia venientes contra Iura etiam, et conſuetudines Regni, turbare, et moleſtare, ſe ſeque in eorumdem teloniorum exactionem ingerere non vererentur; Ideo ſtatuitur, vt a modo deinceps, neque ad telonia venientes moleſtare, neque vllum ius in telonia praenotata, multo minus prouentus aliquos eorum praetendere valeant. Ita neque in educillis eiusdem Domini Epiſcopi, et Capituli Veſprimienſis in iisdem locis, vel bonis eorum quibuscunque habitis, ſe ſe immiſceant; ſicuti etiam Bona, et Poſſeſſiones Capituli, et praeſertim Iutas, et Faiſz deſertas, aut eorum prouentus quoscunque in Praeſidia importare ſolitos, et alios, quouis modo ne impe-

(*a*) Alias 113.
(*b*) Alias 114.
(*c*) Alias 120.

(*d*) Alias 121.
(*e*) Alias 141.

impediant, et moleſtent, omnino ſub poena potentiae, toties quoties.

20. Articulus 46. (a) Anni 1622. in quo nonnulla de intereſſe fit mentio, ea in parte ita declaratur, vt ad iuſtum intereſſe ſex per centum computando, tam Debitoribus ſe ſe obligare, quam Creditoribus, vbi ſuperinde obligatorias haberent, intra, et extra iudicium exigere deinceps liceat.

(a) Alias 144.

CLVII.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCXLIX. ſeu Ferdinandi III. Decretum III.

1. Ne (a) Status, et Ordines, propriae ſuae defenſioni, Patriae conſeruationi, ac ſibi demum ipſis defuiſſe videantur, ſed firmiorem aliquam permanſionis ſuae ſecuritatem, et maiorem Turcicarum excurſionum repreſſionem ſibi polliceri poſſint: Idcirco loco, et vice Contributionum Dicalium, particulariumque expeditionum, vſque ad Dioetam proxime futuram (quae iuxta articulos ſuperinde conditos, et conditionem ſecundam Diplomatis, intra triennium celebrari debebit) penes veteranum, et ordinarium militem, a Sua Maieſtate modo antelato exoluendum, ex parte ſua offerunt, certum militum numerum, Equeſtris pariter, et Pedeſtris ordinis. In partibus quidem Regni ſuperioribus Magnates, et Nobiles, cum liberis Ciuitatibus ibidem habitis, Mille ducentos; in partibus vero Cis-Danubianis Mille et Septingentos; In Trans-Danubianis porro, et Caniſae oppoſitis partibus Mille, iuxta Regeſta per Comitem Dominum Palatinum ſubſcripta, et obſignata intertenere, et ad diem primam Menſis Auguſti proxime futuram, ſuis locis praeſentem ſtatuere velle. Qui quidem milites iuxta diſpoſitionem Generalium, et Comitatuum, praeciſe contra Turcam in confinia pro neceſſitate diſtribui, et collocari, et ab iiſdem Dominis Generalibus dependentiam habere; cum Capitaneis vero locorum mutuam, et bonam correſpondentiam obſeruare, atque ipſis iuxta turmas, et cohortes Capitanei, et Officiales per Comitatus praefici debebunt. In partibus tamen Cis-Danubianis, Comitatus Nitrienſis, et Dominus Comes eiusdem in Ciuitate Nitrienſi; Comitatus vero Poſonienſis in Komiati, ad ſolitos Turcarum excurrentium paſſus ibidem praecludendos Militem ſuum intertenebunt; ſalua tamen a Domino Genenerali ipſorum quoque dependentia permanente. Quod ſi vero iuxta limitationem in praetitulatis regeſtis comprehenſam iidem Magnates, Comitatus, vel Ciuitates huiusmodi militem continuo intertenere nollent, aut intermitterent; Extunc Vice Comites Comitatuum, illis vero non ſufficientibus, Supremi Comites, vel iis etiam inſufficientibus, aut interreſſatis exiſtentibus, Dominus Comes Palatinus Regni vigore praeſentis duntaxat Statuti, ſine omni litis proceſſu, abſciſſisque vniuerſis iuridicis remediis, comperta tamen mera rei veritate, a ſingulis militibus non adminiſtratis, poenam dupli militaris ſtipendii, toties quoties menſtruatim computando, de bonis talium, milites praemiſſos intertenere nolentium, aut intermittentium omnimode exequendi, et talem ſummam ad publicam Confiniorum neceſſitatem conuertendi plenam habeant facultatem. Hoc per expreſſum declarato, quod Domini Praelati Magnates, et Nobiles in pluribus Comitatibus bona habentes, ex vniuerſis ſuis bonis, vbicunque in Regno exiſtentibus habitis, ſub Generalatum illum, vbi ordinarie reſident, milites vniuerſos ab ipſis intertenendos, modo ſuprade-

(a) Alias 3.

pradeclarato adminiſtrare teneantur, et per alios Comitatus extra reſidentiam iſorum conſtitutos in perſonis, vel bonis ipſorum nullis propterea penſionibus, vel exactionibus moleſtentur. Hoc tamen militare ſubſidium ea conditione oblatum eſt, vt milites praeſcripti, ſicut et alii veterani, ac ordinarii e Regno non educantur, et ab omni penitus miſerae plebis condeſcenſione, taxatione, oppreſſione, et victualium extorſione abſtinere, et ad confiniorum praeciſe, et Regni defenſionem contra Turcam inuigilare; a priuatis quoque Capitaneorum, et Generalium ſeruitiis liberi, ac immunes eſſe, tantaque ad Menſem ſolutione, quanta veterani milites, contenti eſſe debeant, ac teneantur.

2. Quum (*a*) non leuem abuſum in decimatione vini, et applicatione baculi, decimatorumque ad recte, et iuſte menſurandum non admiſſione, in Liberis, ac Regiis Ciuitatibus Poſonienſi, Szentgyórgyienſi, et Bazinienſi contra art. 24. Anni 1635. memoratus Dominus Archiepiſcopus magno ſuo, et Arendatorum damno committi ſolere queratur: Eapropter art. citatum hoc loco declarant, et vlterius addunt, et decernunt Status, et Ordines, vt memoratae Ciuitates in praemiſſa decimatione, et Decimatorum ad recte menſurandum admiſſione, modo, et ordine, in aliis Liberis, ac Regiis Ciuitatibus obſeruari ſolito ſe ſe accomodare debeant, et teneantur.

3. Tum (*b*) ad benignam Suae Maieſtatis requiſitionem pro parte Capituli Agrienſis factam, tum etiam ex eo, quod idem Capitulum in Oppido Iáſzó, veluti loco Turcarum excurſionibus, depopulationibusque expoſito, et iam in aliqua parte exuſto, tute reſidere, et ad executiones procedere, et cauſantes illuc ad neceſſarias illis faſſiones celebrandas ſecure adire non poſſint: Ordinatur idcirco eidem Capitulo locus reſidentiae in libera, ac Regia Ciuitate Caſſouienſi, liberaque domorum ibidem coemendorum facultas ſub poena in art. 44. Anni 1609. toties, quoties per id Capitulum medio vnius Magiſtri Protonotarii, vel Vice-Comitis Comitatus, a dicta Ciuitate exigenda eidem admittitur.

4. De (*c*) Iudaeis (*d*) a Teloniorum adminiſtratione amouendis, renouantur articuli ſuperinde conditi, et pro tali eorundem effectuatione, vlterius ſtatuitur, vt in quolibet Comitatu, vbi huiusmodi Iudaei Teloniorum exactioni adhibiti fuerint, Vice Comites eiusdem Comitatus, ſub poena amiſſionis officii, vel ſi ipſi intereſſati forent, alii in locum eorundem per Comitatus ſubſtituendi, cum potioribus, quos ad manus habere poterint, eiusdem Comitatus Iuriſperitis Nobilibus, vnoque, vel altero Iudice Nobilium, et Iurato Aſſeſſore praeſentibus, poſt binariam legitimam admonitionem antea praemittendam, ad facies talium Teloniorum exire, et accedere, ibidemque comperta prius mera rei veritate de ſimplici, et plano, villam, vel oppidum, in quo talis Iudaeus Telonium adminiſtrare compertus fuerit, abiudicandi, ſtatimque occupandi, et proximiori confinio applicandi, cunctis Iuridicis remediis ſepoſitis, plenariam habeant poteſtatem; ſalua tamen eiusdem villae, vel oppidi communi aeſtimatione, per legitimos poſſeſſores redimendi facultate.

CLVIII.

(*a*) Alias 24.
(*b*) Alias 38.
(*c*) Alias 79.

(*d*) Iteratis Sacrorum Canonum Sancitis conformis eſt haec lex.

CLVIII.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDCLV. ſeu Ferdinandi III. Decr. IV.

1. Ne (a) Status, et Ordines propriae ſaluti, et defenſioni ex parte etiam ſui deeſſe videantur; ad concipiendam ſpem firmiorem arctius reprimendae excurſionis Turcicae, loco, et vice Contributionum Dicalium, particulariumque expeditionum, ad bienuium penes militem per ſuam Maieſtatem modo praeuio in Confiniis augendum, et exoluendum, ex parte ſua obtulerunt certum numerum militum Equeſtris pariter, et Pedeſtris Ordinis; Et quidem Comitatus partium Regni Hungariae Superiorum Equites quadringentos, Ciuitates vero liberae ibidem conſtitutae Pedites centum; exceptis portis, in bonis Illuſtriſſimi Principis, et Principiſſae vbiuis in Regno habitis, a quibus eidem Principi, et Principiſtae, ſiue ad formam Comitatuum contribuendi, vel vero eosdem trecentos equites, quos a proxime praeterita Dioeta, hucusque in defenſionem partium illarum, amore, et affectu conſeruandae afflictae Patriae, absque interruptione intertenuerunt, in poſterum etiam intertenendi manebit optio, et poteſtas. Comitatus Cis-Danubiani Equites quingentos, Pedites vero centum quinquaginta; ex quibus pro Cuſtodia Oppidorum Urmén, et Mochonak, ac paſſuum a poſſeſſione Szalakuſz, vſque ad Oppidum Oſzlán, Dominus Generalis Ujvárienſis iuxta exigentiam illorum locorum certos Equites, et Pedites deputabit. His adiunguntur Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi Strigonienſis in Praeſidio Erſek - Ujvárienſi ad praeſens intertenti equites centum, quos non iuxta numerum vniuerſarum portarum ſuarum, quinquaginta equites non facientium, ſed amore Patriae vlterius quoque ad biennium continuandos ſe obtulit. Partium vero Trans-Danubianarum Comitatus, equites centum, pedites ducentos. Qui quidem milites iuxta diſpoſitionem Dominorum, Palatini, Generalium, et Comitatuum, praeciſe contra Turcam in confinia pro neceſſitate diſtribui, et collocari, ac ab iisdem Generalibus in rebus militaribus defenſiue tantum contra Turcas, dependentiam habere, cum Capitaneis autem Confiniorum bonam, et mutuam correſpondentiam ſeruare; atque ipſis per Comitatus iuxta Cohortes certi Duces, et Officiales praefici, et in Confiniis pro prima Octobris ſtatui, et collocari debebunt; Stipendia autem, et ſolutiones eiusmodi Militum, in vna quidem ex burſa Dominorum Terreſtrium, in altera autem medietatibus, a portis numerentur: ad huiusmodi vero contributionem vniuerſorum Dominorum Praelatorum, Baronum, Magnatum, Nobilium, ac Fiſci bona, nullius omnino exceptis, iuxta priorem connumerationem Portarum, aequaliter concurrant, ac ſub poena dupli per Comites, Vice Comites, et Iudices Comitatuum, vigore duntaxat praeſentis ſtatuti, de ſimplici, et plano toties quoties, e bonis contributionem praeſtare recuſantium, et refractariorum ipſo facto exigantur. Quod ſi vero huiusmodi intertentionem militarem iuxta numerum militum, ſingulis Comitatibus in praeſenti Dioeta, limitatione mediante impoſitam, aliqui Comitatuum continue praeſtare intra biennii terminum nollent, aut intermitterent, extunc in partibus quidem Regni ſuperioribus, partium earundem Generalis; in partibus autem Cis- et vltra-Danubianis, Dominus Comes Palatinus, aut eodem legitime impedito Dominus Iudex Curiae, habeant plenariam poteſtatem vigore praeſentis duntaxat Statuti, abſciſſis omnibus iuridicis remediis, toties quoties ad mille florenos Hungaricales de bonis Supremorum, et Vice Comitum, nec non Iudicum Comitatuum exigendos, atque ad

(a) Alias 5.

publicam confiniorum neceſſitatem conuertendos.

2. Indemnitati (*a*) legitimorum Succeſſorum, vlterius quoque Status conſultum eſſe volentes, art. 105. Anni 1647 et ibidem citatis additum, et cautum eſſe voluut, ne Dotaliſtae quouis ſub praetextu, et titulo in ſepulturas maritorum, filiorumque, et filiarum ſuarum, maiores expenſas, ſtatum ipſorum, et conditionem ſuperantes facere, ob idque bona per easdem iure viduitatis poſſeſſa abalienare praeſumant; alioqnin Iudices ipſorum Comitatuum requiſiti, bona quidem abalienata, comperta rei veritate, abſciſſis omnibus Iuridicis remediis, memoratis Succeſſoribus reſtituendi, ipſas vero Dotaliſtas vi praecitatorum articulorum, de talibus bonis excludendi habeant authoritatem. Quod ſi vero eaedem Dotaliſtae maritorum, et filiorum, filiarumque ſuarum corpora diutius inbumata conſeruarent, praeuia erga easdem legitima admonitione, dicti Succeſſores moderatis, et ſtatui ipſorum condecentibus expenſis eadem corpora ſepelire; Bona vero in ſe deuoluta medio Iudicum Comitatenſium (foeneratoribus (*b*) exinde absque omni pecuniaria ſolutione excluſis) pro ſe apprehendere valeant: Quoad ſepulturam eodem proceſſu, et cautela etiam ad maritos decedentium coniugum extenſis, et deriuatis.

3. Pro (*c*) commoditate Incolarum Diſtrictus Rabaköz, annuente Sua Maieſtate ſtatutum eſt, vt Conuentus Praepoſiturae Chornenſis iuxta art. 32. Anni 1574. in priſtinum ſuum ſtatum, cum antiqua iurisdictione, et diſtrictu obeundarum executionum, aſſignationeque Protocoli (ad praeſens in monaſterio Franciſcanorum Iaurinenſi habiti) reducatur; articulusque 32. Anni 1574. ſuperinde confirmatur, ac vna cum priori ſigillo vſitato, coram Statibus reproducto, renouatur.

4. Statuunt (*d*) porro Regnicolae, vt Teſtamentariae Diſpoſitiones Nobilium poſſeſſionatorum, de haereditatibus Ciuilibus, non ſolum coram Senatoribus Liberarum Ciuitatum, aut Oppidorum Priuilegiatorum, ſed etiam Capitularibus, et aliis authenticis, vel ſufficientibus perſonis confectae, ſuum vigorem, et robur habeant; Nobiles vero impoſſeſſionati, vel ſuſpectae nobilitatis, nihilque penitus bonorum in Comitatibus habentes, extra caſum neceſſitatis, coram Magiſtratu, vel Ciuilibus perſonis Teſtamenta ſua condere obligentur.

5. Quia (*e*) vero diuerſi abuſus, et intolerabiles exceſſus per Decimatores, decimas a Dominis decimarum, vel Camera Suae Maieſtatis praeementes, et arendantes contra ſenſum art. 18. Anni 1609. in partibus Regni Hungariae Superioribus committuntur, qui non contenti iuſta decimatione frugum, et aliarum rerum decimari ſolitarum, a miſera plebe Birlagia pecuniaria, varios item labores, et ſeruitia, circa agriculturam, et falcaturam, anſeres, ad haec gallinas, butyrum, mel, canabem, et alia legumina, loco honorarii extorquere, copioſa ad haec cum familia, et equorum, canumque venaticorum non exiguo numero, in miſeram plebem ſoepius condeſcendere, ſicque eandem extenuare; frumentum Arendatorum deuehentes ruſticos equis, et faccis priuare, pecuniam a faccis, et alia ſimilia, ab eisdem extorquere non formidant; proinde ad tollendos tales exceſſus, et exactiones, ipſas decimas longe excedentes, communi voto ſtatuunt Regnicolae, vt praemiſſi exceſſus, et exactiones amodo impoſterum ne fiant; contra excedentes vero, et praemiſſorum patratores vigore articulorum ſuper violentiis editorum procedatur. Arendationes vero decimarum debito tempore iuxta art. 96. Anni

(*a*) Alias 25.
(*b*) Iteratae contra vſuras latae leges perhibent, quantopere errent illi, qui vſurarum patrocinium in legibus noſtris quaerunt, quum itidem verum ſit, vltra ſortem aliquid accipere extra caſum lucri ceſſantis, et damni emergentis, foenerationis, ac vſurae damnari ab iisdem legibus.
(*c*) Alias 39.
(*d*) Alias 46.
(*e*) Alias 89.

Anni 1647. nant, ſaluo iure Dominorum Terreſtrium in proceſſibus, vel cultellis (depoſita tamen ſimul, et ſemel integra ſumma arendae Dominis decimae) permanente; hoc declarato, quod ſi inter Dominos Terreſtres de ſumma arendae reſpectu quantitatis bonorum conueniri non poſſet, difficultates eiusmodi Comitatus rectificent. Ad triturationem itidem, et vecturam frumenti miſera plebs, vbi alias ſiperinde conuentum non eſſet, ſub annotata poena nequaquam compellatur. Et quia nonnulli etiam abuſus per eosdem Camerarios Scepuſienſes, et Officiales Confiniarios in Arendatione decimarum irrepſiſſent (quia non ſulum decimas Confiniis proximiores, verum etiam remotiores, in praeiudicium Dominorum Terreſtrium, et contra tenorem articuli 22. Anni 1574. ſub eo praetextu, quaſi eas ad rationem Suae Maieſtatis arendarent, proprii lucri cauſa arendare conſueuiſſent) contra eosdem praecitatus art. 22. renouatur, et ſub poena ibidem denotata obſeruetur.

6. Relatum (a) eſt Statibus, Conuentus S. Crucis de Leleſz ſigillum Conuentuale authenticum vetuſtate temporis adeo eſſe conſumptum, et attenuatum, vt commode, ac cum notabili literarum diſtinctione, et inſignium expreſſione, eodem literae obſignari nequeant; communi itaque omnium Statuum voto ſancitum eſt, vt einsdem Cunuentus ſigillum priori conformatum renouetur; prius vero in faciem illius Comitatus, in quo exiſtit, reproductum annihiletur.

(a) Alias 103.

CLIX.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDCLIX. ſeu Leopoldi I. Decretum I.

1. Cum (a) benigna Suae Maieſtatis annuentia ſtatutum eſt, vt Sua Maieſtas Officia, et Beneficia tam Eccleſiaſtica, quam Secularia perſonis Nationalibus, et Indigenis Regni bene meritis, nullo autem modo extraneis, gratis conferre dignetur.

2. Concluſum (b) etiam eſt, vt in Comitatu Gömörienſi degentes opiliones, ita et Libertini, fundos ruſticos incolentes, ſeminaturasque, et fruges, ac oues, et apes habentes, non obſtante eo, quod nonam Dominis ſuis Terreſtribus non ſoluerent, etiam iuxta art. 95. Anni 1647. ibidemque citatum articulum 4. Anni 1613. prout et ruſtici a terris, et fundis, per Dominos ipſorum Terreſtres a Curiis ſuis Nobilitaribus auulſis, et facta pro terris colonicalibus commutatione, ad ſeſſiones colonicales applicatis, iuſtam decimam praeſtare teneantur; hoc addito, quod Domini Terreſtres ante, et poſt feſtum S. Georgii duabus ſeptimanis, ius praeemptionis in decimas, et quartas vbique habeant. Elapſo vero illo termino, liberum ſit cuicunque arendare, neque talis arendator per Dominos Terreſtres, ſub poena violentiae impediatur. Decimam porro Comitatus Zolienſis, alias per Cameram Nouizolienſem, pro communi eiusdem Camerae vſu arendari, verum plerumque in praeiudicium Dominorum Terreſtrium, quibusuis priuatis diuendi ſolitam; caſu in iſto, Domini Terreſtres, veluti praeemptionis iure potiores, a Domino eiusdem proprietario pro ſe ſe arendare, percipereque poſſint; ſalua tamen pro communi dictae Camerae vſu praemptione earundem decimarum permanente.

3. In (c) Comitatu Trenchinienſi plurimae poſſeſſiones, et villae contra contractum, totalem decimam, et quartam agnellorum, et caprarum denegare perhiben-

(a) Alias 38.
(b) Alias 54.
(c) Alias 55.

bentur. Statuitur itaque, vt amodo in poſterum eosdem totales decimas, et quartas agnellorum, et caprarum denegatas, memoratae poſſeſſiones, et villae vbiuis in ſpecie praeſtare obligentur.

4. Articulos (a) 20. Anni 1613. et 89. Anni 1655. quoad trituratores, et vectores decimarum Camerae Hungaricae ita declarant Status, vt ruſticos locorum, huiusmodi decimas pro condiguo pretio ſponte triturare, et deuehere, trituratoribusque forenſibus hoſpitia dare volentes, Domini eorundem Terreſtres nullo modo inhibere valeant.

5. Regnum (b) Croatiae, et Sclauoniae, quoad defenſionem Patriae refert ſe ad art. 4. Anni 1538. et art. 12. Anni 1601. aliosque in medio ſui ſuperinde conditos, cum ea declaratione: vt dum hoſtis cum maioribus copiis viſcera illius Regni inuaderet, vel vero aliquod fortalitium eiusdem Regni obſideret, mox vniuerſi Domini Magnates, Nobiles, et alii Regnicolae, ſub poena in art. 21. Conſtitutionum Sopronienſium Anno 1622 declarata, proportionaliter exigenda, vel alia in Congregatione illius Regni concludenda, ad demandationem, et praemonitionem Domini Bani, penes Banderium Regium, ac Banale, intra limites Regni illius viritim inſurgere, et inſuper Domini Terreſtres ex parte ſua a qualibet vna, vel duabus portis, prout neceſſitas poſtulauerit, equitem vnum bene inſtructum, et ex parte ſubditorum ſuorum, ſimiliter peditem vnum bene armatum; maiore vero neceſſitate illius Regni exigente, quintam ſubditorum ſuorum partem; ac tandem in extrema Regni illius neceſſitate, prout videlicet illi Regno in Congregatione neceſſarium viſum fuerit, tertiam quoque ſubditorum partem, in communem Patriae ſuae defenſionem penes ſe leuare debeant. In partibus vero Transcolapianis Regni Croatiae, et Maritimis, aliisque non dicatis; non ſolum Domini Terreſtres ad inſtar aliorum Regnicolarum, cum apparatu, et copia, qua poterint in tali neceſſitate, pro defenſione patriae ſuae inſurgere, ſed etiam in maiori, vel extrema Patriae, et Regni illius neceſſitate, ipſi quoque decimam, vel etiam quintam, aut tertiam ſubditorum partem, prout neceſſitas vrſerit, in defenſionem ſuae Patriae ſubmittere teneantur. Et ab hac communi Patriae ipſorum defenſione, nec Domini Praelati, neque Capitula, nec Religioſi poſſeſſionati ſint exempti; verum ad inſtar aliorum Regnicolarum equites, ac pedites ſubminiſtrare, et inſuper Capitula, Religioſi Conuentus, et Collegia, pro Diuinis peragendis vnam, vel alteram de medio ſui perſonam Sacris initiatam, et ad id aptam, ex quolibet Capitulo, Collegio, et Conuentu expedire; et ſinguli Canonici Eccleſiae Zagrabienſis domi remanentes, loco perſonarum ſuarum ſingulos equites ſubmittere debeant. Indiuiſi Regnicolae vnum de medio ſui expedire, libertini etiam Dominorum Terreſtrium, et Praediales Eccleſiarum, penes Dominos Terreſtres ad rationem ipſorum inſurgere, ac liberae quoque Ciuitates, iuxta limitationem illius Regni concurrere, et Nobiles etiam vnius ſeſſionis, et armaliſtae, modo ibidem limitando inſurgere ſint obligati. Imo non ſolum Regnicolae, militesque Banales, et Regni, ſed etiam alii ſtipendiarii milites confiniorum Croaticorum, Maritimorum, et Sclauonicorum, a vicinis prouinciis ſtipendia merentes (ſalua tamen neceſſaria Praeſidiorum cuſtodia) nec non Sclaui, Praedaucii, et Valachi in confiniis illis degentes, tali in neceſſitate in defenſionem Regni illius perſonaliter concurrere, et in huiusmodi inſurrectione, Domini Generales illarum partium, cum Domino Bano illius Regni, bonam correſpondentiam obſeruare debeant. De Parochis, Viduis, ſenio confectis, et in ſeruitiis Suae Maieſtatis, vel Dominorum Magnatum conſtitutis, articuli iam ſuperinde conditi, hoc quoque loci pro inſertis habeantur: Ac tandem Status, et Ordines illo-

(a) Alias 56.

(b) Alias 85.

illorum Regnorum, Suae Maieſtati demiſſe ſupplicant, vt pro talibus extraordinariis, ac periculoſis neceſſitatibus, extraordinarie quoque, et maiori copia de pulueribus, et munitionibus eidem Regno, alioquin talibus valde deſtituto, tempeſtiue prouidere, ac tempore aperti belli, milites tam Germanos, quam Natiuos, in praeſidiis illorum confiniorum conſtitutos, ſub modernis ipſorum Militaribus Praefectis, et Officialibus, ad veterem antea tali tempore belli obſeruatum numerum adimplere, et intra Praeſidia illorum confiniorum collocare, et conſeruare; vlteriora vero externa ſua, et vicinarum Prouinciarum ſubſidia, in finibus, ac terminis ipſarum Prouinciarum, illi Regno vicinis, pro extremo ſuccurſu intertenere, talibusque ſubſidiis externis de annona, et ſtrictiore diſciplina, prouidere benigne dignetur; Siquidem Regnum illud et ſuis, et externis militibus per ſe ſolum de victualibus prouidere ſufficienter non poſſet; nihilominus tamen de annonario quoque ſubſidio, in Congregationibus ſuis in facie loci celebrandis tractare, et pro ſua poſſibilitate concludere, et concurrere non intermittet.

7. Circa (a) Exactionem, et aquiſitionem decimarum tam Capitularium, quam Epiſcopalium in Regno Sclauoniae, et Croatiae, art. 3. eiusdem Regni in Anno Domini 1636. Regia authoritate confirmatus, et alii quoque articuli Regni Hungariae ſuperinde conditi obſeruentur. Contumaces vero armata manu iuſtae decimationi reſiſtentes, brachio quoque Banali ad iuſtas decimas pendendas, et ſoluendas compelli poſſint, ac debeant.

(a) Alias 105.

CLX.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDCLXII. ſeu Leopoldi I. Decretum II.

1. Ad (a) beniguas Suae Maieſtatis propoſitiones, in ſubminiſtrandis pro Sua, et vicinae Chriſtianitatis defenſione mediis, Status, et Ordines veluti memoratis calamitatibus preſſi, tantam vix poſſunt demonſtrare alacritatem, quantam ipſa periculi magnitudo, et neceſſitas deſiderat; nihilominus tamen, ne propriae ſuae; et vicinae Chriſtianitatis defenſioni, et conſeruationi omnino defuiſſe, ſeque ipſos neglexiſſe videantur; pro primo, et praecipuo medio, Belli duntaxat aperti tempore, in defenſionem Patriae, et vicinae Chriſtianitatis, ex parte Regni ſubminiſtrando, in caſu extremae hoſtilitatis, et neceſſitatis, vbi videlicet principale aliquod Praeſidium per hoſtes obſideri, et oppugnari contingeret, vel vero hoſtis cum maioribus copiis, iuſti exercitus ſpecie Regnum inuaderet, ſiue Sua Maieſtas ad recuperandum principale aliquod fortalitium per Turcas occupatum cum exercitu proceder t, iuxta art. 9 Anni 1601. art. 7. Anni 1596. et art. 21. Anni 1622. et art. 7. Anni 1659. generaliter ſe, ac perſonaliter inſurrecturos offerunt, tali cum additione, et declaratione, vt vniuerſi Regnicolae cuiuscunque tandem conditionis, vel dignitatis, vltra perſonalem ipſorum inſurrectionem a ſingulis viginti domibus non dedititiis, ſiue integrae, ſiue mediae ſeſſionis, ſiue quartaliſticis, ſiue inquilinariis, mixtim computandis, ae per Vice-Comitem, et Iudicem Nobilium, vbi neceſſum fuerit, etiam per inquiſitionem limitandis (demptis tamen deſolatis) ex parte quidem ſua Domini Terreſtres vnum equitem propriis ſumptibus, ex parte vero ſubditorum, ſumptibus eorundem vnum Peditem, bene armis inſtructos, in Caſtris ſtatuere, ac intertenere; a dedititiis vero 40. domibus, pari modo computan-

(a) Alias 5.

putandis, ac limitandis, vnum equitem, et alterum peditem Domini Terreſtres conducere, et expedire, ac tamdiu, quamdiu talis ſumma neceſſitas durauerit, iuxta art. 7. Anni 1659. exercituare debeant, ac teneautur. Qui vero in diuerſis Comitatibus bona poſſident, tales de omnibus illis bonis ſuis, in diuerſis Comitatibus exiſtentibus, equites abinde prouenientes ſecum in exercitu eius Comitatus, vbi perſonalem faciunt reſidentiam, modo praenotato interteneant. Pedites vero a ſubditis ſubminiſtrandi, ſub vexillo duntaxat illius Comitatus, in quo reſident, militare teneantur: Pedites tamen a dominis, et bonis dedititiis per Dominos Terreſtres conducendi, penes eosdem Dominos Terreſtres maneant. Et ad huiusmodi exercituationem vniuerſi Domini Praelati, Magnates, et Nobiles poſſeſſionati omnino ſint obligati: Capitula etiam, Conuentus, Monaſteria, Collegia, Moniales, Abbatiae, et Praepoſiturae Capitulis non incorporatae, ſuadente art. 13. Anni 1543. ad inſtar aliorum Nobilium poſſeſſionatorum, a bonis ſuis modo praemiſſo equites, et pedites in defenſionem ſuam, Regni, et Eccleſiarum Dei expedire, et in Caſtris intertenere debeant; Et inſuper Capitula, Monaſteria, et Collegia, vnum, vel alterum de medio ſui fratris initiatum pro Diuinis ibidem peragendis, dictante art. 3. circa finem, Anni 1552. in Caſtra ſubmittere. Abbates vero, et Praepoſiti Capitulis non incorporati, etiam minus poſſeſſionati, et Epiſcopi Titulares, ſiquidem nobilitari praerogatiua gauderent, vel in perſonis modo praemiſſo inſurgere, vel loco perſonarum ſuarum equites idoneos ſubmittere teneantur. Plebani quoque pauperiores, iuxta art. 23. Anni 1545. a decem ipſorum perſonis vnum equitem conducere, et pro defenſione Patriae in Caſtris tenere ſint obligati, cum ea tamen declaratione, vt de quantitate exolutionis conducendi per ipſos Equitis, inter eosdem Plebanos Archidiaconi, vel Vice-Archidiaconi ipſorum limitationem peragant. Ditiores vero Parochi, Altariſtae, ſiue Rectores Altarium, et Magiſtri Capellarum, Capitulis non incorporati 200. circiter florenos annuos in prouentibus habentes, nec non Beneficiati Sopronienſes, et alii ſimiles, praeſertim in art. 25. Anni 1545. declarati, qui ducentos ſimiliter florenos annuos in prouentu poſſident, ratione beneficiorum ſuorum, ſinguli ſingulos equites conducant, et expediant. Liberae quoque Ciuitates a ſingulis viginti domibus ciuilibus, per Armaliſtas, et Nobiles non poſſeſſis, vnum peditem bene inſtructum expediant, ac interteneant. Et inſuper eae Ciuitates, quae iura poſſeſſionaria in medio Comitatus poſſident, ad inſtar Nobilium poſſeſſionatorum, a ſingulis viginti domibus in Comitatu poſſeſſis equites, et pedites modo praemiſſo adminiſtrent. Ciues quoque, et alii quicunque etiam extranei, bona pignoratitia poſſidentes, pari modo a ſingulis viginti domibus pignoratitiis, ſingulos equites ſubmittant. Oppida aeque, et pagi priuilegiati, vel aliter libertati, ſiue dicati ſint, ſiue non ſint, a ſingulis domibus vnum peditem expediant, et in Caſtris teneant. Libertini tamen Dominorum Terreſtrium ad militiam deſtinati, et obligati, nec non Praediales Eccleſiarum, imo et Haidones, per Dominos Terreſtres ad militiam duntaxat priuilegiati, penes Dominos Terreſtres, ad rationem ipſorum militare debeant. Oppida vero Haidonicalia per Suam Maieſtatem priuilegiata, more ſolito inſurgant. A reliquis Haidonibus, per Dominos Terreſtres ad militiam non priuilegiatis, et aliis hinc inde diſperſis, domos habentibus, et ſeruitia colonicalia adminiſtrantibus, Domini quidem ipſorum Terreſtres, a ſingulis itidem viginti domibus vnum equitem, ipſimet vero Haidones vnum peditem expedire teneantur. Raſciani quoque non dedititii, tam Nobiles, quam ignobiles in defenſionem Patriae perſonaliter inſurgere debeant. Nobiles etiam vnius ſeſſionis, iuxta art. 33. Anni 1542. Conſtitutionum Nouizolienſium, a ſingulis domibus viritim inſurgant; ſiquidem etiam Nobiles poſſeſſionati, in perſona ſua modo praemiſſo inſurrecturi, et inſuper a ſubditis

ditis quoque ſuis, or ſine ſuperius declarato, equites, et pedites adminiſtraturi eſſent. Armaliſtae ſimiliter vniuerſi perſonaliter in Caſtra prodire, et militare pro Patria teneantur. Vrburarii vero ex arenda, vel aliter vrburas tenentes, ex annuo lucro ducentorum florenorum, per hominem Palatinalem, ad id per ſuam Excellentiam deſtinandum, et Vice-Comitem eidem adiungendum, conſcientioſe limitando; ſuadente art. 15. Anni 1545. ſingulos equites expediant. Viduae poſſeſſionatae, et alii ad belligerandum inhabiles, tam Praelati, quam Magnates, et Nobiles per ſenium, vel aegritudinem in perſona ſua propria procedere ad Caſtra non valentes, aliique Nobiles ſeruitiis Suae Maieſtatis, et Regni, vel aliorum Dominorum Praelatorum, Magnatum, et Nobilium adſtricti, vel ſtipendia in confiniis merentes, ſuadente art. 13. Anni 1545. et art. 42. Conſtitutionum Nouizolienſium Anni 1542. et eiusdem Anni 1542. Conſtitutionum Poſonienſium art. 22. et art 23. loco ſuarum perſonarum equites ſubmittant, et nihilominus a bonis ſuis modo ſupra declarato equites, et pedites in Caſtris interteneant. Ex indiuiſis vero duobus, vel tribus Fratribus, dictante art. 43. Conſtitutionum Nouizolienſium Anni 1542. vnus tantum illorum in perſona militare, et nihilominus a bonis modo ſupraſcripto exercituare, et militem ſubmittere vniuerſi, etiam indiuiſi teneantur. Extranei demum in Hungaros recepti, adinſtar Regnicolarum, in viciniis prouinciis bona poſſidentium, eo perinde modo, quo ibidem Noſtrates taxantur; ipſi quoque extranei in Hungaros recepti, in iſto ſimiliter Regno, per Dominum Comitem Palatinum taxentur, ac in defenſionem communis Chriſtianae Reipublicae concurrant. Dominium quoque Manesdorff, alio nomine Sárſenék, veluti bonum Reginale, ſuadente art. 16. Anni 1545 a ſingulis viginti domibus ſingulos pedites expediat. Caſu vero, quo aliqui Regnicolae, vel alii ſuperius declarati, praemiſſam exercituationem in toto, vel in parte negligerent, ex tunc Domini quidem Praelati, Abbates, Praepoſiti Capitulis non incorporati, Magnates, et Nobiles poſſeſſionati, ſpecialiter, ac ſingulariter; Capitula vero, Monaſteria, Conuentus, Collegia, et Clauſtra Monialium, ac Communitates praemiſſae, collectiue, pro lingulis, neglectae ex parte ſua militiae, menſibus, in homagiis ſuis; ac inſuper pro toto exercituationis tempore, in aeſtimatione communi bonorum ſuorum; Nobiles vero Armaliſtae, et vnius ſeſſionis, in medio ſuo homagio; Vrburarii vero, ac alii ſupraſcripti, ad militiam obligati, in poena per Comitatum pronuncianda; Subditi vero pro ſingulis peditibus, ex parte ſua non mittendis, ad ſingulos menſes in homagio viuo ſingulorum peditum, ad Caſtra non mittendorum, conuicti ſint eo facto. Et conuictionem huiusmodi, ex parte quidem Dominorum Praelatorum, et Magnatum, Dominus Comes Regni Palatinus, ex auctoritate officii ſui per ſe, vel per illos, quibus id muneris delegauerit; ex parte vero reliquorum Regnicolarum vniuerſorum, tam Nobilium, quam ſubditorum, et aliorum ſuperius declaratorum, tam Eccleſiaſticorum, quam Secularium, Vice-Comites Comitatuum ſub amiſſione officiorum ſuorum, in decima parte pro labore, et vſu ſuo; in reliqua vero parte pro publico bono, ſine omni litis ſtrepitu, etiam cum aſſiſtentia Comitatus, irremiſſibiliter exigere, et exequi; eandemque poenam, ex parte Dominorum Praelatorum, et Magnatum exigendam, Dominus quidem Comes Palatinus in publicas neceſſitates Regni; memorati vero Vice-Comites ſimiliter in militares Comitatuum neceſſitates, ſub ratione, per eosdem Vice-Comites Comitatui danda, conuertere, et applicare debeant, ac teneantur. Quam quidem generalem, ac perſonalem inſurrectionem, mox, quum praenotatae extremae neceſſitates, vel hoſtilitates ſuperuenerint, Sua Maieſtas promulgare confeſtim dignabitur, et Status etiam, ac Ordines, tempeſtiue ſe ad eandem apparare erunt obligati.

2. In

2. In (*a*) talibus porro, et aliis quibusuis expeditionibus, pro auita Statuum, et Ordinum libertate, ac permanſione, illud quoque cauetur, et ſtatuitur, vt in Curiis, Caſtellis, Caſtris, tam Eccleſiaſticarum perſonarum, quam Dominorum Praelatorum, Magnatum, Baronum, et Nobilium, qui alioquin propriis ſuis expenſis, ſine ſtipendiis militare tenentur, iuxta art. 20. Anni 1600. et art. 24. Anni 1543. et art. 28. Anni 1464. reliqui ſtipendiarii milites, neque extranei, neque natiui vllo modo condeſcendant, neque vlla Praeſidia natiui, vel extranei militis, in huiusmodi Caſtris, Caſtellis, et Curiis imponantur.

(*a*) Alias 13.

CLXI.
SYNODVS REGIA
Sopronienſis Anni MDCLXXXI. ſeu Leopoldi I. Decretum III.

1. Cum (*a*) Benigna Suae Maieſtatis annuentia, renouato hoc loci articulo 38. Anni 1659. nec non 9. et 10. 1608. ante coronationem editis, vt vniuerſa Officia, et Beneficia tam Secularia videlicet, quam Eccleſiaſtica, et Praefecturae, Capitaneatusque confiniorum in Hungaria, et Croatia, perſonis Nationalibus, indigenisque Regni benemeritis conferantur, ſancitum eſt.

2. Licet (*b*) fideles Status, et Ordines nihil magis in votis haberent, quam vt ſedatis praeſentibus inteſtinis motibus poſt tot, et tantas ſui ruinas, et deſolationes, domeſtica pace, et publica Regni tranquillitate gaudere poſſent; caſu tamen, quo imminente pacis cum Turca termino, eadem pax commode vlterius etiam extendi, aut ſine notabili Regni ruina honeſte iniri, et concludi non poſſet, ne quoquo modo ſibi ipſis Regnicolae deeſſe videantur, ſedatis vti praemiſſum eſt, praeprimis modernis inteſtinis motibus; aperti duntaxat belli tempore iuxta art. 9. 1601. art. 7. 1596. art. 12. 1622. et 7. 1659. generaliter ſe, et perſonaliter inſurrecturos cum infraſcripta declaratione offerunt: vt nimirum omnes, et ſinguli Regnicolae cuiuscunque tandem ſint conditionis, et dignitatis, vti et Fiſcus Regius, nec non Camerae Montanae, Arces, et Bona in Comitatibus poſſidentes, vltra perſonalem illorum inſurrectionem, a ſingulis 20. domibus non dedititiis, ſiue integrae, ſiue mediae ſeſſionis, aut quartalitiis, ſeu Inquilinariis mixtim computandis, ac per Vice-Comitem, et Iudicem Nobilium, vbi neceſſum fuerit, etiam per inquiſitionem limitandis (demptis tamen deſolatis) ex parte quidem ſua Domini Terreſtres vnum equitem propriis ſumptibus, ex parte vero ſubditorum, ſumptibus eorundem vnum peditem bene armis inſtructos, in Caſtris ſtatuere, et intertenere; a dedititiis 40 domibus pari modo computandis, ac limitandis vnum equitem, et alterum peditem conducere, et expedire, ac tamdiu, quamdiu talis ſumma neceſſitas durauerit, iuxta art. 7. Anni 1659. exercituare debeant, et teneantur. Qui vero in diuerſis Comitatibus bona poſſident, tales de omnibus bonis ſuis illis, in diuerſis Comitatibus exiſtentibus, equites abinde prouenientes, ſecum in exercitu eius Comitatus, vbi perſonalem faciunt reſidentiam, modo praenotato intertteneant; pedites vero a ſubditis ſubminiſtrandi ſub vexillo duntaxat illius Comitatus, in quo reſident, militare teneantur. Pedites tamen a domibus, et bonis dedititiis per Dominus Terreſtres conducendi, penes eosdem Dominos maneant: et ad huiusmodi exercituationem vniuerſi Domini Praelati, Magnates, et Nobiles poſſeſſionati omnino ſint obligati. Capitula etiam, et Conuentus,

(*a*) Alias 27.

(*b*) Alias 46.

tus, Monaſteria, et Moniales, Abbatiae, et Praepoſiturae Capitulis non incorporatae, prout et Camerae Montanae, ſuadente art. 13. 1543. adinſtar aliorum Nobilium poſſeſſionatorum ab omnibus bonis ſuis modo praemiſſo equites, et pedites in defenſionem ſuam, Regni, et Eccleſiarum Dei expedire, et caſtris intertenere debeant. Ac inſuper Capitula, et Monaſteria vnum, vel alterum, de medio ſui Sacris initiatum, pro Diuinis ibidem peragendis, dictante art. 3. circa finem 1552. in caſtra ſubmittere. Abbates vero, et Praepoſiti Capitulis non incorporati, etiam minus poſſeſſionati, et Epiſcopi Titulares (ſiquidem Nobilitari gauderent praerogatiua) in perſonis ſuis modo praemiſſo inſurgere teneantur. Plebani quoque pauperiores, iuxta art. 12. et 13. 1545. a decem ipſorum perſonis vnum equitem conducere, et pro defenſione Patriae in caſtris tenere ſint obligati, cum ea tamen declaratione, vt de qualitate exolutionis conducendi per ipſos equitis, inter eosdem Plebanos Vicarii, Archidiaconi, vel Vice-Archidiaconi ipſorum limitationem peragant; ditiores vero Parochi, vel Altariſtae, ſeu Rectores Altarium, et Magiſtri Capellarum Capitulis non incorporati, ducentos circiter florenos annuos in prouentibus habentes, nec non beneficiati Soproníenſes, et alii his ſimiles, praeſertim in art. 25. Anni 1545. declarati, qui ducentos ſimiliter florenos annuos in prouentibus poſſident, ratione beneficiorum ſuorum ſinguli ſingulos equites conducant, et expediant; Liberae quoque, et Montanae Ciuitates, prout et priuilegiata oppida, quae iura poſſeſſionaria in medio Comitatus poſſident, adinſtar Nobilium poſſeſſionatorum a ſingulis 20 domibus in Comitatu poſſeſſis equites, et pedites modo praemiſſo adminiſtrent. Ciues quoque, et alii quicunque etiam extranei bona poſſidentes, pari modo a ſingulis 20. domibus ſingulos equites ſubmittant. Oppida aeque, et Pagi priuilegiati, vel aliter libertati, ſiue dicati ſint, ſiue non, ſicut et Cumani, Iazyghes, et Philiſtei, ac alii libertini Fiſcales, ex ſingulis 20. domibus vnum peditem expediant, et in caſtris teneant: Libertini tamen Dominorum Terreſtrium ad militiam deſtinati, et obligati, nec non Praediales Eccleſiarum, imo et Haidones per Dominos Terreſtres ad militiam duntaxat priuilegiati, penes Dominos Terreſtres ad rationem ipſorum militare valeant. Oppida vero Haidonicalia per Suam Maieſtatem priuilegiata, more ſolito inſurgant; a reliquis Haidonibus per Dominos Terreſtres ad militiam non priuilegiatis, et aliis hinc inde diſperſis domos habentibus, et ſeruitia colunicalia adminiſtrantibus, Domini quidem ipſorum Terreſtres a ſingulis itidem 20 domibus vnum equitem, ipſimet vero Haidones vnum peditem expedire teneantur. Raſciani quoque non dedititii, tam Nobiles, quam ignobiles in defenſionem Patriae perſonaliter inſurgere debeant; Nobiles etiam vnius ſeſſionis iuxta art. 21. 1545. Conſtitutionum Tyrnauienſium a ſingulis domibus viritim conſurgant; ſiquidem etiam Nobiles poſſeſſionati in perſona ſua modo praemiſſo inſurrecturi, et inſuper a ſubditis quoque ſuis ordine ſuperius declarato equites, et pedites adminiſtraturi eſſent. Armaliſtae ſimiliter vniuerſi perſonaliter in Caſtra prodire, et militare teneantur. Qui autem in partibus dedititiis reſiderent, ſinguli duo pro vno equite conducendo, ad manus Vice-Comitis contribuant. Vrburarii vero, ſicut et Molitores, ac Braxatores proprias molas, braxatoriaque habentes, ex arenda, vel aliter vrburas tenentes, ex annuo lucro 200. florenorum, per Comitatum conſcientioſe limitando, ſuadente art. 15. 1545. ſingulos equites expediant. Viduae poſſeſſionatae, et alii ad belligerandum inhabiles, tam Praelati, quam Magnates, et Nobiles per ſenium, vel aegritudinem in perſona ſua propria ad caſtra procedere non valentes, aliique Nobiles ſeruitiis Suae Maieſtatis, et Regni, vel aliorum Dominorum Praelatorum, Magnatum, et Nobilium adſtricti, vel ſtipendia in confiniis merentes, ſuadente art. 13. Anni 1545, et art. 42. Conſtitutionum Nouizolienſium Anni 1542. et eiusdem Anni

 Con-

Conſtitutionum Poſonienſium art. 22. et 23. loco ſuarum perſonarum equites ſubmittant, et nihilominus a bonis ſuis modo ſupra declarato equites, et pedites in caſtris interteneant. Ex indiuiſis vero duobus, vel tribus Fratribus, dictante articulo 43. Conſtitutionum Nouizolienſium Anni 1545. vnus tantum illorum in perſona militare, ac nihilominus a bonis modo ſupraſcripto exercituare, militemque ſubmittere vniuerſi etiam indiuiſi teneantur. Extranei demum omnes Quaeſtores, ſiue in Hungaros recepti ſint, ſiue non, ac alii quoque extranei, cuiuscunque ſint nationis, per Regnum quaeſtum exercentes, adinſtar Regnicolarum per Comitatum proportionaliter taxentur, ac in deſenſionem communis Chriſtianae Reipublicae concurrant. A parte vero Dominorum Procerum, et Magnatum extraneorum in Regno non poſſeſſionatorum, iidem Regnicolae ſibi ſpem firmam pollicentur, eosdem in occurrentibus afflicti Regni neceſſitatibus, praecipue tempore belli, favorem, et animorum ſuorum propenſionem erga idem afflictum Regnum conteſtaturos. Dominium quoque Manesdorff, alio nomine Sárfenék, alias ad Sacram Regni Coronam ſpectans, ſuadente articulo 16. 1545. a ſingulis 20. domibus ſingulos equites expediat. Caſu vero, qoo aliqui Regnicolae, vel alii ſuperius declarati praemiſſam exercituationem in toto, vel in parte negligerent; ex tunc Domini quidem Praelati, Abbates, Praepoſiti Capitulis non incorporati, Magnates, et Nobiles poſſeſſionati, ſpecialiter, et ſingulariter; Capitula vero, Monaſteria, Conuentus, et Clauſtra Monialium, ac Communitates praemiſſae, collectiue, pro ſingulis neglectae ex parte ſua militiae menſibus, in homagiis ſuis, et inſuper pro toto exercituationis tempore, in aeſtimatione communi bonorum ſuorum: Nobiles vero Armaliſtae vnius ſeſſionis pariter in ſuo homagio; Vrburarii porro, qui non eſſent Ciues, aut Armaliſtae, ac alii ſupraſcripti ad militiam obligati, in poena per Comitatum pronuncianda; ſubditi vero pro ſingulis peditibus ex parte ſua non mittendis, ad ſingulos menſes in homagio ſingulorum peditum ad caſtra non mittendorum, conuicti ſint eo facto; et conuictionem huiuſmodi ex parte quidem Dominorum Praelatorum, et Magnatum, Dominus Comes Regni Palatinus ex authoritate officii ſui per ſe, vel per alios, quibus id muneris delegaret: Ex parte vero reliquorum Regnicolarum vniuerſorum, tam Nobilium, quam ſubditorum, ac aliorum ſuperius declaratorum, tam Eccleſiaſticorum, quam Secularium, Supremi, et Vice-Comites Comitatuum ſub amiſſione officiorum ſuorum, in decima parte pro labore, et vſu ſuo, in reliqua vero parte pro publico bono, ſine omni litis ſtrepitu, etiam cum aſſiſtentia Comitatus, irremiſſibiliter exigere, et exequi; eandemque poenam ex parte Dominorum Praelatorum, et Magnatum exigendam, Dominus quidem Comes Palatinus in publicas Regni neceſſitates; memorati vero Supremi, et Vice-Comites ſimiliter in militares Comitatuum neceſſitates, ſub ratione per eosdam Vice-Comites Comitatui danda, conuertere, et applicare debeant, ac teneantur. Quam quidem generalem, ac perſonalem inſurrectionem, mox dum praenotatae ſummae neceſſitates, vel hoſtilitates ſuperuenerint, Sua Maieſtas promulgare confeſtim dignabitur, et Status etiam, ac Ordines tempeſtiue ſe ſe ad eandem apparare erunt obligati.

3. Et (*a*) quia praeter praeſcriptam aperti, et vniuerſalis belli neceſſitatem, alia etiam huic Regno incommoda, et pericula ſubinde imminere in comperto eſſet: Ideo Status, et Ordines Regni in tali quoque caſu, ſemper tamen per Dominum Comitem Palatinum ex pleno Conſilio Hungarico dignoſcendo, iuxta art. 65. 1609. pro particulari inſurrectione, in locis, vbi eadem commode fieri poterit, modalitate ibidem expreſſa ſe reſoluunt.

4. In (*b*) cauſa reſtitutionis in priſtinum ſtatum Arcis Sziſzek Eccleſiae, et Capitulo Zagrabienſi ſtendae, quod Sua Maieſtas Sacratiſſima benignum ſuum affectum erga hoc in paſſu facientes inſtantiam, proxime, et quidem abunde demonſtratura ſit, aquieſcunt Regnicolae; ſalua tamen iuriſdictione Regni permanente.

CLXII.

(*a*) Alias 47.

(*b*) Alias 68.

CLXII.

SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCLXXXVII. ſeu Leopoldi I. Decretum IV.

Iuramentum IOSEPHI I. pro Libertate Eccleſiarum, et Regni.

Nos IOSEPHVS Dei gratia Rex Hungariae etc. iuramus per Deum viuum, per eius Sanctiſſimam Genitricem Virginem Mariam, per omnes Sanctos: Quod Nos Eccleſias Dei, Dominos Praelatos, Barones, Nobiles, Ciuitates liberas, et omnes Regnicolas in ſuis immunitatibus, et libertatibus, Iuribus, Priuilegiis, ac in antiquis bonis, et approbatis conſuetudinibus, prout ſuper eorum intellectu, et vſu, Regio, ac communi Statuum conſenſu Dioetaliter conuentum fuerit, conſeruabimus, omnibusque iuſtitiam faciemus; Sereniſſimi condam Andreae Regis Decreta (excluſa tamen et ſemota (*a*) articuli 31. eiusdem Decreti clauſula incipiente: *Quod ſi vero Nos etc.* vſque ad verba: *in perpetuum facultatem*) obſeruabimus; fines Regni noſtri Hungariae, et quae ad illud quocunque iure, aut titulo pertinent, non abalienabimus, nec minuemus, ſed quoad poterimus, augebimus, et extendemus, omniaque alia faciemus, quaecunque pro bono publico, honore, et incremento omnium Statuum, ac totius Regni Noſtri Hungariae, iuſte facere poterimus; Sic Nos Deus adiuuet, et omnes Sancti.

1. Iuſto (*b*) et pio dolore publice querulante V. Capitulo Eccleſiae Agrienſis contra nonnullos Concines Caſſouienſes, et alios, eorundem loco ſuo, temporeque declarandos complices, violentae vtpote areſtationis Monſtrantiarum, (*c*) Calicum, aliorumque Eccleſiaſticorum ſuorum Clenodiorum, et apparamentorum in Templo S. Eliſabethae intentatae, ac exinde ſuperuenientibus poſthac ſeditioſis tumultibus cauſatae illorum ablationis, inque praedam actae conuerſionis authores; aequum cenſent Status, et Ordines, vt ratione praeattactorum Clenodiorum proſequendae rehabitionis, contra ſupramentionatos authores, et complices (eatenus praeſcripta Amnyſtia ipſis minus ſuffragante) via breuium articulorum de violentiis editorum, comperta de praemiſſis rei veritate, dicto Capitulo procedere integrum ſit.

2. Vt (*d*) amodo impoſterum Religio Societatis Ieſu nomine collectiuo ſumpta, quum ad clementem Suae Maieſtatis Sacratiſſimae reſolutionem, tum ſuperinde coram Inclytis Statibus, et Ordinibus factam demiſſam inſtantiam, in hoc Regnum Hungariae, et partes eidem annexas, pro recepta, et ſtabilita habeatur, vnanimiter ſancitum eſt.

3. Ad (*e*) conſeruandam porro animorum concordiam, et publicam Regni tranquillitatem, quae in vnitate Religionis potiſſimum conſiſtere, ex eaque in modo fatis Regnis ſtabilita fuiſſe dignoſcitur: Ex benigna Suae Maieſtatis annuentia concluſum eſt, vt in Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Regnis, ſecundum municipales eorundem leges hoc loci confirmatas, tam in partibus, ſub Iuriſdictione eorundem ad praeſens exiſtentibus, quam in futurum iuxta clementem Suae Maieſtatis Sacratiſ-

 ſimae

(*a*) Nobis haec clauſula videtur ſimilis illi legi, quam refert D. Baudelot de Doirval in ſuo opere de vtilitate peregrinationum edito Pariſiis 1693. pag. 87. ait quippe legem in loco Senatus celebrandi fuiſſe appenſam, vi cuius libertas dabatur occidendi Magiſtratum, qui rebus praeeſſet euerſa Republica; ad occidendum itaque Magiſtratum ſufficiebat huius, vel illius iudicis praepoſtero ſenſu, Rempublicam eſſe euerſam; quae ergo ſecuritas?

(*b*) Alias 19.

(*c*) Habebat nimirum Capitulum Agrienſe Monſtrantiam auream, quae in Templo Caſſouienſi S. Eliſabethae cuſtum etiam remanſerat, quando Lutherani illud habere coeperunt; quo tempore Iudices quot annis Monſtrantiam illam reuidebant, et a ſe viſam eſſe teſtati ſunt; quorum ſucceſſiuae recognitiones prae manibus noſtris ſunt; quibus non obſtantibus Comes Tököly eam conflari, et aliquot millia aureorum cudi fecit, quod authentica inquiſitione edoctum fuit.

(*d*) Alias 20. (*e*) Alias 23.

ſimae reſolutionem, ad eandem legitime re-applicandis, ſoli Catholici poſſeſſionis bonorum, vti hactenus, ita impoſterum ſint capaces.

CLXIII.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCCXV. ſeu Caroli III. Decretum I.

1. Quandoquidem (*a*) Nobiles, et omnes illi, quos ſub nomenclatione hac (cuiuscunque ſint honoris, dignitatis, et Status perſonae) in Hungaria Lex complectitur, pro Regni defenſione militare, adeoque perſonaliter inſurgere, ſuaque reſpectiue Banderia producere, et praeſtare teneantur: Id Sacra Caeſarea, Regiaque Maieſtas, quoties neceſſum eſſe iudicauerit, ad conformitatem ſancitarum ſuperinde Legum, amodo impoſterum quoque deſiderare, et exigere poterit. Quia tamen per eam ſolam, Regnum hocce ſufficienter defendi nequiret, adeoque validior, et regulata militia, tum ex natiuis, tum externis conſtans, pro omni euentu intertenenda veniret, quam ſine ſtipendiis ſubſiſtere; haec vero ſine contributione comparari non poſſe indubitatum eſſet; hinc ſubſidiorum, et contributionum eatenus neceſſariorum materia, Dioetaliter (quo aliunde ſpectare dignoſcitur) cum Statibus deliberanda erit. Vbi vero extraordinarius inopinae irruptionis hoſtilis caſus emerſerit, aut varii, et improuiſi flagrantis belli ratio, ordinariam rei tam arduae tractandae methodum, et formam non admitteret; pro eiusmodi caſibus iidem Status, et Ordines, non ſolum conſultum, aſt et neceſſarium eſſe ſtatuerunt, vt Palatinus, et Primas Regni, item Praelati, Barones, Tabula iudiciaria Regia, Comitatusque, et Regiae, ac Liberae Ciuitates, in quantum, et quo frequentiori numero fieri poterit, intra, et non extra Regnum conuocentur; qui cognita huiusmodi inopinae neceſſitatis cauſa, eaque ad vtilitatem, et neceſſitatem Regni, pro ſufficienti agnita, et adinuenta; in puncto huiusmodi contributionis (et non aliorum Regni negotiorum) deliberare, et decernere poſſint.

2. Ex (*b*) quo circa decimas, quas Fiſcus Regius in locis ad confinia pro militiae ſuſtentatione praearendare conſueuit, per locorum Commendantes, alioſque Bellicos, et Cameraticos Officiales, plurimi praeteritis annis in praeſens abuſus, et exceſſus irrepſiſſent; Status, et Ordines idcirco annuente Sua Maieſtate concludunt, vt circa legales praearendationes, in militiae ſuſtentationem neceſſarias, aperti quidem, aut ingruentis belli tempore nihil immutetur: aequitatis tamen ratio pro exigentia boni publici ſemper habeatur. Et pacis tempore, in negotio decimarum omnia ad normam legum accurate reducta intelligantur. Hinc praearendatio decimarum, intra fatales pro exarendatione legaliter determinatos dies, per Fiſcum quoque Regium, et Cameras obſeruetur: Secus ſtet legalis, reſpectu termini cuiuscunque, facta exarendatio. Et quia perſoepe Decimatores etiam intra legaliter praefixum tempus decimationem frumenti peragere intermitterent, ac ob id fruges demeſſae longo tempore in agris haerentes, pluuiis, ac aeris intemperie, cum ſummo non ſolum miſerae plebis, ſed communis etiam boni detrimento, corrumpi ſoleant; ideo articulo 70. Anni 1622. reſpectu termini (quo decimatio fieri debeat) ad art. 30. Anni 1569. reducto; ceteroquin ambo amodo impoſterum obſeruandi confirmantur.

3. Quod (*c*) Sua Maieſtas Sacratiſſima pro innata ſua pietate, et erga Eccleſias Dei zelo, ac ex gratia, et clementia, ad demiſſam etiam Statuum, et Ordinum re-

(*a*) Alias 8.

(*b*) Alias 11. (*c*) Alias 12.

recommendationem, nonnullorum Eccleſiae Varadienſis clenodiorum, prout diſtracta ſunt, aequiualens eidem Eccleſiae munifice dandum, et donandum benigne reſoluerit, pro eo Status, et Ordines debitas reponunt gratias.

4. De (*a*) Venerabilis Status Praelatorum, generaliter ſub Sacra Regni Vngariae corona exiſtentium, et comprehenſorum (quo nomine ii duntaxat, qui ex Regia collatione actualia, et prouiſa beneficia obtinent, intelliguntur) reſpectu bonorum, et rerum mobilium per eosdem aquiſitorum, hactenus ex parte Fiſci Regii in controuerſiam ſumpta teſtandi facultate, vt tandem certa, et immutabilis modalitas ſtatui poſſit, Sacra Caeſareo-Regia Maieſtas benigne annuit: Quatenus ſuper Ferdinandaei Diplomatis per V. Clerum eatenus obtenti, et per Diuum Leopoldum Romanorum Imperatorem, et Vngariae Regem confirmati, et vtrobique tenore inſertae clauſulae Dominos Praelatos teſtaturos, ad coniūniorum ſubſidium obligantis intellectu, alias per ſubſecutam cum Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo condam Leopoldo, Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinale a Kollonitz, qua Archiepiſcopo Strigonienſi, et Primate Regni Vngariae, nomine totius Cleri conuentionem ſufficienter explanato, ſed per V. Clerum expoſt in dubium vocato, coepta continuetur, et determinetur Commiſſio. Interea vero vel eidem Cardinalitiae conuentioni, ad inſtantiam mentionati Cleri per Suam Maieſtatem Sacratiſſimam benigne confirmandae ſtandum; vel pro conſenſu Regio ſuper libera diſponendi facultate recurrendum: Quo caſu Diploma etiam Ferdinandaeum, et praeattactam obligatoriam clauſulam, ſi quid ambiguitatis eidem ſubeſſet, Ipſamet Regia Maieſtas (cui videlicet eiusdem interpretatio vnice competit) benigne explanabit. Reſpectu vero bonorum Secularium, quae titulo inſcriptitio, vel pignoris, Eccleſiaſticae, vel Religioſae perſonae, aut Communitates, praeſertim cum euictione Fiſci Regii, ac etiam priuatorum, penes Literas impignorationales, iuſtas nibilominus, et legitimas conditiones, hactenus poſſederunt, concluſum eſt: Vt eaedem Eccleſiaſticae, vel Religioſae perſonae, aut Communitates, ſi quidem in continuo eiusmodi emptionis vſu praefuiſſent; in poſſeſſione huiusmodi bonorum, vſque ad eorundem per Seculares fiendam reluitionem, pro hac vice conſeruentur. Amodo vero deinceps art. 17. 1647. tanquam hic loci renouatus obſeruetur exactius, niſi Sacra Regia Maieſtas in ſpecialibus caſibus (ſaluis tamen iuribus alienis) eatenus diſpenſaret. (*b*)

5. Non (*c*) absque magno teſtantium praeiudicio animaduerterunt fieri Status, et Ordines, quod liberam teſtandi facultatem habentes, ob plurima Canonicorum, et Ciuilium (*d*) Iurium requiſita (ſecundum quae teſtamenta Regnicolarum hactenus reuideri, et diſcuti conſueuerunt) in ſuis intentionibus fruſtratos ſe eſſe ſint experti. Hinc ad euitandum huiusmodi praeiudicium, concluſum eſt: vt amodo impoſterum in bonis, et rebus liberae diſpoſitioni ſubiectis teſtamenta a Teſtatore, qui teſtandi habet actiuitatem, etiam extra loca authentica, vt ſunt Capitula, Conuentus, Iudices Regni ordinarii, Magiſtrique Protonotarii (et non eorum Secretarii, nec Iurati Notarii) condita, ab ipſomet Teſtatore, et a quinque per Teſtatorem requiſitis, ac inſimul praeſentibus, Nobilitari tamen, aut aequipollenti praerogatiua gaudentibus, vel in caſu neceſſitatis, aliis etiam honeſtae conditionis Teſtibus, ſubſcriptione, et ſigillis corroborata, legitimum ſortiantur vigorem. Teſtatoris vero ſcripturae ignari vices, et locum ſuae ſubſcriptionis, ac obſigillationis, ſextus itidem requiſitus, ac praeſens Teſtis ſuppleat. Omnisque ſemper fraus, et in Teſtatorem non raro vſurpari aſuetae doloſae circumuentiones, ſub poena inuigoroſitatis, coram Foro Spirituali, prout antehac vigore art. 15. Anni 1647. ſufficienter remon-

(*a*) Alias 16.

(*b*) Vide ea, quae de Lege amortiſationis in diſſertatione de Synodis Regiis diſſeruimus.

(*c*) Alias 27.

(*d*) Patet hinc in caſibus, vbi Leges municipales deficiunt, etiam in Ciuilibus Legum Canonicarum, et Ciuilium auctoritatem in Hungaria obtinere.

ſtrandae abſint, et praecautae habeantur. Neque praeterea haeredis inſtitutio de ſubſtantia teſtamenti, amodo etiam impoſterum requiratur; verum Teſtatori liberum eſto inſtitutionem haeredis in teſtamentum inſerere, vel omittere: Cuius tamen inſertio, vel omiſſio teſtamentum non vitiabit. Quae nihilominus praemiſſae ſolennitates in priuilegiatis teſtamentis, vtpote Legatis piis, item militaribus, ita et inter liberos, nec non tempore peſtis condendis, non requirentur; ſed vel propria Teſtantis manu ſcripta, et ſubſcripta, vel etiam nuncupatiua coram duobus Teſtibus ſufficient. Ad codicilli vero ſolennitatem tres teſtes ſufficiant. Reſpectu demum Liberarum, et Regiarum Ciuitatum (quae in integro penes ſuum hactenus habitum vſum manere poſſunt) id neceſſarium eſſe ſtatuitur, vt Teſtatori teſtamentum praelegatur, et is coram Teſtibus viua voce aſſerat, eam vltimam eſſe voluntatem ſuam. Publicatione, et reſpectu partium intereſſatarum communicatione, nonniſi poſt mortem Teſtatoris, quamprimum expediendis. Et hoc ipſum etiam de Comitatibus, vbi Vice-Comes, aut Iudex Nobilium cum iurato Aſſeſſore fuerint exmiſſi, obſeruandum. Hic autem modus condendi teſtamenta, praeteritos caſus non ligabit, ſed in futuris duntaxat condendis teſtamentis locum habebit, et obtinebit; ſaluo reſpectu Nubilium perſonarum, art. 46. Anni 1655. permanente.

6. Et (*a*) ſiquidem praeterea durantibus praeteritis motibus, nonnulli aeque factioſi conuenticulum quodpiam praetenſiue Synodale celebrare, ibidemque Regnum in varias Dioeceſes partiri, varios honores, et dignitatum minime ſibi competentium titulos adſciſcere, nonnulla contra Romano-Catholicos Ritus ſancire, et ſtatuere, ac per Regnum paſſim diuulgare, et exercere non ſint veriti; idcirco de benigna Suae Maieſtatis voluntate, et annuentia decretum eſt, vt eiusmodi etiam acta, facta, et concluſa, (vna cum ſigillo occaſione eiusdem conuenticuli nouiter fabricato) pro caſſatis, annihilatis, et mortificatis, in totum, et in perpetuum teneantur, et habeantur. Ad euitandas porro omnium ſemper vetitorum conuenticulorum occaſiones, vel ſuſpiciones, ſtatuitur etiam, vt omnes huiusmodi particulares frequentis numeri Congregationes, ſiue ſub nomine Synodi, ſiue alio quouis praetextu, absque praeſcitu, et annuentia Regiae Maieſtatis inſtituendae, non ſecus particulares quoque inter ipſos collectae, et impoſitiones, iisdem Auguſtanae, et Helueticae Confeſſioni addictis, ſub indignatione Regia, et poena legali prohibitae ſint, et interdictae.

7. Quandoquidem (*b*) plurimi ſalutis, et charitatis immemores, vſurariae prauitati, et auaritiae dediti, ſuper pecuniis ſuis mutuo erogatis, nomine intereſſe (*c*) vel lucri ceſſantis, aut titulo diſcretionis, de ſimilibus ſuis elocatis capitalibus, admiſſo legali ſex per centum intereſſe non contentantur, ſed ſibi octo, decem, et plures etiam pro cento florenos, nomine intereſſe, aut etiam cuiuscunque diſcretionis titulo obligari, et exolui procurent. Ad tollendam proinde vſurariam prauitatem, et auaritiam, benigne Sua Maieſtate reſoluente ſtatutum eſt, vt amodo impoſterum nemini liceat pecunias ſuas ad intereſſe, vltra ſex per centum annuatim pendendos elocare, aut hactenus elocatas vltra continuare; adeoque exnunc deinceps praeter hoc legale intereſſe nullo titulo, etiam diſcretionis, ſiue in pecuniis, ſiue victualibus, aut aliis quibusuis rebus a debitore quidpiam accipere, vel exigere. Contrauenientes vero cuiuscunque ſint conditionis, characteris, et nationis homines, ad expoſitionem Fiſci Regii, comperta rei veritate, in amiſſione eiusmodi ſtipulati intereſſe, vel diſcretionis, per competentem ipſius capitalis deſumendi Iudicem ipſo facto conuincantur: Cuius quidem abiudicandi intereſſe, et diſcretio-

(*a*) Alias 31.

(*b*) Alias 51.

(*c*) Videant illi, qui vltra ſortem ſex pro centum promiſcue exigi poſſe aſſerunt, quam vera dicant; quum Lex lucrum ceſſans commemoret, et quod quidem probe notandum, conſtanter eodem tenore loquatur.

ſcretionum duae partes ipſi Fiſeo Regio, vna vero tertialitas cuicunque denuncianti cedere debebit.

8. Quoniam (*a*) durantibus inteſtinae Rakoczianae factionis temporibus, vniuerſi, et ſinguli in debita Caeſareo Regiae Maieſtatis fidelitate perſeuerantes omnibus bonis ſuis, eorundemque fructibus priuati, extra Regnum a potiori graui mutuato alieno aere, ad vſuras leuato victitare; ſedatis vero iisdem motibus, praeattactorum bonorum ſuorum maximam ruinam conſpicere neceſſitati fuiſſent: Idcirco Sua Maieſtate annuente ſtatutum eſt, vt einsdemodi Debitores, qui ſub praeinſinuatis tumultibus in homagiali Regiae Maieſtatis conſtanti fidelitate perſtiterunt, et ob id bonis ſuis caruerunt, ab omnium cuiusuis ſortis capitalium, per eosdem ante praeſatos tumultus, a quibusuis etiam Communitatibus Eccleſiaſticis, vel Religioſis, aut aliis priuatis perſonis leuatorum, ſoluendo intereſſe, ab Anno 1702. incluſiue, vſque ad Annum 1710. itidem incluſiue proueniente; et praeprimis quidem talibus Creditoribus, qui nefarias partes Rakoczianas ſecuti, vel ſolummodo ſub eius poteſtate exiſtentes, et ſubiecti, bonorum tamen ſuorum poſſeſſione gauiſi fuiſſent, reſtante (tametſi Fiſcus Regius in eiusmodi Creditoris bonis ſuccederet) etiam in proemium conteſtatae fidelitatis prorſus immunes, et abſoluti habeantur: Sola capitalium ſummarum (modalitate ab infra declarata) fienda perſolutione ſalua permanente. Quae vero debita, ſeu capitalia a praenotato Anno 1702. vſque ad Annum 1710. incluſiue apud quosuis Creditores, ſiue Nationales, ſiue Extraneos contracta ſunt, reſpectu horum, tum quoad capitale, tum etiam intereſſe ſolutio ſecundum continentias obligatoriarum praeſtari debebit. Alia vero debita, quae ante praefatum Annum 1702. inter partes praedeclaratas contracta fuiſſent; in talibus, capitalium quidem (quae mille florenos excederent) exactio, et ſolutio, vſque ad triennium, ab articulorum praeſentium publicatione computandum prorogetur; ita tamen, vt de capitali interea non periclitando, Debitor Creditori ſufficientem ſecuritatem praeſtare, et intereſſe currens pro rata temporis adminiſtrare; reſtans vero pro motuum annis, modalitate infranotata, intra idem triennium exoluere teneatur; Cenſus vero, ſeu intereſſe ab eiusmodi capitalibus pro praeteritis annis proueniens, et reſtans, in quantum videlicet necdum perſolutum fuiſſet, nonniſi pro dimidia ſui, et temporis reſtantis parte exigi poſſit: Saluis tamen nouis conuentionibus partium, medio tempore, et eatenus ſors in contrarium (praeſertim inter Clerum, et Seculares Debitores, occaſione ſummarum fundationalium) de medio intereſſe vniuerſaliter pro praenotatis annis praeſtando initis, in futurum etiam obſeruandis. Haec tamen de illis duntaxat Debitoribus, qui extra vſum, et poſſeſſionem bonorum ſuorum a potiori manſerunt; non vero de illis, qui bona Creditoribus obligata pacifice poſſederunt, intelligenda, et ad tales etiam Dominos Terreſtres, ac decimarum arendatores extendenda ſunt, qui nullam propter motus decimam, vigore conſuetae arendationis exigere, et percipere potuerunt, vt et ii pro talibus annis ab arendae ſolutione immunes cenſerentur. Denique a rebellibus, in praeſens vſque contumacibus, per Fideles contractorum capitalium, vna cum reſtanti intereſſe (aliunde Fiſco Regio de iure competentium) Fidelibus Debitoribus ſemet inſinuaturis, et contracta ſimilia debita repraeſentaturis, non ſolum benignam reflexionem, ſed pro condigno, in quantum fieri poterit, conſolationem, ac Regiam quoque munificentiam Sua Maieſtas clementiſſime appromittit. Demum quaelibet capitalia, aut res mobiles eorum, qui praeteritis motibus impliciti fuerunt, ſub tempus illud, antequam ad fidelitatem rediuiſſent, ac generalem poſtremam amniſtiam conſecuti fuiſſent, iure Fiſci Regii a quibusuis debitoribus leuata, aut adempta, iamque in publicas neceſſita-

tes

(*a*) Alias 52.

Digitized by Google

tes conuerſa, et conſumpta, nulli refuſioni, aut bonificationi obnoxia declarantur.

9. Cauſa (*a*) et controuerſia illa, quae inter Abbatem Pécs - Varadienſem vna, nec non Epiſcopum Quinque - Eccleſienſem ab altera partibus occaſione bonorum, et decimarum, ad Abbatiam Pécs - Varadienſem praetenſiue tentorum, et tempore ſtatutionis (contradictione interpoſita non obſtante) apprehenſorum vigeret; remittitur ad Commiſſionem art. 10. ordinatam; vel ea non expectata, ad Iudices etiam ordinarios ibidem denominatos, aut alterutrum eorum, iure extraordinario, ſecundum tenorem art. 22. Mathiae Regis Decret. 6. item 59. Vladislai Decret. 1. et 130. Anni 1647. reuidenda, et exequenda.

10. Sacratiſſima (*b*) Sua Maieſtas tanquam pientiſſimi Patris pientiſſimus Filius, et paternarum virtutum haeres, ac viuum exemplar, ſummusque Eccleſiarum Dei ad mentem Sancti Stephani Regis Libri 2. Capitis 1. et Tripartitalis Tit. 11. part. 1. in Apoſtolico iſto Regno Patronus, pii, ac ſalutaris voti Diui Leopoldi Progenitoris, et Praedeceſſoris ſui deſideratiſſimi, de reſtauratione Eccleſiarum deſolatarum in hocce Regno ſuo Vngariae exiſtentium facti, benigne memor ad ampliandum Diuini Numinis cultum, incrementumque orthodoxae Catholicae Religionis, eandem in ſe aſſumere, Eccleſiaſticisque non ſecus, ac Religioſis, qui de abalienatis bonis Eccleſiaſticis ſe ſe apud Suam Maieſtatem Sacratiſſimam grauatos eſſe repraeſentauerint, et edocuerint; ius, et iuſtitiam competenti iuris via adminiſtrari facere clementiſſime reſoluit. Benigne confiſa Dominos etiam Praelatos obligationi, et muneri ſuo, pro exigentia Sacrorum Canonum, ac Legum etiam Regni, ſignanter S. Ladislai Regis Libri 1. cap. 8. nec non art. 13. Anni 1550. nuspiam, et neutiquam defuturos.

11. Non (*c*) ſine maximo, et manifeſto praeiudicio iurisdictionis Sacrae Coronae, et Regnicolarum, paſſim fieri conſueuit, quod nonnullorum Ordinum Religioſi (vti etiam Sanctimoniales) alias ſeculo iam mortui, non contenti fundationis prouiſione, nullaque penitus Lege deſuper ſancita, bona, tam paterno- et materno-auitica, quam paterna, et materna etiam aquiſititia, mobilia, et immobilia, a fratribus ſuis, ad quos immediato ſucceſſionis iure ſpectarent, via iuris, et proceſſu diuiſionali ſubſecuto ratas ſuas portiones eximere, Religionique, aut in notabili ſumma, aut iure perpetuo applicare conſueuerunt; vnde legitimi Succeſſores iure immediatae ſucceſſionis, imo et Fiſcus Regius palam, et manifeſte priuaretur. Ideo ſtatutum eſt, vt amodo impoſterum perſonae Religionem poſſidendorum bonorum capacem ingredientes, ex bonis paterno-maternoque auiticis immobilibus, quinquaginta millium florenorum ſummam praeualentibus, conſequenterque gradatim deſcendendo, iuxta bonorum exigentiam, qualitatemque, et quantitatem, non plus, quam ex rata eorundem portione prouenientem decimalitatem praetendere, nec parentes etiam earundem iisdem dare, vel legare poſſint. De aquiſititiis autem nihil omnino conſequi valeant, praeterquam ex libera diſpoſitione Parentum. Cum ea inſuper declaratione, vt etiamſi portio Religionem ingredientis 50. millium florenorum valorem excederet, non tamen plus, quam quinquaginta millium florenorum decimalitatem, tali Religioſo in ratam eius portionem Genitor ſuus, aut proximiores ſucceſſores, in pecunia exoluere tenebuntur. Vbi vero de valore ſimilium portionum, vtrum videlicet eadem 50. millium florenorum ſummam, vel deſcendendo gradatim minus valeant? nec non? inter Religionem, et conſanguineos perſonarum Religioſarum, quaeſtio ſuboriretur; Ex tunc liceat vni, vel alteri partium pro qualitate, et quantitate bonorum, aeſtimationi ſubiiciendorum, in diuerſis Comitatibus exiſtentium, medio vnius ex Magiſtris Proto-Notariis; in vno vero, et eodem Comitatu habitorum, medio Iudicum Comitatenſium (in Ciuilibus autem, Ciuilis Magiſtratus) adhibitis Iuris requiſitis procedere, ſimiliaque bona (habita eorundem prouentuum ad

ſex

(*a*) Alias 55. (*b*) Alias 60.

(*c*) Alias 71.

ſex per centum reflexione) aeſtimari curare.

12. Ex (*a*) quo Sacer ordo Canonicorum Regularium Praemonſtratenſium, olim in Regno hocce Apoſtolico glorioſiſſimus, et victricibus Caeſareo Regiis armis e faucibus Turcarum erepto florentiſſimus, poſtliminii iure nouellas plantationes in eximium Regni, et ſui Ordinis incrementum denuo radicare coepiſſet; Hinc Venerabili Vincentio Walner, moderno Abbati Lucenſi, et Praepoſito S. Stephani de Promontorio Varadienſi, qua per dictum Regnum Vngariae perpetuo ſui ordinis Vicario Generali actualiter poſſeſſionato, eiusdemque legitimis in Officio Generalis Vicarii, et ſimul dictae Praepoſiturae Succeſſoribus, inter Dominos Praelatos, Barones, et Magnates, ſeſſio cum voto indulta eſt, et admiſſa. Statutum praeterea eſt, vt Patres Societatis Ieſu, veluti articulariter iam dudum recepti, et per Suam Maieſtatem Sacratiſſimam ad hanc etiam Regni Dioetam Regalibus inuitati, ſeſſionem cum voto inter Status, et Ordines, qua bonorum ad Abbatias, et Praepoſituras pertinentium actuales poſſeſſores, nomine collectiuo duo natiui tantum, iique vſque ad tempus duntaxat poſſeſſionis eiusmodi beneficiorum ad ſeſſionem admittantur.

13. Benigno (*b*) Suae Maieſtatis Sacratiſſimae accedente conſenſu concluſum eſt, vt Eminentiſſimus Princeps Cardinalis, qui Archiepiſcopus Strigonienſis, in eiusdem arcis cauſa inter Seminarium Szelepcſenianum, et Collegium Societatis Ieſu, vtrumque Tyrnauienſe controuerſa, vna cum Iurisperitis viris, per eundem Suae Maieſtati proponendis, et per eandem determinandis, authoritate delegata, admiſſis de iure admittendis procedere poſſit, ac valeat. Cuiusmodi Seminariorum, Conuictuum, et Collegiorum pro Iuuentute Eccleſiaſtica, aut Seculari, per quoscunque ſiue intra, ſiue extra Regnum fundatorum, dum, et quando neceſſe videbitur inſpectionem, et cum exactione rationum, vtrum fundationi ſatisfiat? inueſtigationem, Sacra Regia Maieſtas ſibi ſoli pro Apoſtolico munere, et ſuprema authoritate ſua reſeruat.

14. Demiſſa (*c*) Ordinis Melitenſis, ſuper reincorporatione ſui interpoſita inſtantia, Statuum, et Ordinum voto, ac Benigno Sacratiſſimae Suae Maieſtatis aſſenſu ad futuram Dioetam relegatur.

15. Siquidem (*d*) Dominis Terreſtribus Oppidorum Pásztó, et Báth, contra Priuilegia ſubditorum, iam antecedenter Regni Legibus prouiſum eſt; Ideoque in quantum Priuilegiis talibus, vel per contradictionem, aut per contrarium vſum derogatum eſt, eatenus et in futurum iure ſuo Dominali (quo ante talium Priuilegiorum confirmationem vtebantur) iisdem frui licebit, quamdiu iudicialiter ſecus non determinabitur. Qui Articulus ad Oppida Polgári, et Szent Margitha Capituli Agrienſis (iuxta Tabularem determinationem ſuperinde iam factam) nec non Turán, Nagy Megyer, et Ó-Tura, ac alia his ſimilia loca, extenſus eſſe intelligatur. Ac ad euitandos quamplurimos exceſſus, et hucusque emerſas querelas, non tantum praeattacta Polgári, et Szent Margitha, ſed et alia etiam Oppida Haidonicalia in Comitatu de Zabolcs exiſtentia, vigore quoque art. 73. Anni 1618. et art. 43. Anni 1655. ac in iisdem citatorum, legali Iurisdictioni attacti Comitatus de Zabolcs (ſaluo tamen Fiſci Regii iure, et praeuia modalitate commiſſionaliter ſtabilienda) ſubiiciantur.

16. Ex (*e*) benigna Suae Maieſtatis annuentia concluſum eſt: Ne Dominis Promontoriorum ius montanum, vltra conſuetudinem antiquam, in aggrauationem videlicet, te detrimentum Montaniſtarum, ſub poena violentiae (praeterquam reſpectu extenſionis, in fundorum cultura comperiendae) augere impoſterum liceat; Quin imo ad mentem art. 31. 1655. citatorumque ibidem, iuſtam, et per Regnum iam dudum ordinatam, in exigendo iure montano men-

(*a*) Alias 73.
(*b*) Alias 74.
(*c*) Alias 87.
(*d*) Alias 95.
(*e*) Alias 97.

menſuram adhibere debeant, et teneantur. Licitum porro erit contra Decimatores etiam exceſſus patrantes, praemiſſa via violentiae procedere. Immunitas vero telonialis ſecundum leges Regni hactenus ſancitas vlterius etiam obſervetur. Religioſorum porro Superiores contractus ſuorum Praedeceſſorum cum Secularibus debita formalitate, et ſolemnitate initos, et authentico ſcripto roboratos obſeruare tenebuntur, eruntque obligati.

17. Ad (a) demiſſam Ordinum infraſcriptorum coram Statibus, et Ordinibus, ſuper receptione ſui in Regnum Hungariae, partesque eidem adnexas, factam inſtantiam; tametſi aliunde authoritate etiam Regia introduci, et ſtabiliri poſſent, ad demiſſam nihilominus Statuum recommendationem, Benigno Suae Maieſtatis conſenſu accedente determinatum eſt, vt Religioſi Ordines Fratrum Camaldulenſium, et Sanctiſſimae Trinitatis de Redemptione Captiuorum, nec non Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei de Scholis Piis, in Regnum iſtud Vngariae, et partes eidem adnexas, voto tamen, et ſeſſione absque omni, pro receptis, et ſtabilitis habeantur: Bonaque fundationalia pure Secularia, et liberae Fundatorum diſpoſitioni ſubiecta iure, et titulo duntaxat pignoris poſſidere valeant. Amodo autem impoſterum Collegia, et Clauſtra quorumuis Religioſorum, ſine neceſſitate Reipublicae, et Benigno Regiae Maieſtatis aſſenſu, non augebuntur.

18. Quod (b) Sua Maieſtas Sacratiſſimà ad demiſſam, eamque ſollicitam Eminentiſſimi, et Sereniſſimi Domini Cardinalis, Ducis de Saxonia, Archiepiſcopi Strigonienſis, et Primatis Hungariae inſtantiam, futuros eiusdem Domini Archi-Epiſcopi in dignitate Archiepiſcopali Strigonienſi Succeſſores in veros Sacri Romani Imperii Principes creare, et ad titulum, atque dignitatem Principatus Imperialis, cum omnibus honoribus, et praerogatiuis eidem competentibus, ex ſpeciali ſua gratia, atque Clementia euehere, ac ſublimare dignata ſit, eas, quas poſſunt, immortales altefatae Suae Maieſtati Sacratiſſimae Status, et Ordines referunt gratias: Ac in ſignum debitae gratitudinis aeternam huius rei memoriam praeſenti articulo ad ſeram poſteritatem transmittere voluerunt. Quo ſic erga praetitulatum etiam Dominum Archiepiſcopum, et Cardinalem pro eatenus quoque in Gentem Vngaram demonſtrato propenſo animi candore, reciprocum, ac indubitatum ſinceri affectus, et obſequii argumentum teſtarentur.

(a) Alias 102.

(b) Alias 111.

CLXIV.

SYNODVS REGIA

Poſonienſis Anni MDCCXXIII. ſeu Caroli III. Decr. II.

1. Pro (a) Iudicum, et cauſantium directione, ſeruandoque debito ordine, Sacratiſſima Caeſarea, et Regia Maieſtate annuente ſtatuitur: Vt Feriae Natiuitatis Domini initium ſumant a Feſto S. Thomae Apoſtoli, et durent ad Dominicam primam poſt Epiphaniam; Dein autem per vltimos dies bachanaliorum vſque ad Dominicam primam Quadrageſimae; poſtea vero a Dominica Paſſionis (vt videlicet Praelati pro exequendis, iisdem Hebdomada Sancta incumbentibus functionibus, una et reliqui Iudices etiam deuotionis cauſa adeſſe poſſint) ad Dominicam ſecundam poſt Paſcha; Inſuper per hebdomadam Sacri Pentecoſtes, vſque ad Dominicam Sanctiſſimae, et Indiuiduae Trinitatis: Iuriſtitium vero meſſis, a Feſto Sancti Ladislai Regis Hungariae, vſque ad Feſtum S. Stephani: Vindemiae autem a Feſto

(a) Alias 29.

ſto S. Michaelis, vſque ad Feſtum S. Martini Epiſcopi: De reliquo, praeter praemiſſa, praeuio modo vniuerſaliter obſeruanda Iuriſtitia, adhuc triginta dies ante Dioetam, et ſub toto Dioetali decurſu iuxta art. 49. Anni 1655. et art. 12. Anni 1507 vſque ad reditum Nunciorum. Non ſecus, et omnes Dominici; iuxtaque S. Ladislai Caput 38. Lib. 1. a Sancta Romana Eccleſia in Foro Foriꝰcelebrari soliti Feſtorum, et Rogationum etiam dies. Nec non tempore inſurrectionis generalis, pro vniuerſalibus iuriſtitiis, antiqua Regni conſuetudine exigente, impoſterum quoque tenendi, et in omnibus Sedibus Regni Iudiciariis obſeruandi venient. Quae Iuriſtitia, ſenſu art. 70. Anni 1618. (praeter ſolas cauſas Matrimoniales) ad Sacras etiam Sedes extenduntur.

3. Ad (a) auertendos quoſcunque in expeditionibus Capitularibus, et Conuentualibus, hactenus quoque in nonnullis locis credibilibus obſeruatos defectus ſtatuitur: Vt pro Iudiciariis executionibus, aliisque in art. 43. et 44. Vladislai Regis Decret. 1. denotatis functionibus peragendis, ad Capitula idoneae perſonae, iuxta art. 67. Vladislai Decreti 3. aſſumantur: Quae ad tenorem Legum Regni exmittantur. Eiusmodique exmiſſio mandato executionali, eum in finem ad locum credibilem directo, annus item, dies, et menſis cum Exmiſſorum nominibus ſuperinſcribatur, et per alias duas Capitulares, vel Conuentuales perſonas ſubſcribatur, et ita Exmiſſi ad praeſcriptum Legum procedant. Ac vt Conuentus praemiſſas, iisdemque vigore praedictarum Legum competentes functiones, praeuio modo peragendas obire valeant; ad minus quinque perſonas ſenſu art. 41. Anni 1552. (aeque ad publica Regni in praemiſſis articulis denotata ſeruitia idoneas) intertenere obligantur; Secus Dioeceſanus loci, vel Archiepiſcopus, eiusmodi perſonas ſupplere, et de earundem ſubſiſtentia (inſtar aliorum Conuentualium) de bonis talis Conuentus prouidere poſſit. Qui Capitulares, et Conuentuales vna cum Praelato, ſeu Superiore, Iuramentum ſolitum deponere; et tenore articuli 50. Anni 1559. nec non 10. Mathiae Regis Decret. 6. ſub eodem; omnes omnino, cuiuscunque demum ſpeciei executiones peragere, et in inquiſitionibus de verbo ad verbum, ſingulorum atteſtationem ſcribere, earundemque relationes de ſcientia facere teneantur. Quae per Notarium, aut Capitulorum, vel Conuentuum Iuratum inprotocolentur. Vniuerſae demum expeditiones in Capitulis, et Conuentibus conſeruandae, praeter referentes, etiam per Lectorem, aut eodem abſente, vel in Conuentibus non exiſtente, per aliam Capitularem perſonam, vel vero Conuentuum Superiorem; Non ſecus, et authentice extradandae, cum nominis proprii appoſitione ſubſcribantur. Ac in omnibus eiusmodi expeditionibus, ſenſu praecitati art. 44. Vladislai Decr. 1. nomina Capitularium, et Fratrum Conuentualium in fine quarumlibet literarum amodo deinceps ſemper inſerantur. Et ſi easdem expeditiones in voculis quibusdam corrigi contingeret; per ſubſcribentem huiusmodi correctae voculae ſpecifice denotentur. Et antequam extradentur, coram Capitulo, vel Conuentu omnes expeditiones perlegantur. Regii pariter, et Palatinales, ac Banales, in Statutionibus vero bonorum Praedialium, per Archiepiſcopos, et Epiſcopos conferri ſolitorum, etiam Archi- et Epiſcopales Homines, vniuerſas relationes aeque ſub corporali iuramento, coram locis fidedignis facere, easdemque cum ſpecificatione anni, diei, et menſis, propriis manibus ſubſcribere obligentur; ita ſubſcriptae, rurſus adminus duarum Capitularium, vel Conuentualium perſonarum ſubſcriptione roborari, et taliter in Archiuum reponi debebunt.

4. Pacificata (b) iam tandem Vngaria, inſtauratisque ad formam immediate praecedentis articuli, in eodemque cita-

(a) Alias 39

(b) Alias 40.

tatorum, et inſtaurandis Capitulis, et Conuentibus; pro faciliori, et minori cum ſumptu peragendarum quarumlibet executionum, celebrandarumque faſſionum commoditate (Sua Maieſtate Sacratiſſima clementer annuente) decretum eſt: Vt ceſſante ratione, ob quam tenore art. 63. Anni 1550. et 39. Anni 1556. Strigonienſi, et Agrienſi Capitulis, illi quidem per totum Regnum; Huic autem in remotioribus Trans-Tybiſcanis partibus admiſſum fuiſſet executiones peragere; amodo vero deinceps, vt omnis fraus, et quorundam Regnicolarum tacita, in praeiudicium ad remotiora Capitula, et Conuentus ſubterfugia praecaueri poſſint; Praemiſſa Capitula, et Conuentus pro Regnicolarum commoditate, et neceſſitate, executiones, et muniaobligationum ſuarum in locis Comitatibus proximioribus, ita et Dioeceſibus, in quibus ſita habentur, modalitate articuli praecedentis executiones faciant; Vſque dum per emendationem Legum claſſificatio Diſtrictuum elaborari valeat, et vbi, quod Capitulum, vel Conuentus procedat, ſuperinde prouideatur.

4. Quum (*a*) autem nemo ſibimet teſtimonium dare poſſit: Hinc Capitula quoque, et Conuentus ad reddendum aliis, de rebus coram iisdem geſtis fidedignum teſtimonium ordinata haberentur: et in concreto vna cum Praepoſito, aut Abbate, vel in Conuentibus Priore, et reliquis Columnis credibilis loci teſtimonium efficerent; Adeoque in rebus eorundem Capitulorum, et Conuentuum communibus, et propriis (exceptis Procuratoriis, formalitate tit. 13. Part. 2. emanari ſolitis, ac Plenipotentialibus, vigore praeſentis Statuti pro iisdem admiſſis) coram ſemetipſis nullas faſſiones, iura eorundem poſſeſſionaria, aut res quascunque tangentes, et a fortiori Tertii inuoluentes celebrare, ſub nullitate earundem valebunt. Quas Plenipotentiales praeuio modo celebrandas, nonniſi coram aliis authenticis locis reuocare poterunt. Cuiusmodi reuocatio, ad acta penes tales Plenipotentiales quoquo modo celebrata, nullo modo extendatur.

5. In (*b*) graue etiam praeiudicium Praelatorum, Magnatum, et Nobilium vergere dignoſceretur; quod Capitula, et Conuentus de bonis eorundem propriis ſonantes, etiam antiquiſſimas literas habere experiantur; ad Archi- et Epiſcopatus vero pertinentes, et bona Secularium Familiarum tangentes vltra annum 1500. paucas reperiri; quum tamen horum aeque, ac ſua ſub ſecura cuſtodia conſeruare tenebantur. Praeterea neque ad mandata Iudicum Regni Ordinariorum, Literas in iisdem Capitulis, vel Conuentibus emanatas extradare vellent, quae iura Capitulorum, et Conuentuum, aut Epiſcopatuum quoquo pacto attingerent, licet eorundem propriae vel non eſſent, vel aliquid, ſeu contra eorundem bona, ſeu in propriis eorundem literis pro Seculari ſtatu quidpiam fauorabilius contineretur; aut vero de adminiſtranda iuſtitia, vel damno proximi euitando ageretur; et per id multorum malae fidei poſſeſſio, aliorum vero optima iura eluceſcere nequirent. Quare hoc in puncto, etiam ex benigno Suae Maieſtatis Sacratiſſimae aſſenſu ſtatuitur, vt eiusmodi quoque Literae, in tali Capitulo, vel Conuentu emanatae, prae quorum manibus reperirentur, ad ſenſum legum, ſub poena in iisdem ſtatuta fideliter, et ſub iuramento per fidedignitates deponi ſolito, et debente, Partibus petentibus ad mandata Requiſitoria extradentur. Si vero ex aliis credibilibus locis emanatae fuiſſe, et iura etiam aliorum tangere comperirentur, in loco nihilominus, ex quo emanaſſent, non reperirentur; tali in caſu, cum eodem credibili loco authentice communicari, et abinde aeque ad mandata extradari debebunt.

6. Con-

(*a*) Alias 41.

(*b*) Alias 43.

6. Conſideratis (*a*) praeterea Conuentus S. Martini Sacri montis Pannoniae, tum ipſa peculiari vetuſtate, tum etiam eiusdem Sacri Ordinis meritis; ex quo idem Conuentus iam a multis retroactis annis executiones ſolitas facere ceſſauerit, ideo eundem Conuentum reſtaurandum Regnicolae cenſent, et inpoſterum executiones, expeditionesque ſub reproducto coram Regni Statibus eiusdem antiquo ſigillo, per eum fieri poſſe ſtatuunt; Ita tamen, vt Dominus Archi-Abbas Perſonas Conuentuales ad minimum quinque corporali iuramento, in forma annexa adſtrictas pleno numero, Notariumque idoneum continue habeat, ſeque vna cum Conuentu, adinſtar aliorum locorum credibilium, Legibus Regni conformare teneatur. Id quod reſpectu reliquorum quoque credibilium locorum in functionibus ſuis procedentium, et praeuio modo nondum reſtauratorum, quum in ordine ad praeſtandum iuramentum, tum vero quoad perſonas, modalitate articuli praecedentis 39. extenſum intelligitur.

7. Vt (*b*) Dominorum Praelatorum pio, et ſalutari exemplo boni ad virtutem prouocari, Dyſcoli vero ad amplectendam Chriſtianam diſciplinam animari, reducique queant, Sua Maieſtate Sacratiſſima clementer annuente ſtatuitur: Vt Praelati, et alii Eccleſiaſtici beneficiati, publicis Regis, vel Regni Officiis, aut aliis grauibus Eccleſiae negotiis non praepediti, in Dioeceſibus, et beneficiis ſuis, ad praeſcriptum Legis iuxta ſtrictam ſuam obligationem reſideant; ne in contrauenientes Regia etiam auctoritate animaduertendum ſit Beneficia porro, et Canonicatus, iuxta art. 67. Vladislai Decreti 3. aliasque Leges Patrias perſonis benemeritis, et idoneis conferant. Neue vni perſonae (extra caſum, quo eiusdem prouiſioni neceſſario proſpiciendum foret) plura, quam vnum, Beneficia conferantur. Sacratiſſima Caeſarea, et Regia Maieſtas, id, quod muneris eiusdem eſſet, ſe clementiſſime obſeruaturam reſoluit. Illi vero, qui ex Statibus, ſeu iam ex collatione Regia, ſeu iure, et titulo fundationis, aut ex alio iuſto, et legitimo iure, Ius Patronatus quorumcunque beneficiorum, aut praeſentationum haberent, eodem debite vtantur, et in caſu vacantiae, Perſonis aeque idoneis, benemeritis, liberis, et alteri Eccleſiae non obligatis, ad praeſcriptum praecitati Articuli conferant. Capitulum vero Strigonienſe, nullo iam amplius metu Turcicae potentiae ſuperextante, vt quam primum fieri poterit, Strigonium redeat, ibidemque continuam figat manſionem, conueniens eſt.

8 Vt (*c*) Vnitorum Graeci ritus Sacerdotum Filii, in Presbyteratu nati, in ſtatum, et conditionem colonicalem non reducantur, talesque praeuie capacitati, et eruditi in Presbyteratum aſſumi, et ordinari poſſint. Qui vero Presbyterorum filii in fundis colonicalibus reſiderent, a talibus fundis iuxta initam, vel ineundam cum Dominis Terreſtribus conuentionem, in, et ab iisdem contribuere, ac ad communia onera concurrere debeant.

9. Piarum (*d*) quarumuis fundationum inſpectionem, et cum exactione rationum, vtrum fundationi ſatisfiat? inueſtigationem, Sua Maieſtas Sacratiſſima pro Apoſtolico munere, et Suprema authoritate ſua, vigore articuli 74. Anni 1715. ſibi benigne reſeruauit: Et e gremio Regio-Locumtenentialis Conſilii non nullos deputabit, qui praemiſſorum ſingularem, et peculiarem curam habeant. Circa fundationem Szirmaianam, tanquam rem de iure tertii tractantem (audita etiam parte altera) Sua Maieſtas Sacratiſſima id, quod iuſtitiae conforme fuerit, clementer diſponet. Fundatio vero Hrabowszkiana, in Commiſſione de negotio Religionis inſtituta, et iam termi-

nata

(*a*) Alias 44.
(*b*) Alias 55.
(*c*) Alias 69.
(*d*) Alias 70.

nata, vberius tractata; vbi acta eiusdem Commiſſionis reuiſa fuerint, pro aequitate terminabitur. Ceterum, vt in Academiis non tantum Philoſophicum, Theologicum, et Iuridicum etiam ſtudium exactius, ſeparatim, et ſtatutis horis, pure pro earundem ſcientiarum ſtudioſis, ſed et alia quacuis in exteris Vniuerſitatibus publice doceri conſueta, et ſtatui quoque publico, et militari deſeruientia ſtudia tractentur, et per idoneos Profeſſores tradantur; vbi Status, et Ordines modum, formam, et media, quibus id commode fieri poſſit, Suae Maieſtati Sacratiſſimae demiſſe ſubmiſerint, pro Regia benignitate ſua huic quoque demiſſo Statuum petito clementer annuet, et Conſilium ſuum Regium Locumtenentiale, eatenus quoque ſufficienter inſtruet.

10. Articulum (a) 60. Anni 1715. ita obſeruandum clementer admittit Sua Maieſtas Sacratiſſima, vt ſi qui Praelatorum, aut quorumcunque beneficiorum Eccleſiaſticorum Poſſeſſores, Eccleſias, aut beneficia ſibi concredita minus curarent, aedificiaque, et fundos inſtructos deſolari permitterent, ruinoſos vero non aedificarent, talium Praelatorum, et quorumuis beneficiatorum prouentus per Suam Maieſtatem Sacratiſſimam (qua Summum Eccleſiarum Patronum) in ſequeſtrum ſumi, et ad reſtaurationem praefatarum Eccleſiarum, aut aedificiorum, et fundorum reparationem applicari valeant. Praeterea etiam eo reflectendum, vt Epiſcopi, et Eccleſiarum Patroni de Parochorum intertentione, et ſubſiſtentia, a Populo (vbi neceſſum eſſet) praeſtanda proſpiciant. Ideo ſedecima decimarum vbique; et etiam octaua, vbi in vſu fuit, Parochis Catholicis ſecundum Leges Patrias praeſtetur.

11. Ex (b) quo Sacer ordo Crucigerorum Hoſpitalariorum cum rubea ſtella, per ſedulam Hoſpitalium, et Noſocomiorum curam, et adminiſtrationem in pluribus Regnis, et Prouinciis per eundem zeloſe exercitam, magnos Chriſtianae pietatis fructus operari comperiatur, nec minorem pariter in hoc Apoſtolico Regno Hungariae, poſt eiusdem receptionem, ex oblata quoque Patriae Nobilitatis filiorum in ordinem ſuum ſuſceptione, et ad functiones, ac beneficia ordinis, eorundem admiſſione fructum, Status, et Ordines ſibimet merito pollicerentur; Hinc praeuia Suae Caeſareae, et Regiae Maieſtati humillima ſupplicatione, et accedente eiusdem benigno aſſenſu, ad demiſſam quoque coram Statibus, et Ordinibus eo fine factam eiusdem inſtantiam, ac zeloſam Eminentiſſimi, ac Sereniſſimi Cardinalis, Ducis de Saxonia, Principis, Archiepiſcopi Strigonienſis, et Primatis Regni, nec non Venerabilis Cleri Regni Hungariae interpoſitionem determinatum eſt: Vt idem Sacer ordo in Regnum iſtud, et partes eidem adnexas (voto tamen absque omni) pro recepto, et ſtabilito habeatur; Fundationesque Hoſpitalium, et Noſocomiorum debito modo, et ordine, ac a Fundatoribus praeſcripta cautione adminiſtrare; Non ſecus alia etiam bona Fundationalia pure Secularia, et liberae Fundatorum diſpoſitioni ſubiecta, iure, et titulo duntaxat pignoratitio poſſidere valeat: Filiosque Nobilitatis Patriae, aliosque Nationales in Ordinem recipiat, et idoneos, ac capaces ad beneficia quoque ſui Ordinis aſſumat. Pariter, et Religioſi Ordines Capucinorum, Fratrum Miſericordiae, Seruorum B. Virginis Mariae, nec non Carmelitarum Calceatorum, et Diſcalceatorum, et Paulanorum, ita et Societatis Virginum Vrſulitarum, conformitate art. 108. Anni 1715. in Regnum iſtud Vngariae, et partes eidem annexas recipiuntur. Qui omnes (non ſecus, et hactenus quandocunque recepti, et quocunque nomine inſigniti Ordines) in ſignum pietatis, et gratitudinis, ſinguli duodecim Sacro-Sanctae Miſſae Sacri-

(a) Alias 71.

(b) Alias 96.

Sacrificia pro Suae Maieſtatis Sacratiſſimae, Succeſſorumque Vngariae Regum, Regnique huius Apoſtolici incolumitate, incremento, et proſperitate, ſingulis annis, et in perpetuum dicere, et celebrare, praedictae autem Moniales celebrari facere teneantur.

12. Vt (a) Vſurarii (Actione Fiſco Regio competente, eidemque relicta) non tantum in totius intereſſe, ſed etiam capitalis amiſſione puniantur, et quod vltra legale ſex per centum intereſſe, a Debitoribus ſuis exegerunt, id damnificatis per idem Iudicium reſtituatur, iuſtum eſt.

(a) Alias 120.

CLXV.
SYNODVS REGIA
Poſonienſis Anni MDCCXXIX. ſeu Caroli III. Decretum III.

1. Quoniam (a) perſoepe contingeret, vt factum, aut negotium actioni ſubſtratum, ſolis ruralibus perſonis (ſi puta, in earum, ac non alterius praeſentia factum fuiſſet, ac quoquo modo ipſae, ac non aliae, Illius ſcientiam poſſitionem haberent) conſtare rationabiliter valeret. Econtra vero art. 27. Par. 2. Trip. Teſtes ignobiles contra Nobilem, non niſi volentibus, et conſentientibus partibus adhiberi poſſe innueret: Ideo Sua Maieſtate Sacratiſſima beniguiſſime annuente concluditur, vt in cauſis quidem Criminalibus, eo duntaxat in caſu, quo veritas non alias, quam ex teſtimoniis, ſeu mere ignobilium, ſeu cum concurſu Nobilitarium perſonarum elici valeret; In cauſis autem mere Ciuilibus (putadamnorum, depoſitorum, debitorum, violentiarum, et id genus aliis) etiam extra caſum praedictum, adeoque promiſcue, perſonae quoque ignobiles (bonae famae tamen, ac aeſtimationis, aetatisque legaliter requiſitae) aduerſus Nobiles, vti et pro iisdem, in teſtimonium adhiberi, erga deponendum iuxta formulam Decretalem iuramentum, valeant. Quantum porro ſeruos, aut ſubditos attineret, eſto communiter, et ordinarie teſtimonia eorundem contra, vel etiam penes Dominum, adhiberi poſſe non videantur; quando tamen veritas erui aliunde nequiret, in cauſis Ciuilibus (iis, ac talibus, in quibus ipſorum intereſſentia, adeoque quodpiam commodum, vel incommodum a cauſa illa, in qua teſtificantur, pendens nullo modo ſubuerſatur) tam penes, quam contra Dominum, in teſtes valide aſſumentur. In territorialibus nihilominus cauſis, et ſiqui alii caſus occurrerent, in quibus ipſorum intereſſentia praeſumi quiret, neque pro Domino, neque contra eundem, teſtimonium eorundem attendi debebit.

2. Vt (b) in corporalis Iuramenti, ſibimet inuicem per partes collitigantes ſubmiſſionibus, vel alterutri earundem per Iudicem impoſitionibus (tanquam in defectu alterius probae neceſſariis, et finalibus eruendae veritatis mediis) oriri queuntes ambiguitates, ac confuſiones praeſcindantur; obſeruandum erit, vt quum de iure Actori proba incumbat, niſi eapropter caſus ſit talis, qui forte in occulto interceſſit (adeoque neque Teſtium, ſed neque literali documento plene probari poſſet) Actore nihil probante, Reus ſimpliciter abſoluendus veniat. Si autem Actor probet quidem, ſed tantum ſemiplene, et non agatur de facto vtriusque partis, ſed tantum in cauſam attracti, vel ipſiusmet proprio, vel alterius, ſed ipſi bene cognito; et hoc in paſſu in cauſam attractus, ſuimet proprio iuramento [illegible] purgare non vellet, depoſitio iuramenti in cauſam attracto, (quia

(a) Alias 26.

(b) Alias 27.

(quia ſemiplena probatione Actoris grauatur, factumque cognitum non eſt) deferri debet. Si tamen Actor ſemiplene probet, in cauſamque atractus probam non diluat, et factum vel vtriusque partis proprium, vel tale foret, cuius ſufficientem cognitionem non minus Actor, quam in cauſam attractus habere praeſumitur; Actori depoſitio iuramenti ſuppletorii competit. Econtra ſi Actor probet quidem, ſed in cauſam attractus eiusdem probam in tantum diluat, vt partes in aequilibrio quaſi conſtituantur, hic quoque in cauſam attracti ratio fauorabilior, quam Actoris eſſe debebit; ac per conſequens in cauſam attractus ab impetitione Actoris abſoluetur. In caſibus demum occultis, vbi (prouti ſuperius dictum eſt) Actor probandi modum nullum haberet, et ageretur de facto in cauſam attracti, vel ipſi cognito, eiusdem in cauſam attracti iuramento ſubmitti debebit; qui ſi iurauerit, hic quoque abſoluendus venit, ac praeterea expenſas ſibi eatenus per Actorem cauſatas, eodem ipſo proceſſu mediante recuperabit. Praemiſſaque reſpectu partium, quoad actiuitatem inuicem parium, adeoque vtrobique nobilitari praerogatiua gaudentium, ac tali cum moderatione intelliguntur, quod perſona, cuius iuramento cauſa terminanda eſſet, omni exceptione maior eſſe debeat. Sed et ruralis perſona aduerſus nobilem Actorem, eotum duntaxat oneri, ſemet ad mentem art. 23. 1613. purgandi ſubiaceat, quando contra eandem ad minus ſemiplene probari valeret.

3. Ad (a) propagandam in hocce Regno veram Fidem Apoſtolicam, augendumque Cultum Diuinum; Religioſum ordinem Patrum, et Fratrum Auguſtinianorum Eremitarum, Status, et Ordines Regni, in hocce Regnum Hungariae, parteſque eidem adnexas, abſque tamen omni voto, et ſeſſione recipiunt. Qui ordo in ſignum pietatis, et gratitudinis ſingularis, duodecim Sacro Sancta Miſſae Sacrificia pro Suae Maieſtatis Sacratiſſimae, Succeſſorumque Hungariae Regum, Regnique huius Apoſtolici incolumitate, incremento, et proſperitate, ſingulis annis in perpetuum dicere, et celebrare teneatur.

(a) Alias 50. Miſſarum, certarumque orationum numerum Regiis Beneficiis rependi haud nouitium eſt inſtitutum. In Concilio quippe Moguntino I. Anni DCCCLVII. aiunt Patres: *Decreuimus, vt in ſingulis Parochiis per Epiſcopos, et Clericos, et Abbates, ac Monachos, oratio pro Vobis, pro Veſtra Coniuge, et Nobiliſſima prole - - - cuius orationis ſumma eſt: Miſſarum tria millia, et quingenta, Pſalteriorum ſeptingenta etc.* In Concilio Wintonienſi Generali Anglico: *Omnes Fratres, et Sorores noſtrae, ad vnamquamque Eccleſiam omni hebdomada, die Mercurii; hoc eſt Weddensdeus content L Pſalmos, et vnusquisque Presbyter duas Miſſas, vnam pro Rege Ethelvulpho, et aliam pro Ducibus eius - - - quamdiu Fides creſcit in Gente Anglorum,,* Memorabilia ſane verba!

FINIS TOMI PRIMI

Admittitur. Viennae 1784. Octob. 22da.
Szekeres. mpria.

LS

Imprimatur. Die 23. Octob. 1784.
Hoffinger. mpria.
Secr.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

144
K
2.

143
14
23

Digitized by Google